
37
23 A
22



BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS,
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum selectissimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT


Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS VIGESIMUS SECUNDUS
complectens Prophetias MICHAEAE, NAHUM, HABACUC, SOPHONIAE, AGGAEI, ZACHARIAE, MALACHIAE, & duos libros Machabæorum.



VENETIIS
MDCCLV.

Excuderunt {MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



PROPHETIA MICHAEAE.

QUO *tempore vaticinatus fuerit Michæas, in limine ipso, uti & patriam suam indicat, vicum nempe dictum* Morasthi *prope Eleutheropolim. Hanc esse* Maresam *urbem non ignobilem, cuius fit mentio Iosue, cap.* XV. *existimat Masius; unde Chaldæus vertit,* Ad Michæam de Maresa, *quæ etiam est vicina Eleutheropoli.*



CAPUT PRIMUM.

Quo tempore Michæas prophetaverit: comminatur Samariæ & Ierusalem exitium & captivitatem propter idololatriam ipsorum: quos plangit Propheta & ad planctum provocat.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, regum
Iuda: quod vidit super Samariam, & Ierusalem. 2. (*a*)
Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo
eius: & sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus
de templo sancto suo. 3. (*b*) Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super
excelsa terræ. 4. Et consumentur montes subtus eum: & valles scindentur
sicut cera a facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. 5. In
scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel: quod scelus Iacob?
nonne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? nonne Ierusalem? 6. & ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea: & detraham
in vallem lapides eius, & fundamenta eius revelabo. 7. Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia
idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & usque ad mercedem meretricis revertentur. 8. Super hoc plangam, & ululabo: vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum. 9. Quia desperata est plaga eius,
quia venit usque ad Iudam, tetigit portam populi mei usque ad Ierusalem. 10. In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo Pulveris pulvere vos conspergite. 11. Et transite vobis habitatio Pulchra,
confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: * planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet. 12. Quia infirmata est in
bonum, quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum a Domino
in portam Ierusalem. 13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis:
principium peccati est filiæ Sion, quia in te inventa sunt scelera Israel.
14. Propterea dabit emissarios super hereditatem Geth: * domus mendacii
in deceptionem regibus Israel. 15. Adhuc heredem adducam tibi quæ habitas in Maresa: usque ad Odollam veniet gloria Israel. 16. Decalvare: &
tondere super filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum sicut aquila:
quoniam captivi ducti sunt ex te.

(a) Isa. xxvi. 21. (b) Deut. xxxii. Isa. i. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 11. *Planctum domus vicina accipiet ex vobis*. Non mutes nominativum *vecina* in genitivum *vicinæ*.

Verſ. 14. *Domus mendacii in deceptionem regibus Iſrael*. Nominativus pluralis *domus*, non eſt vertendus in accuſativum pluralem *domos*.

COMMENTARIA

SA.

MICHAEAS prophetat contra Iſrael & Iuda.

V. 1. MICHAEAM. Alius eſt hic ab illo, de quo III. Reg. XXII. MORASTHITEN. Chald. *de Mareſa:* eſt hæc in tribu Iuda: vide Ioſ. XV. Hieron. tamen diſtinguit a *Moraſthi*, dicens diverſa eſſe loca. SUPER, id eſt contra.

V. 2. POPULI, ſcilicet Hebræi. TERRA, ſcilicet Hebræorum. PLENITUDO, id eſt habitatores, ſeu quidquid in ea. Sept. *qui in ea*. DOMINUS. Chald. *Verbum Domini*. VOBIS. Hebr. & LXX. *in vobis*. Chald. *contra vos*. IN TESTEM, id eſt teſtis, ſcilicet quod vos monuerim. DE TEMPLO, id eſt cælo, ſcilicet erit teſtis. LXX. *de domo*.

V. 3. EGREDIETUR, ſcilicet ad puniendum. Chald. *conſpicuum ſe oſtendet*; ſcilicet prodet ſe Deus per opera. SUPER EXCELSA; quaſi dicat, Potentes. Chald. *robora*.

4. MONTES, id eſt principes. VALLES, id eſt plebeii. SCINDENTUR, id eſt liquefient. LXX. *tabeſcent*.

V. 5. IN SCELERE, id eſt ſcelus. LXX. *ob impietatem*. IACOB, ſcilicet decem tribuum. CATIS, ſcilicet accidet. IN PECCATIS, id eſt ob peccata. ISRAEL: repetitio. Quidam tamen Iudam intelligunt, ſeu duas tribus. SAMARIA, id eſt idololatria Samariæ. EXCELSA, ſcilicet ubi colit idola. IERUSALEM. Chald. *in Ieruſalem*.

V. 6. LAPIDES, ſcilicet ædificiorum. REVELABO, id eſt detegam, ſcilicet dirutis parietibus, ſeu muris.

V. 7. MERCEDES, id eſt idolis oblata, vel divitiæ acquiſitæ commercio idololatrarum Gentium, aut amicitia; vel ipſorum opinione, ob culta idola. Chald. *idola*. IDOLA. Chald. *templa idolorum*. MERETRICIS; pro, meretricii, ſcilicet idololatriæ. LXX. *fornicationis*. USQUE AD, &c. quaſi dicat, Dabuntur aliis idololatris, ſcilicet Aſſyriis, qui ea putabunt mercedem eſſe ſuæ idololatriæ. Chald. *in domum colendum idola tradentur*. REVERTENTUR, ſcilicet quæ non fuerint combuſta.

V. 8. PLANGAM, &c. Chald. *plangent, & ululabunt, ibunt nudi in captivitatem*, &c. LXX. *planget, & lugebit, ibit diſcalceata & nuda, & faciet planctum*, &c. DRACONUM. Horum, & ſtruthionum vox dicitur eſſe valde lugubris, cum dolent. STRUTHIONUM. LXX. *filiarum Sirenum*.

V. 9. PLAGA, id eſt calamitas, vel ſcelus. POPULI MEI. Erat enim Michæas ex tribu Iuda. IERUSALEM, ſcilicet euſque pervenit exercitus Sennacherib: vel Chaldæorum exercitum intelligit.

V. 10. ANNUNTIARE, ſcilicet ne lætentur Philiſthæi audientes. PLORETIS, ſcilicet ut poſſint hoſtes videre, aut audire, eoque gaudere. DOMO PULVERIS; pro, intra domos dirutas. Chald. *in domibus pulverulentis*. Hebr. *Beth Haſrah*, quod quidam aiunt eſſe nomen proprium, ut & reliqua quæ ſequuntur, quod non eſt improbabile.

V. 11. TRANSITE VOBIS, id eſt fugite; vel quaſi dicat, Migrabitis in terram hoſtilem. PULCHRA. Quidam Samariam intelligunt. Hebr. *Saphir:* nomen proprium aliis urbibus Iuda. EGRESSA, ſcilicet ſponte, ſed vi abducta. Chald. *egreſſa ſalva*. IN EXITU, id eſt via Aſſyriorum, vel propinquior Aſſyriis. Quidam Samariam intelligunt; aliis eſt nomen proprium. Nam Hebr. *habitatrix Tſaanan*. EX VOBIS, id eſt

est post vos, vel a vobis accipiet, id est intelliget ob vicinitatem. Quidam Iudam intelligunt: alii esse nomen urbis, quia Hebr. *Beth Haetsel*. STETIT SIBIMET, id est non est causa egredi foras: vel stetit, scilicet intacta ab hostibus, cum vos abduceremini. Intelligunt quidam Iudam, qui postea a Chaldæis abductus.

V. 12. IN BONUM, id est ob amissa bona, vel ad operandum bonum. IN AMARITUDINIBUS, id est peccatis. Hebr. *Maroth*, quod quidam putant esse urbis nomen proprium. Alii Iudam intelligunt, seu Ierusalem.

V. 13. QUADRIGAE, scilicet hostilis. STUPORIS, scilicet causa. LACHIS, scilicet: eo prius venit Sennacherib: vide IV. Reg. XVIII. Isa. XXXVI. est autem urbs Iudææ, primaque videtur coluisse idola, ut statim indicatur. PECCATI, scilicet idololatriæ.

V. 14. DABIT, scilicet Lachis. EMISSARIOS, id est milites missos, scilicet ad petendum opem a Gethæis; sed frustra, quia illi mendaces, nec fidei servantes.

V. 15. HEREDEM, scilicet rerum tuarum, Assyrium, vel Chaldæum. ODOLLAM: est in tribu Iuda, ut *Maresa*. GLORIA; pro, calamitas (per ironiam) seu ignominia.

V. 16. DECALVARE, &c. id fiebat in luctu, seu calamitate. SUPER, id est propter. DELICIARUM TUARUM. LXX. *delicatos tuos*. AQUILA, scilicet cum ei decidunt plumæ omnes: solet enim mutare plumas omnes, & iuvenescere.

EST I I.

Vers. 1. ET ECCE DOMINUS EGREDIETUR DE LOCO SUO, ET DESCENDET, ET CALCABIT SUPER EXCELSA TERRAE. Dicitur Dominus egredi de loco suo, id est de cælo, quod est habitaculum eius; non quia locum illum deserit, sed quia cum in cælo esset, postea nova quadam operatione cœpit esse alibi, videlicet in terra. Unde hic sequitur: *Et descendet, & calcabit super excelsa terræ*. Nempe filius Dei, ut ipse testatur, exivit a patre, & de cælo descendit in terram; quia cum prius cum patre esset, & in cælo, loco suæ præcipuæ gloriæ, postea per assumtam naturam humanam cœpit esse in terra.

MARIANAE.

MICHAEAS patriam habuit Morasthi, seu Maresa, de qua 1. cap. vers. 15. Est autem vicus prope Eleutheropolim, seu Hebron, in tribu Iuda; tametsi Epiphanius, Dorotheus, & Isidorus de tribu Ephraim fuisse Michæam aiunt. AEqualis Oseæ & Ioel, iisdem quibus illi Regibus prophetavit. An idem qui filius Iemla vocatur III. Reg. XXII. 8. non puto: quia ille Achab tempore vixit, vir iam & Propheta; hic multo post fuit.

Vers. 1. AD MICHAEAM MORASTHITEN. Chald. *de Maresa*. SUPER, seu *contra* SAMARIAM ET IERUSALEM. Prius Samaria nominatur, quia scelere potior.

V. 2. AUDITE POPULI OMNES, Iudæ & Israelis. TERRA, ET PLENITUDO EIUS, id est terra & habitatores eius. ET SIT DOMINUS DEUS VOBIS IN TESTEM. Sept. *& erit*: sic Hebr. Is erit testis, me vera loqui: seu, testor Deum. Iurandi forma. Aut sic, Deus testificatur & loquitur ex ore meo; non alia dicam quam quæ audivi.

V. 3. DOMINUS EGREDIETUR, ut puniat, veniet. CALCABIT SUPER EXCELSA TERRAE: sic Principes vocat.

V. 4. ET CONSUMENTUR MONTES. Heb. *liquescent montes*, id est dynastæ. VALLES SCINDENTUR, id est plebs se dissolvet, aut *tabescet*, ut Sept. sicut cera ignis calore solvitur. ET SICUT AQUAE, QUAE DECURRUNT, aut *se effundunt* IN PRAECEPS, ut illæ continuo disparent, sic populus hic.

V. 5. IN SCELERE IACOB, id est propter scelus Iacob. Per *Iacob* decem tribus intelligit, similiter per *Israel*. QUOD SCELUS IACOB? id est quæ causa sceleris Iacob? NONNE SAMARIA? nempe cum vitulos excitavit. ET QUAE EXCELSA IUDAE? Sic vocat altaria idolorum; quasi dicat: Quis fuit causa, ut illa ponerentur altaria? certe Ierusalem suo exemplo infecit alios.

V. 6. QUASI ACERVUM LAPIDUM IN AGRO. Hebr. *ponam Samariam in acervum agri, in plantationes vineæ*. Ea diruta urbe, vinea in eius area plantabitur. Sept. po-

ponam Samariam in pomorum custodiam; id est, faciam ut sit quasi tugurium, quod collectis fructibus deseritur. ET DETRAHAM IN VALLEM LAPIDES EIUS, seu *evertam*, dispergam, effundam. ET FUNDAMENTA EIUS REVELABO; id est, usque ad fundamenta demoliar eam.

V. 15. MERCEDES EIUS, id est bona, supellex. QUIA DE MERCEDIBUS MERETRICIS, id est ob cultum idolorum, quo placuerunt aliis Gentibus, quæsita, aliis cultoribus idolorum, scilicet Assyriis, cedent.

V. 8. SUPER HOC, propter hoc ego plangam. Verba sunt Prophetæ. SPOLIATUS, ET NUDUS. Sic significat se serio loqui; simul habitus indicabat, quomodo ituri essent ii homines in captivitatem. FACTAM PLANCTUM VELUT DRACONUM. Victi ab elephantibus vehementer sibilant: Hieronymus. STRUTHIONUM. Relinquunt ova in arena, postea ululant, quasi ea quærentes.

V. 9. DESPERATA. Chald. *gravis est plaga eius*, scilicet pestis, famis, & belli. TETIGIT PORTAM POPULI MEI, id est munitionem, arcem, scilicet Ierusalem, ad quam obsidendam accedebant hostes, aliis urbibus expugnatis. *Mei* ait, quia Michæas erat ex tribu Iuda.

V. 10. IN GETH NOLITE ANNUNTIARE, ne Philisthæi nostris malis lætentur. LACRYMIS NE PLORETIS. Hebr. *plorando ne ploretis*, sed in corde scilicet sit dolor, ne audiatur. IN DOMO PULVERIS, inter ruinas urbis, in pulverem vos involvite. Id erit mœroris signum. Hebr. in textu *hithpalasthi*, *pulvere me consperſi*, ad nuditatem novum id mœroris signum addidi: pulvere me fœdavi. In libro Massoreth *hithpalassi* legendum dicitur, id est *pulvere involvi me*. Estque hic locus unus e quindecim, quos Iudæi mutarunt, ea correctione, quam *Tikum Sophrim*, id est, *correctionem Scribarum* vocant. De quo plura in Disput. pro Edit. Vulgat. cap. VII. Quod si *involvi me* legatur, non incommode Propheta typum Christi sustinebit, qui in domo Pulveris, utero Virginis, se pulvere consperſit, involvit.

V. 11. ET TRANSITE VOBIS HABITATIO PULCHRA. Hebr. *transi* (pro, *transite*) *vobis quæ habitas Saphir*. Urbis Iuda nomen. CONFUSA IGNOMINIA. Hebr. (eum) *turpitudine & pudore*; id est, deformata ibis in captivitatem. NON EST EGRESSA QUAE HABITAT IN EXITU. Heb. *Zanaan*, id est, cives Zanaan non iverunt in captivitatem, incolumis mansit. PLANCTUM DOMUS VICINA. Hebr. *planctus Bethhazeal*, scilicet erit illi urbi planctus. Quare, ACCIPIET EX VOBIS, QUAE STETIT SIBIMET. *Quæ stetit*, id est, victrix a vobis accipiet opes sibi. Hebr. *accipiet a vobis stationem suam*; id est bellicos sumptus petat hostis, & pecunia emetis libertatem, quod non sine civium gemitu contingat. Cogimur ea urbium nomina ut proprie accipere, ut locus intelligatur: & alioqui Hebr. allusiones sunt pulchræ, quas alia lingua non recipit.

V. 12. QUIA; pro *certe*. Vatabl. INFIRMATA EST IN BONUM. Hebr. *doluit in* (propter) *bonum*, quod scilicet prius habuit, aut hostis abstulit. QUAE HABITAT IN AMARITUDINIBUS, scilicet Ierusalem. Sept. *in doloribus*. Hebr. [in] *Maroth*, nomen proprium: sic Pagn. IN PORTAM IERUSALEM malum descendit, id est ad Ierusalem usque & eius portas bellum pervenit.

V. TUMULTUS QUADRIGAE STUPORIS in portis Lachis, scilicet cives Lachis stupebunt, ob currus Assyriorum qui venient. Sane Sennacherib cepit Lachis IV. Reg. XVIII. 14. De eo bello agit Propheta, ut Theodoretus ait. Hebr. *apta* (iunge) *currum ad equos veloces*, *quæ habitas in Lachis*, scilicet ut fugias, aut eas in captivitatem. Nec immerito. PRINCIPIUM PECCATI EST, ibi prima idola tribus Iuda fuerunt. Tu docuisti Ierosolymitas impium cultum.

V. 14. DABIT EMISSARIOS. Hebr. *dabis missiones*, id est mittes munera. SUPER HEREDITATEM GETH. Hebr. *ad Moreseth*. *Geth* nomen proprium urbis, cui Lachis misit dona, ut opem ferret. DOMUS MENDACII. Hebr. *domus Achzib*. Erant arces, quibus eadem de causa Lachis dona misit. IN DECEPTIONEM REGIBUS ISRAEL. Hebr. *in mendacium Regibus Israel*: sæpe eos deceperant, sic te decipient. Inter *Achzib* nomen loci, & *Achzab*, *mendacium*, magna similitudo & paronomasia; quasi dicat: Recte vocatur *Achzib*, id est *mendax*, quando mentitur & fallit.

V. 15.

V. 15. Adhuc, id est præterea. Heredem adducam tibi, id est, possessorem, Assyrios. Quae habitas in Maresa: patria Michææ in tribu Iuda: neque tu ab ea clade eris libera. *Maresa* significat *hereditatem:* sic ludit vocabulo, *ad hereditatem adducam heredem*. Usque ad Odollam. Urbs in tribu Iuda a Roboamo constructa, II. Paral. xi. 7. Ergo usque ad eam urbem penetrabit. Gloria Israel, id est heres gloriæ Israel. Vastata ea regione & subdita, in Odollam & Iudæam & eius urbes irruet hostis, quem *gloriam Israel* vocat, seu *heredem gloriæ*.

V. 16. Decalvare, comam rade, quod fiebat in magnis malis. Super filios deliciarum tuarum, id est ob filios delicatos tuos, qui ducuntur captivi. Dilata calvitium tuum sicut aquila. Quæ quodam tempore pennis nudatur, & eas mutat; neque tunc venari potest. Heb. Schol. illud *sicut aquila*, iungit cum verbo *transmigrabunt*, sic: *quoniam ut aquila transmigrabunt*, scilicet filii tui; quoniam ea avis præ ceteris altissime volat. Sed prior sensus præstat, cui ordo litteræ, & accentus Hebraici favent.

MENOCHII.

Vers. 1. Ad Michaeam. Alius est hic Michæas a Michæa filio Iemla, cuius mentio III. Reg. xxi. 14. Nam noster prophetavit sub Ioathan, Achaz, & Ezechia; ille vero vixit sub Achab, Iosaphat, itaque noster ducentis, vel centum, & quinquaginta annis illo est posterior. Morasthiten. Morasthi fuit viculus in tribu Iuda iuxta Eleutheropolim ad orientem eius. In diebus Ioathan, &c. Hinc patet Michæam paulo post Osee, Ioel, Abdiam, & Ionam cæpisse prophetare. Nam illi cœperunt sub Ozia, qui fuit pater Ioathan. Quod vidit: quod scilicet verbum, id est quam visionem, aut prophetiam divina accepit revelatione. Super Samariam, et Ierusalem: prophetat enim contra Israel, hoc est contra decem tribus, & contra Iudam.

V. 2. Audite populi omnes: tam decem, quam duarum tribuum. Plenitudo eius: omnes qui illam incolunt, & implent. Sit Dominus Deus vobis in testem: quod scilicet ego prophetæ munus impleam, & vos moneam, ut ab idololatria, & peccatis recedatis. Dominus de templo sancto suo, id est qui in cælo tamquam in templo maiestatis suæ augustus residet.

V. 3. Egredietur, scilicet ad puniendum. Potentiam suam, quæ latere videbatur puniendo ostendet. Calcabit super excelsa terrae: calcabit excelsos, & potentes, id est optimates Israel.

V. 4. Et consumentur montes: principes, & potentes Deo premente instar montium fulmine ictorum; liquescent, dissolventur, & consumentur. Valles, id est, plebeii. Scindentur. LXX. *Tabescent*, id est liquescent, consumentur more ceræ, quam solvit ignis, aut nivis solis ardore tabescentis, & per torrentium alveos decurrentis.

V. 5. In scelere Iacob omne istud; id est, mala hæc omnia ob scelus Iacob, hoc est, decem tribuum, evenient. Et in peccatis, &c. est eiusdem sententiæ repetitio. Quod scelus Iacob? Quis causa fuit Idololatriæ decem tribuum? Nonne Samaria? Nonne Reges, & Principes populi Samariam incolentes, & populo in scelere præeuntes? Quae excelsa Iudae? Unde factum ut Iudæi Idolis sacrificarent in excelsis? Nonne Ierusalem? id est, Nonne Reges, & Principes Ierosolymis agentes idololatriæ auctores fuerunt, & promotores?

V. 6. Ponam Samariam quasi acervum lapidum. Sensus est, Evertam Samariam, adeo ut ipse locus sive mons, in quo sita est, vitibus conseratur, & fiat vinea; ipsa vero superba urbis ædificia, & muros detraham, & evertam usque ad fundamenta, adeo ut eorum lapides deiiciantur, & devolvantur in vallem subiectam, ibique in acervum cumulentur.

V. 7. Merces eius. Donaria, & opes, quas ab idololatris recipiebat meretrix, id est idolorum cultrix Samaria, & in prophanis idolorum delubris collocabat, pretiosam supellectilem auream, vel argenteam, vestes &c. vel mercedes vocat dona, sive divitias, quas collegit Samaria ex commercio, & amicitia gentium, quarum idola colebat: quas mercedes vocat, quoniam propterea ipsi dabantur, quod idola earundem gentium adoraret: quæ explicatio melior est. Quia de mercedibus

MERETRICIS CONGREGATA SUNT: occasione idololatricæ superstitionis donata, vel parata. ET USQUE AD MERCEDEM MERETRICIS REVERTETUR. Hæ divitiæ a meretrice Samariæ transibunt ad Ninivem Assyriorum Metropolim, quæ & ipsa meretrix est, hoc est cultrix idolorum, eritque illius merces pro præstito opere eversionis, & direptionis Samariæ, ad quam nutu Dei vindicis Samaria peccatorum evocabitur.

V. 8. SUPER HOC PLANGAM, ET ULULABO, &c. id est, Ne Israel falsum putet esse quod assero, factis etiam dolorem meum testabor, & nudus incedam, quia non solum Israel vastandus est, sed etiam Iudas, & usque ad portas Ierusalem veniet plaga, & calamitas hæc. VADAM SPOLIATUS, ET NUDUS: ut hoc facto significem Israelitas nudos, & gementes in captivitatem esse ducendos: simile est factum Isaiæ cap. XX. PLANCTUM VELUT DRACONUM: qui ab elephantis, cum quibus pugnant, oppressi, magnas, & lamentabiles voces edunt. Vide Solin. cap. XXXVIII. Polyhist. & Plin. Lib. VIII. cap. XI. LUCTUM QUASI STRUTHIONUM. In Hebr. est, *quasi filiarum struthionum*; struthiones enim feminæ magis quam mares clamosæ, magis quoque lugubrem edunt vocem. Aliqui vertunt, *ut iuvenes struthionum*, pulli enim strutionum a parentibus derelicti, immo contempti, ut ait Iob cap. XXXIX. 14. & Ierem. Thren. IV. 3. miserabiliter eiulant.

V. 9. QUIA DESPERATA EST PLAGA EIUS; scilicet Samariæ. Plagam vocat cladem ab Assyriis illatam, indeque nascentem famem, & pestilentiam. QUIA VENIT USQUE AD IUDAM, &c. nam excisa Samaria anno sexto Ezechiæ a Salmanasar rege Assyriorum, mox anno 14. Ezechiæ, Sennacherib qui successit Salmanasari, proserpens, & ulterius progrediens, venit in Iudæam, multasque urbes cepit, ipsamque Ierusalem obsedit, sed ibidem ab Angelo occisus est IV. Reg. XVIII. & XIX.

V. 10. IN GETH NOLITE ANNUNTIARE. Cohibete dolorem, nec velitis cladem hanc vicinis gentibus Israelis inimicis nunciare, ne si hoc audiant, malo nostro lætentur. Sic II. Reg. II. 20. dicitur: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum*. NE PLORETIS, scilicet ut possint hostes videre, aut audire, eoque gaudere. IN DOMO PULVERIS; pro *pulveris* in Hebræo est, עפרה *aphra*, quod dupliciter accipi potest, vel ut appellativum significans *pulverem*, & sensus erit; in clade, & ruina urbis, & ædium magnum pulverem trahentium dum cadunt, pulvere vos aspergite, ut dolentes, & lugentes solent. Vel est nomen proprium urbis in tribu Beniamin Iosue XVIII. 23. & sensus est simplicior; in Aphra, sive Ephra pulvere vos conspergite, ut nomen ipsum urbis significat, & invitat calamitas, qua premimur. TRANSITE VOBIS. Hebraismus idem significans quod *transite*: sic dicitur Cant. I. 8. *si ignoras te*, pro *si ignoras*; est enim illud *te* paragogicum, ut cum apud Latinos legimus *Tute*, id est tu ipse. HABITATIO PULCHRA. In Hebræo est ישבתשפיר *Iosebeth Sappir*, *Habitatrix Saphir*. Potest hæc vox accipi ut nomen appellativum, & ut nomen proprium. Si dicamus esse nomen appellativum sensus erit: O habitatores Samariæ, quæ pulchro, & uberi loco sita est, transite, hoc est, ite in captivitatem, id est ibitis cum magna ignominia. Si accipiatur ut nomen proprium, non constat quænam sit Sappir, aut ubi sita, cum hoc nomen alibi non inveniatur. Suspicatur Cornel. a Lapide esse eam quæ alio nomine dicitur Saphora, vel Saphorme, vel Sephoris, vel Sephoron, quæ ut volunt Hegesippus, D. Hieronymus, & Adrichomius, est Diocæsarea. Nihil certi in hac re potest affirmari. CONFUSA IGNOMINIA: propter dedecus captivitatis. In Hebræo est, ut vertunt Vatablus, & Pagninus, *nuda pudore*, id est nudo corpore, ut accidit iis qui vestibus pene omnibus detractis, rapiuntur in captivitatem. QUAE HABITAT IN EXITU. In Hebræo est, *quæ habitat* צאנן *in Saanan*, *tsaanan*, quod etiam accipi potest ut nomen proprium, vel ut appellativum. Si ut proprium dicemus Saanan eamdem fuisse cum *Saanan*, quæ fuit urbs tribus *Iuda*, Iosue XV. 37. vel potius eamdem cum *Sennim*, vel *Saananim*, vel *Sannanim*, quæ fuit urbs in tribu Nephthali subiecta Samariæ ut patet ex Iosue XIX. 33. Iudic. IV. 12. Si ut appellativum, dicemus sermonem esse de Samaria, quæ dicitur habitare in *exitu*, id est in fine terræ sanctæ, proxima hostibus, vicina Assyriis. Et sensus erit:

Ne putes o Samaria, te ut prophetæ minantur captam esse a Theglatphalasar, qui IV. Reg. xv. 29. aliquos ex te cepit, quasi tunc omnem pœnam tuis sceleribus debitam persolveris. Non ita est. Nondum es egressa, & abducta in captivitatem, abduceris tota, ita ut nemo ex te, vel vix ullus in Samaria supersit. Idem erit sensus, si dicamus Saanan esse nomen proprium. PLANCTUM DOMUS VICINA ACCIPIET EX VOBIS, pro, *domus vicina* in Hebræo est, בית האצל *beth hætsel*, quod æque ut præcedentia accipi potest vel ut nomen proprium, vel ut appellativum. Si ut proprium, dicemus fuisse locum aliquem, vicum, aut oppidum vicinum urbi Saanan, & sensus erit, Bethætsel, quæ est vicina Saanan, & eius vastatione planctum accipiet, quia mox & ipsa vastabitur, ipsa, inquam, *quæ stetit sibimet*, id est in seipsa, suæque munitioni confidens, & suis viribus. Si vero ut appellativum, ita ut Bethætsel idem sit quod *domus vicina*, sensus erit, Iudæa: & Ierusalem, quæ est domus vicina Samariæ, quæmadmodum ex Samaria ob vicinitatem accepit idololatriam, & culpam: ita & pœnam, & excidium, & luctum accipiet ab eadem. Ierusalem, inquam, quæ stetit sibi, scilicet in suis viribus, & robore confidens. Vel, quæ tam elegans erat, & egregie constituta, & fundata.

V. 12. INFIRMATA EST IN BONUM, id est ad operandum bonum. QUAE HABITAT IN AMARITUDINIBUS. Hebr. *Quæ habitas in Maroth*. Vel est *Maroth* nomen loci, & fortasse est urbs illa, quæ in tribu Iuda ponitur Iosue xv. 58. & *Mareth* vocatur. Fuit etiam alia urbs nomine Mara in tribu Manasse cuius meminit Adricomius in descriptione eiusdem tribus. Vel est nomen appellativum, significaturque eadem domus vicina, tribus scilicet Iuda, quæ habitat in amaritudinibus, id est peccatis ad amaritudinem, & iram provocantibus, & quam manet a Deo vindictæ amaritudo, qua punietur. QUIA DESCENDIT MALUM, &c. Nam ut ait S. Hieronimus Sennacherib Assyrius vastata Samaria venit etiam Ierusalem, misitque Rabsacen, qui Ierosolymitis insultaret IV. Reg. XVIII. 17. Isai. XXXVI. 2.

V. 13. TUMULTUS QUADRIGAE STUPORIS, &c. id est, exaudietur in Lachis sonitus quadrigarum Sennacherib, quo præ pavore quasi stupidi reddentur cives Lachis, cives, inquam, Lachis, qui primi ex Iudæis idolorum cultum didicerunt a Samaritis, & exemplo suo perverterunt Ierusalem, ad idololatriam eam adducentur.

V. 14. DABIT EMISSARIOS: non Sennacherib, sed civitas Lachis, nam in Hebræo est תתני *thithne*, quæ vox est feminini generis, & de Sennacherib dici non potest. Sensus est, Lachis missuram in Geth ad opem postulandam, sed frustra. EMISSARIOS. In Hebræo est שלוחים *scilluchim*, a radice שלח *scalach*, *misit*: mittet nuntios. Italice diceremus, *mandarà messi*, quod bene Hebraico respondet. SUPER HEREDITATEM GETH, id est ad Gethæos, vel quia in Hebræo est על מורשת גת *hal moreseth gath*, verti potest, *super*, vel ad *Maresa Geth*; urbs enim Maresa pertinebat ad Geth. Noster vertit hereditatem, quia *Maresa*, *Morasa*, vel *Moreseth*, idem est, quod hereditas. DOMUS MENDACII: quæ Geth est domus mendacii, promisit enim regibus Israel se opem laturam contra Assyrios, quod non præstitit. In Hebræo *domus est* בתי *batthe* in plurali; quare aliqui vertunt *domos*, referentes ad Maresa, & Geth.

V. 15. ADHUC HEREDEM ADDUCAM TIBI, QUAE HABITAS IN MARESA; id est, o Maresa urbs Iudææ, quæ *hereditatem* tuo nomine significas, ad te veniet hostis, qui te hereditet, & capiat. USQUE AD ODOLLAM, &c. Odolla erat urbs in finibus Iuda. Sensus esse videtur: Gloria Israelis quasi loco pulsa, & cedens, veniet usque ad Odollam, ad quam accedet Assyrius paulatim progrediendo, & Israelis, & Iuda civitates occupando. D. Hieron. Ribera, & alii *Gloriam Israel*, per antiphrasim interpretantur, ignominiam, quam ab hostibus passus est Israel, & ad Odollam, hoc est ad remotissimas usque Iudææ urbes pervenit, cum victus est, & ductus in captivitatem. DECALVARE: o Samaria, & Iudæa capillum tonde in signum luctus. SUPER, id est propter. DELICIARUM TUARUM, id est delicatos tuos. SICUT AQUILA: cum plumas omnes mutans nudo est vertice.

TI-

TIRINI.

Verſ. 2. POPULI OMNES; id eſt, incolæ omnes terræ ſanctæ, AUDITE latam cælitus de ſceleribus veſtris plectendis ſententiam. ET DOMINUS DE TEMPLO SANCTO SUO, id eſt de cælo, in quo quaſi in templo ſuo & palatio regali glorioſus reſidet, ipſe SIT VOBIS, mihique *teſtis*, quod officio mihi commiſſo fideliter perfunctus ſum, vos monendo, corripiendo, & imminentes capitibus veſtris pœnas prænuntiando.

V. 3. ECCE DOMINUS DE LOCO SUO, & e ſolio cæleſti EGREDIETUR: nova expeditione ſuſcepta, ET DESCENDET iratus, armatus, ſæviens, inſtar archiſtrategi graviter offenſi, ET CALCABIT, conteret, exſcindet etiam EXCELSA TERRAE, & principes quantumcumque potentes. Sic vidit eumdem Dominum egredientem David *a*, Ezechiel, Apoſtolus Ioannes, &c.

V. 5. OMNE ISTUD malum, omnis ſtrages, omne excidium terræ ſanctæ; unde, quæſo, & quo ex fonte? IN SCELERE, id eſt ob ſcelus poſterorum IACOB, & ob horrenda *peccata* totius DOMUS ISRAEL: ita Remigius, Lyranus, Vatablus. QUOD SCELUS IACOB? Pagninus, *quis fuit cauſa tranſgreſſionis Iacob?* NONNE SAMARIA? ſeu reges Samariæ, id eſt decem tribuum, qui acceptos ab Ieroboamo primo vitulos aureos, cultu perpetuo perſecuti ſunt, àliiſque, ut proſequerentur, duces, auctores, impulſores fuerunt: in tantum ut etiam tribus *Iuda*, quæ hucuſque pene invicta ſteterat, nunc ſimilibus ſordibus tota ſcateat, ſub impio & profano rege Achaz *b*, quo regnante excelſa idolis per totam Iudæam erecta ſunt. Etenim QUAE cauſa, quis auctor, vel unde EXCELSA iſta IUDAE, antea iſtic inviſa & incognita? NONNE EX IERUSALEM? nonne a facili ego rege Achaz? qui idolis in ipſo quoque Dei templo ſtatuas & aras *c* erexit: & hoc exemplo ſuo peſtem hanc in totum regnum invexit. Sed

V. 6. *Samaria*, utpote princeps, & prima origo huius mali, primo loco plectenda. Per Aſſyrios ergo deſtruam, evertam, in pulverem redigam muros eius, templa & palatia: ut ex iis nil ſuperſit præter ACERVUM LAPIDUM, reliqua urbe nonniſi vineis plantandis, & conſerendis agris deſervitura: ita Hebr. Cal. LXX. Pagninus, Vatablus, Arias & a Lapide. Et patet ex ſimili pœna quam Ieroſolymæ infra *d* comminatur. Et vero Samariam ſolo æquatam fuiſſe a Salmanaſſare, & agris ac vineis deſtinatam, licet non expreſſe aſſeratur in Regum hiſtoria, ſat tamen inſinuatur, cum abductis in Aſſyriam Iſraelitis, *Chutæi* eo inducti dicuntur tantum *poſſediſſe* e *Samariam*, *habitaſſe* vero *in* aliis *urbibus* ipſi ante ſubditis & annexis. Poſtea tamen inſtauratam paulatim, & priſtino ſplendori ſubinde redditam conſtat ex Ioſepho, & aliis alibi *f* adnotatis.

V. 7. MERCEDES EIUS, id eſt fruges & opes Samariæ, quas iactat ſibi illa meretrix *g*, id eſt idololatra, ab idolis ſuis quaſi mercedes ſui meretricii, ſeu idololatriæ, cælitus obvenire, OMNES IGNE COMBURENTUR ab Aſſyriis: ita S. Hieron. Remigius, Hugo & Lyranus. Vel ſi quæ maneant reliquæ, REVERTENTUR AD MERCEDEM MERETRICIS, id eſt a priori poſſeſſore devolventur ad alium, ab Iſraelitis ad Aſſyrios, ut his tamquam antiquioribus meretricibus ſerviant pro mercede laboris impenſi in expugnanda, ſubigenda & exſcindenda nova hac meretrice Samaria.

V. 8. SUPER HOC, ex intimo viſcerum dolore quem ex hac Samariæ ruina concipio, ſimulque ut vobis reipſa ob oculos ponam miſerrimum ſtatum in quem devolvemini, VADAM plena luce per mediam urbem SPOLIATUS extimis & honoratioribus veſtibus, pannoſus, ſacer ac ſemi NUDUS, ut nuper fecit etiam collega meus Iſaias *h*. Plangam VELUT *draco*, qui devicti elephanti ſanguine, quem avidiſſime exſugit, ebrius ac turgidus, mole ac pondere corruentis ſupra ſe elephanti moribundi oppreſſus, horrendos ac lamentabiles eiulatus emittit, teſte Solino & Plinio *i*. Et lugebo QUASI *ſtruthio* k, maxime femella, quæ quando in ferrea haſtilia, quæ venatores circa nidum illi defigunt, incautior ſeſe inicit, flebiliter luget ac ſtridet; teſte AEliano *l*, LXX. pro *ſtruthionibus* vertunt, *ſirenes*, alludentes ad fabulam Gentilium, vel, ſi mavis, ad *meretrices* per ſirenes deſignari ſolitas, quæ more præfi-

carum *m*, composito luctu ac planctu, non minus quam blanditiis vel cantu solent amasios suos detinere, ne se deserant; aut amores inchoatos abrumpant. R. David & Novantes vertunt *ululas*, præter usum vocis Hebrææ *n iaana*, quæ nusquam *ululas* significat, quod sciam. S. Cyrillus accipit *passeres marinos*, vel *philomelas*, quæ raptis, seu ovis, seu pullis, lugubre melos fundunt, cum alias suavissime cantillent. Sic & ego, inquit Michæas, lugubri planctu prosequar pereuntem Samariam.

V. 9. PLAGA EIUS, id est vulnus & clades Samariæ inflicta ab Assyriis, incurabilis EST AC DESPERATA. Neque in illa sola stetit, sed PERVENIT USQUE AD IUDAM, attigit & obruit etiam *portas* urbium POPULI MEI Iudaici, quin & USQUE AD IERUSALEM devenit. Factum id a Sennacherib, qui multas Iudææ urbes cepit, ipsamque Ierosolymam obsedit, IV. Regum XVIII. & XIX. ita S. Hieron. Theodoretus & alii. Hæc tam tristia

V. 10. NOLITE ANNUNTIARE *o* vel LACRYMIS vestris indicare vicinis hostibus Philisthæis IN GETH, ne scilicet inde lætentur, tibique insultent. In sequentibus pulchre ludit Propheta in urbibus quibusdam primo Samariæ, deinde etiam Iudææ, nomina urbium *p* partim ut propria, partim ut appellativa accipiens, hoc modo: Vos o incolæ urbis *Aphra q*, id est *Pulveris*, iuxta nomen vestrum, PULVERE VOS præ luctu CONSPERGITE. Et tu

V. 11. HABITATIO, id est incola, urbis *Sappir*, seu *Sephoron*, id est, *Pulchra*, transmigra ad squalorem carceris, *confusionem* & *ignominiam*. Tu *qui habitas in Saanan r*, id est, in *egressu*, seu in abundantia, & hactenus non es egressus cum reliquis a Teglatphalassar, *s* abductis, iam sub Salmanassare apage & tu in Assyriam. Porro sub his tribus urbibus Samariæ subiectis, intelligit synecdochice reliquas etiam omnes urbes decem tribuum: sicut Isaias & Ieremias sub pauculis urbibus Moab & AEgypti reliquas omnes illarum regionum; & noster hic Michæas sub duabus vel tribus urbibus Iudææ totam Iudæam comprehendit, cum subdit in fine versiculi, O *Bethaetsel*, id est DOMUS VICINA urbis *Saanan* (hæc enim est in finibus terræ Iuda, sicut Saanan in finibus est decem tribuum) PLANCTUM ex vicinæ urbis vastatione, cum non minimo etiam damno tuo accipies: quæ tamen hucusque *flevisti tibimet*, id est tuo proprio robore ac munitione.

V. 12. Denique *qui* HABITAT IN *merotb*, id est AMARITUDINIBUS, amara & acerba multa patietur ab hoste Sennacherib, qui omnia urbis munimenta *infirmabit*, deiiciet & everiet: pergetque nemine resistente usque ad *portas* IERUSALEM: sed primum

V. 13. *Tumultum* ac strepitum *quadrigarum* Assyriacarum stupebit & excipiet urbs LACHIS *t*, PRINCIPIUM PECCATI, seu idololatriæ Iudæorum; QUIA SCELERA ISRAEL, nempe vituli aurei, & alia idola decem tribuum, primo omnium IN TE INVENTA SUNT, & a te in reliquas Iudææ urbes proseminata ac propagata. Capta *Lachis*

V. 14. DABIT Sennacherib EMISSARIOS, id est mittet volones & velites in *maresa*, id est *in* HEREDITATEM, seu in agros & vicos hereditario iure subiectos urbis satrapiæ GETH, nempe ut ea depopulentur ac devastent: eo quod Gethæi, qui semper fuerunt DOMUS MENDACII, & fefellerunt REGES ISRAEL, nunc etiam instigarint eosdem Israelitas, & cives etiam Lachis, ut resisterent Assyriis, promittentes omnem opem, sed nullam præstantes: ita S. Hieronymus, Ribera & a Lapide. Nec propterea destitueris herede, o *Maresa*.

V. 15. HEREDEM enim AEHUC TIBI ADDUCAM, non *Geth*, sed Assyrium monarcham, ut sis deinceps illius *maresa*, id est hereditas. *Et* copiis suis PERVENIET USQUE AD ODOLLAM, id est ornamentum, seu *gloriam* ISRAEL. Odolla enim, seu *Odulla*, iuxta quam latuit *David u*, urbs fuit ut antiqua, & sedes regia *x*, ita potens, vasta *y* & elegans: qua corruente, corruere censebatur fortitudo, robur & gloria Israelis.

V. 16. DECALVARE ergo, o Odolla, inquit Vatablus, vel o *Samaria*, ut S. Hieronymus & Rupertus. Neque per caput tantum, sed per universum corpus DILATA CALVITIUM, SICUT AQUILA, quæ toto corpore depilatur ac deglabratur, & quidquid habet plumarum, cum ipsis etiam radicibus amittit quando senescit. Quia

tu

tu simili modo spoliaberis omnibus FILIIS DELITIARUM TUARUM; LXX. *filiis delicatis tuis*, & qui tibi nunc in deliciis sunt. Omnes enim vel occidentur, vel capientur ab Assyrio, & quasi mancipia decalvabuntur; ut olim in more fuisse, alibi z dixi.

Nota. Sub hac *aquilæ* depilatione videtur tacite promitti nova Israeli *aa* gloria litteraliter sub Cyro; Allegorice ac principaliter, sub antitypo Cyri Christo; Anagogice, in cælo. Aquilæ enim depilatæ succrescunt novæ plumæ, ipsaque reiuvenescit, ut auctores omnes tradunt.

(a) Psal. XVII. 10. &c. Ezech. X. 3. &c. Ioannes in Apocalypsi.
(b) IV. Reg. XVI. 5. & seqq.
(c) Ibid. vers. 4. 10. &c.
(d) Michææ III. 11.
(e) IV. Reg. XVII. 24.
(f) Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. XVII. 6. Reg. XVI. 24.
(g) Osee II. 4. & 12.
(h) Isaiæ XX. 2.
(i) Solin. cap. XXXVIII. Polyhist. Plin. Lib. VIII. cap. XI.
(k) Iob XXXIX. 14. & Thren. IV. 3.
(l) AElian. Lib. XIV. cap. VII. 19. 20.
(m) Iob III. 8. Ierem. IX. 17.
(n) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 16.
(o) II. Reg. I. 20.
(p) Proleg. sup. num. 16.
(q) Iudic. VI. 11.
(r) Iosue XV. 6.
(s) Iosue XIX. 33. Iudic. IV. 11. IV. Reg. XV. 29. Isaiæ XV. 2. Ierem. XLVI. 24.
(t) IV. Reg. XVIII. 13 14. 15. &c.
(u) I. Reg. XXII. 1. & II. Reg. XXIII. 13.
(x) Iosue XII. 35.
(y) II. Machab. XII.
(z) Deut. XXXII. 42.
(aa) Osee I. 6.

GORDONI.

Vers. 1. VERBUM DOMINI, &c. En simul patriam Prophetæ, tempus quo vixit & argumentum opusculi huius: nomen porro Heb. מיכה.

V. 3. EGREDIETUR DOMINUS, &c. Initium prophetiæ seu oraculi, ubi vox egrediendi tribuitur Deo ex effectu novo, nempe ad puniendum, ut sæpe Scriptura. CALCABIT EXCELSA TERRAE; hoc est excelsos. Quod Propheta ipse magis explicat vers. 5. ubi per Israel intelligit Iudam, & per Iacob decem tribus.

V. 7. DE MERCEDIBUS. Idololatriæ opes congregatæ; ad mercedes idololatrarum gentium revertentur, quando auferent omnia Assyrii & Chaldæi. Hic opes Israelis & Iudæ in idololatria partas vocat mercedes idololatriæ, meretricis.

V. 8. Addit planctum. Lamentationem & nuditatem, ut solebant facere in imminente clade Prophetæ, ut patet ex Isa. cap. XX.

V. 10. IN GETH, &c. Plaga ingens est, sed nolite annuntiare ne hostes Gethæi, & Philistini de nostris malis lætentur: animo & corde lugete, & inter ruinas murorum in pulvere abscondite.

V. 11. TRANSITE VOBIS, &c. Fugite, abite, ibitis in ignominiosam captivitatem. Habitatio tua pulchra (Samaria) erit ignominiosa: non est egressa sponte Samaria, quæ habitat in exitu, seu in via Assyriorum; utpote propinquior illis venientibus in terram Israel: non, inquam, sponte egressa est, sed coacta & contrita. Planctum domus vicina accipiet, nempe Ierusalem, & exemplum ex Samaria, Ierusalem, inquam, quæ adhuc stetit, quando capta fuit Samaria; sed postea ne ipsa quidem stabit. Locus iste perobscurus, sicut dixi reddi potest totus. Nam alioqui verba hæc prophetica obscuram habere videntur allusionem ad urbes ignotas. Variam etiam habent in Hebr. lectionem; & quædam aliqui nomina accipiunt ut propria, aliqui ut appellativa: vulgatus omissis allusionibus posuit significata.

V. 12. QUIA INFIRMATA EST IN BONUM, &c. Loquitur nunc de Ierusalem, malum etiam illi denuncians: & persistit Propheta in allusione ad urbes Iudæ, sicut vers. 11. decem tribus expressit per suas etiam urbes. *Infirmata est* IERUSALEM. Hebr. כי חלה לטוב *ki chala letob* *quia doluit propter bonum*, scilicet amissum quod abstulit hostis: quia descendit malum a Domino in portam Ierusalem. Nam ex Hieronymo, Sennacherib, post vastatam Samariam, venit contra Ierusalem, misso Rapsace qui insultaret Ierosolymitanis IV. Reg. XVIII. 17. & Isai. XXXVI. 2.

V. 13. Lachis urbs Iudææ est. Hanc Sennacherib primo invasit, quæ prima suscepit in Iudæa Idololatriam, & ideo prima dat pœnas. Hinc. vers. 14. significat missos emissarios seu legatos ad Geth & Philisthæos pro auxilio: domus in plurali,

li. Hebr. בתי *bete*, domus vero mendacii, & in deceptionem filiis Iſrael.

V. 15. HAEREDEM ADDUCAM, &c. *Mareſa* מורשה *moreWe*, proprium nomen loci. Porro ſignificat hereditatem, rad. ירש; hinc nova alluſio: adducam tibi hæredem, ſcilicet Aſſyrium, idque uſque ad Odollam penetrabit Aſſyrius. De hac urbe Ioſue XII. 15. Item II. Paral. XI. 7. Item II. Machab. verſ. 12. Adrichom. eo, inquit, veniet gloria Iſrael, hoc eſt Aſſyrius, qui vocatur gloria Iſrael: vel per antiphraſin ex Hieronymo, quia ſecum abſtulit gloriam Iſrael, & eam hereditavit.

V. 16. DECALVARE, &c. Verbum femininum eſt, ac proinde apoſtrophe ad Samariam, quamvis aliqui referant, vel ad Iſrael (licet ſit maſculinum,) vel ad Odollam; de qua proxime, non certe ad Ieruſalem, quia adhuc ſtetit fugato Aſſyrio; de quo dixi verſ. 13.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 1. Moraſthæ, vicus, ſeu pagus in tribu Iuda, iuxta Eleutheropolim.

Verſ. 5. QUOD SCELUS IACOB, id eſt Iſraelis. DOMUS ISRAEL, id eſt Iuda, ubi domus & templum erat.

Verſ. 6. MONTES ET VALLES: principes & plebei.

Verſ. 8. Dracones victi ab Elephantis lamentabiles edunt voces. Plinius Lib. VIII. cap. XI. Sic ſtruthionum pulli eiulant, quando a matribus deſeruntur.



C A P U T II.

Propheta populi ſui multiplicem iniuſtitiam, aliaque peccata recenſens, prædicit vindictam & captivitatem ipſi imminere; & ob id lugens, reliquiarum futuram congregationem denuntiat.

1. AE qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus veſtris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum eſt manus eorum. 2. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum eius; virum, & hereditatem eius. 3. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum: unde non auferetis colla veſtra, & non ambulabitis ſuperbi, quoniam tempus peſſimum eſt. 4. In die illa ſumetur ſuper vos parabola, & cantabitur canticum cum ſuavitate, dicentium: Depopulatione vaſtati ſumus: pars populi mei commutata eſt: quomodo recedet a me, cum revertatur, qui regiones noſtras dividat? 5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum ſortis * in cœtu Domini. 6. Ne loquamini loquentes: Non ſtillabit ſuper iſtos, non comprehendet confuſio. 7. Dicit domus Iacob: Numquid abbreviatus eſt ſpiritus Domini, aut tales ſunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona ſunt cum eo, qui recte graditur? 8. Et e contrario populus meus in adverſarium conſurrexit: deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis: & eos, qui tranſibant ſimpliciter, convertiſtis in bellum. 9. Mulieres populi mei eieciſtis de domo deliciarum ſuarum: a parvulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum. 10. Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem: propter immunditiam eius corrumpetur putredine peſſima. 11. Utinam non eſſem vir

vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit super quem stillatur populus iste. 12. Congregatione congregabo Iacob totum te: in unum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ovili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur a multitudine hominum. 13. Ascendet enim pandens iter ante eos: divident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 5. *In cœtu Domini*. Non subiicias, *o Israel*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. INUTILE. Chald. *rapinam*. LXX. *labores*, id est peccata, quæ laborum causæ sunt, & dolorum: ideoque *labores* vocantur, & *dolores*, ut Psal. IX. 54. OPERAMINI id est designatis. LUCE, &c. quasi dicat, Summo mane. MANUS, id est opera.

V. 2. CALUMNIABANTUR, id est per calumniam opprimebant. Chald. & LXX. *diripiebant*.

V. 3. SUPERBI. Chald. & LXX. *erecti*; quasi dicat, Deprimam eorum superbiam. PESSIMUM, id est calamitosum.

V. 4. PARABOLA, id est proverbium, seu sermo parabolicus, scilicet per similitudines & metaphoras, quæ solent carminibus adhiberi. CANTICUM, scilicet lugubre. Hebr. *lamentabitur lamentatio*. LXX. *planctus plangetur*. CUM SUAVITATE, scilicet quæ calamitosi lugentes canunt, hostes solent cum suavitate imitari, cantantes eadem. Chald. *in afflictione*. PARS, id est hereditas, seu possessio. COMMUTATA EST, id transiit in hostium potestatem. RECEDET, scilicet hostis, vel calamitas. REVERTATUR, scilicet hostis. DIVIDAT, scilicet inter se.

V. 5. MITTENS, &c. id est dividens tibi hereditatem, seu possessionem in congregatione Israel; quasi dicat, privaberis omni possessione.

V. 6. LOQUAMINI, &c. scilicet solebant talia dicere, qui Prophetis prædicentibus mala non credebant. STILLABIT, scilicet calamitas; quasi dicat, Non patientur mala quæ prædicitis.

V. 7. ABBREVIATUS, &c. quasi dicat: Numquid tam parvæ est misericordiæ, ut nos perdere velit? TALES, scilicet quales vos Prophetæ prædicitis nos perdendi. Quidam tamen hæc dicta a Propheta intelligunt, ut sensus sit, Numquid Dominus non potest facere quod prædicit? aut talia cogitat, qualia vos fingitis? VERBA MEA, &c. quasi dicat: Nonne soleo favere bonis? Dei verba. RECTE. Chald. *in veritate*. GRADITUR, id est vivit.

V. 8. IN ADVERSARIUM, scilicet mihi; quasi dicat, Meæ voluntati repugnatis. DESUPER, &c. sensus est: Insuper tunicam & pallium, vel pallium quod super tunicam est. SUSTULISTIS, scilicet proximo, seu pauperi. SIMPLICITER, id est innocenter, seu nihil timentes. CONVERTISTIS, &c. id est hostiliter estis persecuti.

V. 9. DELICIARUM, id est in quibus cum viris suis delectabiliter vivebant; quasi dicat, Separastis a viris suis. LAUDEM MEAM, scilicet a vobis seducti idololatria, vel oppressi, impediuntur a laude mea: vel si *parvulis earum* cum superioribus coniungatur, sensus erit, Tulistis cultum meum, qui idola colatis.

V. 10. ITE, scilicet in captivitatem. EIUS, scilicet terræ ob peccata vestra. CORRUMPETUR, &c. quasi dicat, Pessime vastabitur.

V. 11. Spiritum, ſcilicet propheticum. Mendacium, id eſt falſum; quaſi dicat: Mallem falſa prædicere ſpiritu proprio, quam tantam calamitatem ſpiritu Dei. Stillabo, &c. quaſi dicat: Cogor tamen prædicere tanta mala, quibus velut inebriandi ſitis. In vinum, &c. pro, vinum inebrians. *Vinum* vero pro punitione, more Scripturæ, velut ex calice propinata; *ebrietas* vero pro abundanti potatione; quaſi dicat, Maximum erit malum.

V. 12. Congregabo, ſcilicet per Evangelicam prædicationem. Totum, ſcilicet electos omnes ex Iſrael. Unum, ſcilicet locum, ſeu ovile. Tumultuabuntur, &c. quaſi dicat: Erit maxima multitudo, quæ ſolet tumultum edere, ſcilicet multis colloquentibus, & ſtrepitum. A multitudine. Chald. *præ frequentia*.

V. 13. Ascendet, ſcilicet in cælum Chriſtus. Enim non eſt Hebr. Chald. aut in LXX. Pandens, ſcilicet more aperientis viam præcedendo: & quidem Chriſtus paſſione ſua viam aperuit. Portam, ſcilicet qua hic concludebantur gravati corpore, vel in limbo, vel etiam in purgatorio. Rex, ſcilicet Chriſtus. Capite, id eſt principio. LXX. *dux erit*.

E S T I I.

Verſ. 11. Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, et in ebrietatem, &c. Poteſt hoc ſic intelligi, ut propheta potius optet ſe non habere ſpiritum propheticum, & falſa eſſe, quæ dicit, quam ut eveniant gravia illa mala quæ prædicit. Sed hoc non decet prophetam, niſi conformans ſe divinæ voluntati ſtatim addat, *Veruntamen non mea ſed tua voluntas fiat*. Quare alii ſic vertunt ex Hebræo: *Si vir eſſem ſpiritum ſequens, & mendacium concinnans, & prophetarem tibi de vino & ſicera* propheta ſcilicet eſſem, pro hoc populo; quaſi dicat: Si eſſem vanus & mendax propheta, & placentia prænuntiarem, tunc eſſem propheta gratus huic populo. Et hic intellectus optime quadrat cum facto Michææ alterius, de quo legimus III. Regum xxii. Cui cum nuncius miſſus ab impio Achab rege Iſrael (non Achaz rege Iuda, ſub quo iſte Michæas prophetavit, amplius centum quinquaginta annis poſt) cum, inquam nuncius ille dixiſſet: *Ecce ſermones prophetarum uno ore regi bona prædicant; ſit ergo & ſermo tuus ſimilis eorum*. Propheta in conſpectum regis adductus, per ironiam bona prædixit: *Aſcende*, inquiens, *vade proſpere, & tradet Dominus hoſtes in manus regis*. Et quidem ſi in tali reſponſione perſeveraſſet, laudatus fuiſſet, & remuneratus: verum quia ſerio adiuratus, ut ex ore Domini loqueretur, triſtia & adverſa prophetavit, in carcerem miſſus fuit. In eundem quoque ſenſum vertit Syrus interpres.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. Vae qui cogitatis inutile, id eſt malum, vana. Hactenus peccata in Deum, nunc arguit, quæ in alios faciunt. Operamini malum in cubilibus vestris. Ibi per noctem & quietem nectitis fraudem. In luce matutina. Simul cum luce exequuntur quæ cogitarunt. Quoniam contra Deum est manus eorum. Hebr. *quia ad Deum* (id eſt contra Deum, aut *fortitudinem*) *manus eorum*. Sept. *quia non levaverunt ad Deum manus ſuas*, ſcilicet ut pii mane faciunt. Hieronymus, *quia Deo adverſantur, alios opprimunt*: vox אל *AEl* & *Deum* ſignificat & *fortitudinem*; hoc poſterius ſecutus Chald. dixit: *In manu enim eorum adeſt poteſtas*, ſcilicet ad operandum malum. Hoc Hebræii alii ſequuntur. Verba Hebr. utramque expoſitionem admittunt.

V. 2. Et violenter tulerunt. Heb. *rapuerunt*. Et rapuerunt domos. Heb. *& domos* (concupierunt ſcilicet) *& tulerunt*. Et calumniabantur. Hebr. *oppreſſerunt*. In homines ipſos & bona eorum graſſati ſunt.

V. 3. Super familiam istam, id eſt gentem iſtam, malum. *Super*; pro, contra. Unde non auferetis. Hebr. *non removebitis colla veſtra*, vobis quaſi iugum imponam malum, unde colla non auferetis. Et non ambulabitis superbi. Hebr. *non ambulabitis* (in) *altitudine*, id eſt *erecti*, ut Sept. & Chald. nempe iugum impoſitum prohibebit, faciet ut non erigatis colla.

V. 4.

V. 4. Super vos parabola, id est monodia, nænia conficietur, quæ parabolis solet esse plena. Et cantabitur. Heb. *& lamentabitur lamentum lamentum*. Geminatio exaggerat lamenti mœrorem. Dicentium. Hebr. *dicet scilicet lamentum*, aut *lamentator*. Depopulatione. Hinc incipit nænia. Pars populi mei. *Pars*, pro hereditate. Hebr. *partem* (hereditatem) *populi mei mutavit*, abstulit, scilicet Deus, aut hostis. Quomodo recedet a me, aut *recedit*, ut Regia, scilicet Assyrius rediit in patriam, vastato regno Israel, IV. Reg. xvii. postea rediit, & occupavit omnia, divisitque inter suos agros. Heb. *Quomodo abstulit mihi* [cum nos speraremus] *restituturum agros nostros* (eos) *dividit*.

V. 5. Mittens funiculum. Funiculis dividebant prædia. Ergo sublato agro ex Iudæis, & cœtu Domini, non erit qui illum possideat. Funiculum sortis. Heb. *funiculum in sortem*, id est hereditatem, nemo mittet.

V. 6. Ne loquamini loquentes, id est o Prophetæ, ne dura nuntietis; nam super populum malum non veniet quod minamini. Hebr. *non stilletis* (scilicet o Prophetæ) *stillabunt* (scilicet populus dicet) *non stillabunt his* (id est, non evenient) *his non comprehendet* (pro, comprehendent eos) *opprobria*, quæ scilicet vos denuntiatis.

V. 7. Dicit domus Iacob. Hebr. *quoniam dicet domus Iacob*, scilicet Prophetis dicent Israelitæ. Numquid abbreviatus est; quasi dicat: Nonne aliquando prospera nuntiabitis, sed semper tristia? Aut tales sunt cogitationes eius? aut *opera*, aut *studia eius*, scilicet Dei, quales vos dicitis? Nonne verba mea bona sunt? Responsio Prophetæ. Verba mea bona sunt, sed bonis.

V. 8. Econtrario. Hebr. *& heri* populus meus, id est qui prius & nuper tales eratis. In adversarium consurrexit. Factus est hostis meus, aut populi. Desuper. Hebr. *contrario vestem pallium*, scilicet ab obviis abstulistis. Qui transibant simpliciter, confidenter, secure. Convertistis in bellum, quasi hostes illos spoliastis. Hebr. *redeuntibus e bello*. Belli tempore prædones multi per agros obvios spoliant. Id propheta accusat fieri eo tempore.

V. 9. Mulieres. Maritis eas abstulistis. Laudem meam, *decorem* Heb. id est ornatum, quem ego dederam, abstulistis a Parvulis. In perpetuum; id est, numquam mulieres viris aut parvulis ornatum restituistis.

V. 10. Surgite, ite in captivitatem. Propter immunditiam eius, quia vos terram illam pravis operibus polluistis. Corrumpetur. Hebr. *corrumpet*. Sed mutatis punctis in passivum vertetur, ut vertunt Sept. Putredine. Heb. *corruptione* pessima. Ita erit vastata, ut vos alere non possit.

V. 11. Utinam non essem vir. Optat falsa esse quæ prædicit, quæ tamen verissima erant. Hebr. *utinam vir ambulans vento*, id est ventosus & vanus essem. Stillabo tibi in vinum; pro, utinam stillarem, loquerer tibi in vinum, id est ex vino, quasi ebrius sine sensu verba inania, ut solent vino madidi. Et in ebrietatem, *in siceram*, id est, ex sicera: qua voce omnis potus inebrians præter vinum significatur. Et erit super quem; hoc est, utinam vana esset prophetia, quæ dicitur super populo hoc. Hebr. *& esset stillans* (id est, vates) *populus hic*. Dicebat enim populus, vana esse quæ nuntiabant.

V. 12. Congregatione congregabo Iacob. Hæc facta sunt tempore Christi, non ante. Aut loquitur de liberatione populi per Cyrum. Quasi gregem in ovili. Heb. *quasi gregem Bosra*. Urbs Idumææ ovibus copiosa. Tumultuabuntur a multitudine; id est, præ multitudine erit magna hominum turba. Hebr. *tumultuabuntur præ homine*, id est præ hominibus, præ hominum turba.

V. 13. Ascendet, scilicet Deus. Pandens, seu *aperiens*, פרץ *Paras* inter alia *aperire* significat. Divident, seu *pandent*, aperient hostes. Et transibunt portam, id est portas urbium: illis portæ patebunt, eos intra mœnia accipient voluntate, aut vi. Et ingredientur. Heb. *egredientur*, scilicet per eam: sic Hieronymus in comment. & Regia Vulg. & Sept. scilicet eum voluerint, proficiscentur. Lovan. *egredientur* habent sine nota variæ lectionis. Suspicor Roman. Biblia hac parte esse vitiata. Transibit Rex eorum coram eis. Christus, aut Zorobabel, si loquitur de liberatione e captivitate. In capite eorum, id est primus: ante alios ibit Deus. Theophylatus hos

duos postremos versus de expugnatione Ierusalem intelligit, tunc populum tumultuatum, hostem ascendisse per murum, divisisse, id est diruisse portam, Regem Babylonium praeivisse, & Deum, qui illi favit.

MENOCHII.

Vers. 1. QUI COGITATIS INUTILE: est miosis, minus enim dicitur, quam significetur. Sensus enim est, qui cogitatis *rapinam*, ut habet Chaldaeus, & iniustitias meditamini. OPERAMINI MALUM IN CUBILIBUS VESTRIS: noctu in lectis vestris machinamini mala, quae cum diluxerit, effecta detis, & summo mane illa pepetrare incipitis. MANUS EORUM: industriae, consilia, conatus, & opera.

V. 2. CALUMNIABANTUR VIRUM, ET DOMUM EIUS: viros calumniis circumveniebant, ut in eorum bona, & hereditates involarent.

V. 3. COGITO MALUM; id est, animus est plaga aliqua gentem hanc mulctare. UNDE NON AUFERETIS COLLA VESTRA; id est, imponam vobis onus gravissimum, quod nullo modo possitis excutere, nec possitis cervices vestras subducere, ne illud feratis. Intelligit gravissimam afflictionem captivitatis. NON AMBULABITIS SUPERBI; quasi dicat: Reprimam erectam, & superbam cervicem vestram. QUONIAM TEMPUS PESSIMUM EST, id est erit, quia super vos inducam tempora calamitosissima.

V. 4. SUMETUR SUPER VOS PARABOLA: naenia, lamentum funebre, carmen lugubre usurpabitur super vos, id est de vobis canetur. CANTICUM CUM SUAVITATE: cum modulatione, & inflexione quadam lugubri, ut solet fieri in naeniis. DEPOPULATIONE VASTATI SUMUS. Hebraeus habet, *vastando vastati sumus*, id est penitus vastati sumus. Sunt verba Samariae, & Ierusalem. PARS POPULI MEI COMMUTATA EST; id est, pars populi Israelitici translata est in Assyrios. Vel pars, id est sors, & hereditas populi mei ablata est, & data alienis. QUOMODO RECEDET A ME, &c. Quomodo pseudoprophetae, & adulatores dicebant Assyrium recessurum, & non magno illato damno abiturum, cum tam cito redierit, & nobis agros eripiat, & inter suos dividat? sunt verba lamentationis.

V. 5. PROPTER HOC NON ERIT TIBI, &c. quasi dicat: Posthac terram tuam, o Samaria, & Iudaea, inter tuos cives funiculo non divides, ut solebas, quia omni tua possessione privaberis. Sunt verba Samariae, & Iudaeae ad seipsam: sic enim lugentes ex affectu se ipsos interdum alloquuntur. Simile pathos apud Virgilium Ecloga 1.

Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en quo discordia cives
Perduxit miseros: en queis consevimus agros.
Insere nunc Meliboee pyros, pone ordine vites.

V. 6. NE LOQUAMINI LOQUENTES. Finita lamentatione, vel naenia, iam alius propheta, vel quispiam vir prudens inducitur loquens, quasi dicat: Nolite, o Michaea, o Ioel, o Amos, &c. verba perdere, & frustra populum hunc alloqui, & ad illum concionari. NON STILLABIT SUPER EOS: eloquium vestrum non instillabit illis bonam mentem. NON COMPREHENDET CONFUSIO. Hos adeo depuduit, ut monita, & increpationes, & minae pudorem illis non possint inicere. NUMQUID ABBREVIATUS EST SPIRITUS DOMINI? quasi dicat: Numquid arctatus, & angustiatus est spiritus misericordiae Dei, ut nos, qui sumus populus eius, perdere velit? TALES SUNT COGITATIONES EIUS: quales vos verbis ostenditis; id est, putatis illum nihil aliud quam de poenis infligendis cogitare? NONNE VERBA MEA BONA SUNT, &c. Haec sunt verba, & responsio Dei, affirmantis se quidem bonum esse, & clementem; sed bonis, & rectis. ET E CONTRARIO, &c. id est, at vos quasi adversarii insurgitis contra me, legem meam passim violantes. DESUPER TUNICA PALLIUM SUSTULISTIS: adeo capaces estis, ut ipsas etiam vestes, quas gestant, pauperibus eripiatis. QUI TRANSIBANT SIMPLICITER: eos, qui nemini nocebant. Italice, diceremus, *quelli che andavano per li fatti suoi*. CONVERTISTIS IN BELLUM: hostiliter estis persecuti.

V. 9. EIECISTIS DE DOMO DELICIARUM SUARUM: ex aedibus suis, in quibus cum maritis in amore, pace, & suavitate coniugali vivebant. Vel maritos persequentes,
vel

vel uxores apud maritos traducentes, & suspectas reddentes. Vel generatim sceleribus vestris causam dantes captivitati, unde factum est, ut matronæ suis ab ædibus abstraherentur ab Assyriis victoribus. TULISTIS LAUDEM MEAM. A matribus abductos honesta educatione privastis, & idololatras eos fecistis, qui alioqui me laudassent. Familias frequentes, & bene; educatas perdidistis, quarum causa, laus mihi tribuebatur.

V. 10. SURGITE ET ITE: scilicet in captivitatem, neque enim poteritis amplius, ut hactenus fecistis, hic agere quiete, & tranquille. PROPTER IMMUNDITIAM, &c. terra peccatis vestris polluta, etiam sanguine, & cadaverum putredine inficietur, in scelerum vindictam.

V. 11. UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM: utinam prophetico spiritu carerem, & fallerer, longeque aliter evenirent quæ dico. STILLABO TIBI IN VINUM, &c. at non possum Dei præcepto resistere qui me iubet tibi gravia, & tristia prædicere. Itaque stillabo, & infundam tibi vinum furoris Dei, quo calice inebrieris, dira, & acerba patiens. ET ERIT SUPER QUEM STILLATUR POPULUS ISTE. Israel est cui vinum hoc furoris stillo, & instillo.

V. 12. CONGREGATIONE CONGREGABO IACOB TOTUM TE. Miscet propheta læta tristibus, & evolat ad Christi tempora. Sensus ergo est: Ne desperes Iacob, nam cum venero in carne, congregare te incipiam ad Ecclesiam meam per Evangelii promulgationem, & tandem in fine mundi universas Israelis reliquias ad me convertam, & ad meum ovile, & caulas meas transferam. TUMULTUABUNTUR: ut fit in magno concursu, & frequentia hominum alioqui introire contendentium.

V. 13. ASCENDET ENIM PANDENS ITER ANTE EOS. Christus, quasi dux, & princeps eorum, ascendet ante eos pandens iter, & aperiens portas, tum carceris diaboli quo tenebantur, tum Ecclesiæ per baptismum, &c. IN CAPITE EORUM PRINCEPS ERIT EORUM, ut habent LXX.

TIRINI.

Vers. 1. VAE QUI IN CUBILIBUS VESTRIS etiam per noctem *excogitatis* & machinamini INUTILE ET MALUM. Hebræum, *aven*, id est *vanitatem*, *iniquitatem*; Chaldæus, Vatablus & Pagninus vertunt, *rapinam*; Syrus, *fraudem*, Agit enim hic de iniuriis in proximum, sicut præced. cap. de peccatis in Deum. Quæ ergo noctu excogitarant, fraudulenta consilia, prima LUCE MATUTINA, id est summo mane, summa celeritate & aviditate explent: *quia* MANUS, id est consilium, machinatio, conatus, EORUM *omnis* EST CONTRA DEUM: cuius odio satagunt etiam membra eius, id est proximos suos, persequi & affligere ubicumque possunt. Hoc quadrat in tyrannos, persecutores Christianorum. LXX. vertunt, *quia non levaverunt ad Dominum manus suas*; quasi dicat: Neglectus orationis, causa impiis est tam multiplicium scelerum. Quod idem & regius Propheta *David*, & *Daniel* subinde insinuarunt.

V. 3. NON AMBULABITIS SUPERBI; Chaldæus & LXX. *erecti*; id est, non amplius erigetis superbam cervicem, & tumidum collum, QUONIAM TEMPUS quod inducam vobis, PESSIMUM *a* EST, id est extreme calamitosum, quod superbiam & tumorem vestrum facile contundet & deprimet.

V. 4. SUMETUR SUPER VOS PARABOLA; id est, cantabitur de vobis nænia, seu lamentum vel carmen lugubre: CANTICUM CUM SUAVITATE, id est suavissimum ac pulcherrimum canticum, sed funebre, sed lugubre, sed lamentabile, quali solent præficæ animos mœrentium demulcere. In Hebræo est, *lamentabitur lamentum lamenti b*, id est maximum, pulcherrimum, elegantissimum lamentum, ita Pagninus, Vatablus & alii. Erit autem hæc nænia. DEPOPULATIONE VASTATI SUMUS; Hebraice *vastando c vastati sumus*, id est penitus vastati sumus: PARS magna POPULI MEI Israelitici, & post etiam Iudaici, COMMUTATA EST, id est commutavit patriam cum exilio: pars reliqua vitam commutavit cum morte. QUOMODO RECEDET A ME rex Assyriæ Salmanassar (ut nobis promittebant pseudoprophetæ,)

CUM etiam post acceptum a nobis tributum *d*, REVERTATUR ad nos, *ut* REGIONES NOSTRAS sibi vindicet, suisque DIVIDAT ac distribuat? Idem de Nabuchodonosore conquererentur Iudaei suo tempore.

V. 5. TIBI, o Samaria, o Iudaea, posthac NON ERIT qui *mittet* FUNICULUM mensoriurn SORTIS hereditariae IN COETU DOMINI; id est, non amplius inter filios tuos, sed inter hostes tuos dividentur ac distribuentur agri tui.

V. 6 NE LOQUAMINI LOQUENTES; Hebraice, *ne stilletis stillantes e*; id est, nolite loqui, nolite prophetare, o Prophetae, nolite concionari tam incredulo, tam rebelli, tam obstinato populo. Eloquium vestrum ne *stillet* SUPER ISTOS incredulos: NON enim COMPREHENDET illos CONFUSIO, dolor, poenitentia. Frustra monita, frustra minae omnes: ita Chaldaeus.

V. 7. DICIT & obstrepit DOMUS IACOB: NUMQUID ABBREVIATUS EST SPIRITUS DOMINI? id est, an arctatus, contractus, angustatus est spiritus misericordiae Dei, ut nolit nos amplius pro populo suo agnoscere, habere, tutari? An COGITATIONES EIUS TALES SUNT, quales nobis Prophetae depingunt, acerbae, tristes, exitiales? Quin potius constat nobis, benignas esse, suaves ac pacificas: iuxta quod ipsemet ait *f*: *Cogito super vos cogitationes pacis, & non afflictionis*: ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo. Sed obstreperis respondet Deus, se revera bonum esse, & oracula ac promissa similiter bona esse, sed bonis *g* & rectis, seu QUI *recta* via mandatorum divinorum *gradiuntur*, mihique propinqua re, obedire & placere student. Sed hostibus meis dura sunt, austera & tristia. Vos autem

V. 8. POPULUS OLIM MEUS CONSURGITIS mihi IN ADVERSARIUM, id est hostiliter, & ut S. Hieronymus, tyrannice adversum me arma corripitis. Et miramini me durius vobiscum agere? querimini me iudicem, me vindicem insurgere in raptores, in latrones, in homicidas? DESUPER TUNICA; id est, praeter tunicam, etiam PALLIUM SUSTULISTIS, id est pauperibus omnia quae habebant eripuistis, tam quibus domi se sustentare debebant, quam quibus in publicum prodibant. Etiam EOS QUI SIMPLICITER *per viam* TRANSIBANT, nullaque re vos laeserant, innoxios, inermes, nihilque mali metuentes, *vos* CONVERTISTIS IN BELLUM; provocastis ad rixam, pugnis contudistis, vulneribus confecistis. Neque his contenti, ut aedes occisorum & praedia occuparetis, etiam uxores ipsorum.

V. 9. MULIERES POPULI MEI, tantopere mihi curae & cordi, iam viduas & omni ope destitutas, tyrannice EIECISTIS *b* DE DOMO DELICIARUM SUARUM, id est quae solebat ipsis esse deliciosissima in complexu maritorum & liberorum: a quibus TULISTIS LAUDEM MEAM, id est materiam & occasionem laudis, IN PERPETUUM: nempe bona hereditaria, quibus si eos gaudere permisissetis, laudarent & glorificarent me perpetuo: nunc his orbati gemunt, fremunt, maledicunt vobis & mihi, vindictam & recuperationem bonorum, etiam viis illicitis procurantes: ita Albertus, Hugo & alii. Nunc sententiam vestram audite:

V. 10. SURGITE & vos e sedibus vestris, *& abite* in exilium, in malam crucem: quia tam impii, tam scelerati REQUIEM *habere* non potestis in terra tam sancta, quae PROPTER IMMUNDITIAM qua illam polluistis, CORRUMPETUR ab hostibus PUTREDINE PESSIMA, tum cadaverum vestrorum, tum aliarum sordium. Atque utinam falsus sim vates!

V. 11. UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM propheticum, qui fallere non potest! utinam quae praedico, non sint mihi revelata a Deo, sed mendacia: a vano timoris vel melancholiae spiritu (ut vos opinamini) suggesta! Sed heu, nimis vera sunt haec mea oracula. Ego enim tibi, o Israel, o Iuda, mittor a caelesti sympossiarcha minister & quasi pincerna. En calicem vobis submissum a Deo. Huius iussu in eum *instillo* TIBI VINUM IN EBRIETATEM. Est *hendyadis i*, id est vinum inebrians, nempe strages, caedes, carceres, funera, exilia, excidia. Neque haec in paucos, sed in omnes. Nam

V. 12. CONGREGATIONE CONGREGABO, id est exactissime *k* & ad unum per Assyrios & Chaldaeos congregabo IACOB TOTUM populum, omnesque eius reliquias, e prioribus cladibus superstites. Captos autem compingam in circum, in carceres, sicut oves compinguntur in caulas. Hebraeum *tsara* significat septum arctum & angustum;

ſtum; LXX. verterunt, *tribulationem*. Porro tanta erit multitudo & compreſſio eaptorum, ut præ loci rerumque neceſſariarum penuria *tumultuaturi*, & ingentem ſtrepitum, ut ſolent balantes oves, edituri ſint hi ſuis ſingultibus, iſti querelis ac lamentis, illi maledictis & blaſphemiis, alii opis & auxilii inclamatione.

V. 13. ASCENDET ENIM DOMINUS; Hebraice, *Iehova*, *in capite* Aſſyriorum & Chaldæorum quaſi dux & archiſtrategus, PANDENS ITER ANTE EOS in omnes arces & urbes veſtras: DIVIDENT illi & diſcindent machinis ſuis bellicis muros omnes & propugnacula, & per patentes *portas ingredientur* victores ac triumphantes, & ante currum triumphalem vinctus catenatuſque REX EORUM, Oſee & Sedecias, TRANSIBIT CORAM EIS, trahendus mox ad infame ſupplicium: ita fere Theodoretus & Vatablus & multi recentiores, quibus potius favet Scripturæ contextus, quam aliis *l* qui hæc in bonam partem accipiunt, & de reditu e Babylonia, vel de reductione Iudæorum ad Chriſtum exponunt.

(a) Epheſ. v. Matt. vi. 34.
(b) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 50.
(c) Ibid. num. 49.
(d) IV. Reg. xvii. 3.
(e) Proleg. ſup.
(f) Ierem. xxix. 11.
(g) Pſal. xvii. 26.
(h) Exemplo Achab. III. Reg. xxi. 61.
(i) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 41.
(k) Ibid. n. 49.
(l) Hieron. Remigius, Rupertus, Haymo, Hugo, Lyranus, Clarius, Arias, Ribera, a Lapide, &c.

GORDONI.

Verſ. 1. VAE QUI COGITATIS, &c. Hi noctu machinantur multa, & mane exequuntur. Hebr. און *aven*, *iniquitas*, *& vanitas*. LXX. *labores*, λογιζόμενοι κόποις: poſt malorum enumerationem, ſequitur ſententia a Deo, & pœna excidii.

V. 4. IN DIE ILLA, &c. In die excidii carmen funebre, & lamentum cantabitur, qualis eſt nænia de excidio Tyri, Ezech. xxvii. 2. Item Iſa. xiv. 4. de excidio Babylonis. Hebr. נהיה *nihia*, *lamentum*: rad. נהה, *lamentatus eſt*. LXX παραβολὴ: hinc non erit mittens funiculum ſortis; non erit vobis funiculus ad dividendas poſſeſſiones, quia hoſtis totas auferet vobis hæreditates.

V. 6. Ac ſi diceret, ceſſent loqui contra Prophetas: ſtillare ex more loquendi Prophetarum, eſt prophetare, concionari, loqui; ſenſus ergo, Ne dicant amplius Iſraelitæ, non evenient nobis mala quæ minantur Prophetæ. Sic enim dicebant olim, qui non credebant Prophetis. Hine additur verſ. 7. non eſt abbreviatus ſpiritus Domini: poteſt & hos tueri Prophetas, & alios ſuſcitare & vos punire, qui facitis quæ hic ſubiiciuntur verſ. 8. & 9.

V. 11. UTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITUM, &c. Vox populi erat, vana eſſe quæ dicebant Prophetæ. At contra Michæas, utinam decipiar: modus loquendi eſt in eo, qui dolet de malo quod prædicit, & qui optaret non fore malum. Verum non ſum mendax, ſed ſtillabo huic populo acerbam calamitatem.

V. 12. CONGREGATIONE CONGREGABO, &c. Hæc lætiora ſunt, & ea aliqui referunt ad liberatam Ierusalem a Sennacherib, alii ad reditum a captivitate. Sed nec ibi omnes Iudæi congregati ſunt, & ubi porro rex coram eis? longe melius hæc de Chriſto intelliguntur, & congregatione in Eccleſia.



CA-



CAPUT III.

Propter peccata Principum, iudicum, pseudoprophetarum ac sacerdotum populi Israel, comminatur Dominus gravem ultionem, & Ierosolymae deletionem.

1. ET dixi: Audite principes Iacob, & duces domus Is-
rael: Numquid non vestrum est scire iudicium, 2. qui
odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter
tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum de-
super ossibus eorum? 3. Qui comederunt carnem po-
puli mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt: &
ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebe-
te, & quasi carnem in medio ollæ. 4. Tunc clama-
bunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis
in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. 5. Hæc
dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum: qui mor-
dent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eo-
rum quippiam, sanctificant super eum prælium. 6. Propterea nox vobis
pro visione erit, & tenebræ vobis pro divinatione: & occumbet sol super
prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. 7. Et confundentur qui vi-
dent visiones, & confundentur divini: & operient omnes vultus suos, quia
non est responsum Dei. 8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spi-
ritus Domini, iudicio, & virtute: ut annuntiem Iacob scelus suum, & Is-
rael peccatum suum. 9. Audite hoc principes domus Iacob, & iudices
domus Israel: quia abominamini iudicium, & omnia recta pervertitis. 10.
Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. 11. (*a*)
Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede do-
cebant, & prophetæ eius in pecunia divinabant: & super Dominum re-
quiescebant, dicentes: Numquid non Dominus in medio nostrum? non ve-
nient super nos mala. 12. Propter hoc, causa vestri, (*b*) Sion quasi a-
ger arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in
excelsa silvarum.

(a) Ezech. xxii. 27. Soph. iii. 3. (b) Ier. xxvi. 18.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. IUDICIUM, id eſt quod iuſtum eſt, quodque oportet fieri ſecundum Dei legem. Vide Ierem. v.

V. 2. PELLES; quaſi dicat: Qui facitis pauperibus, quod ovibus facit qui decorticat, ſcilicet crudeliter opprimitis, aut ſpoliatis ſubſtantiis ſuis.

V. 3. COMEDERUNT, &c. perſtat in metaphora ovium occiſarum. LEBETE, ſcilicet fieri ſolet.

V. 4. ADINVENTIONIBUS, id eſt operibus, & cogitationibus.

V. 15. MORDENT, &c. quaſi dicat, Qui pro eſcis fauſta prædicant, ſcilicet iis, qui eis dant quod edant. SANCTIFICANT, id eſt indicunt, ſeu nuntiant, aut parant; quaſi dicat, Oppugnant, ſeu hoſtes fiunt.

V. 6. NOX, id eſt calamitas. VOBIS, ſcilicet o pſeudoprophetæ. PRO VISIONE, id eſt ob viſiones veſtras mendaces.

V. 7. CONFUNDENTUR, ſcilicet deprehenſis mendaciis ipſorum erubeſcent. OPERIENT, ſcilicet præ pudore. RESPONSUM DEI, ſcilicet ut illi iactabant.

V. 8. IUDICIO, ET VIRTUTE. Explicatio præcedentium; quaſi dicat, Dei iudicium & potentiam prædico.

V. 10. SION. Chald. *domos in Sion*. SANGUINIBUS, id eſt peccatis, ſcilicet inique acquiſita pecunia, ſeu ſanguine pauperum oppreſſorum & a vobis ſpoliatorum.

V. 11. IN MUNERIBUS, id eſt ob munera. REQUIESCEBANT, ſcilicet temere de Deo præſumentes quod ipſos eſſet protecturus.

V. 12. ARABITUR: factum id a Chaldæis. Vide Ierem. XXVI.

ESTII.

Verſ. 10. QUI AEDIFICATIS SION IN SANGUINIBUS, ET IERUSALEM IN INIQUITATE; id eſt, qui ampla & magnifica vobis ædificia exſtruitis, quibus ornatis Sion & Ieruſalem; non ex opibus iuſte partis, ſed ex oppreſſione pauperum, & iniuſtitia collectis. Sanguinum enim nomine ſæpe in ſacris litteris ſignificatur omnis iniuſta vis in proximum, ſive ea fiat occidendo, ſive calumniis & extorſionibus opprimendo. Accomodant etiam quidam non male hanc ſententiam, dicentes eos ædificare Sionis in ſanguinibus, quorum ardens ſtudium eſt conſanguineos, ſive digni illi ſint, ſive indigni, ad ampla ſacerdotia, & præcipuas dignitates in Eccleſia Dei, quæ Sion & ſpiritualis Ieruſalem nomine ſignificatur, promovere.

V. 11. PRINCIPES IN MUNERIBUS IUDICABANT, ET SACERDOTES EIUS IN MERCEDE DOCEBANT ET PROPHETAE EIUS IN PECUNIA DIVINABANT. Quam gravia hæc peccata ſint, indicant verba quæ ſequuntur; ſic enim ſequitur: *Propter hoc Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi acervus lapidum erit*. Non tamen prohibentur illi neceſſaria vitæ accipere, ſed ne pro ratione munerum iudicent, doceant, vel prophetent. Sic hoc loco paulo ante, verſ. 5. *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium*; quaſi dicat: Statim velut prophetico ſpiritu indicunt illi prælium ſeu bellum, & ſæva minantur. Et ſimiliter intelligendum eſt, quod dicitur: *ſacerdotes in mercede docebant*. Licere enim neceſſaria vitæ accipere, immo Doctores & prædicatores ius & poteſtatem habere, ea ab iis, quos docent, accipiendi, prolixe docet Paulus I. Cor. IX. etiamſi ipſe certis de cauſis noluerit eo iure uti. Vide ibidem noſtrum commentarium.

MARIANAE.

Verſ. 1. AUDITE PRINCIPES IACOB, id eſt *Principes domus Iacob*, ut verſ. 9. Invehitur in Principes & Iudices. VESTRUM EST SCIRE IUDICIUM, id eſt facere quod rectum eſt in iudiciis.

V. 2. TOLLITIS PELLES EORUM, ſcilicet populi. Relativum ſine antecedenti; eos deglubitis, excoriatis.

V. 3. CONCIDERUNT, ſcilicet carnes, Sept. *diviſerunt*: ſed פרש *paras* ſumitur pro פרס *paras*, id eſt *concidere*, ut ſolent carnes & oſſa concidi, ut in ollam & lebetem

betem coquenda mittantur. Summa, nihil reliquistis populo, bonis occupatis, in corpora etiam saevitis.

V. 4. SICUT NEQUITER EGERUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS. Hebr. *sicut mala fecerunt opera sua*, aut *studia*: sic Chald. *Sicut*, pro quia. Sept. *eo quod impie egerunt*, non audiam eos.

V. 5. HAEC DICIT DOMINUS SUPER PROPHETAS, id est contra prophetas. Invehitur in eos, quod essent mercenarii. QUI MORDENT DENTIBUS SUIS, ET PRAEDICANT PACEM. Hoc est, prospera denuntiant iis qui comedendum aliquid dant. Si quis non dat, IN ORE EORUM, id est aliquid cibi, aut *quod ore petunt*, *iuxta os eorum*: sic Hebr. verti possunt. SANCTIFICANT SUPER EUM PRAELIUM, id est denuntiant adversa contra eum. Per *pacem* prospera, per *bellum* adversa intelligit.

V. 6. NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT. Hebr. *ex visione*, id est nihil videbitis ut in nocte. ET TENEBRAE VOBIS PRO DIVINATIONE. Hebr. *ex divinatione*, nihil poteritis divinare. Aut sic, *visionis & divinationis merces tenebrae imposterum erunt*.

V. 7. ET CONFUNDENTUR, pudefient prophetae, scilicet falsi, cum nihil eveniat eorum quae dicunt. ET OPERIENT OMNES VULTUS SUOS. Hebr. *labium suum*, id est veste faciem prae pudore velabunt. QUIA NON EST RESPONSUM DEI. Adventu hostium populus cognoscet, non fuisse ex Deo quae illi prophetae dixerunt. Ea illis pudoris causa.

V. 8. VERUMTAMEN. Hebr. *vere*. EGO REPLETUS SUM FORTITUDINEM SPIRITUS DOMINI. Hebr. *a spiritu Domini*, aut *cum spiritu Domini*: ille dat mihi robur: longe alia ratio mea est, & aliorum prophetarum. Ego spiritu Dei agor, sine pudore, magna libertate annuntio populo peccata sua.

V. 9. QUIA ABOMINAMINI IUDICIUM, scilicet rectum. Aut abominabile facitis iudicium, id est illud pervertitis, ut proxima verba declarant, & repetunt. Audite quae dicam.

V. 10. QUI AEDIFICATIS. Hebr. *qui aedificas*, pro, aedificatis domos vestras ex sanguine pauperum, & iniquitate, id est ex iis quae illis rapitis.

V. 11. PRINCIPES EIUS. Omnes sunt mercenarii, proceres, sacerdotes, prophetae; nihilominus SUPER DOMINUM REQUIESCEBANT. Hebr. *innitebantur*. Quod Dei populus essent, & inter eos Deus habitaret in templo, non passuros mala putabant.

V. 12. QUASI ACERVUS LAPIDUM ERIT. Hebr. *Ierusalem acervi erit*: eversis domibus in acervos lapidum redigetur. Sept. *Ierusalem ut pomorum custodia erit*. De quo cap. 1. 6. Due autem per Chaldaeos est factum. MONS TEMPLI IN EXCELSA SILVARUM. Templum enatis dumis & vepribus erit ut silva, & silvarum colles. Aut ut rupes, quae in illis eminent. Erunt acervi lapidum everso templo. Quid si במות *bamoth*, id est *excelsa*, ut saepe fit, sumatur pro altaribus idolorum, quae in silvis ponebantur? sicque sensus, Mons templi erit in altaria silvarum, id est in eo multa erunt idolorum altaria.

MENOCHII.

Vers. 1. IUDICIUM: id quod iustum est, & divinae legi consentaneum.

V. 2. TOLLITIS PELLES EORUM: qui populum non tondetis tantum, sed etiam deglubitis.

V. 4. NUNC: cum scilicet ultio Dei, quam eis ego hic continue intento, illos invadet. CLAMABUNT AD DOMINUM: sed frustra. SICUT NEQUITER EGERUNT IN ADINVENTIONIBUS SUIS, id est, ut postulant mala eorum opera, quae fecerunt. In Hebraeo est, *sicut mala fecerunt opera sua*.

V. 5. SUPER PROPHETAS: de prophetis; contra prophetas. MORDENT DENTIBUS SUIS, id est, frendent in me, aliosque veros prophetas, qui bellum minamur Israeli, cum illi pacem, & prospera eidem promittant. Vel, qui mordent, id est vorant ea quae dono accipiunt, & fausta, & laeta vaticinantur, qualia sciunt donantibus arridere. SANCTIFICANT: indicunt.

V. 6. NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT. Vobis visi estis videre lucem & diem, id est veritatem, & prosperitatem: at ego dico, & assevero visionem vestram esse noctem, & caliginem erroris, & vos, populumque, quem decipitis, manere tenebras captivitatis, & aerumnarum, in quas incidetis.

V. 7. OPERIENT VULTUS SUOS: pudore suffu-

suffusi, quod deprehensa sit fraus illorum NON EST RESPONSUM DEI: quia patebit falsa eos fuisse prolocutos, & ex suo spiritu, non impulsu Dei.

V. 8. VERUMTAMEN EGO REPLETUS SUM, &c. Opponit se pseudoprophetis; quasi dicat, Illi adulantur vobis, & mollia, faustaque vaticinantur; at ego repletus sum spiritu Dei forti, id est duro, minaci, & acri: sic de se dicebat Ierem. cap. VI. *Idcirco furore Domini plenus sum*. IUDICIO: comminatione iudiciorum Dei, & suppliciorum infligendorum. VIRTUTE: robore animi, efficacitate sermonis, & annunciatione, & comminatione rerum magnarum, quas Deus potenter facturus est contra peccatores.

V. 9. IUDICIUM, id est quod iustum est.

V. 10. QUI AEDIFICATIS SION IN SANGUINIBUS: qui ædificatis in Ierusalem amplas, & sumptuosas domos, sed ex pauperum sanguine, spoliando eos, & vitæ necessaria auferendo. ET IERUSALEM IN INIQUITATE. Est repetitio eiusdem sententiæ.

V. 11. IN MUNERIBUS IUDICABANT: caussas iniquas foventes, & contra ius pronunciantes propter munera. CUM MERCEDE DOCEBANT: sacram doctrinam legis divinæ pretio vendentes, quod pertinet ad simoniam. Vide Lessium de simonia dubit. II. initio, & dubitat. XIII. dicto 3. & 4. IN PECUNIA DIVINABANT: prophetabant, quod etiam erat Simonia, non re ipsa (quia hæc oracula non erant sacra, immo nec vera, quia non suggesta a Deo, sed ex cerebro conficta) sed æstimatione vulgi, qui hæc oracula vera, & divina esse censebat. SUPER DOMINUM REQUIESCEBANT: quieto erant animo, temere de Deo præsumentes, quod ipsos, quamvis sceleratos esset protecturus. NUMQUID NON DOMINUS IN MEDIO NOSTRUM? quasi dicerent: Ierusalem est urbs sancta, & Deus habitat in templo nostro, nosque eius populus sumus, nihil ergo timendum.

V. 12. CAUSA VESTRI: propter vos, & scelera vestra. SION QUASI AGER ARABITUR: ædibus, & templo solo æquatis. MONS TEMPLI IN EXCELSA SILVARUM; quasi dicat: Mons Sion, in quo ædificatum est templum, ita desolabitur, ut in eo succrescant herbæ, frutices, & arbores, ita ut silvæ cuiusdam in edito colle enatæ speciem referat.

TIRINI.

Vers. 1. NUMQUID, o principes tam Iudæ, quam Israelis, NON VESTRUM EST SCIRE IUDICIUM, utique & facere? Nimirum, procurare ut cuique quod suum est tribuatur? At vos ipsi estis primi QUI VIOLENTER TOLLITIS *a* PELLES filiorum Iacob, insuper & CARNEM EORUM *&* *ossa*, id est substantiam & facultates subditorum, (e quibus sibi victum, & consequenter carnem, pellem & ossa hauriunt,) tam avare & crociter rapitis, ut non tantum illos excoriare, sed & excarnificare, immo exossare, atque in frusta concisos devorare velle videamini: ita Chaldæus. O quanta vos ultio manet de cælo!

V. 4. TUNC *clamabitis* AD DOMINUM, ut mitius agat vobiscum; sed frustra; sicut enim vos modo faciem vestram ab ipso avertitis, illique rebelles tergum vertitis, ita vicissim ipse tunc subtrahet vobis FACIEM *b* SUAM, id est divinum favorem, opem, curam, præsentiam ac providentiam: ac dorsum ostendet derelictionis, neglectus, oblivionis ac reiectionis. Væ & pseudoprophetis,

V. 5. QUI MORDENT DENTIBUS SUIS, id est masticant & vorant liberaliter quæ illis in os ingerun ur: & pro mercede largientibus PRAEDICANT & promittunt PACEM, id est prospera omnia. ET QUIS vero NON DEDERIT IN ORE EORUM quod mordent & vorent, SANCTIFICANT *c* SUPER EUM PRAELIUM, id est nomine Dei indicunt illi bellum, & omnia adversa minantur, tamquam impio ac reprobo, qui pios ac sanctos Dei Prophetas (quales se iactant) neglexerit ac spreverit.

V. 6. PROPTEREA audite & vos sententiam vestram: NOX VOBIS PRO VISIONE ERIT, ET TENEBRAE PRO DIVINATIONE, id est loco pacis ac lucis, loco prosperitatis ac gaudii, quæ falso divinatis & prædicitis obventura, deprehendet vos & obruet altissima nox & horrendæ tenebræ calamitatum & miseriarum, adeo ut præ anxietate, pavore ac mœrore, *sol* vobis in meritis *d* e *occumbere d*, *&* *dies obtenebrari videatur*. Tunc præ confusione.

V. 7. Operient omnes vultus suos: cum rerum eventus deteget fraudes & imposturas ipsorum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius, Haymo, Clarius, Vatablus, Palacius, Ribera & a Lapide. Addit Delrio *e*, *operient vultus suos* tamquam rei, damnati & mortis supplicio addicti. His enim facies, ut alias *f* dixi, velabatur, etiam apud Romanos: *Caput obnubito, infelici arbori suspendito*.

V. 8. Verum ego repletus sum, non, ut illi, cibo, potu, muneribus aliis, sed *spiritu* Domini: ex quo mihi non blandimenta vel adulationes, sed heroica *fortitudo* ac robur animi: non falsæ divinationes, sed *iudicium*, quo vera vobis certaque supplicia, & iure merito sceleribus vestris infligenda denuntio: non denique vana & garrula eloquentia, ut pseudoprophetis, sed *virtus*, id est potentia & efficacia sermonis emanat, quam nullus infringere, vel labefactare valeat vel ausit.

V. 10. *Vos*, o Iudæi principes, aedificatis Sion, id est exstruitis in Ierusalem magnificas domos & palatia, in seu ex sanguinibus *g* subditorum vestrorum, exsugendo illorum substantiam & facultates iniquis servitiis, tributis, litibus, usuris, fraudibus, & aliis oppressionibus.

V. 11. In, id est pro muneribus iudicabunt, sententiam venalem proponendo, immo & pervertendo. Sacram quoque legis divinæ doctrinam non nisi mercede vendebant, ut & oracula sua. Quorum utrumque simoniacum esse docet Lessius *h* & alii Theologi. Nec pudet fallaces illos ac seductores pseudoprophetas, *requiescere* super Dominum, id est inniti & incumbere divinæ curæ, providentiæ & benignitati: persuadentes populo, Deum ipsis affuturum, nec umquam permissurum, ut Ierosolyma, ubi sedes & thronus Dei, hostium libidini cedat: ita S. Hieronymus & alii supra citati. Cedet tamen, & quidem.

V. 12. Causa vestri, id est vestra culpa, ob vestra scelera. Hæc a Michæa prædicta fuisse tempore regis Ezechiæ testantur principes & seniores Ierosolymitani, Ieremiæ xxvi. vers. 18.

(a) Ezech. xxxiv. 2.
(b) Prov. 9. 24.
(c) Ierem. vi. 4.
(d) Amos viii. 9.
(e) Delrio adagio 992.
(f) Esther. vii. 8. Daniel. xiii. 32. Ezech. xxv. 6. Matth. xxvi. 66.
(g) Eccle. xxxiv. 24. & Ierem. xxii. 13.
(h) Less. tract. de simonia dub. 2. & 23.

GORDONI.

Vers. 1. & 5. Recenset iniquitates & oppressionem populi; & vers. 5. agit contra pseudoprophetas, qui mordent frendentque dentibus in Michaam, & veros Prophetas: prædicant pacem, atque placentia: & si quis non dederit illis escam, aut se illis opponat indicunt illi bellum; & ideo tales pseudoprophetas sequetur confusio.

V. 8. Verumtamen ego repletus sum, &c. Asserit se esse missum a Deo verum Prophetam; & proinde intrepide pronunciat ob hæc Principum, Iudicum, & Prophetarum falsorum scelera, ruinam & excidium etiam templi, quod enatis dumis & vepribus erit ut silva.

CA-

CAPUT IV.

Tempore gratiæ plurimæ nationes accedent ad Ecclesiam, & cultum Dei cum magna securitate: consolatur Sion quod de captivitate sit a Domino redimenda, ut se de suis inimicis ulciscatur.

1. ET erit: (a) In noviſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi. 2. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 3. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes uſque in longinquum: & concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet gens adverſus gentem gladium: & non diſcent ultra belligerare. 4. Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum eſt. 5. Quia omnes populi ambulabunt unuſquiſque in nomine Dei ſui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei noſtri in æternum & ultra. 6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam eieceram, colligam; * & quam afflixeram: 7. (b) Et ponam claudicantem in reliquias: & eam, quæ laboraverat, in gentem robuſtam: (c) & regnabit Dominus ſuper eos in monte Sion, ex hoc nunc & uſque in æternum. 8. * Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion uſque ad te veniet: & veniet poteſtas prima, regnum filiæ Ieruſalem. 9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non eſt tibi, aut conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor ſicut parturientem? 10. Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens: quia nunc egredieris de civitate, & habitabis in regione, & venies uſque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. 11. Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur: & aſpiciat in Sion oculus noſtre. 12. Ipſi autem non cognoverunt cogitationes Domini, & non intellexerunt conſilium eius: quia congregavit eos quaſi fœnum areæ. 12. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino univerſæ terræ.

(a) Iſa. II. 2. (b) Soph. III. 19. Luc. I. 33. (c) Dan. VII. 14.

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 6. Et quam afflixeram. Non addas *conſolabor*.

Verſ. 8. Et tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion. Non mutes genitivum *filiæ* in nominativum *filia*.

NOTATIO.

Verſ. 8. ET *tu turris* (*tuturis* o.) *gregis nebuloſa filiæ Sion*. Quidam libri inciſum collocant poſt *gregis*; *Et tu turris gregis, nebuloſa filiæ Sion*, id quod eorum verſioni convenit, qui quod Hebraice eſt עֹפֶל, *turrem*, vel *arcem* interpretati ſunt, *Et tu turris gregis (arx) turris filiæ Sion*; ſed non Hieronymi, qui *nebuloſam* traduxit, perinde ac ſi eſſet אֹפֶל. Iunxit enim עֹפֶל cum מִגְדַּל, *nebuloſa* cum *turris*: ſic namque ipſe ſuam verſionem explicat, ut nihil de poſterioribus enarratoribus dicam. Deinceps libri habent *filiæ Sion*; plures *filiæ Sion*; ex emendatioribus noſtris Leod. O. Q. Pl. m. *filia*; Brug. Lob. E. *filiæ* ſcribunt: ſimiliter antiquorum Epanorthotæ, quidam hoc, quidam illo modo legunt. Hebræa utcumque admittunt. LXX. ut quidam libri habent, Symmachus, quod Hieronymus teſtatur, & inter Neotericos Pagninus *filia Sion* tranſtulerunt. Porro Hieronymus ſe *filiæ Sion* tranſtuliſſe ſignificat: " Et hæc, inquit, turris, " filiæ eſt Sion, ſive ut Symmachus vertit " in Græcum, ipſa eſt filia Sion: " quæ Hieronymi verba in Gloſſam relata ſunt. Pariſienſes, & Hentenius caſtigatores *filia* textu donarunt.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. NOVISSIMO DIERUM. Chald. *poſtremis diebus*, ſcilicet Evangelii tempore, de quo I. Ioan. II. *Noviſſima hora eſt*; vel quaſi dicat, Poſterioribus diebus. Vide Gen. XLIX. MONS DOMUS DOMINI, id eſt Chriſtus, ſeu altitudo Eccleſiæ, & firmitas inconcuſſa. PRAEPARATUS, id eſt firmatus, ſtabilitus. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. IN VERTICE, &c. quaſi dicat, Supra omnia, quamvis excelſa. ET SUBLIMIS, &c. repetitio, ſeu explicatio præcedentis. Vide Iſa. II.

V. 2. ET PROPERABUNT, &c. Repetitio. DICENT, &c. quaſi dicat, Se mutuo ad fidem, verique Dei cultum hortabuntur: id quod quotidie fit, etiam ſi iſta verba non dicantur; fit enim quod his verbis ſignificatur. VIIS SUIS, id eſt vita ſecundum eius voluntatem inſtituenda. Chald. *vias coram eo rectas*. IBIMUS, id eſt ambulabimus. QUIA, &c. Verba Prophetæ. LEX, ſcilicet Evangelica, quæ ex Ieruſalem dilatata per orbem; vel *Sion* pro Eccleſia accipitur, ut ſup.

V. 3. IUDICABIT, ſcilicet Chriſtus, vel Eccleſia tamquam ſuperior, ſcilicet ius dicet. POPULOS, ſcilicet ſibi ſubiectos. MULTOS, id eſt varios. CORRIPIET, id eſt caſtigabit: eſt & id ſuperioris. GENTES. Chald. *reges*. USQUE IN LONGINQUUM, id eſt remotiſſimas. Chald. *in perpetuum*. CONCIDENT, &c. Per hæc ſignificatur ſumma pax futura inter obedientes perfecte legi Evangelicæ, quæ docet neminem lædere etiam læſum, nec reſiſtere malo, eaque contemnere, unde ſolet diſcordia & bellum oriri. Quod ſi dicas: At bella ſunt inter Chriſtianos, & licitum eſt bellum gerere. Eſt quidem licitum contra iniquos, quod ad iuſtitiam punitivam pertinet, quæ non eſt paci contraria. Nec hi, qui iuſte gerunt, aliud quærunt quam ut in pace vivatur, quam quia iniqui impediunt, puniuntur, ut etiam a iudicibus ſcelerati, qui Reipublicæ nocent. Illud tamen ſemper manet, ſi omnes ſecundum Evangelium viverent, nulla eſſent bella, nulla diſcordia ſeu inimicitia inter homines. LIGONES. Chald. & LXX. *falces*.

V. 4. VIR, id eſt quiſque. VITEM. Chald. *fructum vitis ſuæ*. EXERCITUUM. LXX. *omnipotentis*.

V. 5. AMBULABUNT, id eſt vivent, ſeu ope-

operabuntur. In nomine Dei sui, id est invocantes Deum suum, illique confidentes. In aeternum, &c. potest coniungi cum *ambulabimus*, & cum *Domini*, &c. Ultra, scilicet id quod capit intellectus.

V. 6. Claudicantem, scilicet Synagogam a recta via. Vide III. Reg. xviii. LXX. *contritam*, scilicet malis fractam. Afflixeram, scilicet tribulationibus. LXX. *repuleram*.

V. 7. Ponam claudicantem in reliquias, id est ex ea mihi aliquos sumam, seu relinquam qui me colant. Eam, quae laboraverat. Chald. *dispersos* LXX. *repulsam*. Robustam. Tales Apostoli, & quicumque perfecte Christiani, scilicet vincunt hostes animae. Monte Sion, id est Ecclesia.

V. 8. Turris gregis. Sic dicitur Ierusalem, quod alta sit; scilicet in montibus, & quia ad eam confluebat grex, id est populus Iudaeorum, ob templum. Nebulosa, scilicet caligine ignorantiae. Et veniet; pro, veniet inquam. Prima, scilicet primum coepit Christi Regnum, id est eius Ecclesia, in Ierusalem. Chald. *prisca*; quasi dicat, Regnum David, sed spirituale. Vide Luc. i. Filiae Ierusalem, id est coetui, seu populo Ierusalem.

V. 9. Quare, &c. quasi dicat: Quid te in istam calamitatem induxit? an deerat tibi Deus, & eius Prophetae? non deerant, sed contempsisti: ideo te dolores isti apprehenderunt. Rex, scilicet Deus, vel Christus. Consiliarius, scilicet Deus, vel Christus, vel Spiritus sanctus, vel Prophetae.

V. 10. Satage, id est age solicite. Chald. *contremisce*. LXX. *viriliter age*. Regione. Chald. & LXX. *campo*, scilicet Sennaar, ubi Babylonia. Ibi. LXX *inde*.

V. 11. Nunc. Loquitur ut supra velut in tempore captivitatis seu cladis Ierosolymitanae. Lapidetur, id est pereat, more adulterae. Aspiciat, scilicet quod optamus.

V. 12. Cogitationes. Chald. *secreta*. Foenum, id est paleam, scilicet triturandam, seu conterendam. Chald. & LXX. *manipulos*.

V. 13. Tritura, scilicet hostes; quasi dicat, Contere: quod videtur spiritualiter intelligendum, scilicet convertendo ad fidem, separata palea infidelitatis: alioqui quando Iudaei Chaldaeos contriverunt? Quidam tamen ad Machabaeorum tempora referunt, qui hostes multos occiderunt. Cornu, id est potentiam, seu vires; quasi dicat, Maximum robur. Interficies, scilicet destruendo errores. LXX. *consecrabis*. Rapinas, id est spolia, quae abstuleris. Chald. *facultates*. LXX. *multitudinem*. Fortitudinem, id est milites, seu divitias. Chald. *pretiosam pecuniam*. Domino, id est ad Domini gloriam & cultum, seu velut hostiam Domino.

ESTII.

Vers. 1. Et erit in novissimo dierum, erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium. Verba eadem habentur Isaiae ii. usque ad illud: *Et sedebit vir subtus vineam suam*. Et cum ambo eodem tempore prophetaverint, hic in Samaria; ille in Ierusalem, dubium est, an alter ex altero sua verba acceperit, an vero ambo immediate ex inspiratione Spiritus sancti, neutro de alterius prophetia sciente? Certe Isaiam sua verba non accepisse ex Michaea, sed ex immediata Dei inspiratione satis ostendit illud, quod in primaria civitate, in ipsa Ierusalem magna solemnitate prophetaverit; sed & Michaeas, si prius legit prophetiam Isaiae, non tamen inde verba sumpsit, nisi dirigente Spiritu sancto. Porro complectitur haec prophetia quatuor insignes notas ecclesiae. Et primo quidem *Unitas* significatur, in eo quod ad unum montem omnes confluant, *qui est in vertice montium*, & inde doctrinam accipiant: secundo, *Sanctitas* intelligitur in doctrina, quae appellatur lex & verbum Domini, & maxime in doctrinae observatione de qua dicitur, *Ibimus in semitis eius*; tertio quod *Catholica* sit, ostenditur, quia, ut expressius Isaias dicit, *fluent ad eum omnes populi*; quarto quod *Apostolica*, quia dicitur, *De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Ibi enim Apostolica coepit praedicatio, atque inde diffusa est in omnes gentes. Ac denique simul manifeste ostenditur, quod ecclesia sit *visibilis* & conspicua; nempe quia monti comparatur & quidem in vertice montium collato. Et cer-

certe nisi conspicua esset ecclesia, non pos sent hortari se mutuo populi, (id quod hic futurum prænunciatur) dicentes: *Venite ascendamus ad montem Domini*, &c.

V. 8. ET TU TURRIS GREGIS NEBULOSA, FILIAE SION. Turris gregis mentio est, iam tum Genes. xxxv. Ceterum quam turrim Scriptura intelligat, vide late apud Hieronym. hoc loco.

MARIANAE.

Vers. 1. ET ERIT: IN NOVISSIMO DIERUM. Tempore Messiæ, de quo Hebræi etiam hunc locum intelligunt. Post cladem, quam prædixit, melius tempus sequetur. MONS DOMUS DOMINI, id est, in quo est templum, per quem Ecclesiam intelligit. PRAEPARATUS, id est erectus, positus in vertice montium, quod mox repetit, SUBLIMIS SUPER COLLES. FLUEAT *instar fluminis*, ut est Hebr. multi & festini, ut aqua fluminis ibunt populi.

V. 2. ET DOCEBIT NOS DE VIIS SUIS, id est vias suas, legem docebit nos Deus. Aut *de viis suis*, id est partem viarum, quod cuique conducat, quod quisque facere debet, non quæ alii. DE SION EGREDIETUR LEX, quasi ex publica schola, & quasi ex oraculo: ibi responsa reddentur petentibus ea.

V. 3. ET IUDICABIT iudex Christus. Hebræus Schol. השופט והוא מלך המשיח; hoc est, *Iudex & ipse Rex Messias*. INTER POPULOS MULTOS: componet eorum lites. IN LONGINQUUM, id est etiam longinquas, quæ procul sunt dissitæ. Chald. *in longinquum* vertit *in perpetuum*. ET CONCIDENT, seu *conflabunt*, ut Chald. IN VOMERES. Sic Sept. & Chald. alii *in ligones*. ET HASTAS SUAS IN LIGONES, *falces*. Sept. & Chald. summa erit pax Christi adventu.

V. 4. ET SEDEBIT VIR, id est quisque subtus vineam suam. Hebr. *vitem suam*.

V. 5. QUIA OMNES POPULI; pro, quia & si omnes populi confidant in diis suis, nos in Deo nostro fidimus. Hæc fiducia nobis hanc felicitatem præstabit. IN AETERNUM ET ULTRA, scilicet cum Deo nostro ambulabimus, & cum eo erimus semper.

V. 6. CONGREGABO CLAUDICANTEM. Hebr. *laterantem*: sic *claudicans* vocatur, quia in latus alterum inclinat. Synagoga claudicabat, aut ex labore itineris, cum duceretur in captivitatem; aut quia modo Deum, modo idola colebat. ET QUAM AFFLIXERAM. Hebr. *affeci malo*: supp. ei benefaciam.

V. 7. ET PONAM CLAUDICANTEM IN RELIQUIAS, sive *in residuum*. Faciam ut ex Iudæis aliqui supersint. ET EAM, QUAE LABORAVERAT. Hebr. *procul eiectam* faciam ut sit gens robusta.

V. 8. ET TU TURRIS GREGIS. Sic accem Sion & Ierusalem vocat, quod gens ad eam statis temporibus ut grex conveniret. Chald. *& tu Christe Israel*. Itaque per *turrim* Messiam intelligit. NEBULOSA. Hebr. *excelsa*, sive *in excelso posita*. Id significat עפל *hophel*, *locum editum*. Hieronymus legit אפל *ophel*, id est *caligo*: licet Comment. eius hoc loco videantur reclamare: sic Chald. videtur legisse, quando ait: *Et tu Christe Israel absconditus es*. Vocatur autem *nebulosa*, quia malis oppressa, aut quia ob sublimitatem nubes attingeret. FILIAE SION, seu *filia Sion*, ut Sept. & Chald. qui vertit *cœtus Sion*, & Symmachus. Vocatur autem *filia Sion*, quoniam ea turris & arx in monte Sion sita erat. USQUE AD TE VENIET: ET VENIET. Geminatio certitudinem indicat. POTESTAS PRIMA, id est regnum David in Christo.

V. 9. NUNC QUARE MOERORE? Cum tanta felicitas tibi parata sit, quare tristaris! num Rex tibi non est, aut Consiliarius? Utetque præsto est, ne doleas. Christus, Rex & Consiliarius erit.

V. 10. DOLE, ET SATAGE, id est multum dole. Hebr. *dolens profer*, scilicet suspiria: geme ob præsentia mala. EGREDIERIS. Respondet verbo *profer*, scilicet suspiria. IN REGIONE. Hebr. *in agro*, scilicet desertis locis: e civitate educent te in desertum. Verum bono animo esto. IBI LIBERABERIS, cito commutabuntur res.

V. 11. SUPER TE, contra te congregabuntur Gentes, & dicent: LAPIDETUR: pereant Iudæi. Hebr. *impie egit*: sic Gentes putabant. ET ASPICIAT, seu *aspiciet*, ut Goth. Videbit oculus noster quod cupimus, scilicet Sion ruinam & cladem, meritis & peccato consentaneam. Deus contra eas Gentes congregat.

V. 12.

V. 2. Quasi foenum areae. Hebr. *quasi manipulum* (pro, manipulos) *in aream*: sic Sept. & Chald. fane ut in ea triturentur.

V. 3. Et tritura filia Sion, scilicet Gentes, quae contra te venerunt, rebus mutatis, tu opprimes eas. Quod per Christum & Apostolos est factum. Cornu tuum; scilicet ventilabri cornua ferrea erunt, id est, fortia, ne in ventilando deficiant. Et ungulas tuas ponam aereas; pro tribulis equorum & boum pedibus, quidam fruges triturant. Ergo eas ungulas, aeneas faciam, ne tritura deteratur. Et interficies. Goth. *interficiam* in prima persona. Heb. *consecrabo*, dedicabo, anathema faciam. Quis? ego Dominus. Domino, id est mihi ipsi. Sept. *consecrabis Domino*, pro, *consecra*, ut Theophylactus. Sed *consecrare*, *occidere* est: atque ita vertit Chald. *consumam coram Domino*. Rapinas eorum. Hebr. *desiderium eorum*, id est quae maxime amant opes. Et fortitudinem eorum, sive *facultates*, substantiam eorum, consecrabo mihi, auteram illis Gentibus, quae contra te venient.

MENOCHII.

Vers. 1. Et erit, &c. Tres primi versus desumpti sunt ab Isaia cap. II. 2. & deinceps: vide ibi dicta.

V. 4. Et sedebit, &c. Descriptio quietissimae securitatis. Vir, id est unusquisque. Qui deterreat: qui pacem, & quietem turbat. Quia os Domini, &c. quasi dicat: Omnia quae dixi evenient, quia Dominus promisit ita fore, qui nec fallere potest, nec falli.

V. 5. Quia omnes populi ambulabunt, &c. quasi dicat: Licet ceteri populi infideles deos suos colant, alii alios; fideles tamen, & Christiani unanimiter, & constanter unum Deum, ac Dominum colemus, ipsique soli serviemus. In aeternum, et ultra, in omnem omnino aeternitatem, & ultra, si ulterior aliquis terminus esse, aut mente fingi posset.

V. 6. Congregabo claudicantem: ad Ecclesiam meam vocabo, & in ea congregabo Synagogam, quae claudicans dicitur, quia nunc verum Deum colebat, nunc idola. Respicit dictum Eliae III. Reg. XVIII. 21. *Usquequo claudicatis in duas partes?* Quam eieceram: dato libello repudii. Colligam: revocabo, & mihi reconciliabo.

V. 7. Et ponam claudicantem in reliquias, id est in posteritatem; quasi dicat: Faciam ut synagoga ad Christum conversa, & fidelis facta foecunda fit, & multos producat Christo filios. Et eam, quae laboraverat, eundo in captivitatem, & dispersionem. Aliqui vertunt, *& procul propulsam*. In gentem robustam: tum numero, tum fortitudine. Tales fuerunt Apostoli, qui forti, & praesenti animo eoram Principibus, & Regibus terrae fidem professi sunt, & Evangelium late toto orbe circumtulerunt. Regnabit Dominus, id est Christus. In monte Sion: in ecclesia.

V. 8. Et tu turris gregis. Turris gregis cuius mentio Genes. XXXV. 21. erat iuxta Bethlehem, & vocabatur etiam Turris Eder, hoc tamen loco metaphorice Sion, sive Ierusalem turris gregis appellatur, tum quia vicina erat Bethlehem, & turri gregis, illique ut metropolis imperabat; tum quia edito loco in montibus sita, & ad illam confluebat grex, id est frequentia Iudaeorum templum adeuntium: tum proprie, quia in Sion erat porta, & turris gregis, obversa turri Eder, sive gregis, per quam ex Eder oves in Sion, & templum inferebant. Porro Michaeas Sion, id est Ecclesiam turrim vocat ob altitudinem vitae, & doctrinae; atque ob munitionem, speculam, & tutelam, qua suos fideles tuetur, & propugnat. Nebulosa: ita appellatur ob altitudinem; quasi dicat, Quae verticem usque ad nubes attollis. Usque ad te veniet. LXX. *Ad te veniet, & ingredietur principatus*. Idem sensus vulgatae editionis; quasi dicat: Veniet inquam, & redibit ad te potestas, quam olim habuisti, id est iterum videbis regnum Davidis; videbis enim Christum, cuius spirituale regnum typice praefiguratum est in regno temporali Davidis; quare Luc. 1. 32. legimus: *Dabit illi Dominus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum*.

V. 9. Nunc quare moerore contraheris, &c. quasi dicat: Cum tanta bona te maneant, cur non doles audito tri-

trifti nuncio imminentis captivitatis, quasi nunquam restituenda esses? sane regem habes, qui tui curam gerat, & consiliarium, qui tibi bona consilia inspiret; quibus liberetis non solum a Babylonica captivitate, sed etiam a captivitate diaboli: loquitur de Christo, qui vocatus est magni consilii Angelus Isaiæ IX.

V. 9. DOLE, ET SATAGE. Pro *satage* in Hebræo est גחי *gochi*, quod varie vertitur. LXX. *Dole, & viriliter age*. Chald. *dole, & contremisce*. Pagnin. *Dole, & ingemisce*. Tigurina, *Dole, & gemitum ede*; quasi dicat: O Sion, permitto ut doleas, & ingemiscas, & reipsa dolebis, & ingemisces; habebis enim iustum argumentum, & causam doloris, & gemitus, scilicet excidium, & captivitatem Babylonicam. IBI LIBERABERIS: primo, inchoate per Cyrum, & Zorobabel, secundo, plene, & perfecte per Christum.

V. 11. ET NUNC CONGREGATAE SUNT SUPER TE GENTES; quasi dicat: Dixi, o Sion, te ituram in Babylonem, sed antequam eo vadas, alia tibi instat clades a Sennacherib, qui multas contra te gentes congregabit. LAPIDETUR: lapidibus obruatur, ut adultera. ASPICIAT OCULUS NOSTER: scilicet cum voluptate ruinam Sionis.

V. 12. FOENUM AREAE, id est paleam, triturandam, & conterendam. Id accidit exercitui Sennacherib, nam Angelus Domini 185. millia eorum cecidit nocte una.

V. 13. SURGE, ET TRITURA, &c. surges, & triturabis plaustris ferreis hostes tuos. Similis ultio de Ammonitis sumpta est a Davide, ut legimus II. Reg. XII. 32. CORNU TUUM PONAM FERREUM; id est, suggeram tibi vires magnas ad vincendos omnes hostes tuos. ET UNGULAS TUAS PONAM AEREAS, id est fortissimas ad calcandum, & non fatigabiles. INTERFICIES DOMINO; quasi dicat, Mactabis Domino, offeres Domino ea quæ ipsi prius rapuerant. FORTITUDINEM EORUM: opes, & divitias eorum, nam ut habemus Proverb. XVIII. 11. *Substantia divitis, urbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans eum*.

TIRINI.

Vers. 5. OMNES alii POPULI *ambulent* ut voluerint, QUISQUE IN NOMINE DEI SUI, ab illo nomen mutuantes, illum colentes, & illi servientes ac sese subiicientes: ego autem, & mei similes Deo fideles, AMBULABIMUS IN NOMINE solius DOMINI, id est unanimiter ac constanter, adhærebimus uni & soli Deo cæli, & Christo eius. De tempore enim Christi & legis Evangelicæ hic agi, de fide est, ex unanimi consensu omnium sanctorum Patrum, quos hic citat a Castro, & ego docui Isaiæ II. Et potuit Michæas, licet Iudæus, & filius veteris testamenti, tamen animo, voto, fide & spe coniungere se filiis novi testamenti, id est Christianis, quasi fratribus suis, ex eodem parente Christo, eiusque gratia regenitis. Quia Sancti veteris testamenti, ob fidem in Christum venturum, ex quo omnem gratiam ad salutem necessariam hauriebant, non secus atque iam Christiani, ut docte explicat S. Augustinus *a*, possunt ex ea saltem parte dici etiam ad novum testamentum pertinuisse.

V. 6. & 7. IN DIE ILLA, id est tempore Messiæ & novi testamenti, CLAUDICANTEM *b* in fide & religione Synagogam & collectionem Iudæorum, QUAM idcirco EIECERAM e terra sua in exilium, *congregabo* ET COLLIGAM ET PONAM, seu adservabo, IN RELIQUIAS *c* ET EAM QUAE valde LABORAVERAT, variis afflicta malis, ponam IN GENTEM ROBUSTAM, tum numero, tum fortitudine, tum virtute. Hæc cœpta sunt impleri typice in reductione e Babylonia, sed revera in conversione multorum millium *d* Iudæorum ad Christum: perfecte autem complebuntur sub finem mundi, cum *omnis Israel salvus e fiet*. REGNABIT tunc *Dominus* plene & pacifice *super* Iudæos omnes antea tam rebelles, tam refractarios: *regnabit*, inquam, ut olim pater eius David, *in monte Sion* spirituali, id est in Ecclesia, inchoanda in corporali monte Sion.

V. 8. TU enim o SION, quæ es instar TURRIS GREGIS & NEBULOSA, seu nebulis ac nubibus ob altitudinem contecta; Hebraice, *ophel f*; id est tenebræ, caligo, nubilum. Erat hæc arx munitissima, inaccessa

ceſſa & inexpugnabilis, in monte *g* Sion, iuxta atrium exterius templi, & in arce *turris* enormi altitudine, inquit ex Ioſepho *h* Adrichomius. Tu, inquam, o FILIA *Sion* (ſic enim, & non, *filia*, legunt LXX. Symmachus & Romana) accipies hunc regem, & hoc regnum æternum. USQUE AD TE VENIET; VENIET, dico, non mutilum, non diſſectum, non acciſum, ſed integrum, quale fuit REGNUM FILIAE IERUSALEM, id eſt Sionis, ſub Davide & Salomone; PRIMA, inquam, id eſt priſca & avita POTESTAS regia, cum omni gloria, opibus, amplitudine, potentia tunc illi annexis. *Dabit i* eum *Dominus* Meſſiæ ſuo *ſedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*; non regno typico vel umbratico, (quale erat Davidis, terrenum, corporale, mundanum,) ſed vero ac ſolido, ſpirituali, cæleſti, divino: ita fere S. Hieronym. *k* Clarius, Vatablus, Arias, Ribera, a Caſtro, a Lapide & alii. Hebræi, teſte S. Hieron. & ex his Emmanuel Sa, Mariana & Villalpandus *l* cum aliis recentioribus, putant *turrim gregis* hic vocari non totam *Sion* aut *Ieroſolymam*, ſed præciſe *portam gregis*, quæ erat in radicibus montis Sion, [ac proinde vocari hic *filia Sion*.] Diciturque *turris*, quia de more inædificata erat illi turris altiſſima, inſtar ſpeculæ: vocatur *gregis*, quia per eam *greges* offerendi inducebantur in templum ex vicina valle *m* Ioſaphat paſcuis ac pecoribus abundante. Et certum eſt, ex Lucæ XIX 37. Chriſtum verum agnum paſchalem, in Paſchate immolandum, ex monte Oliveti, die Palmarum, per vallem Ioſaphat & *portam gregis* prædictam, in urbem aſello *n* invectum fuiſſe. Hæc enim erat porta triumphalis, qua patebat aditus non modo in urbem tum ſuperiorem, tum inferiorem, ſed etiam in templum, in regium palatium, in arcem Sion. Et ad hunc Chriſti in urbem triumphalem ingreſſum volunt prædicti auctores Michæam hic alludere. Sed Haymo, Remigius, Beda, & ex his Baronius *o* & alii, volunt, eum alludere ad primam Chriſti recens nati manifeſtationem per angelum factam paſtoribus iuxta aliam *turrim Ader*, id eſt *gregis* prope *Bethlehem*, ubi olim Iacob patriarcha ſuos pavit *greges*, Geneſ. XXXV. 21. quaſi dicat: Tu, o *turris Eder*, paſtoritia, ruſticana, obſcura, vilis & contempta, caput attolle, gaude & triumpha, quia primus ad te de cælo veniet nuntius nati Meſſiæ, cuius poteſtas & regnum primo incipiet in Ieruſalem, indeque propagabitur per univerſum orbem. Verum clarius hoc ipſum explicabit Michæas cap. ſeq. verſ. 2. *Et tu Bethlehem*, &c.

V. 9. QUARE NUNC MOERORE CONTRAHERIS o Sion? Etſi enim iam ad tempus priveris temporali rege tuo Sedecia, & regiis conſiliariis, legiſperitis, ac doctoribus; brevi tamen donaberis altero æterno rege Meſſia, & nobilioribus conſiliariis, Apoſtolis, Eccleſiæ doctoribus, paſtoribus ac principibus.

V. 10. DOLE tamen, per me licet, ET SATAGE, id eſt anxie diſtorquere. Neque enim deerit tibi iuſta cauſa dolendi: EGREDIERIS enim NUNC captiva e propria CIVITATE: ET HABITABIS IN REGIONE, ſub dio; LXX. *in campo*; Chaldæus *in agro*. Sed liberaberis, ſed redimeris primo per Cyrum, deinde per Cyri antitypum Chriſtum. Et vis tibi ſignum?

V. 11. ECCE NUNC CONGREGATAE SUNT SUPER, ſeu contra, TE GENTES MULTAE duce Sennacherib Aſſyriorum monarcha, QUAE nil aliud clamant, quam, LAPIDETUR, id eſt lapidibus, inſtar adulteræ, obruatur Sion: ET ASPICIAT OCULUS NOSTER cum voluptate ruinam & excidium illius: ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo. Sed

V. 12. Dominus CONGREGAVIT Aſſyrios iſtos in Iudæa, QUASI FOENUM AREAE; LXX. & Chaldæus, *ſicut manipuli* colligunt in *area*, ut tribulis iſtic exagitentur. Et vero cecidit ex illis angelus unica *p* nocte centum octoginta quinque millia.

V. 13. SURGE ergo & animos attolle, O FILIA SION, & tu quoque TRITURA, non iam ligneis flagellis, aut corneis *ungulis* boum, ſed ferreis & *æneis* rotis, & ferratis *q* carpentis, proſtratos hoſtes, perſequere, ſterne, concide fugientes nunc Aſſyrios, & poſt aliquot ſæcula, etiam Syros, reliquoſque Aſiæ POPULOS, duce Iuda, Ionatha, Simone, Hyrcano & aliis Machabæis: denique omnes totius mundi *populos* duce Chriſto: ita S. Hieron. Remigius, Rupertus, Albertus, Lyranus, Clarius & alii. Porro proſtratis hoſtibus, INTERFICIES & immolabis DOMINO RA-

PINAS EORUM, id est victimas quas victrix illis eripuisti, ET FORTITUDINEM EORUM, id est substantiam, opes, arma & signa hostilia. Quæ bello capta ut olim Gentiles r, & nunc Christiani, ita solent etiam Iudæi f Deo devovere, quo significent se victoriam omnem illi acceptam re. Testis Moyses, Iosue, David, Machabæi t. Quin & Ezechiam quoque ex spoliis Sennacherib plurima Deo obtulisse tradit Iosephus u.

(a) August. Lib. III. cont. duas epistolas Pelag. cap. IV.
(b) III. Reg. XVIII. 22.
(c) Rom. XI. 5.
(d) Actor. II. 41. & IV. 4.
(e) Rom. XI. 26.
(f) II. Par. XXVII. 3. 7. & XXXIII. 14. & II. Esdræ III. 26.
(g) I. Mach. I. 35. & IV. 60.
(h) Ioseph. Lib. VI. Bell. VI.
(i) Lucæ I. 32. & Psal. II. 6.
(k) Hieron. in Tradit. Heb.
(l) Villalp. tom. III. p. III. Lib. III. cap. VII
(m) II. Esdr. III. I. & ult.
(n) Marci XII. 10.
(o) V. Beda in Lucæ II. Baron. ad annum I. Christi.
(p) IV. Reg. XIX. 35.
(q) II. Reg. XXII.
(r) Virg. VII. AEneid.
(s) Isaiæ lx. 2. & II.
(t) Exod. VII. 15. Iosue VI. 19. & Num. XXI 2. III. Reg. XII. 9. I. Mach. IV. 57. V. 54. VII. 47. &c.
(u) Ioseph. Lib. X. Antiq. cap. III.

GORDONI.

Vers. I. ET ERIT IN NOVISSIMO DIERUM. Vide secundum caput Isaiæ, ubi hæc eadem sunt, & explicantur. Novissimum hic tempus, est tempus sub Christo. Hoc tempore erit domus Domini, nempe Ecclesia Christi, super montes, & supra leges veterum, præparata & longe instructior. Quin etiam inde exibit lex gratiæ (vers. 2.) sedebunt homines in pace magna (vers. 4.) ligati vinculo caritatis, idque (vers. 5.) in æternum & ultra; hoc est, si quid ultra sit : videtur hyperbole. Certe regnum Christi æternum est, nunc congregabuntur claudicantes per idololatriam; & erunt in reliquias, & posteritatem fœcundam. Et qui laboraverunt Apostoli (vers. 7.) & doctores in gentem robustam.

V. 8. TURRIS GREGIS. Locus est in quo greges suos pavit patriarcha Iacob, Gen. XXXV. 21. de quo lege plura apud Adrichomium: putatur fuisse iuxta Bethleem, & ubi Angeli pastoribus nunciarunt ortum Christi. Ceterum in præsentia Ierusalem seu Sion vocatur metaphorice turris gregis, certe non est procul a Bethleem: vocatur etiam nebulosa, quia ibi erat turris Ophel, magnæ altitudinis, nubibus, & nebulis in culmine eincta: vide Hieron. Isa. XXXII. 14.

Hæc de vocibus. Sensus iam est, quamvis ad restitutam Sionem sub Cyro alludat Michæas, tamen ex primaria intentione Prophetæ, per Ophel, Sionem & Ierusalem, intelligitur Christi Ecclesia, in qua est grex fidelium congregatus ad turrim Ophel & veram Sionem, & ubi Christus æternum regnabit : ita Hieron. Lyr. Ribera, Cornel. & alii.

V. 9. QUARE ERGO MOERORE, &c. Redit nunc a spirituali Sione ad temporalem, eamque solatur. Sic miscet duo hæc, typum scilicet cum antitypo : hoc illi solatium est : patietur quidem mala, sed speranda meliora quæ succedent : ergo tu Sion tritura, labora, sustine ad tempus, liberaberis, ut pollicetur Propheta vers. 13. nec sine victoria & spoliis. Sub Ezechia contra Sennacherib, aliqua etiam sub Machabæis acta sunt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. I. ASPICIAT IN SION OCULUS NOSTER. Lætetur de eius interitu & ruina. ET NUNC CONGREGATAE SUNT IN SION. Mala adhuc te manent. Ibis captiva Babylonem; sed inter hæc aliqua læta te manent vers. 12. nempe in victoria contra Sennacherib sub Ezechia. Hunc hostem consumes ut fœnum & paleam : surge, eia, hunc triturabis, vers. 13.

CA-

CAPUT V.

Imminens urbis Ierusalem vastatio ostenditur, & Christus in Bethlehem nasciturus: reliquiæ Israel exaltabuntur, devictis inimicis, & ablata ab ipsis idololatria.

1. NUnc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super
nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel. 2.
(a) ET TU BETHLEHEM Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator
in Israel, & egressus eius ab initio, a diebus æternitatis. 3. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in
quo parturiens pariet: * & reliquiæ fratrum eius convertentur ad filios Israel. 4. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in
sublimitate nominis Domini Dei sui: & convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. 5. * Et erit iste pax: cum venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcaverit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines. 6. Et
pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Assur cum venerit in terram nostram, & cum calcaverit in
finibus nostris. 7. Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum
quasi ros a Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum. 8. Et erunt reliquiæ Iacob in
Gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis silvarum,
& quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cum transierit, & conculcaverit, & ceperit, non est qui eruat. 9. * Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. 10. Et erit in die illa,
dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadriga tuas. 11. Et perdam civitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua: & divinationes non erunt in
te. 12. Et perire faciam sculptilia tua: & statuas tuas de medio tui: &
non adorabis ultra opera manuum tuarum. 13. Et evellam lucos tuos de
medio tui: & conteram civitates tuas. 14. Et faciam in furore & in indignatione ultionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

(a) Matth. 11. 6. Ioan. VII. 42.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 3. *Et reliquiæ fratrum eius*. Non omittas coniunctionem *&*.

V. 5. *Et erit iste pax: cum venerit Assyrius*: Quidam Libri inverso verborum ordine, legunt, pro nominativo *Assyrius*, dativum *Assyriis*, quem præcedentibus iungunt hoc modo: *Et erit pax Assyriis, cum venerit*, sed male.

Verf. 9. Exaltabitur manus tua super hostes suos. Non præponas coniunctionem &.

NOTATIO.

Verf. 5. E*T erit iste* (*ista* 1. MS. G.) *pax: Assyrius cum venerit* &c. Sic pleraque nostra manuscripta legunt, Brug. Leod. Lob. O. L. Pl. ang. &c. & prima Chalcographorum Biblia, Moguntina, ac Coloniensia. Quinque Hentenii, & quatuor nostra manuscripta cum aliquot impressis libris scribunt: *Et erit iste pax Assyriis cum venerit*: Hebræa ex se ad utrumque sensum ambigue sunt: והיה זה שלום אשור כי־יבא; id est, *Et erit iste pax Assur cum venerit*. Ceterum Hebræi ita distinxerunt, ut *Assur* a præcedentibus separatum ad sequentia referatur, accentu *athnah*, qui distinguendi vim habet, quam apud nos *Colon* dictioni שלם *pax* subiecto. Itaque intelligunt locum omnes enarratores antiquiores, & recentiores, quos vidi, nimirum ut ad sequentia Assur, sive Assyrius spectet, uno Ruperto excepto, qui utrumque legendi modum agnoscit atque exponit, & posteriorem quidem qui præcedentibus iungit Assyriis tamquam ordinatiorem præfert. Quidam codices duabus transpositis vocibus, ut maior sit claritas, scribunt: *Cum Assyrius* (*Cum Assyriis* o.) *venerit*: verum præstantiores eo ordine legunt, qui Hebraice est, *Assyrius cum venerit*.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 1. NUNC, id est paulo post. VASTABERIS, scilicet a Chaldæis. FILIA LATRONIS, id est latrociniis & flagitiis dedita. POSUERUNT. Loquitur quasi re præsenti. IN VIRGA, &c. quasi dicat, Contumeliose & indignis modis tractabunt. IUDICIS. Chald. *iudicium*, scilicet principum. Quidam Sedeciam intelligunt, alii Sacerdotes.

V. 2. EPHRATA. Id dicitur ad distinctionem; est enim altera in tribu Zabulon: sic & Matth. II. additur *terra Iuda*. Olim *Bethlehem Ephrata* dicta. Vide Gen. XXXV. & XXXVIII. PARVULUS ES, &c. quasi dicat: Parvulus quidem es vicus, si conferaris cum præcipuis Iudæ civitatibus; at ego te magnam faciam. Ideo Matth. II. redditus est sensus illis verbis, *Nequaquam minima es*: quidam putant per interrogationem legendum; quasi dicat, *An parvulus es in millibus Iuda?* scilicet non certe. Ego malim affirmative legi, planus enim sensus est: Es tu quidem parvulus, sed ex te mihi, &c. id quod te faciet magnam. MILLIBUS. Sic vocantur urbes, quæ multos habent cives: ideo Matth. II. dicitur *in principibus*, id est præcipuis urbibus: vel *millia* Michæas familias vocat; harum autem capita, Matthæus *principes*: vide Iudic. VI. EX TE; pro, at ex te EGREDIETUR. Chald. *prodibit Christus*. DOMINATOR. LXX. *princeps*. ISRAEL, scilicet secundum spiritum. EGRESSUS, id est nativitas ex Patre: est autem plurale, & Hebr. & in LXX. quo solet uti Scriptura ad rei alicuius magnitudinem demonstrandum: sic Deum vocat *Elohim*, id est *Dii*; *Adonai*, id est *Domini nostri*. AB INITIO, id est ante omnia, scilicet ab æterno, ut statim declarat: sic Ioan. I. sumitur *initium*, seu *principium*.

V. 3. PROPTER HOC, id est quia ex eis Christus nasciturus. DABIT, id est sinet vivere & permanere, scilicet conservabit. PARTURIENS, scilicet Gentilitas, vel B. Maria, vel Ecclesia. PARIET, scilicet Spiritum salutis, vel Christum, vel filios in Christo. EIUS, scilicet Christi, qui est ex Iudæis secundum carnem. FILIOS ISRAEL, id est Christianos, scilicet amplectentes eorum fidem.

V. 4. STABIT, scilicet Christus; quasi dicat, Semper regnabit, vel paratus erit favere. SUBLIMITATE. Chald. *magnitudine*. LXX. *gloria*. NOMINIS, id est virtutis. Vel *nomen* pro re, cuius est nomen, ponitur. CONVERTENTUR, scilicet ad Christum. NUNC, id est illo tempore. MAGNIFICABITUR, id est magnus apparebit, scilicet in suis.

V. 5. ISTE, scilicet Christus; ipse enim est pax nostra. ASSYRIUS, id est Ecclesiæ hostes, cuius tunc figura Assyrii. ET QUANDO, &c. Repetitio. SUPER, id est contra. SEPTEM, id est multos. PASTORES, scilicet Episcopos, & Ecclesiarum rectores. OCTO, id est plurimos; addit enim ad *septem*. PRIMATES HOMINES: repetitio,

tio. Chald. *principes hominum*, scilicet fidelium.

V.6. PASCENT, id est gubernabunt. GLADIO, scilicet verbi Dei. NEMROD. Etiam per istum, ut per *Assur* intelliguntur hostes Ecclesiæ, seu infideles. LANCEIS, id est armis spiritualibus. EIUS, scilicet terræ possessæ, id est Ecclesiæ iam effectæ.

V.7. ROS; quasi dicat, Fecundantes doctrina & exemplo terram, id est homines. VIRUM, id est operam hominis, scilicet irrigantis, est enim Dei opus, seu cælestis gratiæ.

V. 8. IN IUMENTIS, id est inter bestias; quasi dicat; Nemo poterit resistere spiritui, qui per eos loquetur & operabitur.

V. 9. EXALTABITUR, id est prævalebit. TUA, scilicet, Israel vel Christo. SUPER, id est contra. INTERIBUNT, scilicet quantum ad infidelitatem & vitia.

V. 10. EQUOS, &c. quasi dicat, Omnia præsidia & arma, quibus fidem oppugnabas. Loquitur Gentilitati ad fidem conversæ. CIVITATES, scilicet quantum ad infidelitatem.

V. 14. NON AUDIERUNT, id est audire contempserunt, scilicet Evangelium, seu obedire noluerunt.

ESTII.

Vers. 2. ET TU BETHLEHEM EPHRATA PARVULUS ES IN MILLIBUS IUDA: EX TE MIHI EGREDIETUR QUI SIT DOMINATOR IN ISRAEL. Citatur hic locus Matth. II. *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda*. Quomodo consentiunt *parvulus es*, & *nequaquam minima es*, cum hæc e diametro videantur pugnare? Respond. solere Evangelistas non verba anxie citare ex prophetis, sed satis eis esse si sententias reddant. Sententiam autem reddit Matthæus dicto loco. Est enim hic sensus prophetiæ: Tu Bethlehem nunc quidem parvula es & despecta in millibus Iuda; quia oppidum exiguum & contemptibile; sed futurum est, ut nequaquam amplius hominum opinione parvula dicaris: quia ex te nascetur qui regat populum meum Israel. A cuius dignitate tu, quæ antea parvula eras, magna deinceps in æstimatione haberis. Quærit S. Tho. III. qu. XXXV. art. VII. utrum Christus debuerit nasci in Bethlehem; & resolvit quod fuerit valde conveniens ut ibi nasceretur ob duas rationes quas ponit in corp. art. Vide locum & nostra citato loco, Matth. II.

V. 5. ET SUSCITABIMUS SUPER EUM SEPTEM ET OCTO PRIMATES. Per septem & octo numeros intelligit numerum indefinitum, & per pastores, & primates principes Medorum & Persarum, qui terram Assur & terram Nemrod, id est Assyriam & Babyloniam devastarunt. Pro eo autem quod in nostra versione vulgata habetur, *& pascent terram* est in Hebræo verbum *Rhahac*, & ideo poterat verti, & contetent seu confringent terram vel vi armorum coniungent terram Assur & terram Nemrod, id est ex duobus regnis Assyriorum & Babyloniorum unum efficient, vel pascent terram, id est violenter gubernabunt. Hæc enim omnia significat verbum Rhahac.

MARIANAE.

Vers. 1. NUNC VASTABERIS. Hebr. *nunc turmis cingeris*, scilicet militaribus. FILIA LATRONIS, id est latronum, nempe militum Hebr. *filia turmæ*, pro, turmarum, id est in qua multæ turmæ sunt, sive tuorum, sive aliorum contra te: sic Cant. VII. 4. *Porta filiæ multitudinis* vocatur, in qua multitudo est. OBSIDIONEM POSUERUNT. Hebr. *posuit*; pro, ponet hostis. IN VIRGA PERCUTIENT. Iudicem, id est Regem Israel ignominia afficient, nempe Sedeciam. *Nunc*, in præsenti hæc patieris, in futurum melior spes Christi adventu.

*V.*2. ET TU BETHLEHEM EPHRATA, id est quæ alio nomine vocaris *Ephrata*. Est altera *Bethlehem* in tribu Zabulon: ideo Matth. II. *& tu Bethlehem terra Iuda* quasi dicat: Ierusalem quidem illa patietur, tibi melior conditio manet. PARVULUS ES. Matth. II. 6. sic: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es*. Quæ duo loca ut concilient, multi multa dicunt. Quid vero si nos dicamus Michææ locum esse corruptum a Iudæis, cuius rei multa indicia sunt? Sed hoc durum. Quid si interrogative legamus, *Numquid parvula es?* ut Isidorus & Iulianus: certe legunt & Biblia Gotthica; de quo plura in Annot. ad Isidor. Lib. I. contra Iudæos, cap.

cap. XI. & in Disput. pro Edit. Vulg. cap. VI. Sed & Michææ verba, ut nunc sunt, sic explicari possunt. Licet numero & ambitu sis exigua, ex te tamen magnus Dux egredietur. Itaque non es dignitate & gloria parva. Sic quidam Matthæum cum Michæa concilians, ut hic ad numerum respexerit, ille ad dignitatem. IN MILLIBUS IUDA, id est inter familias, seu oppida Iuda, quæ *millia* vocantur Iudic. VI. 15. Matth. *in Principibus Iudæ*. אלף *AEleph* est *mille*, אלוף *Princeps*: hoc secundo modo legit Matth. Ergo non est minima in procreandis Principibus. EX TE MIHI EGREDIETUR. Hic est Messias, ut Hebræi etiam confitentur & Chald. EGRESSUS EIUS, seu *egressiones*. Sic loquitur, propter geminam Christi nativitatem. AB INITIO, seu *ab antiquo*, & ab æterno sunt egressiones, id est altera nativitas. *Sepultus est in urbibus Iuda*, id est in una urbium. Iudæi, qui divinam naturam non agnoscunt, male se ex hoc loco expediunt.

V. 3. DABIT EOS USQUE AD TEMPUS, id est permittet Iudæos aliquamdiu regnare, donec pariens pariat, id est convertantur Gentes. Tunc RELIQUIAE Iudæorum convertentur ad veros Israelitas, id est fideles: sic Hieronymus. Ego sic explicarem: Cum tanta eos felicitas maneat, non est mirum si ad tempus tradit eos Deus hostibus, dum pariens pariat, id est dolores ut parturientis eos vexent: aut donec virgo pariat, ut Theophylactus. Tunc *reliquiæ*, id est qui supererunt e fratribus Bethleem, qui captivi tenentur, CONVERTENTUR, seu *revertentur* ad terram suam. Id vocat, *ad filios Israel convertentur*.

V. 4. ET STABIT. Christus perpetuo in Ecclesia manebit. ET PASCET, id est reget, scilicet suos filios Israel. IN SUBLIMITATE, id est cum magna Dei sui gloria. QUIA NUNC; hoc est, cito magnificabitur, toto orbe dilatabit imperium.

V. 5. ET ERIT ISTE PAX, scilicet Messias, sublato metu hostium, nos in pace servabit. CUM VENERIT ASSYRIUS, ut nos vexet, nos transferemus bellum in ditionem eius, missis eo ducibus, quos pastores & primates vocat. SEPTEM .... ET OCTO, id est multos.

V. 6. ET PASCENT, id est gladio Assyrios subiicient ii duces. ET TERRAM NEMROD; hoc est, Babylonem. IN LANCEIS EIUS, id est suismet armis eos debellabit. Hebr. *in gladiis eius*. ET LIBERABIT. Christus eo astu suos liberabit, missis Apostolis, qui eos subiiciant.

V. 7. QUASI ROS A DOMINO, id est Domini: ros multus. QUASI STILLAE SUPER HERBAM. Hebr. *quasi imbres copiosi super fœnum*. Fœnum aliis herbis altius est. Ergo crescent filii Israel inter Gentes, ubi captivi tenentur, quasi fœnum imbre decidente. Sept. *quasi agni super gramen*: sed non placet. QUAE (herba) NON EXSPECTAT VIRUM, id est sponte, sine cultura crescet, ita Israel sine ulla humana ope.

V. 8. QUASI LEO IN IUMENTIS SILVARUM, id est inter iumenta. Hoc est, non solum numero crescit, sed robore. ET CEPERIT, seu *cum rapuerit*, discerpserit, nemo resistet.

V. 9. EXALTABITUR MANUS TUA, o Iacob, aut o Christe, inimici tui peribunt. Quod factum videmus orbe ad Christum converso.

V. 10. AUFERAM EQUOS TUOS, omnia belli instrumenta auferam, quia pax summa erit. Quod aliis verbis Isaias dixit cap. II. 4. *conflabunt gladios suos*.

V. 11. CIVITATES, scilicet munitas: quod proxima verba declarant: destruam omnes munitiones tuas: longa pax id efficit, mœnia & arces sua sponte evertuntur, & cadunt, eo sane tempore. MALEFICIA. Belli tempore solent eæ vanitates vigere: ergo auferam ea, sive scindam. DIVINATIONES, seu *divini*, seu *præstigiatores*, non erunt in ea.

V. 12. SCULPTILIA TUA, ET STATUAS. Per Christum idola sublata sunt.

V. 13. ET CONTERAM, seu *delebo*. CIVITATES TUAS. Sic Sept. sed cum vers. 11. dixerit, *Perdam civitates tuas*, cur hic repetit? Ideo cum Chald. vertunt plerique *inimicos tuos*, עיר *Hir* & *urbem* & *hostem* significat. Eritque redditio rationis, quare auferam ea præsidia; quia nulli hostes erunt.

V. 14. ULTIONEM. Non solum hostes auferam, sed & Gentes vindicabo, quæ Christo non obedierint, eas puniam.

ME-

MENOCHII.

Verſ. 1. NUNC, id eſt paulo poſt. VASTABERIS: o Aſſyria. FILIA LATRONIS: latrociniis dedita. Filia, vel filius latronis idem eſt quod latro, ſicut filius hominis, idem eſt quod, homo. Senſus ergo eſt, vaſtaberis & tu, o vaſtatrix Aſſyria. OBSIDIONEM POSUERUNT SUPER NOS: ſcilicet Aſſyrii. IN VIRGA PERCUTIENT, &c. Percuſſio maxillæ gravem ignominiam ſignificat, & ingens probrum; & fortaſſe etiam Sennacherib legatos Ezechiæ principes Iſrael a ſe captos percuſſit probroſe in maxilla, licet hoc aliunde ex Scriptura non habeamus.

V. 2. ET TU BETHLEHEM, &c. quaſi dicat: Hæc mala patietur Ieruſalem; at tu o Bethlehem Iuda, tunc quidem exiguum oppidum es, ſi cum tot urbibus Iuda magnis, & florentiſſimis compareris; at maxima es propter ducem magnum Chriſtum, qui in te naſciturus eſt. Ideoque quantumvis nunc parva, atque abiecta videaris, omnium tamen bonorum, quæ nunc Ieruſalem prænuncio, origo futura es. EPHRATA, id eſt quæ prius appellabaris Ephrata. Additum ergo eſt *Ephrata*, ut ab alia Bethlehem diſtingueretur, quæ erat in tribu Zabulon; Ioſue XIX. 30. PARVULUS ES, id eſt populus, ſive vicus. IN MILLIBUS IUDA. Hebr. eſt באלפים *alaphim*, quod primo millia ſignificat; ſecundo Principes; tertio Chiliarchias. Vel ergo I. ſenſus eſt, es minima, o Bethlehem, inter urbes Iuda, quæ multa capitum millia numerant. Vel II. es minima inter principes urbes, aut cum principibus; quia hactenus non multos Principes reipublicæ Iudaicæ dediſti. Vel III. Et minima in chiliarchiis, ſive cœtibus ex mille viris conſtantibus in quos tribus Iuda eſt diſtincta. Duo enim, tres, & plures vici ad eandem chiliarchiam pertinebant, quot ſcilicet ſatis erant ad ſuppeditandos mille viros pugnatores, qui ſub Chiliarcha, ſive ut Latini vocant, Tribuno militabant. DOMINATOR IN ISRAEL: Chriſtum intelligit, ut patet ex Matth. II. 6. ET EGRESSUS AB INITIO, &c. licet in te temporaliter naſciturus ſit, tamen ab initio, id eſt ab æterno natus eſt a patre.

V. 3. PROPTER HOC DABIT EOS, &c. quaſi dicat: Propter hoc, quia ſcilicet in Bethlehem naſcetur Chriſtus, quem Deus decrevit & ſtatuit ſalvatorem, & dominatorem Iſraelis; idcirco dabit eos, id eſt permittet Iſraelem, & Iudæos affligi ab Aſſyriis, Chaldæis, & Græcis, donec Virgo Deipara pariat Chriſtum; hic enim erit redemptor, & ſalvator Iſraelis; omniumque gentium. ET RELIQUIAE FRATRUM EIUS, &c. id eſt, tunc reliquiæ populi Iudæorum, qui ſunt fratres Chriſti ſecundum carnem, quas reliquias ſibi Deus reſervarat, convertentur ad filios veros Iſrael, id eſt ad Apoſtolos, & prædicatores Evangelii, & ſe aggregabunt Eccleſiæ.

V. 4. STABIT, ſcilicet Chriſtus; quaſi dicat: Semper paſcet, & regnabit; vel, paratus erit ſavere. IN FORTITUDINE DOMINI: maxima fortitudine quam ei dabit pater, ita ut nemo poſſit ei ovem ullam rapere: vide Ioan. X. 28. IN SUBLIMITATE NOMINIS DOMINI DEI SUI, id eſt ut decet maieſtatem nominis divini. Ita Deus illos proteget, ac ſi in eo gloria nominis, & honoris ſui ageretur; indignum maieſtate ſua Deus putabit non optime eos paſcere, & protegere. Italice diceremus, *Pigliarà a punta d' honore il difenderli, e protegerli*. CONVERTENTUR. Verti etiam poſſet, *ſedebunt*, vel *habitabunt*, vel *manebunt*, ſi ſcribatur ישבו, *iaſchubu*, ut legit noſter interpres. Sententia ergo eſt: ſub Chriſto paſtore, & rege, fideles ad eum converſi vivent in ſumma pace. QUIA NUNC, id eſt in hoc Chriſti tempore. MAGNIFICABITUR: ipſe Chriſtus qui laudibus celebrabitur; & regnum eius quod amplificabitur uſque ad extremos fines terræ.

V. 5. ET ERIT ISTE PAX; id eſt, Chriſtus erit pax noſtra, qui nos in pace, & tranquillitate continebit, etiamſi hoſtes noſtri impetant nos, & variis tentationibus aggrediantur. CUM VENERIT ASSYRIUS. Per Aſſyrium intelligit hoſtes Eccleſiæ, vel animæ fidelis, ad Aſſyrios reſpiciens a quibus olim Iudæorum reſpublica vexata eſt. ET QUANDO CALCAVERIT IN DOMIBUS NOSTRIS; id eſt, quando irruent hoſtes ut domos noſtras capiant, ut ſcilicet Eccleſiam expugnent, aut animas fideles. SUSCITABIMUS SUPER EUM SEPTEM PASTORES, &c. id eſt, contra hoſtes noſtros

exci-

excitabimus septem, immo octo, id est multos, immo plurimos principes, qui eis resistant, eosque debellent. Septenarius enim numerus in Scriptura symbolum est multitudinis; quod si addatur octonarius, magnam & ingentem multitudinem significat, ut cum dicitur Eccles. XI. 2. *Da partem septem, nec non & octo*, id est multis, immo plurimis. PRIMATES HOMINUM, id est pastores: est repetitio Chald. *Principes hominum*, id est fidelium.

V. 6. ET PASCENT TERRAM ASSUR; id est, Christus per suos Apostolos, & successores armis spiritualibus debellabit reges, & principes Assyriorum, Graecorum, Romanorum, &c. eosque convertet, ac subiget, adeo, ut ipsi iam conversi pascant quoque, id est regant, tueantur, & propagent Ecclesiam, ut fecit Constantinus, & alii. TERRAM NEMROD, id est Babylonem. IN LANCEIS EIUS: in lanceis suis. Vel sensus est; illis ipsis annis, quae homines in infidelitate sibi paraverant, oppugnabunt infideles ipsos, ut ingenio, & dialectica Augustini. ET LIBERABIT AB ASSUR, &c. id est ab omnibus hostibus, cum nos aggredientur. CUM CALCAVERIT, &c. cum in nostros fines irruperit.

V. 7. RELIQUIAE IACOB: Apostoli, & praedicatores Evangelii. IN MEDIO POPULORUM: Gentilium. QUASI ROS A DOMINO, erunt quasi imber, & ros optatissimus, qui caelesti doctrina, & vitae sanctitate foecundabunt terram, id est homines terrenos. QUAE NON EXPECTAT, &c. quae rore caelesti crescit, nec opera hominum indiget, ut crescat. Ita virtute divini verbi, non hominum eloquio, populi convertentur, & salvi fient.

V. 8. QUASI LEO IN IUMENTIS. Non poterunt homines resistere spiritui loquenti in Apostolis, sed omnes vincent, & sibi subiicient, vitia in illis, & idololatriam sternentes, & occidentes.

V. 9. EXALTABITUR MANUS TUA: o Israel, o Christe, qui pugnabis per tuos milites. INTERIBUNT: quatenus inimici sunt; nam in eis interficietur impietas, & genus omne vitiorum.

V. 10. AUFERAM EQUOS TUOS, &c. o Ecclesia prima, auferam omnia praesidia, & munitiones, & arma, quibus antequam converteretis, fidem oppugnabas, vel certe illi resistebas, ut victa des manus.

V. 11. AUFERAM MALEFICIA, ET DIVINATIONES, &c. nam Infideles divinationibus, maleficiorum artibus, oraculis, &c. oppugnabant Ecclesiam, ut fecit Simon Magus, & alii.

V. 13. LUCOS TUOS: in idolorum cultum consitos. CONTERAM CIVITATES TUAS: scilicet Idololatras, superstitionem in eis evertens. Vox ערים *harim*, etiam inimicos significat, quare Pagnin. & Vatabl. vertunt, *disperdam inimicos tuos*.

V. 14. ET FACIAM IN FURORE, &c quasi dicat: Si quae autem gentes post praedicatum Evangelium, adhuc credere noluerint, acerrimas mihi poenas dabunt. QUAE NON AUDIERUNT. Chald. *Quae non receperunt doctrinam legis*.

T I R I N I.

Vers. 1. NUNC VASTABERIS FILIA LATRONIS, id est latro seu latrociniis assueta. Hebraeum *gedud* & latronem significat & militem, seu turmam vel exercitum. Intelligit autem exercitum Assyriorum, & castra Sennacherib, qui quasi latro populatus est Iudaeam, & obsedit Ierosolymam, & VIRGA *percussit* MAXILLAM IUDICIS ISRAEL, id est ignominiose tractavit regem Ezechiam, & principes ac legatos ipsius, Isaiae XXXVI. & hanc ob causam, simul ob blasphemias in Deum, vastatus est ab angelo, caesis una nocte 185. millibus militum in castris eius. De Assyriis enim hactenus egit Michaeas, itemque agit vers. 5. & 6. alludens more suo ad Isaiam, qui sin illa de Assyrio totidem verbis praedixit tum alibi *a* tum initio cap. XXXIII. ita Albertus, Lyranus a Lapide, & alii. Allegorice, potest applicari Ierosolymae, ob occisos Prophetas, & Prophetarum principem Christum, a Romanis, obsidendae, vastandae & excidendae: ita S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Albertus, Haymo, Hugo, Clarius, Lyranus & Vatablus, qui etiam litteraliter id illi applicant. Hebraei & Vatablus etiam de Roma accipiunt. Et vero fuit haec admodum iniqua in Christum primis 300. annis, sed per Constantinum vastata Roma Ethnica, EX FILIA LATRONIS facta est mater vitae, & cathedra Pastoris ac *iudicis Israel* & Ecclesiae universae. Porro nosse vis, o Sennacherib, unde tibi hoc malum? & tu, Eze-

Ezechia, unde vobis salus? certe unde minime speraras.

V. 2. Tu Bethlehem ducem illum & regem subministrabis, cuius merito & virtute latro iste Sennacherib, qui te nunc depopulatur, & alii omnes Israelis hostes, Chaldæi, Persæ, Græci, Asiatici, AEgyptii, Romani, suo singuli tempore vastandi & excidendi sunt. Vocatur *Bethlehem*, id est, domus panis, a loci fertilitate; quasi dicat: Locus ferax frumenti, ex quo panis conficitur. Et quia duplex erat *Bethlehem*, una in tribu Zabulon *b*, altera in tribu Iuda *c*; ut constare possit, non de illa, sed de hac loqui Michæam, additur ei cognomen Ephrata, quod etiam fertile seu crescens *d* significat. Eratque nomen secundæ uxoris *e* Caleb, a qua tota illa tam fertilis regio in sorte tribus Iuda, nomen desumpsisse videtur, in qua urbs inædificata dicebatur *Bethlehem Ephrata*, vel *Bethlehem* Iuda *f*, qui parvulus es vicus, inquit Iansenius; vel, ut alii, parvulus populus in millibus *Iuda*, id est inter chiliarchias tribus Iuda. Singulæ enim tribus a Moyse *g* olim distributæ fuerant in chiliadas, seu millenarios coetus, ita per chiliadas occupabant & incolebant oppida sua, quæ inde dicebantur Chiliades, id est *millia*. Porro Hebræum *alaphim*, non tantum *millia*, seu *chiliarchiam* significat, sed etiam *principes* seu *principatus*. Unde S. Matthæus *h* legit, *in principibus Iuda*: sed an memoria lapsus hic Evangelista, (ut quidam apud S. Hieron. blaspheme asserebant) cum pro eo quod Michæas ait, *Parvulus es*, vel, ut LXX. & Syriaca, *parvula* vel *minima es*, ipse citat, *Nequaquam minima es*? Absit, iniurium hoc esset Spiritui sancto, cuius instinctu sic scripsit Matthæus. Quoad sensum autem, idem prorsus dicit uterque: Michæas enim dicit, *minimam* esse Bethlehem, si domos, si cives, si numerum incolarum spectes: sed *nequaquam minimam* esse, si principes ex ea seu procreatos, seu procreandos expendas. Idem, sed paucioribus verbis Matthæus dicit, nempe, *nequaquam minimam esse*, quoad, principes, licet (ut vulgo notissimum erat, ac proinde subticuit) minima esset quoad omnia reliqua. Et forte olim etiam in Michæa apud LXX. (licet iam exciderit) legebatur, *nequaquam minima es*. Certe ex illis sic legerunt Origines, Cyprianus., Eusebius, Ambrosius, Augustinus *i* & Theodoretus, ut omittam Arabicum tam Alexandrinum quam Antiochenum. Causam, cur nequaquam inter minimas censenda sit Bethlehem, subiungit per Prophetam Deus: Quia ex te mihi *k*, utpote patri filius, egredietur, id est nascetur, qui sit dominator, dux, rector seu rex, in Israel. Quod de Christo accipiendum esse, non modo Christiani omnes, sed & Iudæi olim unanimiter senserunt, & ita Herodi *l* regi & populo *m* responderunt, testibus & approbatoribus Evangelistis Matthæo & Ioanne qui responsum hoc Iudæorum idcirco in medium afferunt, ut probent impletum fuisse in Christo illud signum Messiæ, quod inter Iudæos communi omnium confessione erat receptum, eo quod in oraculo Michææ esset expressum, ut bene advertit Franc. Suarez *n*. Chaldæus clave vertit, *ex te coram me prodibit Christus*. Et eadem est etiam recentiorum Rabbinorum plurimorum sententia, quos citat Galatinus *o*. Porro ne putetis, eum quem iam dixi nasciturum & egressurum a Bethlehem, fore nudum hominem, similem Davidi, vel Abrahamo, ac tum primum in rerum naturam proditurum cum secundum carnem nascetur in Bethlehem; ideo nunc addo, eumdem illum secundum alteram naturam suam, nempe divinam, æterna generatione ex me *egressum* ac genitum, & continuo nasci atque egredi, iam inde ab initio *p*, id est ante res omnes creatas, immo a diebus aeternitatis, seu ab omni æternitate: ita SS. Patres & DD. omnes Orthodoxi, cum multis Rabbinis apud prædictum Galatinum *q*.

V. 3. Propter hoc, scilicet quia divino decreto Christus mundi salvator nasci debet in Bethlehem Iuda, idcirco Iudæos, etsi nunc extreme periclitantes ab Assyriis, & postea magis periclitaturos a Chaldæis, Persis & Asiaticis, dabit: tamen Deus perstare ac perdurare usque ad illud tempus in quo Virgo mater parturiens summo gaudio pariet prædictum Christum in prædicta Bethlehem: ita fere Eusebius *r*, S. Hieronymus, Haymo, Remigius, & Hugo. Edito hoc partu, & partus curriculo in terris peracto, sinet Deus collabi Synagogam, tum spiritua-

tualiter, tum corporaliter, exceptis paucis *reliquiis* FRATRUM Christi secundum carnem, qui monitis & doctrinæ eius obsequentes CONVERTENTUR AD veros & genuinos FILIOS ISRAEL; id est, ex carnalibus evadent spirituales Israelitæ, æmulantes fidem, pietatem, sanctitatem Iacobi, & reliquorum Patriarcharum ac Prophetarum cultorum *f* & servorum Christi: ita iidem Patres. Sed corruente Synagoga, non corruet tamen regnum Christi; sed æternum

V. 4. STABIT & præstabit hic rex cum regno suo, id est Ecclesia, *pascens*, regens, protegens, multiplicans maxima FORTITUDINE atque invicto robore *t* oves sibi ex universo orbe iungi & subdi volentes, tam ex Gentilibus, quam ex Iudæis. Et vero pascet ac reget illas non vulgari modo, ut rexerunt patres eius, Abraham, Iacob, David & alii reges subsecuti, sed IN SUBLIMITATE NOMINIS DOMINI DEI SUI, id est ea gloria *u*, magnificentia, maiestate quæ decet ipsum Deum, seu Patrem, a quo legatus missus est; seu Filium, qualis ipsemet est; seu Spiritum sanctum per quem Ecclesiam suam recturus est. Loquitur autem de maiestate & excellentia doctrinæ, Sacramentorum, gratiæ & miraculorum. *Et* ad Christum tali modo suos tam excellenter regentem CONVERTENTUR innumeri ex omnibus nationibus terræ, per quos ipse ipsiusque regnum MAGNIFICABITUR, celebrabitur, extolletur, ampliabitur per universum mundum.

V. 5. ISTE Messias ERIT PAX, caussaliter, non nostra tantum, sed & totius mundi, allaturus quietem & securitatem ab omni hoste spirituali & corporali, saltem quando & in quantum unicuique expediet, ut alibi *x* dixi. Ipse enim est *princeps y pacis, interficiens* z omnes *inimicitias in semetipso*. Hoc pacifico rege nixi, non timemus *Assyrium*, non alium quempiam tyrannum. CUM VENERIT, ut certo venturus est, SUSCITABIMUS adversus EUM SEPTEM PASTORES, immo OCTO PRIMATES, id est excitabimus & obiiciemus tyrannos multos, immo plurimos militiæ principes; quasi dicat: Virtute & merito Christi erunt nobis ad manum sufficientes belli duces, cum copiis militaribus sibi subiectis; qui PASCENT TERRAM ASSUR ET NEMROD, id est Assyriam, seu exercitus Assyriacos, non præda frugum vel aliarum opum suarum, sed *gladiis* & LANCEIS EIUS. Et licet aliquando in pœnam horum scelerum suorum succubituri sint Iudæi hostibus suis Chaldæis, Persis, Asiaticis, Romanis, semper tamen

V. 7. ERUNT RELIQUIAE IACOB, quæ protritæ, resectæ, aridæ & exsuccæ Synagogæ erunt QUASI imber & ROS cælestis, SUPER HERBAM QUAE NON EXPECTAT VIRUM, seu manum auxiliatricem, qua irrigetur, humectetur & fœcundetur. Erunt nihilominus simul

V. 8. QUASI LEO inter *iumenta* heroica fortitudine, audacia & robore suo tum animi, tum corporis, in hostes suos involantes, eosdemque sternentes ac dissipantes. Notat Esdram, Mardochæum, Nehemiam, Iudam *aa* & fratres eius Machabæos; sed præcipue Apostolos & discipulos Christi, qui doctrina sua quasi rore suavissimo irrigarunt arida & sitientia hominum corda & quasi leones ad nullius hostis paverunt occursum. Exemplo sint Petrus in *Simonem bb*, Paulus in *Elymam cc* magum, & omnes Apostoli in *principes dd* sacerdotum & magistratus populi. Nempe divina *Sapientia ee* etiam per ministros suos, *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: ita S. Hieronymus & alii supra citati.

V. 10. IN DIE ILLA, id est tempore Messiæ, auferam a te, o Ecclesia mea, ex Iacob prognata, sed per Gentiles propagata: AUFERAM, inquam, EQUOS TUOS & QUADRIGAS; id est arma *ff* omnia ac præsidia quibus solebas Deum & Christum eius impugnare. Auferam item *maleficia*, Hebraice & Chaldaice, *maleficos*, seu præstigiatores; *sculptilia*, *lucos* & idolorum fana, ac civitates illis consecratas, Dan, Bethel, &c. quasi dicat: Tollam præcipuas scelerum occasiones & instrumenta, etsi quædam eorum videantur ad regni, id est Ecclesiæ meæ propagationem ac tutamen deservire posse. Neque enim eges eiusmodi armis, neque volo, citra necessitatem, violentis instrumentis propagari fines tuos, sed doctrina cælesti, virorum sanctitate, pro exemplo mansuetudinis, patientiæ, ceterarumque virtutum, inquit Arias, Vatablus, & Lyranus.

V. 14. IN GENTIBUS vero QUAE NON AU-

AUDIERUNT, id est quæ audire, credere & obedire noluerunt Evangelio & monitis Christi, FACIAM ULTIONEM cum FURORE *gg*; v. g. in rebellibus Iudæis per Romanos; in apostatis provinciis per reges Christianos vel per angelos, quorum plurima exempla videre est apud Baronium, Bozium & alios historiographos.

(a) Isaiæ x. vers. 5.
(b) Iosue xix. 10.
(d) I. Par. 13. 51. 54. &c.
(d) Gen. xli.
(e) Par. 11.
(f) Matth. II. 9.
(g) Matth. II. 16.
(i) Orig. Lib. I. cont. Celsum. Cypr. II. Testimon. cap. XII. Euseb. Lib. VI. Demonstr. cap. XV. Ambr. Lib. V. epist. Augu. Lib. XIII. Civ. cap. XXX.
(k) Rom. I. 3.
(l) Matth. II. 6.
(m) Ioan. VII. 42.
(n) Suarez III. p. q. XXXV. disp. XIII. sect. III.
(o) Galatin. Lib. IV. cap. XIII.
(p) Genes. I. I. Ioan. I. 3. Eccli. XIV. 14. &c.
(q) Galat. sup.
(r) Euseb. Lib. VII. Demonst. cap. II.
(s) Michææ IV. 5.
(t) Ioan. XIX. 27.
(u) Ioan. I. 14. Isa. IX. 15.
(x) Isaiæ II. 4. Coloss. III. 15.
(y) Isaiæ IX. 6.
(z) Ephes. II. 16.
(aa) Mach. vers. 4. & Lib. II. 8. II. 12.
(bb) Actor. VIII. 20.
(cc) Actor. XIII. 9.
(dd) Actor. IV. 19.
(ee) Sap. VIII. I.
(ff) Isaiæ II. 4.
(gg) Thess. I. 8.

GORDONI.

Vers. I. NUNC VASTABERIS FILIA LATRONIS, &c. Modus loquendi Hebræorum est, filia latronis, hoc est latro: filius hominis est homo, & alibi filius olivæ, Cantic. VII. 4. Ceterum hoc nomine intelligunt aliqui Babylonem, alii Damascum, aut etiam Ierusalem: recte tamen colligit Cornelius ex fine capitis præcedentis, ubi de Assyriis, hic consequenter, eundem Sennacherib deprædatorem, vocari filiam latronis, more Hebraico, aut turmam Sennacherib prædatoriam sic vocari: tunc enim Rapsaces cum magna iniuria locutus est contra Deum & regem iudicem in illa obsidione: vide Isai. cap. XXXVI. propterea hic Assyriis dicitur, *vastaberis filia latronis*.

V. 2. ET TU BETHLEEM EPHRATA, &c. En quod Math. II. 6. habetur de Christo nascente in Bethleem: singularis hæc prophetia est, ubi Propheta videns vastatam ab exercitu totam (præter Ierusalem) Iudæam, in qua erat hæc Bethleem Ephrata [est alia in tribu Zabulon] quasi commiseratione vexati ruris Bethleemitici, & depopulationis; assurgit ad futurum tempus, quando in Bethleem exurget qui regat Iudam, Israel, teneatque clavem regni in perpetuum: de regno Christi alibi. At quomodo Bethleem hic vocatur parvulus, & apud Matthæum, *nequaquam*, inquit, *minima es*. Certe dignitate est maxima, ut significat Matthæus ex nato ibi Messia. Verum apud Michæam est comparata, scilicet, cum præcipuis regni urbibus & multis millibus hominum qui in illis sunt: porro Bethleem ista in Iuda, varie nominatur, scilicet Bethleem Caleb, I. Paral. II. 24. Item Ephrata ab uxore Caleb, ibid. vers. 19. QUI SIT DOMINATOR IN ISRAEL, &c. Septuag. princeps. *τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα*. Dominator hic est Christus secundum orthodoxos Græcos & Latinos omnes. Immo & Hebræos, ut refert Galati. Lib. IV. cap. XIII. itaque sentiebat vetus Synagoga. Consentit cum vaticinio Isai. cap. VII. 14. *Ecce Virgo concipiet*: de tempore huius oraculi non est difficile statuere ex diagrammate ad finem libri I. Regum. Nam accidit ante adventum Sennacherib contra Ierusalem. EGRESSUS EIUS AB INITIO, A DIEBUS AETERNITATIS, &c. Septuag. *αἱ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς*, &c. Hebr. in plurali, מוצאתיו, *egressiones eius a diebus sæculi*. Hebræi ad rem magnam denotandam addunt pluralem numerum, ut Elohim. Quamvis vero Arias & quidam alii, per hanc egressionem intelligant duplicem Christi nativitatem; verius tamen videtur de sola æterna nativitate seu generatione intelligi: ita communiter Patres: & certe cum initio versiculi denuntiata sit temporalis nativitas in Bethleem, quorsum iterum subsequentia verba eo referrentur; præsertim cum designent novum egressum, & cum æternitate: a diebus, inquit, æternitatis; ac si diceret Propheta: Nascetur in Bethleem; & ne putes tantum esse hominem; accipe etiam æternam generationem: idemque asseritur Isai. VII. 14. & cap. IX. 6. & male aliqui hoc retulerunt ad æternitatem prædestinationis: nam verba Scripturæ sunt proprie accipienda; egredi autem non significat prædestinari, sed gigni, nasci, ema-

emanare. Explicat porro hanc æternitatem more humano, dicendo a diebus æternitatis, ac si ibi essent dies & anni: est catachresis aliqua.

V. 3. PROPTER HOC DABIT EOS USQUE AD TEMPUS IN QUO PARTURIENS PARIET, &c. Hebr. *pariens pariet*. Sane sensus loci huius optimus est de tempore nascentis Christi in Bethleem, in quo Michæas, ut solet, alludit ad Isaiam; quasi dicat: Veniet Messias, sed permittet interim vexari Israelem a Chaldæis & Græcis, usque ad Salvatoris huius adventum, quando ille & hos & gentes salvabit: ita Hier. hinc proximo vers. 4. subiungit quæ Christus acturus est.

V. 5. ET ERIT PAX, &c. Continuatur hic sermo de Christo, qui pacem afferet Ecclesiæ; pacem, inquam, cum Deo & cum proximo in omni iustitia & caritate: & cum venerit Assyrius; hoc est, hostis communis nostræ Ecclesiæ, suscitabit Deus pastores & principes in Ecclesia, septem, octo, & plures pro necessitate Ecclesiæ: ita Hier. Ruper. Haymo, Hugo, Ribera, & alii.

V. 6. ET PASCENT TERRAM ASSUR IN GLADIO. Sane Christus gladio suo spirituali per hos principes debellabit infidelitatem Assyriorum, Græcorum, Romanorum, & sic deinceps explicat multiplicationem Ecclesiæ, quamvis modicus sit numerus initio; nec tamen ista carent sua allusione tacita ad tempora Ezechiæ, Cyri & Machabæorum, vers. 7. non expectat virum, sed sponte & sine cultura prævenit.

V. 9. ET EXALTABITUR MANUS TUA SUPER HOSTES TUOS, &c. Pergit sub aliqua similitudine & umbra describere incrementum Ecclesiæ, quando Deus destruet omnia arma, equos, arces, & aurigas, quibus antea infidelitatem hostis defendebat. Denique uno verbo mundabit Ecclesiam Christianam Deus.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 8. LEO IN IUMENTIS: ita feliciter progredietur spiritualis gladius Christi, ut nemo eorum, quos efficaciter aggreditur, resistat: tam potenter aget, ut sit quasi leo in iumentis. Similitudo est, quæ in hoc stat, quod infallibiliter capiatur præda: cum dissimilitudine in hoc, quod homines libere convertantur ad Deum.

Vers. 10. AUFERAM. Recte hoc de progressu Ecclesiæ, & conversione. In conflictu pro fide auferet Deus arma, & vires, quibus ante ut naturæ præsidiis confidebant homines. Dabit & pastoribus convertendi vires supernaturales, & arma nova. Peribunt sculptilia, & civitates idolorum: & simul pœna erit pro rebellibus, speciatim etiam involventur Iudæi.

CA-

CAPUT VI.

Disceptat Dominus cum ingratis, recensens collata illis beneficia, indicans etiam quid sit bonum, & quid Dominus a populo suo requirat: sed propter iniustitiam aliaque scelera filiorum Israel comminatur eis Dominus varias afflictiones.

1. AUdite quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio
adversum montes, & audiant colles vocem tuam. 2.
Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamen-
ta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo, &
cum Israel diiudicabitur. 3. (a) Popule meus quid fe-
ci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. 4.
Quia eduxi te de Terra AEgypti, & de domo servien-
tium liberavi te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Ma-
riam? 5. (b) Popule meus memento quæso quid cogitaverit Balach rex
Moab, & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim usque ad
Galgalam, ut cognosceres iustitias Domini. 6. Quid dignum offeram Do-
mino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocautomata, &
vitulos anniculos? 7. Numquid placari potest Dominus in millibus arie-
tum, aut in multis millibus hircorum pinguium? numquid dabo primoge-
nitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ
meæ? 8. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid Dominus requi-
rat a te: Utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum
ambulare cum Deo tuo. 9. Vox Domini ad civitatem clamat, * & salus
erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, & quis approbabit illud? 10.
Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ
plena. 11. Numquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolo-
sa. 12. In quibus divites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea
loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. 13.
Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. 14. Tu co-
medes, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui: & apprehen-
des, & non salvabis: & quos salvaveris, in gladium dabo. 15. (c) Tu
seminabis, & non metes: tu calcabis olivam, & non ungeris oleo; &
mustum, & non bibes vinum. 16. Et custodisti præcepta Amri, & omne
opus domus Achab, * & ambulasti in voluntatibus eorum, ut darem te
in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium populi mei
portabitis.

(a) Ier. II. 2. (b) Num. XXII. & 23. (c) Deut. XXVIII. 38. Agg. I. 6.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 9. Et ſalus erit timentibus nomen tuum. Non eſt mutandum pronomen ſecundæ perſonæ *tuum* in tertiæ *ſuum* vel *eius*.

Verſ. 16. Et ambulaſti in voluntatibus eorum. Legendum eſt *voluntatibus*, quod eſt, deſideriis, non *voluptatibus*, quod eſt, delectamentis.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. CONTENDE IUDICIO, id eſt argue Dei nomine. MONTES, id eſt Principes, vel ſuperbos. COLLES: repetitio: vel qui minores dignitate.

V. 2. IUDICIUM, id eſt increpationem, ſeu diſceptationem. FUNDAMENTA, ſcilicet ſuperiores, qui urbes ſuſtinent. TERRAE, ſcilicet populorum. DIIUDICABITUR, id eſt diſceptabit, ſcilicet more eorum, qui iudicio contendunt: vide Iſa. XLIII.

V. 4. QUIA, abundat more Hebræo. SERVIENTIUM. Chald. & LXX. *ſervitutis*. MOYSEN, &c. Chald. *Moyſen, ut populum doceret; Aaron, ut expiaret; Mariam, ut mulieres inſtrueret.*

V. 5. SETIM. Locus eſt in deſerto ſeu campeſtribus Moab. Senſus vero eſt: Quid tecum fecerim a Setim uſque Galgala, ſcilicet quantis affecerim beneficiis, vel quantum tibi nocere voluerit Balaam cum Balac uſque dum venires Galgala, ſcilicet in Terram promiſſionis; utque te defenderim. IUSTITIAS, id eſt miſericordias, ſcilicet beneficia.

V. 6. QUID, &c. Loquitur in populi perſona, ut ſic inſtruat. DIGNUM, id eſt idoneum ad eum placandum. CURVABO, &c. quaſi dicat: Sufficietne genua curvare? Non; atque ita intellige reliqua, uſque ad *iudicabo*, &c. ANNICULOS; quaſi dicat, Teneros: videtur autem alludere ad illud Exod. XII. *Maſculus, anniculus*, &c.

V. 7. PRO PECCATO. Chald. *pro expiatione peccatorum*.

V. 8. O, non eſt Hebr. Chald. aut in LXX. videtur additum explicandi cauſa, & recte quidem. IUDICIUM; ſcilicet te condemnando ut peccatorem, & humiliter pro peccatis ſatisfaciendo. DILIGERE, adeoque prompte exercere. MISERICORDIAM, ſcilicet in proximum. SOLICITUM. Chald. *humilem*. AMBULARE CUM DEO, id eſt coram Deo converſari, ſcilicet ei obediendo, & placendo. Chald. *ambulare in timore Dei*.

V. 9. ET SALUS, &c. quaſi dicat: Atque illi ſalvabuntur, qui Deum timentes fecerint quod per Prophetas clamando docet. NOMEN TUUM, pro, ipſum. TRIBUS, ſcilicet Iſrael. ET QUIS, &c. quaſi dicat: Quotuſquiſque eſt qui approbet a Deo dictum, & faciat?

V. 10. ADHUC, ſcilicet poſt tot Dei monitiones. IGNIS, ſcilicet avaritiæ, ſeu iniquitatis; animam enim more ignis conſumit. MINOR, ſcilicet quam par eſt. IRAE, ſcilicet Dei; quaſi dicat, Dei iram provocans.

V. 11. IUSTIFICABO, id eſt approbabo. SACCELLI; pro, ſacculi, ſcilicet in ſacculis pondera aſſervabantur.

V. 12. EIUS, ſcilicet civitatis. INIQUITATE, id eſt inique partis opibus.

V. 13. PERDITIONE, id eſt calamitatibus. SUPER, id eſt propter.

V. 14. HUMILIATIO, id eſt afflictio. IN MEDIO TUI; id eſt regione tua, ſcilicet erit. APPREHENDES, ſcilicet charos tibi, ut ab hoſte ſerves.

V. 15. CALCABIS, ſcilicet ad exprimendum oleum.

V. 16. AMRI. Hic & eius filius *Achab* renovarunt, ſeu auxerunt idololatriam in Iſrael. VOLUNTATIBUS, id eſt iis quæ volebant. LXX. *conſiliis*. Compl. *voluptatibus*. UT DAREM, &c. quaſi dicat atque ita meritus es, ut te perdam. SIBILUM, ſcilicet irridentium te, vel calamitatem ſtupen-

pentium. Chald. *stuporem*. Populi mei, id est quod populo meo sum comminatus Deut. xxviii. vel pœnas opprobrii, quo affecistis populum meum.

E S T II.

Vers. 1. Indicabo tibi, o homo. quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, &c. Primum est facere iudicium, ut videlicet per opera iustitiæ vitam consequamur. Secundo diligere misericordiam, ut videlicet per opera misericordiæ veniam impetremus. Tertio sollicitum ambulare cum Deo, ut nimirum a iustitia per baptismum, vel reconciliationem accepta, non excidamus. Ad eam enim rem vehementer expedit, semper sollicitum esse, & numquam securum de salute, iuxta illud Proverb. xxviii. *Beatus homo, qui semper est pavidus:* & I. Cor.x. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Et huiusmodi loca diligenter notanda sunt contra perniciosam securitatem, quam suis sectatoribus ingerunt hæretici nostri temporis; requirentes ab eis fidem, id est præsumptionem, qua certo statuant sibi peccata remissa; & Christum per omnia pro nobis satisfecisse, ut nihil nobis pœnarum temporalium subeundum sit. Sed contra monet Paulus ad Philipp. ii. Nempe, *ut cum metu & tremore salutem suam operentur*.

M A R I A N AE.

Vers. 1. Surge tu Propheta. Contende iudicio adversum montes. Hebr. *litiga ad montes*, aut *cum montibus*; id est, increpa Reges & proceres, quos per *montes* & *colles* intelligit.

V. 2. Audiant montes iudicium Domini. Hebr. *audite montes litem Domini*, id est increpationem. Et fortia fundamenta terrae. Sic proceres etiam vocat, quibus populus innititur ut fundamentis. Quia iudicium Domini. Hebr. *lis Domino* cum populo. Diiudicabitur, arguetur, disceptabit. Id ut fiat, commemorat beneficia populo data.

V. 5. Quid cogitaverit Balach, seu *consuluerit*. Voluit populo per Balaam maledicere, Num. xxii. Balaam autem noluit id facere a Deo prohibitus, ac potius illi benedixit. De Setim usque ad Galgalam. Tunc populus in Setim erat, Numer. xxv. 1. Balaam varia loca mutavit, si posset obsequi Regi, toto eo tractu, qui a Setim ad Galgala pertinet: sic Hieronymus hæc verba explicat. Ut cognosceres iustitias Domini; id est, id feci ut videres me promissis stare.

V. 6. Quid dignum offeram Domino? Verba sunt populi. Hebr. *in quo præveniam Dominum?* Curvabo genu. Heb. *curvabo me Deo excelso*. Numquid offeram et holocautomata, &c. Heb. *num præveniam eum in holocaustis, in vitulis anniculis?*

V. 7. Numquid placari potest Dominus. Hebr. *num volet Dominus*, aut *placebit Domino?* In multis millibus hircorum pinguium? Sept. *in decem millibus hircorum pinguium*. Hebr. *in myriadibus torrentium olei*: sic Chald. id est multo oleo oblato, aut multo adipe, id est multis pinguibus animalibus: nam שמן *semen* utrumque significat, *adipem* & *oleum*. Porro suspicor Sept. non posuisse χιμάρων, id est *hircorum*, sed χειμάρρων id est *torrentium*: locum a librario vitiatum, ad Hieronymum transiisse. Alioqui quid commercii torrentibus cum hircis? Dabo, id est offeram. Primogenitum? Ut gentes solebant idolis mactare filios, aut offeram illum divinis obsequiis.

V. 8. Indicabo. Hebr. *indicavit*, aut *indicabit*, scilicet Deus. O homo. O neque Hebr. est, nec Græce, nec in Gotth. Facere iudicium, colere iustitiam. Diligere misericordiam erga alios. Sollicitum. Hebr. *humiliatum*. Ambulare cum Deo, id est illi subiici, eum colere suppliciter.

V. 9. Vox Domini ad civitatem. Redit ad increpationem. *Vox Domini ad civitatem*, id est cives ad pœnitentiam vocat. Salus erit timentibus. Hebr. *sapientia* (pro, *vir sapiens*) aut *essentia*, *constantia* (vir constans) *timebit nomen tuum*, id est te. Vox תושיה *tusiiah* multa significat, sed præcipue *essentiam*. Audite tribus, scilicet Israel: sic Sept. Et quis approbabit illud? scilicet verbum: pauci illud accipient. Hebr. *audite virgam* (id est, supplicium decretum) & *quis constituet illam*, scilicet vir-

virgam: quis servabit decretum, aut cavebit supplicium?

V. 10. ADHUC IGNIS IN DOMO IMPII. Rapina instar ignis est. Omnia alia consumit quæ fur ante habebat. Sept. *numquid ignis in demo impii?* Hebr. *adhuc nonne sunt in domo impii thesauri iniquitatis?* ET MENSURA MINOR IRAE PLENA. Heb. *& ephi deficiens abominabilis*. Sed *ephi* pro mensura in genere sumi potest, ut Amos VIII. 5. dictum est. Ei *iræ plena* vocatur, quia eam Deus detestatur. Explicat quomodo impii eos thesauros construant, adulterando mensuras & pondera.

V. 11. STATERAM IMPIAM. Hebr. *stateram iniquitatis*, id est inquam, fraudulentam. ET SACCELLI PONDERA, scilicet pondera quæ sunt in sacculo. Hebr. *& in sacculo lapides doli*, id est dolosus: sed lapidea pondera erant, quæ in sacco servabant.

V. 12. IN QUIBUS, id est per quæ pondera, stateras, mensuras. DIVITES EIUS, scilicet urbis, de qua loquitur. REPLETI SUNT INIQUITATE, id est thesauris iniquis. Hebr. *cuius* (urbis) *divites repleti sunt rapina*. Iis fraudibus divites sunt facti. LOQUEBANTUR MENDACIUM, ii cives, ut alios deciperent, quod avidi mercatores faciunt.

V. 13. COEPI PERCUTERE TE. Hebr. *cruciavi* (ut Sept.) *percutiendo te desolando propter peccata tua*. Vocem החליתי *hehelethi* Hieronymus a חלל *halal* deduxit, quo est *incipere*: alii a חול *hol*, *dolere*. SUPER PECCATIS TUIS, id est propter peccata tua feci tibi dolorem, cruciavi te.

V. 14. ET HUMILIATIO TUA IN MEDIO TUI, id est paupertas: non poteris, ut dixit, saturari. ET APPREHENDES, consequeris hostes, & non redimes pretio, scilicet captivos. Hebræi longe aliter: *& tanges* (uxorem) *& non servabit*, aut *proiiciet* (fœtum) *& quod servabit*, aut *proiiciet* (id est pariet) *gladio tradam*: פלט *palat* pro *eiicere e ventre*, seu *parere* sumunt. Atque hæc erit præcipua humiliationis causa, carere filiis.

V. 15. ET CUSTODISTIS PRAECEPTA AMRI. *Amri* & eius filius *Achab* impietatis Ieroboam præcipui instauratores fuere, & populum ad id pertraxere. IN VOLUNTATIBUS EORUM. Hebr. *in consiliis eorum* ambulasti, fecisti quod consuluerunt. UT DAREM TE. Sic factum est, ut darem te in desolationem. ET HABITANTES IN EA, scilicet urbe Ierusalem, aut Samaria, de qua loquitur. IN SIBILUM, id est, contemptum. ET OPPROBRIUM POPULI MEI PORTABITIS. Quo vos populum afflixistis, eius dabitis pœnas. Aut *populi opprobrium*, id est maledicta ab eo contra vos iacta portabitis.

MENOCHII.

Vers. 1. AUDITE: o cives Ierusalem, o Iudæi. QUAE DOMINUS LOQUITUR: ad me Michæam, ut eadem vobis annunciem, & referam. SURGE, CONTENDE. Dicit ergo mihi Deus surge, & contende iudicio; id est, discepta cum Iudæis, eosque de sceleribus argue. ADVERSUM MONTES, &c. Citantur hic montes ut rei, eo quod in montibus erecta essent idola: est prosopopœia ad augendum pathos. Vel *montes*, & *colles* vocat reges, & magnates, ut etiam iidem sequenti versiculo vocantur *fundamenta terræ*, qui scilicet terram sustinent, sine quibus minores vitam tueri non possent. CONTENDE IUDICIO. Hebr. ריב *rib*, *obiurga*, *increpa*.

V. 2. FORTIA FUNDAMENTA TERRAE. Vide dicta superiori versiculo. QUIA IUDICIUM DOMINI CUM POPULO SUO; id est, *quia lis est Domino cum populo suo*, ut aliqui vertunt. DIIUDICABITUR: iudicio contendet, & disceptabit. Pagnin. *Et cum Israel disputare vult*.

V. 3. POPULE MEUS, &c. Est initium expostulationis Dei; quasi dicat, Licet per me, ut quemadmodum ego tibi malefacta exprobro, ita tu mihi vicissim exprobres, si quid habes adversum me. Simile est illud Isa. XLIII. 26 *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul, narra si quid habes, ut iustificeris*, id est ut iuste pro te sententia feratur.

V. 4. MOYSEN, AARON, ET MARIAM. Chald. habet: *Misi ante te tres prophetas, Moysen, Aaron, & Mariam; Moysem ad docendum iudiciorum traditionem, Aaron ad expiandum populum, Mariam ad eruditionem feminarum*. Ita etiam D. Hieron. & alii.

V. 5. QUID COGITAVERIT BALACH. Memento Balaam consilium dedisse Balach, ut per mulieres te deciperet, & ita in eo

co tractu, qui est a Setim trans Iordanem, usque ad Galgala ad Iordanis transitum, omnino periisses insidiis, & machinationibus illis, nisi ego te servassem. UT COGNOSCERES IUSTITIAS DOMINI; id est, ut ita videres quam iustus sim, & fidelis in meis promissis. Vel, ut semper Deum coleres, & eius præcepta servares.

V. 6. QUID DIGNUM OFFERAM, &c. Sunt verba populi penitentis. CURVABO GENU, &c. quasi dicat: Quid faciam, aut quid Domino offeram, ut gratiam eius promerear? An genua flectam? An immolabo victimas, & holocausta?

V. 7. NUMQUID PLACARI POTEST, &c. Responsio est prophetæ; quasi dicat, Minime: non placabitur Deus externis hisce ceremoniis, nec sacrificiis, nec volet sibi filios aut filias offerri in holocaustum, ut superstitiose faciebant Idololatræ, Moloch infando hoc sacrificii genere colentes.

V. 8. FACERE IUDICIUM, scilicet te ipsum condemnando ut peccatorem, & humiliter pro peccato satisfaciendo. DILIGERE MISERICORDIAM: in proximos, & illam prompte exercere. AMBULARE CUM DEO, id est coram Deo conversari, scilicet ei obediendo, & placendo. Chald. *Ambulare in timore Dei:* solicite cavendo ne quid contra illius legem, & voluntatem peccetur.

V. 9. VOX DOMINI, &c. quia longissime ab his tribus enumeratis aberant, iterum redit ad eorum reprehensionem. AD CIVITATEM, Ierusalem. SALUS ERIT TIMENTIBUS NOMEN EIUS; quasi dicat: Atque illi salvabuntur, qui Deum timentes ea fecerint, quæ Deus docet, clamando per prophetas. NOMEN EIUS, id est ipsum. ET QUIS APPROBABIT ILLUD? quasi dicat: Scio fore paucos qui probent, & effectum dent, quod ego dicam, & Dei nomine vociferabor.

V. 10. IGNIS IN DOMO IMPII, &c. quasi dicat: Post tot monita, & increpationes prophetarum, adhuc impii retinent aliena inique parta, sed illis convertentur in ignem, qui domos eorum populetur, & absumat: sic D. Iacob. in sua epist. cap. v. 3. *Aurum*, inquit, *& argentum vestrum æruginavit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis.* MENSURA MINOR IRAE PLENA. Quantum detrahunt mensuris, quas dolose minores faciunt, tantum eis addetur iræ divinæ, ut impleantur.

V. 11. IUSTIFICABO: putas mihi placere posse fraudes in mensuris, & ponderibus quas damnavi lege mea? Deut. xxv. 13. legimus: *Non habebis in saculo diversa pondera, maius, & minus.* SACCELLI: sacculi, in quo pondera servabantur.

V. 12. IN QUIBUS: quorum iniquorum ponderum usu. Pagnin. & Vatab. vertunt, *Cuius* (scilicet civitatis) *divites repleti sunt iniquitate.* Itaque vox *cuius*, referenda est ad illud versiculi 9. *Ad civitatem*, &c. vel ad illud, *Audite tribus*. REPLETI SUNT INIQUITATE: non tam divitiis quam scelere, & iniquitate repleti sunt. Vel per iniquitatem intelligit inique partas opes. HABITANTES IN EA: civitate. LOQUEBANTUR MENDACIUM: asserentes merces esse incorruptas, & sinceras, & pondus iustum.

V. 13. COEPI PERCUTERE TE. Variis cladibus & porro pergam, quia non resipiscis. Pagnin. & Vatabl. vertunt: *Ego quoque ægrotare feci te, percutiendo, & desolando te, propter peccata tua.*

V. 14. TU COMEDES, ET NON SATURABERIS. Etiamsi multas vores divitias, non tamen convertentur in succum tuum. Ital. diceremus, *Mangiarai, ma non ti farà prò.* Vel sensus est, In obsidione, & captivitate ita parce comedes, ut non satureris. HUMILIATIO TUA IN MEDIO TUI, id est in terra tua affligeris ab hostibus: vel, Causam harum calamitatum non est quod in hostes reiicias; tu peccatis tuis es causa tuæ humiliationis. Aliqui vertunt, *Depressio erit in medio tui*, ut sit sensus: Venter tuus olim cibo tumidus, & turgidus, præ fame, & inanitate deprimetur, seque contrahet, & coarctabit. APPREHENDES, ET NON SALVABIS, id est apprehendes uxorem tuam, & cum illa consuesces, sed fœtum quem conceperit non salvabis, quia abortum faciet. Pagnin, vertit, *Tanges uxorem tuam, & non servabit conceptum.* ET QUOS SALVAVERIS, &c. Quod si vivum fuerit enixa, illum gladio hostium tradam, ut occidatur.

V. 16. CUSTODISTI PRAECEPTA AMRI, &c. eos, a quibus animo, & voluntate dissidebas, impietate, & cultu idolorum imitatus es, scilicet Amri regem Israel, & eius filium Achab, qui impietatis Ieroboam,

boam, bellis quodammodo collapsæ, restauratores fuisse videntur: III. Reg. xvi. OPUS DOMUS ACHAB. Quod erat idololatria, impietas, cædes prophetarum, expilatio civium, & alia scelera. AMBULASTI IN VOLUNTATIBUS EORUM. Ea sequens, quæ illi volebant. LXX. *Consiliis*, Complut. *Voluptatibus*, illa sectans & amplectens, quæ illis erant cordi. UT DAREM TE IN PERDITIONEM. Particula, *ut*, non intentum finem significat, sed id quod sequitur; quasi dicat: Inde consequetur, o Ierusalem, ut disperdam te. HABITANTES IN EA, id est in te, est enallage personæ. IN SIBILUM. Sibilus popularem irrisionem, & insultationem in miseros indicat: sic. Thren. II. 15. *sibilaverunt, & moverunt caput*. OPPROBRIUM POPULI MEI PORTABITIS: vos execrabuntur omnes tamquam cladium omnium, quas respublica passa est, auctores, & originem præcipuam.

TIRINI.

Vers. 1. & 2. SURGE, o Michæa, & meo nomine CONTENDE IUDICIO, *a* id est litem iudicialem institue ADVERSUM MONTES *b* ET COLLES Iudææ, quibus quasi *fortibus fundamentis*, seu fulcris *terra* fulcitur, firmatur & continetur, ne vel impetu ventorum, vel aquarum inundatione diffluat aut dissipetur. Est prosopopœia, qua MONTES, ut personæ vivæ, rationales & scelerum reæ, citantur ad tribunal: quia per aras & idola, per victimarum nidorem, sanguinem, cineres, ossa, quæ sinu suo fovebant, muta sed clara voce prodebant admissa in se scelera. Sed per metonymiam intelliguntur ipsi Iudæi incolæ & accolæ *montium*, quibus scatebat tota terra sancta. Symbolice, designantur principes & magistratus, fundamenta & fulcra reipubl. qui in populo eminent sicut montes *c* in terra: ita S. Hieron. Haymo, Remigius, Lyranus & Vatablus.

V. 4. *AEgyptus* vocatur *Domus* SERVIENTIUM, Chald. LXX. *servitutis*, non solum quod ibi servierint Israelitæ, sed etiam quod ipsimet AEgyptii fuerint antonomastice *servi*, a Noe quondam maledicente filio suo *Cham* eiusque posteris, servituti addicti, Gen. IX. *Servus servorum erit fratribus suis*, inquit Arias & Vatablus. Filius enim Cham fuit *Mesraim* primus AEgypti incola, pater & nomenclator AEgyptiorum: Hebraice enim AEgyptus vocatur *mesraim*. ET MISI ANTE *te tres Prophetas*, (ita vertit Chald.) MOYSEM, ET AARON, ET MARIAM: *Moysen ad docendum iudiciorum traditionem, Aaron ad expiandum populum, Mariam ad eruditionem feminarum*; quasi dicat: Dedi vobis talia capita familias, qualibus meliora vel optare non potuissetis: ita S. Hier. & alii supra citati. Ex hoc loco Michææ, simul & ex Ierem. XI. desumpsit Ecclesia pro officio Parasceves threnos illos, quasi Christi de cruce cum Iudæis expostulantis certe elegantissimos, qui etiam saxea corda solvant in lachrymas. Et similem expostulationem in die iudicii reprobis a Christo iudice intentandam habes inter opera S. August, tomo IX. tractatu de Vanitate sæculi cap. III.

V. 5. MEMENTO, quam noxium tibi, quam pestilens consilium BALAAM ariolus suggesserit *Balachio regi* MOAB, nempe ut puellas Moabitides & Madianitides speciosas, quasi vendituras edulia Israeli, in castra submitteret, non una aut altera vice, sed continuo per omne Israelis iter a SETIM USQUE AD GALGALAM, id est ab initio usque ad fines regni sui: ut tanto prolixior esset hæc puellarum tentatio, & ad fornicationem, & per hanc ad idololatriam sollicitatio: atque ita continuo & diu peccarent Israelitæ, ideoque desererentur a Deo, & deserti cæderentur & excinderentur a Moabitis. Et vero successisset exitiale consilium, nisi tempori id per Moysem Deus discussisset, occurrendo primis initiis, primosque delinquentes principes suspendendo, & 24. millia de populo similiter occidendo *d*. UT COGNOSCERES & reipsa experireris IUSTITIAS DOMINI: quibus ut sua compleret facta olim patribus tuis promissa, de te perducendo in terram sanctam, impedimenta eius rei tam diabolica, quam humana, provide benigneque omnia sustulit, noxios puniens, innoxios in terram promissam sine noxa inducens.

V. 6. QUID tantis beneficiis recognoscendis DIGNUM OFFERAM DOMINO? Verba sunt populi Iudaici, acerrima Prophetæ increpatione commoti ac resipiscentis. Quid, inquit, faciam, ut placatum mihi reddam Deum? sufficitne *curvare illi* GENU, & exter-

externis cerimoniis, holocaustis, aliisque victimis illum honorare? vultne Deus,

V. 7. PRIMOGENITUM filium MEUM offeram illi in expiatione omnis sceleris mei, ut Moloch *e* seu Saturnus deposcit a cultoribus suis? Minime gentium: causam alibi *f* dedi.

V. 8. QUID vero DOMINUS omnino REQUIRAT A TE, INDICABO TIBI; Hebraice *indicavit*, scilicet per Moysen, per varios Prophetas, tandem etiam per me: unde iterum indicabo iam tibi, & memoriam refricabo. UTIQUE FACERE IUDICIUM, vel iustitiam, id est complere quod iure debes sive Deo, sive proximo, sive tibi; sive illud debeas obligatione iustitiæ, sive obligatione charitatis, sive religionis, sive pœnitentiæ, sive gratitudinis, sive cuiuscumque alterius virtutis. *Iudicium* enim opponitur *misericordiæ*, quæ significat opera liberalia & indebita, seu charitatis, seu aliarum virtutum. Per utrumque vero simul iunctum, puta per *Judicium* ET MISERICORDIAM, significare solet Scriptura *g* omne virtutis officium omne opus bonum. Omne enim vel debitum est, & ita est *iudicium*: vel est indebitum & est *misericordia*. Porro duplici isti officio *iudicii* & *misericordiæ*, mox vers. 10. opponit duplicem Iudæorum iniquitatem, nempe *iniustitiam* & *immisericordiam*, puta dolosas mensuras & alias fraudes. Tertium quod requiritur a te, est, SOLLICITUM AMBULARE CUM DEO TUO. Hebræum, *tsana* significat *agere humiliter & submisse*, ut vertit Chaldæus, Vatablus Pagnin. & alii recentiores: item *agere prompte ac sollicite*, ut vertit S. Hieron. LXX. Theodotion & quinta editio. Nam ob sublimem ac tremendam Dei maiestatem, in cuius præsentia columnæ cæli contremiscunt, non possumus vilissimi terræ vermiculi, toties læsæ maiestatis eius rei, non nisi summa humilitate, nostrique deiectione, ac submissione cum ipso agere, nutus eius omnes sollicite observando, & promptissime exequendo. Ita teste Scriptura ambularunt cum Deo Henoch, Noe, Iob, Tobias, David *h*, & alii Sancti. Ad hanc sollicitudinem ambulandi perpetuo cum Deo excitandam,

V. 9. Vox Tubalis DOMINI per me CLAMAT AD universam CIVITATEM Ierosol. *Et* vero SALUS ERIT audientibus hanc vocem, & iuxta illam TIMENTIBUS NOMEN TUUM, id est colentibus te, & servientibus tibi, o Deus. Ceteri omnes fame, gladio, peste peribunt. AUDITE ergo TRIBUS Iuda (est enim Hebraice singularis numeri:) *audite*, inquam, sceleratum, infame, probrosum opus vestrum, quod nunc in iudicio Dei publice arguo: ET QUIS tam impudens, qui audeat ILLUD suo calculo *approbare*? ita Rupertus.

V. 10. ADHUC iam post tot monita & minas cælestes, *ignis i* avaritiæ & iniustitiæ ardet IN DOMO IMPII populi. Testes sunt THESAURI INIQUITATIS, seu iniquis artibus comparati, ET MENSURA iusto MINOR, & proinde PLENA IRAE & vindictæ divinæ: quod enim deest illi in capacitate; supplebitur atque implebitur *ira* & ultione Dei. Quid enim? Ego qui Deus sum, adeoque ipsa iustitia.

V. 11. IUSTIFICABO; id est, iustam habebo & declarabo, aut certe dissimulabo vel impunitam relinquam, STATERAM iniustam? *&* *sacelli* (seu sacculi, in quo circumferuntur) PONDERA DOLOSA, quæ lege *k* mea tam severe prohibuit? Metonymice intelligit mercatores utentes stateta & ponderibus dolosis.

V. 13. COEPI quidem iam PERCUTERE TE sterilitate tum terræ, tum uteri, *perdente* fructus tuos; sed longe acrius sæviam in te, ni desistas ab hac scelerata pauperum exhaustione.

V. 14. HUMILIATIO TUA IN MEDIO TUI; id est, humiliaberis, deprimeris, deiicieris non solum in finibus aut angulis terræ tuæ sed & in mediis visceribus, excisa urbe tua regia, cum templo & omnibus palatiis tuis. APPREHENDES & colliges subinde fructus aliquos tum uteri, tum agri tui, puta proles & segetes: sed NON SALVABIS, nec tibi retinebis, Chaldæo omnia rapiente, sibique vendicante. Ecce in quantas devolveris miserias, eo quod nolis *ambulare*, ut monebam, *cum Deo tuo*, sed

V. 16. AMBULASTI cum AMRI ET ACHAB *l* regibus Israel impiis atque idololatris, obsequens VOLUNTATIBUS, id est placitis & institutis eorum, & *custodiens* PRAECEPTA ET OMNE OPUS DOMUS, sed *m* familiæ eorum, perinde ac si fuisses ex servis ac mancipiis ipsorum. Adeo sollicite ipsos sequeris atque imitaris in idololatria, in cæde Prophetarum *n*, in expilatione *o*

pauperum, in aliis sceleribus: ita Theodoretus. Unde ET OPPROBRIUM POPULI MEI *p*, puta excidium, captivitatem, irrisionem & sannas hostiles, vos o divites, o principes, PORTABITIS, præ aliis omnibus, quia maior & ponderosior pars in vestros humeros incumbet.

(a) Ierem. II. 9. & XXI. 29.
(b) Isaiæ I. 2.
(c) Psal. lxxI. Habacuc III. 6.
(d) Num. xxv. 9. &c.
(e) Levi. XVIII. I. III. Reg. XI. 5. & IV. Reg. XXIII. 10. Ierem. XIX. 5.
(f) Isaiæ I. II. Ierem. VI. 20. Amos v. 22.
(g) Psal. c. I. Psal. lxxxIII. 12. Psal. lxxxIv. II. Psal. lx. 8.
(h) Genes. v. 22. Genes. IX. 9. Iob IX. 28. & XXXI. 22. Tob IV. 6. Ps. cxvIII. 10. 57.
(i) Isaiæ l. II.
(k) Deut. xxv. 13.
(l) III. Reg. XVI. 16. Ibid. vers. 30.
(m) Ibid. in fine cap. ult.
(n) Ibid. cap. XVIII. 13.
(o) Cap. XXI. vers. 8. 19. &c.
(p) Deut. XXVIII. 36. & Levit. XXVI. 32.

G O R D O N I.

Vers. I. TOtum hoc caput videtur esse ad Iudam & Beniamin, si (quod probabile est) hæc dicta fuerunt post septimum annum regnantis Ezechiæ; quo anno vel præcedente translatæ sunt decem tribus. Vers. 3. incipit iudicium cum populo: commemorat beneficia quæ reponit Ecclesia hebdomada sancta, & opponit ingratitudini Iudæorum qui Dominum crucifixerunt. De Balac & Balaam vide Num. XXII. & XXIII. ex Setim missi exploratores in Iericho, Iosue cap. II. Porro de Setim usque ad Galgala, vide Iosue v. Sane, ut colligitur ex Num. XXV. impius Balaam consilium regi Balac dedit, ut immissis puellis tentatricibus in Iudæos inducerentur Israelitæ ad peccatum, & sic vinci possent: vide Num. XXIV. 14.

V. 6. Propheta in hoc iudicio inducit populum loquentem, pœnitentem, & petentem quid sit agendum; ut subiungat sanum consilium, vers. 8. nempe placari Deum non solo ritu externo, non iugulatione filiorum, aut idololatrarum sacrificiis: sed veritate, iustitia, misericordia, & sollicita unione cum Deo, sollicite, hoc est, obediendo, placendo, timendo. Septuaginta, καὶ ἕτοιμον, *paratum esse*. Hebr. *modeste & humiliter*: צנע est *humiliare*.

V. 9.] VOX DOMINI AD CIVITATEM, &c. Post ostensam viam salutis, addit aculeum & minas ad movendum, ac demum excidium nisi resipiscant: nam adhuc, inquit, peccatur; IN DOMO IMPII est (vers. 10.) thesaurus iniquitatis, est mensura minor, iniusta statera, & pondera in sacculo dolosa.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. I. SURGE, inquit Dominus ad Michæam. Adversum etiam iurantes, ubi erant domicilia idolorum, contende. ריב *rib*, *obiurga*: rad. רוב *rub*, *litigare*.

Vers. 3. POPULE MEUS. Principium expostulationis cum ingrato populo.

Vers. 6. Verba populi pœnitentis.

Vers. 7. Respondet Propheta, Numquid, &c. ac si diceret, Minime.

Vers. 8. Propheta docet, & dat consilium.

Vers. 9. Et redit ad reprehensionem.

Vers. 16. Amri & alios impios principes secuti estis.

CA-

CAPUT VII.

Luget Propheta tam paucos esse reliquos qui non sint iniqui: in nullo homine ostendit esse confidendum, sed in solo Deo salvatore: qui miserebitur Sion; & pudefactis inimicis, eam ad se reducet, complens factas ad patres promissiones.

1. 
AE mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedeadum, præcoquas ficus desideravit anima mea. 2. Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. 3. Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, & iudex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbaverunt
eam. 4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas
eorum. 5. Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ
dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. 6. (*a*) Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam. (*b*) & inimici hominis domestici eius. 7. Ego autem ad
Dominum aspiciam, expectabo Deum salvatorem meum: audiat me Deus
meus. 8. Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cum
sedero in tenebris, Dominus lux mea est. 9. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: educet me in lucem, videbo iustitiam eius. 10. Et aspiciet inimica mea,
& operietur confusione, quæ dicit ad me. Ubi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem ut lutum platearum. 11. Dies, ut ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longe fiet lex.
12. In die illa & usque ad te veniet de Assur, & usque ad civitates munitas; & a civitatibus munitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de montem. 13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum. 14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos. 15. Secundum dies egressionis tuæ de Terra AEgypti ostendam ei mirabilia. 16. Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt. 17. Lingent pulverem sicut serpentes,
* velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te. 18. (*c*) Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. 19. Rever-

vertetur, & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 20. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham: quæ iurasti patribus nostris a diebus antiquis.

(a) Matth. x. 35. (b) Matth. x. 36. (c) Ier. x. 6. Act. x. 43.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Verf. 17. *Velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis*. Ita emendarunt correctores, secuti LXX. tametsi altera lectio *proturbabuntur de*, quod est eiicientur ex *ædibus suis* Hæbræo similior sit.

Sequitur: *Dominum Deum nostrum formidabunt*. Pro *formidabunt*; quod est, pavebunt, non scribas *desiderabunt*; quod est, cupient.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verf. 1. MIHI. Vox Prophetæ. VINDEMIAE, id est post vindemiam, scilicet si quid forte relictum sit. NON EST, &c. quasi dicat, Nec invenio quidquam, scilicet aliquem conversum post meas monitiones. PRAECOQUAS, id est bonas, nam primæ optimæ, vel quasi dicat, Citam conversionem peccatorum.

V. 2. PERIIT; quasi dicat, Vix quisquam bonus reperitur. SANCTUS. Chald. *misericors*. LXX. *religiosus*, seu *pius*. RECTUS. Chald. *verax*. LXX. *corrigens*, scilicet se. IN SANGUINE; pro, sanguini, id est vitæ proximi, seu iis quibus sustentatur. VIR, id est quisque. VENATUR. id est per insidias, seu solicite, quærit.

V. 3. IN REDDENDO EST, id est reddit quod ille inique petit. MAGNUS, id est potens, seu qui in dignitate est. DESIDERIUM, scilicet iniquum optans impleri. EAM, scilicet terram, de qua sup.

V. 4. PALIURUS; quasi dicat, Spinosus & asper: talis enim is frutex, scilicet lædit proximos. DIES, scilicet calamitosus. SPECULATIONIS TUAE, id est prædictus a tuis speculatoribus scilicet Prophetis, vel inquisitionis, seu visitationis, ut statim explicat. NUNC, id est cito. EORUM, scilicet iniquorum, de quibus hactenus.

V. 5. DUC. Chald. *propinquo*. EA, scilicet uxore. CLAUSTRA, &c. quasi dicat, Ne ei credas arcana tua. LXX. *cave ei aliquid credas*, id est committas, quasi dicat, Ne fidas ei.

V. 7. ASPICIAM, eique fidam, non hominibus. SALVATOREM, id est liberatorem: forte Iesum Christum intelligit.

V. 8. NE LAETERIS, &c. verba Ierusalem. INIMICA, scilicet Babylon, seu civitas malorum. TENEBRIS, id est calamitate. LUX, &c. quasi dicat, Restituet mihi pristinam lætitiam. Chald. & LXX. *illuminabit me*.

V. 9. IRAM, punitionem. IUDICIUM, scilicet puniens hostes, qui me oppresserunt iniquo animo. Chald. *iniuriam meam ulciscatur*. LUCEM, id est prosperitatem. IUSTITIAM, scilicet qua punit malos; vel pro, misericordiam.

V. 10. IN EAM; pro, in ea, scilicet quod sequitur. Chald. *ruinam*. LXX. *eam*, scilicet patientem quod meretur. NUNC, id est cito.

V. 11. DIES, id est tempus, scilicet tunc erit, expugnata videlicet Babylonia a Persis. MACERIAE, id est parietes ædificiorum, seu ruinæ. TUAE, scilicet o Ierusalem. LEX, id est præcepta, seu imperium; quasi dicat, Non eris subdita Babyloniis.

V. 12. AD TE, scilicet o Babylon. ASSUR, scilicet Persi & Medi cum Assyriis. FLUMEN, scilicet Euphratem. AD MARE, &c. quasi dicat: Occupabunt tua loca prope aquas sita, & montana, transeuntes ab uno ad aliud, ut solent hostes.

V. 13.

V. 13. TERRA, scilicet Babyloniæ.

V. 14. PASCE, scilicet o Domine. Verba Prophetæ videntis velut præsentem captivitatem. VIRGA, id est baculo pastorali, scilicet providentia tua. Chald. *verbo tuo*. SOLOS, id est destitutos. IN SALTU; pro, velut in saltu inter feras, id est Gentiles. IN MEDIO. Responsum Dei; quasi dicat, Redibunt ex Babylonia ad loca sua: meminit autem locorum ubi optima pascua, perstans in gregis metaphora.

V. 15. OSTENDAM, id est faciam, scilicet sicut olim cum eduxi ex AEgypto.

V. 16. FORTITUDINE, scilicet non potentes impedire reædificationem. PONENT, &c. id est tacebunt. SURDAE, scilicet præ stupore; quasi dicat, Reddentur attoniti, & velut insensibiles.

V. 17. LINGENT, &c. quasi dicat, Se in terram demittent, testantes subiectionem, vel præ timore. Hæc ad Christi tempora maxime pertinent, cum se Gentes olim inimicæ prorsus Ecclesiæ submiserunt. IN AEDIBUS. LXX. *in clausura sua*. FORMIDABUNT. Sic legit Hieronymus, & LXX. TE, scilicet o Israel, seu popule fidelis.

V. 18. TRANSIS, id est præteris, seu dissimulas. Phrasi hac etiam Hispani utuntur. Chald. *missum facis*. LXX. *transcendis*. ULTRA, scilicet nisi illi ad peccata redierint, ut redierunt, eoque a Romanis vastati.

V. 19. REVERTETUR, id est ad misericordiam convertetur. DEPONET, scilicet a nobis deiiciet, ut solent onera & molesta. LXX. *demerget*. Chald. *subiiciet suæ misericordiæ*. IN PROFUNDUM MARIS; pro, velut in mare; quasi dicat, Ne amplius appareant.

V. 20. VERITATEM, id est promissa de Christo venturo, & hominum liberatione. MISERICORDIAM; scilicet promissam. ABRAHAM, huic promissa benedictio etiam Gentium, Gen. XXII. QUAE. Chald. & LXX. *sicut*.

ESTII.

Vers. 2. PERIIT SANCTUS DE TERRA, ET RECTUS IN HOMINIBUS NON EST: OMNES IN SANGUINE INSIDIANTUR, &c. Similis locus est Isaiæ LXIV. *Facti sumus, ut immundi omnes nos*, &c. Sed hic locus expositio quædam est illius apud Isaiam. Hic enim prophetam non agere absolute de omnibus, neque se inter eos connumerare, ostendit verbis sequentibus dum subiungit, vers. 4. QUI OPTIMUS IN EIS EST, QUASI PALIURUS: ET QUI RECTUS, QUASI SPINA DE SEPE. Intelligenda est ergo utraque prophetia de certo quodam genere hominum, nempe Iudæis carnalibus ex lege sibi iustitiam vendicantibus.

V. 9. IRAM DOMINI PORTABO, QUONIAM PECCAVI EI, DONEC CAUSAM MEAM IUDICET. Quæritur, quomodo expectat iudicari causam, cum se peccasse fateatur? Respondeo, fateur se peccasse Domino, ideoque offert portare iram eius, id est patienter ferre afflictionem ab eo immissam; verum quia illa afflictio erat inflicta per malos homines, iniuriam ipsi inferentes, & iniuste vexantes; hinc addit; *donec causam meam iudicet;* nempe contra istos inimicos meos.

MARIANAE.

Vers. 1. VAE MIHI. Conqueritur paucos esse viros bonos, parum se suis obiurgationibus profecisse. SICUT QUI COLLIGIT IN AUTUMNO. Hebr. *sicut collectionis æstatis*, id est post æstatem. RACEMOS VINDEMIAE. Hebr. *sicut racemi vindemiæ*, id est *post vindemiam*, ut Chald. *la rebusca*. PRAECOQUAS FICUS desideravi, id est celerem alicuius conversionem. Hebr. *primitivum desideravit anima mea*, id est prima aliqua poma, neque sunt matura. Ficus præcoces ante æstatem, & ante vindemiam proveniunt; neque suaves sunt, aut salutares, sed noxiæ. Sic *primitiva* vertas, ut Pagnin. quasi dicat, Neque fructus serotinos, neque tempestivos inveni, id est bona opera.

V. 2. PERIIT SANCTUS. Explicatio parabolæ, nullus est vir sanctus, seu *misericors*, ut est Hebr. sed misericordia, præcipua est sanctitatis pars. OMNES IN SANGUINE, Hebr. *sanguinibus insidiantur*, id est cædibus oblectantur. VOX AD MORTEM, Hebr. non est, sed bene suppletur. Chald. supplet, cum ait, *ad exterminium venatur*. Sane pro חרם *herem*, pro qua voce alii vertunt *rete*, Hieronymus & Chald. *mortem* posuerunt: nam inter alia *anathema* & occi-

V. 16. Et confundentur super omni fortitudine sua, scilicet Gentes confundentur, quam videbunt imbecillitate mutatam, nec prævalere contra Dei populum. Aut præ fortitudine ipsorum, scilicet Iudæorum, quos hostibus superiores videbunt, Gentes confundentur. Aures eorum surdae erunt, id est obmutescent. Muti iidem surdi sunt, obstupescent id videntes.

V. 17. Perturbabuntur de aedibus suis. Hebr. *trepidabunt de clausuris suis*, id est intra suas urbes & arces non se tutos putabunt, ut nec reptilia in cavernis. Formidabunt Deum. Sic Hieron. in Comment. & Sept. Hebr. *pavebunt*; quasi dicat: Is metus non ab hominibus erit, sed a Deo.

V. 18. Et transis peccatum, id est dissimulas, o Deus. Non immitet ultra furorem suum. Hebr. *non retinet in perpetuum iram suam*, cito flectitur.

V. 19. Deponet iniquitates nostras. Hebr. *subiiciet*, scilicet pedibus, conculcabit iniquitates nostras, id est auferet.

V. 20. Dabis veritatem Iacob, id est implebis, quæ promisisti. Promissio autem *veritas*, id est iustitia vocatur, quia post factam ex iustitia debetur; & *misericordia*, quia gratis est facta.

MENOCHII,

Vers. 1. VAE mihi. Heu mihi. Vox est gementis prophetæ, non minantis. Racemos vindemiae, id est post vindemiam. Non est botrus, &c. quasi dicat, Nec invenio quidquam. Neminem invenio, qui ex meis concionibus profecerit, & meis monitionibus se abduxerit a scelere. Praecoquas ficus desideravit anima mea. Optavit hoc meo ævo aliquot viros veteribus illis patribus virtute pares, aut similes, qui prima ætate maturescentes, Deo, & hominibus grati fuerunt. Sic Osee IX. 10. habemus: *Quasi prima pomaficulneæ in eacumine vidi patres eorum*. Vel sensus est: Quæsivi ficus quæ maturescerent, nec inveni, cum tamen iam dudum maturæ esse debuissent post tot monita prophetarum, & labores meos.

V. 2. Periit sanctus; id est, vix quisquam bonus, & integer moribus, & religione reperitur. Sanctus. Chald. *Misericors*. LXX. *religiosus*, seu, *pius*. Rectus, id est verax & sincerus. In sanguine insidiantur, id est sanguini, & vitæ proximi. Vir, id est unusquisque. Venatur: per insidias], & solicite quærit ad mortem.

V. 3. Manuum suarum: quod scilicet operantur. Et iudex in reddendo est, id est reddit, & adiudicat potenti, quod ille inique postulat. Conturbaverunt eam, id est rempublicam, vel veritatem, cui tenebras offundunt per calumnias. Quasi paliurus. Paliurus genus quoddam est spinæ. Sententia est, similes sunt paliuris, pungentes, vulnerantes, cruentantes, & aduneo dente retinentes eos, qui ad se accedunt. Quasi spina: est eiusdem sententiæ repetitio. Dies speculationis tuae. Aliqui vertunt, *Dies speculatorum tuorum, visitationisque tuæ venit;* sententia est, Brevi tempus aderit, quo falsi tui speculatores, id est pseudoprophetæ, prædixerunt tibi omnia felicia, sed falso; nam ille dies erit visitationis, & punitionis, & captivitatis per Chaldæos. Nunc, id est cito. Vastitas eorum: vastitas, desolatio, & captivitas tua.

V. 5. Nolite credere amico, &c. Tantæ erunt vobis angustiæ, cum obsidebitur a Chaldæis, ut inter maxime coniunctos nulla futura sit fides; omnes enim sibi consulere studebunt, ut famem, pestem, gladium, & alia mala effugiant, etiam maxime propinquos, & charos deserendo, vel etiam prodendo. In duce. Pagnin. vertit *in marito*, Vatablus, *in fratre maiore natu*. In Hæbræo est אלוף *aluph*, quæ vox principem, ducem, dominum, aut magnum significat, quales sunt mariti respectu uxorum, fratres natu grandiores, respectu minorum. Eodem sensu maritus qui aliquam virginem duxit, dicitur, *dux virginitatis illius*: Ier. III. 4. Ea quae dormit, &c. scilicet ab uxore. Quia filius contumeliam facit patri: quia in tanta fame & angustiis, filius contumeliam inferet patri, ut cum eo litiget, aut pugnet pro pane, eumque illi eripiat. Inimici hominis domestici eius; scilicet erunt, quia pro pane, aut aliis rebus huiusmodi pugnabunt inter se, ut inimici.

V. 7. Ego autem ad Dominum aspiciam, in tantis malis salubre dat consilium, æque ac exemplum; quasi dicat: In tanta calamitate, & perfidia, ego, & alii qui sapiunt, non ad parentes, aut propinquos, sed ad Deum nos convertemus, illum orabimus, & quamvis minari videatur, semper tamen illius opem magna, & constanti spe expectabimus. Deum salvatorem meum: Deum, qui me audiet, & liberabit ab ærumnis; & Christum Dominum, quem mittet ad salutem mundi.

V. 8. Inimica mea: Babylon, vel potius Idumæa, quæ malis meis gaudere soles, ne læteris meo excidio, & captivitate, nam licet ceciderim, aut casura sim, tamen post septuaginta annos rursum Deus per Cyrum me eriget, & restaurabit. Cum sedero in tenebris: in tenebroso carcere Babylonico. Dominus lux mea est: Dominus me illuminabit; Dominus me luci restituet prosperi, & florentis status.

V. 9. Iram Domini portabo, &c. nunc patiar æquo animo hoc Dei supplicium, quod commerui. Donec causam meam iudicet. Hebr. *donec increpet increpationem meam*; id est, donec causam meam cognoscat, & eos increpet puniendo, qui in me sævierunt, licet enim Deo pœnas deberem, barbaræ tamen gentes contra ius, & fas me vexarunt. Faciat iudicium meum: iniuriam meam ulciscatur. Educet me in lucem: prospero, & felici statui restituens, & e Babylonico carcere educens. Videbo iustitiam eius: iustam scilicet vindictam, qua par pari reddet Chaldæis, dum eos vastabit per Cyrum, sicut nos ipsi vastarunt: Idumæis etiam dum eos per Chaldæos puniet, & deinde per Machabæos. Vide Machab. Lib. I. cap. v. 3.

V. 10. Inimica mea: hostilis Babylon, & invida Idumæa. Operietur confusione: ob clades, quas ignominiose accipiet videns se immerito mihi insultasse, quasi a Deo essem destituta. Ubi est Dominus Deus tuus: quem defensorem tuum iactabas; eripiat nunc te ab hoc excidio, & captivitate. Oculi mei videbunt in eam; quasi dicat: Ego in alto Sionis, & felicitatis culmine constituta, despiciam Idumæam humi iacentem, afflictam, & pene exanimem, dicamque; nunc conculcabitur, ut lutum platearum, quæ me olim contempsit, irrisit, & afflixit.

V. 11. Dies ut aedificentur maceriae tuae. O Israel Dei, iam aderit tempus, quo maceriæ tuæ ædificentur. Hoc est quod dicit Amos ix. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum David quod cecidit* &c. Longe fiet lex; hoc est iussio *imperiosa*, ut vertit Theodot. & Symmachus. Chald. scilicet qui tibi tyrannice imperabant.

V. 12. In die illa: libertatis, reditus e Babylone, & restaurationis Ierusalem. Usque ad te veniet ad Assur: non tantum liberaberis ab hoste, sed etiam captivi tui sparsi per Assyriam, Mediam, Persidem, &c. inde ad te redibunt, & ad alias tuas munitas civitates Iuda, quin & ex iis se spargent usque ad flumen. Usque ad flumen: Euphratem, qui fuit limes terræ sanctæ a Deo statutus, Iosue 1. 4. Ad mare de mari: a mari Galilææ, quod est ad orientem, usque ad mare mediterraneum, quod est terræ sanctæ ad occidentem. Ad montem de monte: a monte Libano, qui terminus est Iudææ ad Septentrionem, usque ad montem Idumææ, qui eiusdem terminus est ad meridiem.

V. 13. Et terra: inimica, & hostilis Chaldæorum. Propter habitatores suos: propter impios Chaldæos, qui populum Dei fidelem, & pium afflixerunt. Et propter fructum cogitationum eorum, id est propter perversa eorum opera; hæc enim sunt fructus pravarum machinationum; quasi dicat, Babylon ob tyrannidem, & scelera sua vastabitur.

V. 14. Pasce populum tuum. Verba sunt prophetæ pro populo suo orantis; quasi dicat: Domine memento populi tui, qui est grex tuus, & hereditas tua. Qui habitabant soli in saltu; id est, destituti aliarum nationum auxilio, & quodammodo ferarum violentiæ expositi. In medio Carmeli: pasce eos in lætis pascuis Carmeli, ut scilicet omni bonorum genere abundent. Pascentur: Iudæi, cum eos e Babylone reduxeris in Iudæam. Basan, et Galaad: qui sunt montes pingues, & pecore abundantes; quasi dicat: Sicut oves in Basan, & Galaad pascuntur, & pinguescunt, sic & Iudæi ibidem

iisdem

iisdem ovibus, omnique rerum copia pascentur a Deo. IUXTA DIES ANTIQUOS: sicut olim sub Davide, aut Salomone.

V. 15. SECUNDUM DIES EGRESSIONIS, &c. id est, edam coram eis mirabilia opera, & ostendam me illis propitium, sicut cum eduxi populum tuum ex AEgypto.

V. 16. CONFUNDENTUR SUPER OMNI FORTITUDINE SUA; quia scilicet per eam non poterunt nocere Hebræis nec postea vincere Christianos. PONENT MANUM SUPER OS; quasi dicat: Præ confusione, consternatione & admiratione tantorum mirabilium, obmutescent, & obstupescent, ut mutire non audiant. AURES EORUM SURDAE ERUNT. Vel quia attoniti quid dicatur non audient; vel quia invidi aures obstruent, ne audiant.

V. 17. LINGENT PULVEREM: pavidi, ac trementes in terram procident in signum reverentiæ, & conversi etiam ad fidem verum Deum adorabunt. Sic David de Christo dixit Psal. LXXI. 9. *Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent:* & Isa. XLIX. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum lingent.* PERTURBABUNTUR: timebunt, commovebuntur horrore quodam admirationis, & reverentiæ. Formidabunt vos ut serpentes formidant homines, quibus visis in sua antra, & cavernas se abdunt. IN AEDIBUS SUIS. Vatablus vertit, *in clausuris*; id est in clausis, septis, & munitis civitatibus suis. TIMEBUNT TE: o Deus. Vel, te, o Israel Dei.

V. 18. TRANSIS: præteris, dissimulas, condonas. LXX. *transcendis*. RELIQUIARUM HEREDITATIS TUAE: populi e captivitate relicti. NON IMMITTET ULTRA FUROREM SUUM: qualem immisit per Chaldæos, nimirum nisi Iudæi ad sua scelera redierint. Vel, semper miserebitur Ecclesiæ, & benefaciet ei, nec eam relinquet ut Synagogam.

V. 19. DEPONET INIQUITATES NOSTRAS. LXX. *demerget iniquitates nostras*. In Hebræo יכבוש *tichbosc*, id est *subiiciet*, ut vertit Vatablus, sub pedibus ponet, conculcabit.

V. 20. DABIS VERITATEM IACOB. Vere, & fideliter implebis in Iacobo, id est in Iacobi posteris Iudæis ea, quæ misericorditer Abrahæ, Iacobo, aliisque patribus promisisti; nimirum de cura, & protectione populi, ac præsertim de mittendo Christo Salvatore.

T I R I N I.

Vers. 1. VAE, Hebraice, *heu mihi*. Est enim non minantis vox, sed gementis; quasi dicat: O me miserum! oleum & operam perdidi. Post multos ac prolixos labores *vineæ Domini sabaoth* excolendæ tot annis impensos, cum sperarem amplam vindemiam, vix licuit racemationem instituere, qua pauculos quidem RACEMOS Isaiæ XXIV. 13. VINDEMIAE reliquos collegi, *botrum* esui aptum ne vel unum reperi. Quotquot enim reliqui sunt, vel præmaturi & acerbi sunt, vel ex imbre corrupti & putrefacti. Paucolos enim ex auditoribus suis Ierosol. principibus ac civibus (nam de his solis agit Propheta, non vero de Iudæa universa) reperit, qui territi minis Prophetæ, videbantur velle resipiscere; sed cum ad deserenda pocula, scorta, rapinas deveniretur, præmaturum id, & nimis acerbum erat, aut si qui subinde se induci sinerent, inolita peccandi consuetudine putrefacti, cito redibant ad vomitum. PRAECOQUAS, id est præ aliis primo calore solis bene excoctas FICUS, ut alibi a dixi, post tot labores famelicus & anhelus *desideravi:* at ne vel ex his quidem unam consequi potui. Triste sane concionatori, cum videre & ferre cogitur, quod integram vindemiam ac messem diabolus in infernale torcular suum & horreum convehat, Christo vero vix racematio vel spicilegium concedatur.

V. 2. OMNES IN SANGUINE, Hebraice, *sanguini*, id est vitæ proximi sui INSIDIANTUR. Nec mala solum agunt, sed &

V. 3. MALUM negant esse malum, & DICUNT BONUM esse, iniustum, impium. Si PRINCEPS *postulet* aliquid quantumcumque iniquum & illicitum, sibi adiudicari; IUDEX statim IN REDDENDO EST, rem illi omnem quasi legibus concessam, publica sententia adiudicans: & simili modo quivis MAGNUS, dives, nobilis, potens, simul ac LOCUTUS EST, seu exposuit non ius quod habet non apparentem causam aliquam vel honestum prætextum, sed nudum placitum & DESIDERIUM ANIMAE SUAE, dicto citius id omne impetrat a corrupto & perverso iudice. Atque ita CONTURBAVE-

VERUNT terram *b*, iura omnia pervertentes, & sanguinem pauperum exsugentes, & in subditorum ruinam unanimiter conspirantes.

V. 4. QUI OPTIMUS IN EIS; id est, pijssimus, benignissimus, mansuetissimus inter illos esse videtur, est tamen QUASI PALIURUS *c*: genus spinæ est asperæ & acutæ, quod vulgo *agrifolium* dicitur. ET QUI RECTUS; id est, æquus, iustus, sanctus videri vult, est QUASI SPINA DE SEPE, id est pungit & lædit nihilominus, & licet vitæ parcat, sanguinem tamen elicit, cutem lacerat, & vestem. Nempe latrones isti mites haberi volunt cum detractis viatori spoliis, & inflictis vulneribus, vitæ solius usuram relinquunt. Sed tantis malis quodnam tandem remedium? Certe nullum præter sectionem & ultionem. Ergo VENIT DIES SPECULATIONIS TUAE, id est, instat & brevi aderit tempus quod tibi Prophetæ speculati sunt & toties prædixerunt, nempe VISITATIO, id est punitio, TUA per Chaldæos. NUNC una eademque opera ERIT etiam VASTITAS; id est, vastabuntur & excidentur omnes isti iniqui iudices, crudeles magnates, & tyranni principes, qui in rapinas & expilationes pauperum, & consequenter in eversionem reip. antea conspirabant, iustitiam, caritatem, fidem omnem proscribentes. Et vero, durante hac perfidia, suaserim cuique:

V. 5. NOLITE CREDERE *d* AMICO; Hebraice, *socio*: NOLITE CONFIDERE etiam IN DUCE, principe, rege: cuius alioqui verbum deberet esse sacrosanctum. Cave ne quoque reveles secreta tua cuipiam, ne uxori quidem, ne filiæ, ne filio tuo, etsi charissimo. Tanta enim iam est omnium perversitas ac perfidia, ut nulli, quantumeumque arcto vinculo, seu sanguinis, seu officii tunc adstricto, credere aut fidere possis. Citat Christus hæc eadem Michææ verba Matthæi x. eum ait, *Veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis, domestici eius*; quasi dicat: Occasione Evangelii mei tale orietur dissidium inter filios & parentes & alios sanguine iunctos, quale fuit olim tempore Michææ apud Iudæos. Sicut enim tunc, ita etiam nunc impii conspirabunt in ruinam piorum, infideles in eversionem fidelium, nullo habito respectu, seu sanguinis, seu propinquitatis, solo odio virtutis & opum extorquendarum cupidine impulsi.

V. 7. EGO AUTEM in tanta rerum omnium perturbatione, amicorum perfidia, hostium malitia, nullum reperio præsentius remedium, quam ut AD DOMINUM ASPICIAM *e*: ille in rebus etiam deploratis tutum est perfugium, & certum asylum, gaudetque tum vel maxime opitulari, ut summam potentiam ac beneficentiam suam ostendere possit, in eos præsertim qui indubitanter id credunt, sperant, & ab ipso deposcunt.

V. 8. NE LAETERIS, o Idumæa *f*, o æmula, o INIMICA iam pridem MEA, SUPER casu & excidio meo, inquit Ierosolyma. CONSURGAM enim iterum, expletis 70. annis, quibus *sedebo* IN TENEBRIS calamitatum & afflictionum: DOMINUS enim LUX MEA EST, id est *illuminabit me*, ut vertunt LXX. & Chaldæus; id est, restituet me pristinæ lætitiæ, libertati, felicitati & gloriæ; nam harum omnium symbolum *g* est *lux*. Interim forti patientique animo

V. 9. PORTABO IRAM DOMINI; Syrus & Arabicus, *plagam Domini*, id est pœnam excidii, exilii & carceris Babylonici, quam ira & iustitia divina pro tot sceleribus meis mihi infligere decrevit. Sic & Heli *h*, sic Ezechias *i*, sic Machabæi *k*, sic Mauritius *l* Imp. sic Sancti omnes volenti libentique animo pœnas cælitus immissas excipiunt & exsorbent, suis peccatis eas ascribentes. Et ita faciendum ægrotis suadet S. Basilius *m*. *Portabo* autem DONEC CAUSAM MEAM, id est mihi cum hostibus meis controversam, *diiudicet*, puta per Cyrum & Darium, quorum opera Chaldæos ob iniustam mei oppressionem & alia scelera supplicio mortis damnabit, & ex hac qua nunc gaudent luce detrudet in tenebras æternas: ME vero e tenebris Babylonicis EDUCET IN pristinam LUCEM libertatis & felicitatis. Et ita VIDEBO; id est, reipsa sentiam, IUSTITIAM EIUS, qua par pari reddet Chaldæis, aliisque omnibus hostibus meis. Videbit enim etiam Idumæa.

V. 10. INIMICA & æmula MEA antiqua, sed summo luctu & confusione sua, quod me in pristinam felicitatem reducta, sibi adhuc hærendum sit in miseriis; unde invidia rumpetur ac contabescet. Ego vice

ver-

versa, ex alto Sionis vertice, ex culmine felicitatis, despiciam *n* aliis iam oculis iacentem humi & in *luto* volutantem Idumæam, maxime quando per Machabæos illam devictam pedibus meis substernam, ut alibi *o* dictum. Brevi ergo, o Ierosolyma, tibi

V. 11. DIES aderit optatissima, qua MACERIAE TUAE; id est, ruinæ ædificiorum tuorum e Chaldaico incendio reliquæ, instaurentur & *reædificentur* iussu Cyri. Tunc LONGE A TE FIET LEX tyrannica Chaldæorum, & ut Pagninus vertit, *tributum* quod illis nunc pendere cogeris. Cum autem reddita fueris, o Ierosolyma, pristinæ libertati & gloriæ,

V. 12. VENIET redux AD TE populus tuus Israel, non modo ex Chaldæa, sed & DE ASSUR, id est ex Assyria *p* & Media, quo decem tribus iam abductæ sunt. Ex his enim aliqui paulatim, audita Iudæorum per Cyrum restitutione, remigrarunt & ipsi in Iudæam, ex indulto Iudæorum (quibus quasi surculi inserebantur, unam eamdemque conflantes remp.) redierunt AD CIVITATES MUNITAS terræ sanctæ, suas olim singularum tribuum, sed deinceps uni sceptro tribus Iudæ subiectas, sub cuius auspiciis spargent & diffundent se USQUE AD FLUMEN Euphratem, inquit Chaldæus & Vatablus; occupabuntque totam terram & ditionem olim *q* sibi a Deo assignatam, quaquaversum ad omnes mundi plagas, puta A MARI Galilææ, ad Orientem Iudææ, usque AD MARE, Mediterraneum Occidentale eidem: & A MONTE Libano, Septemtrionali, usque AD *montes* Idumææ Meridionales.

V. 13. TERRA sancta usque ad finem 70. annorum, & usque ad redditum Iudæorum e captivitate, ERIT IN DESOLATIONEM, PROPTER scelera incolarum eius, ET PROPTER FRUCTUM COGITATIONUM, id est propter perversa opera, EORUM. Reductos ergo in patriam, sed desertam, sed incultam, & inter medios hostes suos

V. 14. HABITANTES iam SOLOS quasi IN SALTU *r*, inter feras, omnium rerum egenos, ab omnibus desertos, omni ope destitutos, tu o Deus, PASCE VIRGA TUA pastorali, rege sceptro tuo, GREGEM tibi *hereditarium* POPULUM Israel tot nominibus TUUM. Pasce, inquam, IN MEDIO pinguium pascuorum. CARMELI *s*, id est liberaliter, large, affluenter. Respondet & annuit petitioni Prophetæ Deus: Ne dubita, PASCENTUR quasi *in* BASAN ET GALAAD, & depascentur fertilissimos agros & pinguissima pascua, colligentesque optimos atque uberrimos fructus, IUXTA DIES ANTIQUOS; ut olim sub Davide & Salomone. Et ut miraculoso plane modo eduxi sub Moyse Israelitas

V. 15. E TERRA AEGYPTI, & per prolixum ac sterile desertum, per tot hostes, per tot casus induxi salvos in Palæstinam, ibique eos stabilivi, ditavi, propagavi in immensum; ita faciam iisdem in regressu *t* Chaldæa. Allegorice, S. Hieron. Haymo, Remigius, Rupertus, Hugo & Arias censent colloquium hic esse inter æternum Patrem & Filium eius Messiam, & illum commendare huic Ecclesiam suam: hunc vero spondere, illam sibi fore commendatissimam.

V. 16. VIDEBUNT hæc omnia GENTES, hostes Synagogæ & stupebunt, ET CONFUNDENTUR quod OMNI FORTITUDINE, omni industria, omnibus machinationibus *suis* non possint illi nocere vel obesse. PONENT MANUM SUPER OS, id est obmutescent, obloqui, contradicere, contramutire non audebunt. AURES EORUM SURDAE ERUNT: nempe præ invidia & dolore obturabunt aures, ne prosperos populi mei successus audire cogantur.

V. 17. LINGENT interim PULVEREM *s* terræ SICUT SERPENTES, id est victoribus Iudæis supplices humi adsternentur, & more gentium suarum fronte humum ferient, ut ore terram tangere & lambere videantur: & VELUT REPTILIA PERTURBABUNTUR etiam IN propriis AEDIBUS SUIS, quando hostili telo vel gladio exagitantur. Sanchez vult alludi ad elephantos & cervos, qui solo halitu suo serpentes e cavernis extrahunt *u*; quasi dicat: Pari facilitate Iudas, Ionathas, & alii Machabæi, Idumæos, Ammonitas, Moabitas & alios hostes suos a latibulis & arcibus suis educent; & Apostoli atque Apostolici viri barbaras, & feroces, & antea inimicas gentes, e suis errorum antris ad Christi ovile pertrahent.

V. 8. QUIS, o DEUS SIMILIS TUI, fortitudine, sapientia, maiestate, sed præ omnibus, bonitate, misericordia, beneficentia?

tia? QUI per filium tuum Christum, AUFERS INIQUITATEM omnem, ET perinde ac si non videres, TRANSIS, præteris, dissimulas, immo remittis omne PECCATUM RELIQUIARUM HEREDITATIS TUAE, tum quoad culpam, tum quoad pœnam? Iam enim pœnitentibus cum Daniele *x* Iudæis, & Babylonica servitute sat castigatis NON IMMITTET ULTRA Deus FURORUM SUUM, nempe ob scelera ante admissa. Nam relapsis iterum novas decrevit pœnas sub Antiocho, & sub Tito. Incipit hoc versu Propheta doxologiam suam, qua in Dei laudes gratulabundus erumpit, & prosequitur usque ad finem capitis.

V. 19. DEPONET ex humeris nostris graves *iniquitatum nostrarum* sarcinas, ET PROIICIET IN PROFUNDUM MARIS, id est omnino abolebit, perdet & extinguet.

V. 20. DABIS VERITATEM IACOBO, ET MISERICORDIAM ABRAHAMO; id est, misericorditer, sed vere ac fideliter implebis in Iacobi & Abrahæ posteris, quæcumque eidem Abrahæ, Iacobo, aliisque PATRIBUS NOSTRIS olim promisisti: primo, de perpetua cura *y* ac protectione posterorum. Secundo, de liberatione eorumdem *z*, si quando pœniterent, e captivitate aliisque miseriis in quas ob sua scelera devolventur. Tertio, ac præcipue, de Messia ex eorum semine *aa* nascituro, qui suo merito mundum universum a peccatis, peccatorumque pœnis, & omni alio malorum genere liberet, donetque cælesti gratia, salute, felicitate & gloria sempiterna.

(a) Ierem. XXIV. 2.
(b) Hic. verſ. 2.
(c) Virgil. Ecloga 9.
(d) Ierem. IX. 4.
(e) II. Par. XX. 12.
(f) Abdiæ XII. &c. Amos I. 11. Ierem. XLIX. 12. Pſ. CXXXVI. 7.
(g) Pſal. IV. 7.
(h) Pſal. XXVI. verſ. 1. &. Reg. III. 18.
(i) IV. Reg. XX. 19.
(k) I. Mach. VII. verſ. 18.
(l) Theophanes apud Baronium anno Chriſti 602.
(m) Baſil. in regulis fuſius explic. interrogat. IV.
(n) Abdiæ XII.
(o) Ibid. & XVIII. 16. 21.
(p) Oſee I. verſ. 6.
(q) Ioſue I. 4. Deut. I. 7. III. Reg. IV. 21. &c.
(r) I. Mach. XV. 38. II. Eſdræ II. 13. &c.
(ſ) Cant. VII. 5. Amos I. 2. Ierem. II. 7.
(t) Pſal. LXXI. 9. Iſaiæ XLIX. 23. 23.
(u) Plin. Lib. XI. cap. XIII.
(x) Daniel. IX. 2. &c.
(y) Gen. XV. 14. & XXVIII. 12.
(z) Deut. XXX. 1.
(aa) Geneſ. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 18.

GORDONI.

Verſ. 1. VAE MIHI, &c. Exclamatio est, aucta & explicata similitudinibus: quia PERIIT SANCTUS. Hebr. *pius*. Septuag. εὐλαβὴς, *reverens:* nec tantum in populo, sed etiam in magnatibus (verſ. 3.) malum est: princeps postulat a iudice, ut sibi adiudicet iniqua tributa: & iudex, in reddendo est, reddit scilicet, quod ille inique petit, quod bene explicant Septuaginta. Denique magnus loquitur desiderium impium animæ suæ, hoc est, ad impietatem principis & iudicis: accedunt magnates, faventes & approbantes malum; ut sic triplici funiculo ligetur iniquitas, & firmetur. ET CONTURBAVERUNT EAM. Hebr. *complicuerunt eam*, scilicet, iniquitatem: illud vero conturbaverunt, est in Hebr. עבת in piel *hhibbeth*, quod implicatæ res sint absque ordine positæ, ut certe in multiplicata iniquitate nullus ordo est; sed perturbatio.

V. 4. QUI OPTIMUS IN EIS EST, QUASI PALIURUS, &c. Paliurus spina acuta est & bene pungit: sic Iudæi: non est quod credant amicis, decipient, & veniet vastatio; dies visitationis, ac punitionis.

V. 7. EGO AUTEM AD DOMINUM ASPICIAM, &c. Docet viam rectam, dans consilium optimum in tot malis, quod facit proponendo quod ipse facturus est, expectabit, inquit, Dominum in patientia & spe, donec transeat conculcatio.

V. 11. DIES UT AEDIFICENTUR, &c. Video cum Hieronymo interpretes fere omnes hæc accipere de instauratione Ierusalem per Esdram & Nehemiam. Tunc enim fiet, ut dum reparabuntur maceriæ & ruinæ, longe absit a te, o Ierusalem, lex imperiosa Chaldæorum: tunc veniens ad te (verſ. 12.) captivi tui ab Assyria, & exules tui a variis regionibus, ET ERIT TERRA hostilis (verſ. 13.) IN DESOLATIONEM.

V. 14. PASCE POPULUM TUUM, &c. Apostrophe est Prophetæ ad Deum, ut populum redeuntem pascat & regat, etiam habitantes in saltu & solitudine cum gregibus suis, ut sic sit solida pax. Immo addit Propheta fore, ut hoc fiat, nec defuturum auxilium Dei iuxta dies antiquos

suo

ſub Moſe & aliis, ubi enituit Dei providentia, ita ut ad admirationem rapiantur hoſtes.

V. 18. QUIS SIMILIS TUI, &c. Verba Prophetæ ſunt, quibus claudit prophetiam ſuam in laude Dei, confeſſione miſericordiæ eius; & inculcato iterum vaticinio de Chriſto: nec, inquit, immittet iterum furorem ſuum, ſane loquendo de Eccleſia Chriſtiana.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 2. PERIIT SANCTUS. Expoſtulat de impietate Iſraelitarum, ut inter eos vix inveniat qui ſit ſanctus Deo. Sic interdum locuti ſunt priores Prophetæ. Sed non ideo alibi, & in quibuſdam etiam Iſraelitis ceſſavit verior Dei timor & cultus. Habuit ſemper Deus ſuos cultores. Et hoc de ſe prophetetut verſ. 8. & 9.

Verſ. 4. DIES SPECULATIONIS: dies aderit brevi viſitationis, afflictionis & vaſtitatis.

Verſ. 5. NOLITE CREDERE AMICO. Tanta rerum perturbatio erit, ut non ſit invenire fidem apud amicum, non apud uxorem, aut liberos.

Verſ. 8. INIMICA MEA, Babylon. Alii Idumæam interpretantur.

Verſ. 12. FLUMEN: eſt Euphrates. A MARI, Galilææ uſque ad Mediterraneum.

Verſ. 14. BASAN ET GALAAD, montes & paſcua abundabatis pecore.

Verſ. 19. DEPONET. Heb. *ſubiiciet*. Vatablus *ponet ſub pedibus*. Sept. *Demerget iniquitates noſtras*.



PRO-

PROPHETIA NAHUM.

DE excidio Ninivitarum vaticinatur, idque post decem tribus abductas.



CAPUT PRIMUM.

Zelus Dei adversus hostes suos, qui patiens est & fortitudine magnus, cuius iræ nemo potest resistere, & in se sperantium est liberator, suique populi hostes est consumpturus.

1. ONus Ninive: Liber visionis Nahum Elcesæi. 2. Deus
æmulator, & ulciscens Dominus: ulciscens Dominus,
& habens furorem: ulciscens Dominus in hostes suos,
& irascens ipse inimicis suis. 3. Dominus patiens, &
magnus fortitudine, & mundans non faciet innocen-
tem. Dominus in tempestate, & turbine viæ eius, &
nebulæ pulvis pedum eius. 4. Increpans mare, & exic-
cans illud: & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan,
& Carmelus: & flos Libani elanguit. 5. Montes commoti sunt ab eo, &
colles desolati sunt: & contremuit terra a facie eius, & orbis, & omnes
habitantes in eo. 6. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis re-
sistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est ignis: & petræ dissolutæ
sunt ab eo. 7. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sci-
ens sperantes in se: 8. & in diluvio prætereunte, consummationem faciet
loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ. 9. Quid cogitatis contra
Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.
10. Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pa-
riter potantium: consumentur quasi stipula ariditate plena. 11. Ex te exi-
bit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans prævaricatio-
nem. 12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, & ita plures; * sic
quoque attondentur, & pertransibit: afflixi te, & non affligam te ultra.
13. Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula tua disrum-
pam. 14. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo
amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile, ponam se-
pulchrum tuum, quia inhonoratus es. 15. (a) Ecce super montes pe-
des evangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra Iuda festivitates tuas,
& red-

& redde vota tua: quia non adiiciet ultra ut pertranseat in te Belial: universus interiit.

(a) Isa. lii. 7 Rom. x. 15

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 12. *Sic quoque attondentur et pertransibit*. Non est mutandum singulare *pertransibit*, in plurale *pertransibunt*.

NOTATIO.

Vers. 12. *Si perfecti fuerint* (*perfecuti* o.) *& ita plures, sic quoque attondentur* (*attendentur* o. *attondetur* o. *tondetur* 1. MS.) *& pertransibit* (*transibit* o.) Quidam postremum verbum *pertransibit*, ut prioribus esset conforme, in *pertransibunt* mutavere: nam *pertransibunt* habent 8. Hentenii, & 6. nostri codices cum Richelio expositore. Ceterum longe plura nostra, & emaculatiora exemplaria Brug. Leod. Lob. O. E. L. P. &c. *pertransibit*, quod Hebraice est, servant, adstipulantibus tractatoribus Carensi, Auctore Glossæ, Ruperto, Haymone, sive Altisiodorensi (nam idem utrique adscribitur commentarius) & B. Hieronymo: „ Et pertransibit, inquit B. Hieronymus, „ Assur, vel esse desistet, sive vastato exer„ citu suo revertetur ad patriam, te sospi„ tem derelinquens "; quod alii fere secuti sunt. Chaldæus paraphrasi suæ accommode singularem numerum plurali commutavit.

COMMENTARIA

S A.

NAHUM prophetavit paulo post Michæam, tempore Ezechiæ Regis (abductis iam decem tribubus in captivitatem) contra Ninivem.

V. 1. ONUS, id est Prophetia onerosa, scilicet denuntians calamitatem. Chald. *onus calicis maledictionis*. LXX. *assumptio*; quasi dicat, Sublatum onus alicui imponendum, vel onus alicui fumendum. NINIVE. Assyriorum metropolis, quæ ad peccata rediit post conversionem factam ad Ionæ prædicationem, eoque a Nabuchodonosor eversa est anno post circiter 200. ELCESAEI. *Elcese* vinculus est in Galilæa.

V. 2. AEMULATOR. LXX. *zelotes*, scilicet vehementer amans, & irascens si non ametur, & puniens rei a se amatæ infestos. Chald. *iudex*.

V. 3. PATIENS. LXX. *longanimis*. FORTITUDINE, scilicet ad ferendum malos, vel ad ulciscendum; quasi dicat: Patiens est, cum posset tamen facile punire; & tandem punit si non emendentur. MUNDANS; quasi dicat: Non quidem demittet tamquam mundum & innocentem, sed puniet. NON FACIET, &c. quasi dicat: Non tractabit ut innocentem eum qui nocens est. IN TEMPESTATE; pro, velut in tempestate. ET NEBULAE, &c. id est velut exercitus pulverem excitans, more nebulæ aerem obscurantem; quasi dicat, Fortis est, cui nemo possit resistere.

V. 4. INCREPANS, id est more increpantis iubens. LXX. *comminans*. EXICCANS, scilicet cum vult, ut olim Mare rubrum. INFIRMATUS EST, id est amittet fertilitatem si Deus velit. FLOS. Chald. *arbores*. LXX. *quæ florebant*. ELANGUIT. Chald. *defluxerunt*. LXX. *defecerunt*: præterita pro futuris.

V. 5. COMMOTI SUNT; pro, commovebuntur, id est contremiscent. AB EO, id est ad eius imperium seu præsentiam. Chald. *a conspectu eius*. DESOLATI. Chald. *disrupti*. LXX. *concussi* CONTREMUIT. Chald. *vastata est*.

V. 6. EFFUSA EST; pro, effundetur, vel solet effundi. DISSOLUTAE SUNT. Chald. *confringuntur*; quasi dicat, Durissima quæque & fortissima conterit.

V. 7. SCIENS, &c. id est, favore prosequens, defendens. LXX. *cognoscens timentes se*.

V. 8. Diluvio, scilicet exercitu Sennacherib Ierusalem oppugnante, vel Chaldæorum Ninivem. Loci ejus, scilicet tribulationis; quasi dicat: Faciet eam cito cessare, deleto exercitu Sennacherib; vel *eius*, id est Ninive, quæ evertetur a Chaldæis; vel sensus est: Cum velut diluvio perdit locum gentis sibi inimicæ. Persequentur tenebrae, scilicet calamitatum. Chald. *tradet gehennæ*. Quidam ad mortem referunt militum Sennacherib.

V. 9. Cogitatis, scilicet o Assyrii, vel o impii. Consummationem, &c. quasi dicat, Perdet vos. Non consurget, quasi dicat; Non prævalebit. Duplex, id est grandis, scilicet quam molimini contra Dei populum, o milites Sennacherib; vel, o impii Ecclesiæ hostes. Solet Scriptura quod magnum seu excellens, *duplex* dicere: sic *duplici contritione*, *duplex spiritus*, *vestiti duplicibus*, id est egregie. LXX. *non iudicabit bis in idipsum in tribulatione*.

V. 10. Sicut spinae, &c. quasi dicat: Ut spinæ collectæ in fasciculo comburuntur, sic isti qui in exercitu Sennacherib simul potantes quasi victores gaudent, interficientur ab Angelo.

V. 11. Ex te, scilicet o Ninive. Exibit, scilicet Sennacherib, vel Rabsace. Malitiam, scilicet blasphemiæ.

V. 12. Perfecti, scilicet robore; quasi dicat: Etsi fortes sint, non ideo evadent. Plures, scilicet quam sunt, vel *plures*, pro, multi. Attondentur; pro, attondebuntur, scilicet more capillorum attonsorum deiicientur interfecti. Pertransibit, id est desinet, vel redibit in Assyriam. Te, scilicet o Ierusalem, seu Iudæa. Ultra; quasi dicat: Faciam cessare istam oppugnationem Assyriorum.

V. 13. Virgam, scilicet qua te cædebat, vel sceptrum. Chald. *iugum eius*.

V. 14 Praecipiet, scilicet Angelo. Super, id est contra. Te, scilicet o Sennacherib. Seminabitur, id est gignetur. Ex nomine tuo, id est te, seu qui dicatur filius tuus. Amplius: paulo post enim interfectus. De domo; pro, in domo. Sculptile, scilicet simulachrum, quod sculpendo fit ex ligno, vel lapide. Conflatile, quod ex fuso metallo: est autem sensus: Iacebis inhumatus diu, more idoli proiecti. Inhonoratus, id est despectus, scilicet a tuis, qui te sic dimittent interfectum a filiis tuis.

V. 15. Pacem, scilicet mortuo Sennacherib; quasi dicat: Illo interfecto, statim id ubique nuntiatum, tamquam pace diu duratura interempto hoste. Celebra, scilicet sublato timore. Belial, id est sine iugo, scilicet impius. Intelligit autem Assyrios. Interiit, scilicet exercitus in Iudæa, dux vero in urbe Ninive.

E S T I I.

Vers. 1. Onus Ninive. Ninive figuram gerit gentilis populi, sed duplici modo. Qui enim tempore Ionæ, eius prædicatione commoti pœnitentiam egerunt, eam gentilis populi partem significant, quæ per Apostolorum prædicationem ad Christum vocata est, & ad salutem pervenit. Qui autem postea in veteri idololatria, aliisque peccatis permanentes a Chaldæis expugnati sunt, contra quos dirigitur præsens prophetia Nahum, significant eam gentilium partem, quæ Apostolorum prædicationi non acquievit, sed in sua permansit infidelitate.

V. 9. Quid cogitatis conta Dominum? Consummationem ipse faciet; non consurget duplex tribulatio. Posteriora hoc modo transferunt Septuaginta: *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione*. Et sensus est: Dominus una punitione faciet consummationem, id est penitus disperdet, & conteret vos, ut non sit opus punitione secunda. Neque tamen ex his verbis recte statuitur, idem peccatum non posse sæpius puniri; quamquam id quodam sensu verum sit; scilicet, si loquamur de pœna, quæ sit peccati adæquata mensura, id est quæ gravitati peccati secundum iustitiam respondeat: nam alio sensu, peccata impiorum, etiam sæpe bis puniuntur: nempe, quando, & in hoc sæculo temporalem, & in futuro æternam pœnam sustinent, sicut de Herode, Antiocho, & aliis legimus; quia videlicet pœna præsentis temporis eis ad aliorum terrorem illata, tamen nequaquam adhuc erat tam gravium peccatorum iusta mensura. Nota etiam sententiam prophetæ non esse universalem. Non enim dicit, quod nunquam consurgat duplex tribulatio, aut

quod

quod sit iniustum alicui secundo tribulationem inferri a Deo ; sed tantum loquitur de statu rei præsentis : nempe quod tunc ita semel vastabitur & conteretur Ninive, ut secundæ vastationi locus non relinquatur.

MARIANAE.

NAHUM. Hic fuit ex oppido Elecesæi, quod Hieronymi ætate in Galilæa monstrabatur. Epiphanius ultra Iordanem situm in tribu Simeon, ex qua Nahum fuisse ait. Post Ionam contra Ninivem prophetavit, ad priora scelera post pœnitentiam reversam. Post captas decem tribus, prophetavit Iosephus Lib. IX. cap. XI. ait, Nahum fuisse sub Ioathan Rege. Sed decem tribus nondum erant captæ. Seder Holam cap. XX. sub Manasse ponit, post captas scilicet eas tribus.

Vers. 1. ONUS, id est dura & gravis prophetia contra Ninivem. LIBER VISIONIS. Contulit in librum Prophetiam, ut eam Ninivitis mitteret.

V. 2. DEUS AEMULATOR. Sept. *zelotes*. ET ULCISCENS, ob ea quæ in Israelitas fecistis. HABENS FUROREM. Heb. *Dominus iræ*, id est effundit eam in quos vult. IRASCENS IPSE INIMICIS SUIS. Heb. *servans Dominus iram in hostes suos*. Quasi in thesauro recondit iram, ut suo eam tempore effundat. Dissimulat quidem tantisper; abscondit iram, quam deinde depromit. Nec mirum:

V. 3. DOMINUS PATIENS. Hebr. *longis naribus*, id est longanimis. ET MUNDANS NON FACIET INNOCENTEM. Hebr. *iustificando non iustificat*, scilicet noxium impune abire non sinit. IN TEMPESTATE, id est repente, cum minime cogitamus, punit. ET NEBULAE PULVIS PEDUM EIUS, id est pulvis pedum nebulas facit. Heb. *& nubes pulveris pedum eius*. Sic solet in turbine pulvis instar nubis excitari. Itaque Deus instar turbinis venit.

V. 4. INCREPANS MARE. Instar heri servum increpantis, superbiam maris solo verbo compescit. ET OMNIA FLUMINA AD DESERTUM DEDUCENS. Hebr. *arefacit*. INFIRMATUS EST. *Basan*, *Carmelus*, *Libanus*, montes amœni, Dei increpatione deformantur, redduntur squalidi, ut ægroti. FLOS LIBANI, id est flores, seu germina, *arbores*, ut Chald. languent.

V. 5. MONTES COMMOTI SUNT. Heb. *tremuerunt*. DESOLATI SUNT. Hebr. *liquefacti sunt*. ET CONTREMUIT TERRA, &c. Hebr. *exusta est terra* a facie eius, id est vastata.

V. 6. ET QUIS RESISTET. Hebr. *stabit* in ira eius? INDIGNATIO EIUS EFFUSA EST UT IGNIS, id est ut igne liquefacta. ET PETRAE DISSOLUTAE, seu *confractæ*, solo verbo rupes comminuit. Hæc omnia eo spectant, ut Dei maiestas cognoscatur.

V. 7. BONUS DOMINUS. Ea quamvis potentia suos fovet & tuetur. ET SCIENS, id est favens. Hebraica sic quidam explicat: *Bonum* (Israeli) *Dominus in fortitudinem in die angustiæ*.

V. 8. IN DILUVIO PRAETEREUNTE, id est repentino, aut vehementi. CONSUMMATIONEM FACIET LOCI EIUS; id est, Ninivem evertet inundatio, quod factum aiunt, obrutam aquis fuisse; aut per inundationem Chaldæorum copias significat, quæ Assyriorum Imperium everterunt. INIMICOS EIUS, scilicet Israelia. TENEBRAE, hoc est, res adversæ eos opprimen, Assyrios, Ninivitas.

V. 9. QUID COGITATIS CONTRA DOMINUM? Captis decem tribubus, de opprimenda Ierusalem contra Dei voluntatem cogitabant. CONSUMMATIONEM IPSE FACIET, aut *facit*; ipse est auctor captivitatis decem tribuum. NON CONSURGET DUPLEX TRIBULATIO; id est, non permittet, ut simili clade Ierusalem involvatur.

V. 10. QUIA SICUT SPINAE. Locus difficilis. Hebr. *quia usque* (id est ut) *spinæ complexæ* (id est in fasciculum redactæ, ut comburantur) *& sicut potatio eorum ebriorum* (scilicet ad terram eos prosternit) *comedentur, ut stipula ariditate plena* (scilicet cito comburitur) *sic Assyrii*, scilicet prosternentur & cadent, scilicet exercitus Sennacherib. Vulgatæ verba ad hunc sensum referantur.

V. 11. EX TE EXIBIT Sennacherib, aut Rabsaces, qui multa contra Deum cogitarunt & dixerunt. MENTE PERTRACTANS PRAEVARICATIONEM. Hebr. *consulens Belial*, id est *perversa*, scilicet ut relicto Deo Iudæi se traderent Assyriis consulebat Rab-

 saces.

faces: IV. Reg. XVIII. 19. De voce *Belial* Deuter. XIII. 13.

V. 12. SI PERFECTI FUERINT, robore scilicet aut *perfecti consilio*, ut Chald. vertit. Alii vertunt, *Si pacifici*, id est concordes inter se fuerint Assyrii. ET ITA PLURES. Hebr. *& sic multi*, id est etiam multi. SIC QUOQUE ATTONDENTUR. Hebr. *& sic exscindentur*; hoc est, nihilominus peribunt, גזז *Ghazaz*, & *tondere* significat, & *exscindere*. Ea occasio Hieronymo vertendi, *attondentur*. ET PERTRANSIBIT; pro, pertransibunt Assyrii, re infecta discedent; aut *pertransibit*, Sennacherib revertetur in patriam. AFFLIXI TE; pro, si afflixi te: non affligam amplius, ea scilicet expeditione Sennacherib. Ad Iudaeos aut Israelitas sermo est.

V. 13. VIRGAM, qua te percutit. Heb. *iugum eius desuper te conteram*. ET VINCULA TUA. *Iugum* & *vincula* servitutem significant. Faciam, ut non servias Assyriis, qui te invadunt.

V. 14. ET PRAECIPIET SUPER TE, aut *de te*, ut Sept. Loquitur de Sennacherib. De quo praecepit Dominus, id est constituit quae futura erant. NON SEMINABITUR, nullos posteros habebis, qui in regno succedant. Videtur ex hoc loco, periisse cum filiis. DE DOMO DEI TUI INTERFICIAM, id est in domo Dei tui: IV. Reg. XIX. 37. intra templum Nesroch occisus est a filiis. Post verbum *interficiam* ponatur punctus. Sequitur: SCULPTILE, ET CONFLATILE, PONAM SEPULCRUM TUUM, id est inter idola sepelieris. QUIA INHONORATUS ES, quia vilis factus es, nempe, a tuis filiis occisus, & intra templum, & post cladem exercitus ad Ierusalem.

V. 15. PEDES EVANGELIZANTIS, id est nuntii per montes venient rei gestae. ET ANNUNTIANTIS PACEM, id est prospera, eam felicitatem. CELEBRA IUDA FESTIVITATES TUAS, tres praesertim, quas obsessa ab hostibus non poteras, neque ex aliis oppidis ad te venire. NON ADIICIET ULTRA, UT PERTRANSEAT IN TE BELIAL, id est *iniquus*, *diaboli filius*. Sic Sennacherib vocat. UNIVERSUS INTERIIT; Ipse, filii, Imperium, succisa sunt; nihil est quod metuas.

MENOCHII.

Vers. 1. ONUS NINIVE, id est tristis, & minax prophetia contra Ninive, quae ad peccata rediit post praedicationem Ionae. VISIONIS: revelationis prophetiae. ELCESAEI: oriundi ex Elcese vicula Galilaeae.

V. 2. AEMULATOR. LXX. *Zelotes*: scilicet vehementer amans, & irascens si non ametur, & puniens rei a se amatae infestos. ULCISENS. Vox ulciscens ter repetitur hoc versiculo, ut significetur tam certitudo, quam magnitudo ultionis. IN HOSTES: contra hostes.

V. 3. DOMINUS PATIENS, ET MAGNUS FORTITUDINE: cuius scilicet constantia, & patientia offensionibus non frangitur, sed longanimis est, & vindictam in suum tempus reservans. ET MUNDANS, id est pro mundo habens. NON FACIET INNOCENTEM: non absolvet, nec ut innocentem liberabit; licet enim patiens sit, tamen sontes impunitos non dimittet. Itaque non vobis parcet, o Assyrii. IN TEMPESTATE ET TURBINE VIAE EIUS. Describit Dei potentiam in Assyrios venientis, ut eos puniat; quasi dicat, Dominus veniet in tempestate, hoc est, cum potentia, & impetu magno, & repentino, cui nullae humanae vires poterunt resistere. NEBULAE PULVIS PEDUM EIUS: exercitus eius erit innumerabilis, ut caelum nebula pulveris impleat, quem pedibus excitabit.

V. 4. INCREPANS MARE; id est, si mare increpet, illud arefacit. LXX. habent, *comminans*; sententia ergo est, Si more increpantis, & comminantis imperet mari, illud dividet, aut arefaciet pro arbitrio, ut accidit cum Israelitas traduxit per mare rubrum. AD DESERTUM DEDUCENS: deserta faciens, aquis privans. INFIRMATUS EST BASAN, ET CARMELUS; quasi dicat, Fertilissimi montes, & regiones, quales sunt Basan, Carmelus, & Libanus, fient steriles, languescent, & quodammodo emorientur, si Deus volet. Horum montium allegoria significare videtur Ninives, & Assyriorum divitias, & opulentiam divina vindicta exardescente perdendam. FLOS LIBANI: Chald. *arbores*. LXX. *quae florebant Libani*.

V. 5.

V. 5. COMMOTI SUNT. Hebr. *tabescent*, vel, *liquefient*, scilicet præ timore concutientur, contremiscent, ut cera, aut nix liquescent, & quasi in nihilum redigentur. DESOLATI SUNT. LXX. *concussi*, Chald. *Disrupti*: est repetitio.

V. 6. QUIS STABIT: quis subsistere poterit, ne dum resistere? EFFUSA EST UT IGNIS: prius se Dei ira continebat, nunc quasi subductis cataractis effusa est, ut igneus torrens. Aquila vertit, *furor eius* συνεχωνεύθη, *conflatus est*, Theodotio, ἔσταξεν, *stillavit*; id est, cum prius non flueret ut metalla igne nondum admoto, iam fluent in modum igniti metalli, & ardore fornacis oluti. ET PETRAE DISSOLUTAE SUNT AB EO: quasi dicat, durissima quæque, & fortissima conteret.

V. 7. SCIENS, id est favore prosequens, defendens. LXX. *cognoscens timentes se*, deoque curam illorum gerens.

V. 8. IN DILUVIO PRAETEREUNTE. Exercitum intelligit Medorum, & Babyloniorum, qui instar diluvii ingenti turba, celeritate, & impetu invaserunt Assyrios, eorumque locum, id est Ninivem regiam civitatem vastarunt. CONSUMMATIONEM IPSE FACIET; hoc est, excidium urbis, & regni Assyriorum. PERSEQUENTUR TENEBRAE: scilicet calamitatum, ærumnarum, & cladium. QUID COGITATIS CONTRA DOMINUM? Quid vos? o Assyrii, cogitatis mala contra Dominum? id est, contra Domini populum in Ierusalem, & templum. NON CONSURGET DUPLEX TRIBULATIO. Magnam cladem passæ sunt decem tribus a Salmanasar: quare non patietur Deus alteram Iudææ inferri per Sennacherib.

V. 10. QUIA SICUT SPINAE, &c. id est, sicut spinæ componuntur, & in fasces colliguntur, sicque colligatæ videntur se mutuo complecti, & destinantur incendio; sic Assyrii Israelitis infesti tamquam spinæ, & se mutuo per conviviorum hilaritatem excipientes, & complectentes, in obsidione Ierusalem simul consumentur ab Angelo, quasi arentes stipulæ, quæ facile ignem concipiunt.

V. 11. EX TE EXIBIT: Sennacherib Rex Assyriorum. COGITANS CONTRA DOMINUM MALITIAM, id est malum contra urbem Ierusalem, & templum Domini machinans. MENTE PERTRACTANS, &c. Repetitio. PRAEVARICATIONEM: malum, quod qui iniuste infert, legem divinam prævaricatur.

V. 12. SI PERFECTI FUERINT, &c. Licet copiis, robore, opibus præstetis, & numero sitis plures, immo plurimi, tamen attondebit vos angelus pertransiens, & feriens. AFFLIXI TE: o Israel, o Ierusalem, per Sennacherib, & Assyrios. ET NON AFFLIGAM TE ULTRA: scilicet per eosdem Assyrios; nam postea per Chaldæos excisa est Ierusalem, Deo novis sceleribus ad sumendam vindictam provocato.

V. 13. CONTERAM VIRGAM EIUS, scilicet Sennacherib. Virgam vocat vim, & tyrannidem, qua Iudæos affligebat obsidebat, & quasi vinctos tenebat. Chald. *Frangam iugum Gentium de collo vestro, & vincula vestra præcidam.*

V. 14. PRAECIPIET SUPER TE DOMINUS; id est, decernet, & sanciet de te id quod sequitur. NON SEMINABITUR EX NOMINE TUO AMPLIUS NULLI TIBI, o Sennacherib deinceps posteri nascentur: penitus peribit memoria tui. INTERFICIAM SCULPTILE. LXX. *disperdam sculptilia*, Chald. *delebo simulacrum*, &c. PONAM SEPULCRUM TUUM. *Inde puniens unde sperabas auxilium. Erit sculptile, & conflatile sepulcrum tuum, ut inter aras & pulvinaria adorantis idola, sanguis nefarius effundatur*, ait S. Hieronymus, quod propterea dicit, quia in templo Deorum suorum a filiis suis occisus est, IV. Reg. XIX. 37. ibique inhumatus iacuit. QUIA INHONORATUS ES: quia ob stragem exercitus tui ab Angelo percussi, & turpem fugam, contemptus a tuis civibus & filiis in templo occideris.

V. 15. ECCE SUPER MONTES, &c. quasi dicat: Nolite esse soliciti; iam mihi videor videre nuncium celeri cursu properantem, ut annunciet pacem, & omnia læta, & prospera Iudæis hoste interempto. FESTIVITATES TUAS: antea propter obsidionem intermissas. VOTA TUA: quæ Deo pollicitus es cum obsidereris. BELIAL: superbus scilicet, & crudelis Assyrius. Belial, ut alibi explicatum est, sine iugo significat, hoc est, eum, qui legis iugum excussit, qui nec rationi, nec divinæ le-

gi

gi obtemperat. UNIVERSUS INTERIIT: exercitus quidem in Iudæa, Dux vero, & princeps eius in urbe Ninive.

T I R I N I.

Vers. 1. ONus *a* NINIVE; id est, prophetia onerosa *Ninivitis*, *libro* a Nahum comprehensa & Ninivitis transmissa: neque enim adiit ipsemet urbem *Niniven*, uti Ionas adierat, inquit Arias.

V. 2. DEUS AEMULATOR. Hebraice, *fortis zelotes & ultor Iehova*, id est vehemens atque ardens amator suorum, & ultor hostium.

V. 3. MUNDANS NON FACIET INNOCENTEM *b*; id est, nullo modo declarabit Niniven mundam vel innocentem, puta perpetuo tacendo, patiendo, dissimulando: sed potius nocentissimam ac sordidissimam esse declarabit coram toto mundo, gravissime illam stato tempore puniendo. IN TEMPESTATE VIAE EIUS. Poetica catachresi describit pugnam Dei cum Assyriis, quasi magno impetu & frigore in eos irruentis, pulverem pedibus equorum *c* & rotis curruum suorum excitantis, eoque aerem obscurantis. Symbolice significat strepitum & multitudinem copiarum Chaldæarum & Medarum Ninivem aggredientium, oppugnantium & expugnantium.

V. 4. INCREPANS, *d* LXX. *comminans*, id est more increpantis & comminantis cogens MARE dividi vel *exsiccari*, coacti vel tranquillari, prout ei libuerit. Symbolice, mare & flumina designant copiam civium, militum & opum Ninivæ: sicut BASAN, CARMELUS ET *Libanus*, ubertatem frugum, fructuum & gregum: quæ omnia in excidio Ninivæ sustulit & exstinxit Deus.

V. 6. INDIGNATIO, ira & vindicta EIUS, ex nunc certo decreto EFFUSA EST *e*, & suo tempore etiam reipsa effundetur in vos Ninivitæ, & in omnes peccatores, ut solet e fornace conflatoria ferrum, æs, vel plumbum liquatum & ignescens, pertuso obice defluere instar *ignei* torrentis, *petras* & saxa & alia quælibet omnia momento incendentis & absumentis. Sed qui hostibus suis adeo terribilis est, amicis, vice versa summe & extreme

V. 7. BONUS est; LXX. χρηστός, id est suavis, beneficus, utilis, ut nunc, o Iudæi, experiemini in adventu potentissimi Assyriorum regis Sennacherib. Exanimes *f* enim metu *confortabit g*, ac roborabit; Hebraice est *maoz*, id est fortitudo, locus munitus, arx, præsidium erit suis Deus *in* omni *tribulatione*. Unde desumptum nomen Dei Antichristi. Deus *Maozim h*, id est Deus fortitudinum, id est *Mars*, ut vertit Pagninus. *Scit i* etiam, sed scientia approbationis & practica, seu efficaci, id est amat, charos habet, protegit, propugnat SPERANTES & confidentes IN SE. Uti experiemini.

*V.*8. IN DILUVIO PRAETEREUNTE; id est, in castris numerosis Sennacherib, instar diluvii inundantibus k & opplentibus Iudæam, inquit Rupertus & Lyranus: Deus enim CONSUMMATIONEM *l* FACIET LOCI EIUS; id est, consummate & plene perdet *locum*, id est Assyrios castrametantes in loco per tyrannum ad id delecto. Sed Theodoret. Clarius, Arias, Vatablus & a Castro, per diluvium hoc intelligunt exercitus Chaldæorum & Medorum, innumerabili multitudine, impetu & celeritate Assyriam invadentes, & urbem regiam Niniven obsidione cingentes, immo & diluvio aquarum obruentes, teste Diodoro Siculo *m*, qui scribit, supra quadringenta millia ex Chaldæis, Medis, Persis, Arabibus & Bactrianis (en hominum diluvium) ad Nínives expugnationem confluxisse: cumque biennali obsidione parum promovissent, tandem continuis imbribus exerescentem supra modum fluvium Tigrin, (en & aquarum diluvium) magnam urbis partem inundasse, & muros ad viginti stadia deiecisse, & hostibus ingressum fecisse. Quod etiam Nahum cap. sequenti indicat, cum vers. 6. ait: *Portæ fluviorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum*: & vers. 8. *Ninive quasi piscina aquarum: ipsi vero incolæ fugerunt*. Et his subscribunt S. Epiphanius, & Dorotheus *n* & alii complures.

V. 9. QUID DOMINUM Assyrii, COGITATIS MALA CONTRA DOMINUM, cum in ipsum blasphemi *o*, & in populum eius iniurii, tanto impetu ruitis ad excidendos Iudæos, sicut excidistis Samaritas? Ipse profecto vos consumet & disperdet, ut iam dixi: nec per-

permittet, *duplicem per vos consurgere tribulationem* adversus populum suum: ita Chaldæus, Arabicus & Syrus, cum S. Hieronymo, Remigio, Haymo, Lyrano & Hebræis; quasi dicat: Sufficiat vobis, quod Deo permittente regnum decem tribuum per Salmanassarem excideritis: non patietur clementissimus Dominus ut altera simili generali strage populum eius absumatis, reliquas duas tribus excidendo & perdendo. Sat enim pœnarum iam dederunt etiam hæ duæ tribus, in tot amicorum, immo fratrum suorum excidio & abductione. Quin potius Assyrii, dum in Iudæa & in obsidione Ierosolymæ,

V. 10. SICUT SPINAE SE INVICEM densis agminibus *complectentur*, epulantes, compotantes & obsessis insultantes, ex improviso manu angelica *p* sternentur, & QUASI *arida* STIPULA, igne cælestis ultionis absumentur. Pari modo, capietur a Chaldæis & Medis *Ninive*, cum cives muris & munitionibus suis præfidenter, conviviis & symposiis vacabunt: & ita factum scribit idem Diodorus *q*. Porro causa cladis tuæ

V. 11. EX TE, o Ninive, EXIBIT, nempe rex tuus Sennacherib, qui more priscorum gigantum, cum ipso Deo bellum gerere præsumit, populum, urbem, templum ipsi sacrum & tam charum subvertere studens & exscindere.

V. 12. ETSI PERFECTI FUERINT Assyrii copiis, opibus, viribus, ira ut nihil ipsi desit, ET ITA PLURES, ut Iudæi cum illis comparari non possint; tamen *attondebit* eos angelus suo gladio *pertransiens* & feriens: nempe, quasi capillos facillime ac celerrime quotquot volet resecabit, & sic PERTRANSIBIT atque evanescet omne illud robur exercitus Assyriorum: & ipse præ omnibus rex Sennacherib probrosa fuga *pertransibit* e Iuda in Assyriam, & ibi manu filiorum suorum *transibit* ex hac vita in gehennam: ita fere S. Hier. & alii supra citati. AFFLIXI TE, o Israel, o Iuda, satis superque pro culpis hucusque patratis: NON AFFLIGAM TE ULTRA, nisi novis sceleribus ad id me de novo coegeris.

V. 14. SUPER TE autem, o Sennacherib PRAECIPIET, decernet, sanciet DOMINUS, ut NON *seminetur* EX NOMINE TUO AMPLIUS; id est, ut deinceps nulli filii ex te procreentur, qui nomen & stirpem tuam propagent, inquiunt S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, Vatablus & Ribera: qui vero iam ex te pro creati sunt, exitio erunt tibi tuæque familiæ. Nam filii tui Adramelech & Sarassar propriis te manibus iugulabunt IN DOMO DEI TUI Nesroch *r*, *ibi* (sic vertit Chaldæus & Pagninus) PONAM SEPULCRUM TUUM: QUIA *enim* INHONORATUS e fuga Iudaica rediisti in patriam, non dignabuntur te subditi alio mausolæo: sed in ipso templo tam infami parricidio iam profanato, submotis inde omnibus idolorum quasi indignantium statuis ac sculptilibus, levi opere te tumulabunt. Assar hahdon autem filius tuus succedet quidem tibi, sed in probrum & in ruinam familiæ tuæ; nam tyrannide sua & aliis infamibus sceleribus, odium omnium in se provocabit, & sceptro exutus æmulæ illud familiæ transcribet, puta Nabuchodonosori Chaldæo, ut saltem ex non tua familia oriundo (ut dixi in Iudith & in Chronico *s*:) & sic exstincta familia tua, etiam regnum & monarchia ad exteros demigrabit.

V. 15. ECCE iam SUPER MONTES adsunt PEDES EVANGELIZANTIS tibi, o Ierosolyma, o Iudæa, cæsum, fusum, fugientemque regem Sennacherib, & pristinam *pacem* tibi redditam: *non pertransibit in te amplius Belial*, *t* id est impius ille & Deo rebellis Assyrius, iam enim totus vel cæsus, vel dissipatus, *interiit*: ita S. Hieron. Hugo & Vatablus. Allegorice, S. Cyrill. & Theophyl. hæc omnia adaptant diabolo, peccato & morti per Christum prostratis, cæsis, contritis.

(a) Isaiæ XIII. 2.
(b) Num. XXIV. 18. & Exodi XXXIV. 6.
(c) Ezech. XXVI. 20.
(d) Ps. CV. 9. & Marci IV. 39.
(e) Isaiæ XXXIII. 14. Iudic. V. 20.
(f) IV. Reg. XVIII. 14.
(g) Ibid. cap. XIX. 6.
(h) Dan. XII. 38.
(i) Exodi XXXIII. 12. &
(k) Tim. II. 19. & Matth. VII. 23. Isa. VIII. 7.
(l) Isaiæ X. 23.
(m) Diod. Lib. III. & V. hist.
(n) Epiph. & Doroth. in Vita Nahum.
(o) IV. Reg. XVIII. 35. & Isaiæ XXXVI. 20.
(p) IV. Reg. XIX. 35.
(q) Diod. Lib. III.
(r) Ibidem.
(s) Iudith. cap. I. 5. Chronici XXXIII. Assar. Haddon.
(t) Deut. XIII. 13. Proverb. VI. 12.

GOR-

GORDONI.

Verf. 1. ONus Ninive , &c. Vaticinium in Ninivitas, & futuram stragem denuncians: post pœnitentiam sub Iona narratur excisa Ninive ab Arbace, ex novis eorum sceleribus, ac demum iterum post aliquot reges & annos, nempe post excisam Ierusalem, eo spectare putatur hoc vaticinium. Ceterum quæ hic sunt de irato, zelante & potente Deo, continent minas excidii contra Assyrios & Ninivitas, ad quos statim hic initio dirigit hoc onus & visionem suam Nahum: contra, inquam, Ninivitas, hostes populi Dei, & post prædicationem Ionæ iterum & sæpius relapsos in scelera.

V. 3 Dominus patiens, et mundans non faciet innocentem, &c. Patiens tardus ad iram. Hebr. *longus naribus*, qui latas habent nares facile efflant fumos iræ: sic ex hoc modo loquendi Deus expectavit Ninivitas ad pœnitentiam: *nec tamen mundans faciet innocentes*; hoc est, non ibunt impune, sed ob scelera punientur: certe pati & tolerare ad tempus reum, non est absolvere a pœna. Demum quæ hic insequuntur, declarant quid possit Deus facere, ut sic sapere discant Ninivitæ. Sept. *nocentem*, *non innocentem faciet*. Sic Hebræi, *faciens faciet*: adde negationem, hoc est, non faciet.

V. 7. Bonus Dominus, et confortans, &c. Iam de Iudæis quos solatur: ergo ut impios punit ira Dei, ita pios ex misericordia & bonitate sua iuvat & promovet: sic in præsentia Propheta, sicut stragem denunciavit Assyrio Sennacherib, ita iam solatur Ezechiam, & obsessos ab Assyriis Iudæos. Hine vers. 8. In diluvio repentino evertet inundatio Niniven per Medos & Chaldæos; vel etiam deleto exercitu Sennacherib, misso contra Ezechiam, Esai. cap. VIII. 7. a neutra explicatione abhorret textus.

V. 9. Quid cogitatis contra Dominum, &c. Certant auctores, an hæc dicantur ad Iudæos pavidos adventante Sennacherib, an vero ad Assyrios: neutrum est improbabile. Placet tamen apostrophen esse ad Assyrios; ac si dicat Deus, frustra laboras: non consurget per te duplex tribulatio, exeissæ sunt ab Assyrio decem tribus, non tamen exeindes Iudam. Sed te ut stipulam exeindet Deus. Ex te exibit (vers. 11.) o Assyria Sennacherib, sed frustra, quamvis perfectos seu plurimos habeat secum: tamen eos attondebit Angelus percutiens. Hebr. שלמים *Uelemim*, *pacifici*, in pace & prosperitate, aut concordes, & hoc sensu perfecti (ut habet Vulgatus) perinde est: non affligam ultra Iuda, nempe non consurget illa duplex tribulatio. Pertransibit, pro pertransibunt; vel certe Sennacherib.

V. 14. Et praecipiet super te Dominus, &c. Sermo est ad Sennacherib: hoc Dominus decernet de te, ex quo fiet ut non seminetur in nomine tuo amplius: eris nempe sine liberis, regno, & idolis: nam Sennacherib post reditum in Assyriam occisus est a filiis, & Assaraddon filius regnavit quidem, sed non diu, ut satis observavi ad annum mundi 3271. & 3273.

V. 15. Et super montes pedes evangelizantes, &c. Percusso exercitu Sennacherib missi cursores ab Ezechia evangelizabant gaudium hoc magnum: nec defuere festivitates. Est certe hic allusio aliqua, dum Nahum alludit ad verba Isa. LII. 7. *quam pulchri pedes*, & proinde etiam ad Apostolos evangelizantes sub Christo.

Ex Eiusdem Auctario.

Verf. 1. Onus: prophetia tristis & gravis.

Verf. 8. Loci eius: urbium apud Assyrios.

Verf. 9. Duplex. Semel evertit Sennacherib decem tribus: non id faciet erga Iudæam.

Verf. 11. Et exibit: Sennacherib.

Verf. 12. Si perfecti fuerint: quamvis valeat robore & numero superes, tamen Angelus vos attondebit sub Ezechia. Afflixi te, Israel, Iuda, & Ierusalem; non tamen amplius per Assyrios: nam per Chaldæos postea contigit excidium urbis.

Verf. 15. Belial: crudelis Assyrus. Nomen Belial est homo exlex, sine iugo.

CA-

CAPUT II.

Obsidio Ninive eiusque a Chaldæis depopulatio, quia superbe egit contra populum Domini.

1. ASCendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. 2. Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel: quia vastatores dissipaverunt eos, & propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis: igneæ habenæ currus in die præparationis eius, & agitatores consopiti sunt. 4. * In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. 5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius, & præparabitur umbraculum. 6. Portæ fluviorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum. 7. Et miles captivus abductus est: & ancillæ eius minabantur gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis. 8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquæ eius: ipsi vero fugerunt: state, state, & non est qui revertatur. 9. Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. 10. Dissipata est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ. 11. Ubi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat? 12. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necavit leænis suis: & implevit præda speluncas suas, & cubile suum rapina? 13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, * & succendam usque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 4. *In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis.* Mascellinum *conturbati*, non est vertendum in femininum *conturbatæ*, iungendumque, cum *quadrigæ*.

Vers. 13. *Et succendam usque ad fumum quadrigas tuas.* Non facile substituendum est pronomen tertiæ personæ *eius*, pro secundæ *tuas*.

NOTATIO.

Vers. 4. IN *itineribus conturbati sunt: quadrigæ* (*eius* o. : *collisæ sunt* (*convulsæ* o. *avulsæ* o. *colliserunt* o.) *in plateis*. Quatuor manuscripta, Germani oblongum, Plantini medium, H, & Bussidianum pro *conturbati sunt* habent *conturbatæ sunt* femínino genere, quod ad *quadrigæ* referatur. Hebræa ambigua sunt ex se ad utrumque. Ceterum Hebræi ita interpunxerunt, ut

cum יתהוללו quod Interpres noster *conturbavi* dixit הרכב quod *quadrigæ* transtulit, copuletur: quomodo & Chaldæus & LXX. viri distinxerunt. Porro noster Interpres, ut facile potuit, aliter videtur distinxisse; יתהללו ab הרכב separasse; itaque transtulisse ut primum protulimus, *In itinentibus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt* &c. In primis enim sic ple aque exemplaria legunt etiam præstantissima. Tum enarratores id explicant, & disertissime ipse B. Hieronymus, cuius verba sunt: „ Rursumque ad descriptionis ordinem rediens: Tanta est, „ inquit, multitudo venientium, ut coniun„ ctum agmen sit in itinere, & discerni ne„ queat. Ipsæ quoque quadrigæ, dum viam „ non reperiunt præ multitudine inter se „ colliduntur in plateis. “

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. ASCENDIT, scilicet Nabuchodonosor. DISPERGAT, scilicet perdat, seu vastet. CORAM TE, id est te spectante, scilicet o Ninive, & dolente. OBSIDIONEM, scilicet donec te expugnet. CONFORTA LUMBOS, id est collige vires. ROBORA, &c. repetitio, seu explicatio præcedentis.

V. 2. REDDIDIT, id' est punivit. SUPERBIAM, scilicet Sennacherib, qua usus est, contra Iacob, id est Iudæos, seu Iudam. LXX. *iniuriam*, seu *contumeliam*. ISRAEL, scilicet qua contra Israelem usi Assyrii. VASTATORES, scilicet Assyrii. Eos, scilicet Israelitas. PROPAGINES, id est fructus, seu possessiones, vel filias. CORRUPERUNT, id est perdiderunt.

V. 3. EIUS, scilicet Nabuchodonosor. IGNITUS. Hebr. & Chald. *rubeus*, quod quidam interpretantur de laminis æreis, seu aureis scutorum, quæ ad solem eum colorem reddebant. IN COCCINEIS, scilicet vestibus. IGNEAE, scilicet auro ornatæ, quæ ad solem deinde ignitæ apparent. PRAEPARATIONIS, scilicet ad bellum. CONSOPITI, scilicet vino; quasi dicat, Velut temulenti nihil timentes.

V. 4. CONTURBATI, scilicet milites, quod viæ tam multos capere non possint, vel ordinate incedere non sinant. COLLISAE, scilicet inter se, quod eas nec latæ viæ capiant. LAMPADES; quasi dicat: Vultu pleno iracundia Chaldæi irruent: sic Psal. XVII. *Ignis a facie eius*, scilicet irati, *exarsit*.

V. 5. RECORDABITUR, scilicet Assyrius, ut se defendat. RUENT, id est cadent, scilicet interempti ab hostibus in viis. EIUS, scilicet Ninive. UMBRACULUM, scilicet ob æstum, ceterasque aeris iniurias. LXX. *propugnacula*.

V. 6. FLUVIORUM, id est populorum intra urbes conclusorum. LXX. *civitatem*. TEMPLUM forte pro templa.

V. 7. MILES. Chald. *Regina*. ANCILLAE EIUS, id est urbes subiectæ Ninive, scilicet earum cives. MURMURANTES, id est cum tacito seu tenui murmure dolentes. LXX. *loquentes*.

V. 8. AQUAE, id est populus, seu cives, scilicet loco amœno multi. STATE, STATE; quasi dicat, Frustra dicet quis, Subsistite. REVERTATUR, scilicet a fuga contra hostes.

V. 9. DIRIPITE, scilicet o Chaldæi. Vox militum se cohortantium ad prædam. FINIS. Hyperbole. EX; pro, in: vel subaudi, capite, vel diripite. DESIDERABILIBUS, id est pretiosis.

V. 10. DISSIPATA EST, scilicet Ninive. COR TABESCENS, &c. Descriptio exanimatorum, & viribus defectorum. FACIES, scilicet præ timore, seu mœrore, & afflictione. NIGREDO: contraria hæc luci, quæ in facie lætorum velut apparet.

V. 11. UBI EST; quasi dicat: O Assyrii, ubi est Ninive illa, ubi habitabant sævi Reges cum filiis, omniaque per orbem prædabantur? IVIT, id est se recipiebat ex præda. CATULUS, &c. quasi dicat, Cum filiis suis. EST; pro, erat.

V. 12. LEAENIS. Chald. *uxoribus*.

V. 13. AD TE, scilicet veniam puniturus. EXERCITUUM. LXX. *omnipotens*. USQUE AD FUMUM, id est dum in fumum vertantur. Chald. *igni*. LXX. *in fumo*. PRAEDAM TUAM, id est quod prædata es. NUNTIORUM. Chald. *legatorum*, scilicet ad alias urbes.

ESTII.

E S T H.

Verf. 2. QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM IACOB, SICUT SUPERBIAM ISRAEL. Cum ista prophetia non dirigatur contra Israel, nec contra Iudam, quæritur, quomodo propheta meminerit superbiæ Iacob & Israel? Ad hoc dupliciter respondetur. Hieron. exponit hoc modo: Sicut Dominus ultus est Iudam de superbia Sennacherib, interfecto exercitu eius in Iudæa, & ipso a filiis suis iugulato; sic ulciscetur Dominus Israel, id est decem tribus quæ a superbis Assyriis possidentur. Intelligit ergo Hieronymus per superbiam Iacob & superbiam Israel, eam quam hostes eius adversus eam declararunt. Alii per superbiam intelligunt magnificentiam, & sic exponunt: Restituet Dominus magnificentiam & dignitatem populi sui Iacob & Israel, subversis hostibus, a quibus opprimebantur.

V. 7. ET ANCILLAE EIUS MINABANTUR, id est ducebantur, quomodo grex ovium aut armentorum minari, & duci dicitur. Sic Exodi tit. de Moyse pascente oves Iethro soceri sui: *Cumque minasset gregem ad interiora deserti*. Et hanc esse vocis huius significationem hoc loco, manifestum est ex Hebræo & Græco, ut plane reiiciendus sit quorundam commentarius, de minis seu comminationibus, nescio quibus, istarum ancillarum. Nam & sequitur; *minabantur* GEMENTES, UT COLUMBAE, quod nullo modo videtur esse minas iactantium. Itaque & quod adiungitur; MURMURANTES IN CORDIBUS SUIS, de dolore tantum & amaritudine cordium intelligendum, non de minis.

M A R I A N AE.

Verf. 1. ASCENDIT QUI DISPERGAT CORAM TE. Ducat tuos, o Ninive, aut o Rex Assyriorum, in captivitatem. Is est Nabuchodonosor, ut Hieronymus explicat. CUSTODIAT OBSIDIONEM, id est obsidebit te. Hebr. *custodire munitionem*; pro, custodite arcem, o Ninivitæ, ne capiatur. CONTEMPLARE VIAM, per quam hostis venit. CONFORTA LUMBOS, id est vires assume quantas poteris, ut scilicet bellum defendas.

V. 2. QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM IACOB. Sept. *avertit Dominum contumeliam Iacob*. Hic *Iacob* pro decem tribubus accipi debet; & *superbia* active, pro ea qua illas tribus Assyrius oppressit, pro contumelia. Quidam *excellentiam* vertunt, quam reddidit Iudæis, aut Deus hostibus vindicaris, גאון *Ghaon*, pro *superbia* & pro *excellentia* sumitur. Sed quocumque modo, vindictam sumpturum de hostibus significat qui illas tribus oppresserunt. SICUT SUPERBIAM ISRAEL. Hic *Israel* pro tribu Iuda sumo, quam occiso Sennacherib vindicavit. Ergo, ut tribus Iuda sum ultus, sic decem tribus vindicabo, deleta Ninive. QUIA VASTATORES, &c. Hebr. *quia evacuatores evacuarunt eos*; hoc est, bona diripuerunt Assyrii, eorum & propaginem. Per *propagines* minora oppida intelligit, quæ simul & urbes vastarunt.

V. 3. CLYPEUS FORTIUM EIUS IGNITUS. Hebr. *ruber*, scilicet sole percutiente ruber & ignitus apparet. Loquitur de militibus, quos Ninive habebat, ad resistendum. VIRI EXERCITUS IN COCCINEIS. Hebr. *vermiculati*, id est in vestibus coccineis. Ex cocco vermis nascitur, ex quo color coccineus præstantissimus. Isai. 1. 18. *Si fuerint* (peccata) *rubra, ut vermiculus, velut lana alba erunt*. De eo vermiculo loquitur. IGNEAE HABENAE CURRUS. Sic Sept. Solis radiis igneæ videntur, quia ex ære, ne facile rumperentur. Hebr. *in igne* (id est ut ignis) *lampades currus*. Canthus ferreus efficiebat, ut per petras currentes currus scintillas emitterent. IN DIE PRAEPARATIONIS EIUS, cum ad bellum se comparant. ET AGITATORES CONSOPITI SUNT. Hebr. *& abietes venenatæ*, id est sagittæ, aut lanceæ, quæ ex ea arbore fiunt, sunt helleboro infectæ, noxiis herbis.

V. 4. IN ITINERIBUS CONTURBATI SUNT. Se agitatores seu milites mutuo impediunt. Hebr. *in plateis insanient currus*, id est ascensores currus, nescientes quo vadant, huc illucque discurrunt quasi insanientes. QUADRIGAE COLLISAE SUNT IN PLATEIS. Hebr. *coxis collident*, scilicet adscensores, aurigæ calcaribus equos incitabunt. QUASI FULGURA DISCURRENTIA. Hebr. *quasi fulgura current*, id est velociter.

V. 5. RECORDABITUR FORTIUM SUORUM; eorum, quos prius habuit, recor-

dabitur Assyrius, seu Ninive, eorum comparatione esse ignavos quos habet. RUENT, sive *offendent* in viis suis, id est cum ierint obviam hosti, in primo conflictu peiora ferent. VELOCITER ASCENDENT MUROS EIUS, scilicet urbis, se mœnibus tueri conabuntur diffisi viribus. ET PRAEPARABITUR UMBRACULUM. Vineas, musculos, pluteos hostes parabunt, ut muro succedant, illum dolabris diruant. Eas machinas *umbraculum* vocat. Chald. *turres aedificabunt*.

V. 6. PORTAE FLUVIORUM, id est urbis aperientur, prostrabuntur, quas *fluviorum* vocat, quia per eas, ut fluvius, populus egredietur. Aut quia ad flumen erant portae, per quas urbs est capta. *Fluviorum* dicit, quia in ea urbe plura erant flumina. TEMPLUM AD SOLUM DIRUTUM. Hebr. *templum*, sive *palatium liquefiet*, igne iniecto metalla liquescent.

V. 7. ET MILES CAPTIVUS. Hebr. *statio*, id est milites captivi iverunt. Chald. *Regina abiit captiva*. Quae הצב *Huzab* vocatur, aut quia sic vocabatur, aut quia Regi astabat: sic Hebr. Schol. nimirum ea voce deducta a יצב *iazab*, id est *stare*. ANCILLAE EIUS MINABANTUR, id est deducebantur. Hebr. *deducentes*, scilicet Reginam, eam comitantes. GEMENTES. Heb. *in voce columbarum*, id est gementes. MURMURANTES. Hebr. *tundentes instar tympani cor suum*, id est pectus, scilicet ut praeficae eiulabant.

V. 8. QUASI PISCINA, id est bonis referta & copiis erat Ninive. AQUAE EIUS, id est copiae, opes. Hebr. *a diebus*, scilicet antiquis erat ea opulentia multo tempore congesta. IPSI VERO FUGERUNT, scilicet cives non sunt ausi eas copias defendere. STATE, STATE; scilicet hostis id dicebat, ne fugerent. NON EST QUI REVERTATUR. Heb. *qui respiceret*, scilicet retro. Effusa fuga erat; nihil aliud curabant. Sept. *non erat qui respiceret*.

V. 9. DIRIPITE. Milites inter se ad praedam incitant. Aut Prophetae sunt voces. ET NON EST FINIS DIVITIARUM, &c. Hebr. *non est finis apparatus, gloria ex omnibus vasis desiderabilibus. Gloria*, id est divitiae constant ex omni vase pretioso, quod desiderant homines.

V. 10. DISSIPATA EST, ET SCISSA. Heb. *evacuata*, & *exinanita*. DISSOLUTIO, Hebr. *collisio genuum*. DEFECTIO seu *debilitas*. ET FACIES OMNIUM EORUM SICUT NIGREDO OLLAE. Hebr. & *facies omnium eorum contraxerunt nigredinem*. Pingit cives Ninives quasi aegrotos ex gravi morbo, nigros prae metu & moerore.

V. 11. UBI EST HABITACULUM LEONUM, id est lustrum. Ironia est. AD QUAM. Sept. & Chald. *quo ivit leo*. Gotth. *ad quem ivit leo, ut ibi moraretur sine timore*; hoc est, quomodo evanuit vestra superior ferocia, quo abiit, o Ninivitae?

V. 12. LEO CEPIT, rapuit. SUFFICIENTER, quod sufficit catulis, seu *abundanter*. *Sufficere* & modum, & copiam significare potest, ut & די *dai* Hebr. ET NECAVIT, seu *suffocavit*, e praeda scilicet. LEAENIS SUIS: supple, quod illis sufficit. SPELUNCAS SUAS. Heb. *foramina sua*. ET CUBILE SUUM. Hebr. & *habitacula sua rapina implevit*. Per *foramina* & *habitacula*, lustra intelligit. Ergo non est mirum, si tam multas copias habebatis, quia leonum instar multa rapuistis, multos oppressistis.

V. 13. ET SUCCENDAM USQUE AD FUMUM, quousque a longe positis, fumus incendii videatur. ET LEUNCULOS TUOS, milites, filios. ET NON AUDIETUR ULTRA VOX NUNTIORUM TUORUM. Imperio stante cursores, ut fit, mittebat ad alios Reges; deleto Imperio id cessabit.

MENOCHII.

Vers. 1. ASCENDIT, id est brevi ascendet, contra te, o Ninive, hostis Chaldaeus. QUI DISPERGAT. Hebr. מפיץ *mephits*, id est confringat, conterat, dissipet, disperdat tuos agros, villas, munitiones, opes, incolas, &c. CORAM TE: in oculis tuis; te spectante, & gemente. QUI CUSTODIT OBSIDIONEM: qui te clausam & obsessam teneat, nec quemquam egredi patiatur. CONTEMPLARE VIAM: adhibe speculatores, qui tibi nuncient hostium adventum. CONFORTA LUMBOS, id est vires collige. ROBORA VIRTUTEM: congrega exercitus, & quae ad bellum sunt necessaria, & opportuna.

V. 2. QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM IACOB. Sententia est, Si Deus superbiam Iacob, id est duarum tribuum, & su-

& superbiam Israel, id est decem tribuum impunitam abire non permisit, sed pro superbia eorum, & contumacia, qua divinæ legi fuerunt inobedientes, & idola pro vero Deo coluerunt, variis cladibus attrivit; quid de Assyriis fiet, quos pari indulgentia, & amore non complectitur ut populum suum. VASTATORES: barbaras nationes, quibus vastata est Iudæa, & decem tribus. PROPAGINES EIUS CORRUPERUNT: per propagines, vel opes, vel filios, & nepotes, vel tribus, & familias, vel minora oppida, suburbia, & circumiectos vicos intelligit.

V. 3. FORTIUM EIUS: militum scilicet Chaldæorum. IGNITUS: splendidus, & corufcus, auro illitus. IN COCCINEIS: veste purpurea amicti, qui habitus procerum est, & nobilium. IGNEAE HABENAE CURRUS: auro rutilantes, & in solo splendentes, ut ignis. IN DIE PRAEPARATIONIS EIUS: scilicet ad bellum; quasi dicat: Si quis contempletur Chaldæorum apparatum, videbit omnia auro splendere, clypeos, habenas, &c. AGITATORES CONSOPITI SUNT: scilicet vino; quasi dicat: Chaldæi agitatores velut tumulenti nihil timent: irruunt in pugnam ferociter ut temulenti. Alii de Assyriis hoc dictum putant, ut sensus sit, Velociter ad vastandam Niniven venient Chaldæi, cum Assyrii equites antea in agitandis equis egregii, & celebres, vel erapula, vel desidia; vel pavore fuerint consopiti. Ita explicat D. Hieronymus, & ex recentioribus Ribera, & Cornel. quam interpretationem si sequamur, dicendum est Nahum, ut solent prophetæ, a Chaldæis de quibus loquebatur, ad Assyrios repente sermonem convertisse.

V. 4. IN ITINERIBUS CONTURBATI SUNT; id est, tanta est multitudo venientium Chaldæorum, ut commixtum sit agmen itinere, & perturbatum, ut discerni nequeat. QUADRIGAE COLLISAE SUNT IN PLATEIS: quadrigæ Chaldæorum per plana loca, & spatiosa decurrentes præ multitudine viam non invenientes, mutuo inter se collidebantur. ASPECTUS ILLORUM QUASI LAMPADES: scintillas quodammodo e vultu irato emittentes. Vel, fulgebunt ob armorum splendorem, ut lampades. QUASI FULGURA: velociter scilicet discurrentes.

V. 5. RECORDABITUR FORTIUM SUORUM: recensebit milites suos. RUENT IN ITINERIBUS SUIS: dum properant plus iusto, ut Niniven adoriantur, & expugnent. MUROS EIUS; scilicet, Ninives. PRAEPARABITUR UMBRACULUM: figentur tentoria, ne obsidentes sub dio esse cogantur. Pagninus vertit, *præparabitur operimentum e tabulis, pellibusque confectum*. Cornelius de testudine interpretatur, ad id instructa, ut muri ariete quati possint. PORTAE FLUVIORUM APERTAE SUNT. Portæ Ninives, & aliarum civitatum, per quas prodire solebat magna hominum multitudo instar fluvii. Vel per fluvios metaphorice intelligit copias Chaldæorum, quæ muris, & portis Ninives, quasi aggeribus cohibitæ, iis vi perruptis, urbem inundarunt, & vastarunt. TEMPLUM AD SOLUM DIRUTUM EST. Templum idoli Nesroch, quod a Ninivitis colebatur, per quod significatur totius urbis ruina.

V. 7. MILES: qui Niniven custodiebat. MINABANTUR: ducebantur. ANCILLAE EIUS; id est mulieres captivæ, & ancillæ factæ. MURMURANTES IN CORDE SUO: obscuro murmure gementes, lacrymas suas devorantes, & eiulatum tollere non audentes.

V. 8. QUASI PISCINA AQUARUM AQUAE EIUS; quasi dicat: Licet Ninive aquis abundaret, cum sita sit ad fluvium Tygrim, non tamen illam aquarum copia defendit a Chaldæis. IPSI VERO FUGERUNT: scilicet milites Assyrii, quibus urbis custodia credita erat. STATE, STATE: vox est Ninives, aut prophetæ; cur fugitis? cur non pugnatis?

V. 9. DIRIPITE ARGENTUM, &c. se mutuo Chaldæi adhortantur ad direptionem. NON EST FINIS, &c. scilicet vasorum, & pretiosæ supellectilis, qua urbs abundat; numquam exhaurietis, adeo plena est.

V. 10. DISSIPATA EST, &c. idem significant hæc tria, sed per amplificationem iunguntur & acervantur. Dissipatæ, & dirutæ sunt domus, mœnia, & templa, publicæ, & privatæ ædes eversæ. COR TABESCENS: timore dissolutum, & liquefactum. DISSOLUTIO GENICULORUM, *tremor genuum*, ut aliqui vertunt. Vatablus; *collisio genuum*, ut accidit iis, qui magno timore percelluntur. DEFECTIO IN CUNCTIS RENIBUS. In lumbis est magna

pars roboris animalium; quare lumborum, aut renum defectio, magnam virium defectionem significat. SICUT NIGREDO OLLAE: facies enim destituta spiritibus a corde transmissis, ut accidit in magno timore, expallescit, nigrescit, & obscura redditur; sicut e contrario, qui læti sunt, quasi luce quadam perfusi videntur.

V. 11. UBI EST HABITACULUM LEONUM? Amara irrisio; quasi dicat: O Assyrii, ubi est Ninive illa, in qua sævi habitabant Reges cum filiis, omniaque circumprædabantur? AD QUAM IVIT LEO: in quam Rex Assyrius se recipiebat ex præda. CATULUS LEONIS, id est & filii eiusdem regis. NON EST QUI EXTERREAT: non erat qui ex cubili, & lustro illo per vim posset excutere, aut quietam regni possessionem turbare.

V. 12. LEO: rex Assyrius. CATULIS SUIS, pascendis; filios intelligit; ut per leænas, uxores.

V. 13. ECCE EGO AD TE; quasi dicat: O spelunca leonum Ninive, veniam ut te per Chaldæos debellem, puniam, & evertam. USQUE AD FUMUM: ut penitus vertantur in fumum. Italice diceremus, *Farò andare in fumo*. EXTERMINABO DE TERRA PRAEDAM TUAM: faciam ut amplius non præderis. Vel, exportabitur e terra tua id quod prædata es. NUNCIORUM TUORUM: legatorum, quos ad urbes mittebas, imperans eis tributum aut deditionem &c.

TIRINI.

Vers. 1. ASCENDIT contra te, o Ninive & Medus QUI CORAM TE, id est in oculis tuis, in suburbana tua DISPERGAT *a* copias suas militares, quibus dissipabit ac disperdet omnes aggeres, ac munitiones tuas, *&* biennio toto *custodiet* OBSIDIONEM, arctissime te concludens omni ex parte: ita Hebræi, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, Clarius, Ribera, a Castro, a Lapide. CONTEMPLARE e speculis tuis VIAM qua undique ad te cingendam accurrunt: CONFORTA LUMBOS, collige quidquid virium habes, ut adventantibus resistas.

V. 2. QUIA REDDIT DOMINUS, Ninivitis SUPERBIAM, id est debitam *superbia* ac tyrannidi exercitæ tam per Sennacherib *b* in IACOB, id est in duas tribus toti familiæ Iacobi reliquas, quam in *Israel*, id est in regnum decem tribuum per Teglath-phalasar *c* & Salmanassar *d*: qui PROPAGINES, id est familias EORUM, partim excidio, partim abductione & exilio CORRUPERUNT: ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, immo & LXX. Nunc ergo primam Chaldaici & Medici exercitus aciem contemplare:

V. 3. CLYPEUS FORTIUM EIUS, qui in prima acie collocantur, IGNITUS, id est aureus est vel ex aurichalco *e*: VIRI induti COCCINEIS, id est purpureis vestibus; quasi dicat: Nobiles omnes erunt, ac proinde generosi, strenui, imperterriti milites, qui ignem & æstum internum animi, & sitim sanguinis, etiam externa veste sanguinea & quasi ignita contestentur. Et hæc est ratio cur non modo olim, Medi, Persæ *f*, Græci *g*, Romani *h* Hispani *i* sed & nunc Galli ac Germani, saltem nobiliores milites veste utantur purpurea, ut fuse docet Martinus de Roa *k*. Additque ipsos hoc etiam habitu sanguineo exprimere velle, promptos se paratosque pro rege suo, pro republica sanguinem profundere. Ut & Cardinales sua purpura testantur, se pro Christo & pro Ecclesia paratos proprio sanguine purpurari. Nunc ad secundam aciem. IGNEAE, id est aureæ, & instar ignis fulgentes, HABENAE CURRUS IN DIE PRAEPARATIONIS, seu expeditionis bellicæ. Pro *habenis*, Chaldæus, Tigurini, Vatablus, Pagninus Rabbini vertunt *lampades* vel tedas; quasi dicat: Currus eorum falcati tanta rapiditate ferentur, ut ferro rotarum versantium ad silices alliso, ignis emicet undique instar facis vel fulguris: *&* *agitatores* curruum peritissimi ac dexterrimi, vino insuper, vel (si mavis) furore CONSOPITI SUNT: non quoad sensus aut præsentiam animi, sed quoad apprehensionem periculi vel metum prælii; quasi dicat: Adeo ardentes & precipites feruntur in pugnam, ut furor illis & vinum mentem omnem & consilium eripuisse videantur, inquit Sanchez.

V. 4. IN ITINERIBUS tanto numero, tanta celeritate, tanto impetu discurrunt, ut non raro sese invicem *conturbent* *&* *collidant*, ac collisione ignem flammasque excitent: ita S. Hieronymus, Remigius, Ru-

Rupertus, Hugo, Lyranus, Aria & a Lapide.

V. 5. Recordabitur fortium suorum; quasi dicat: Ad Ninives expugnationem feliget Nabuchodonosor & Cyaxares fortissimos quosque suorum exercituum, qui impetu muros petant: hi tanto numero & contentione & velocitate adcurrent & involabunt, ut subinde corruant per viam. Praeparabitur nihilominus, & muris suffodiendis aut ariete quatiendis admovebitur umbraculum, id est testudo *l*, seu machina ligneis tabulatis contexta, & coriis ciliciniis, adversus ignes contecta, sub qua delitescebant qui arietem agebant, vel muros suffodiebant. Eius loco successit alia, non multum alteri absimilis, modernae militiae machina, quam *galeriam* seu porticum vocant, quod sub ea, tamquam sub tuta & commoda porticu pateat transitus & accessus ad murum vel vallum hostilem suffodiendum. Suffossae hoc modo, & arietibus concussae.

V. 6. Portae fluviorum, id est portae quae ducunt ad fluvium, seu ad brachia fluvii Tigris, accedente eiusdem fluvii inexspectata eluvione, de qua cap. 1. 8. exesis fundamentis, collapsis muris, apertae sunt: et templum Ninives, forte Nesroh *m* opibus ac fama celebre, inquit Lyranus, eadem exundatione *dissolutum est*, ut vertunt Tigurini, & *solo* aequatum; LXX. *regalia*, id est regium palatium & vicina (ut fit) palatio basilica, *consciderant*.

V. 7. Miles Ninivae praesidiarius, hostium superventu obrutus, *captus* & in carcerem abductus est; LXX. *Et substantia revelata est*, id est opes omnes & thesauri Ninives patuerunt Chaldaeis & Medis: Chaldaeus vertit, *Et regina quae* in regia *sedebat* regi *assistens*, *in captivitatem abiit*. Hebraeum enim *hatzach* vel *hutzab* significat in genere subsistentem vel *stantem*, quod Noster de milite statario; LXX. de substantia seu opibus; Chaldaeus de regina regi assistente exposuit; Pagninus ipsum Hebraeum nomen *hutzab* quasi proprium reginae retinuit, vertitque, *Et Hutzab regina captiva ducta est, & currum ascendere iussa*. Et ancillae eius, virgines ac matronae nobiles, nunc captivae quasi mancipia, immo quasi pecudes minabantur *n* ab hoste, & gregatim abducebantur in servitutem, nec audebant ipsae metu vel eiulare vel queri; solum secreto gemebant & murmurabant in corde.

V. 8. Interim tota urbs Ninive quasi piscina, seu lacus, erat aquarum plena ubique & scatens aquis, quas Trigis effractis muris in eam effunderat, sitam loco humili & paludoso, ut Herodotus & Diodorus *o* testantur. Ipsi vero incolae eius & milites praesidiarii, viso hoste, *diffugerunt*: frustra principibus Ninives inclamantibus, *state* viriliter, *state* intrepidi, & hosti resistite. Melius auscultabunt Chald. & Medi ducum suorum monitis:

V. 9. Diripite argentum omne et aurum tot saeculis in unam urbem congestum: *vasa* eius & monilia ut numero infinita, sic specie sunt pulcherrima ac pretiosissima. Atque ita.

V. 10. *Dissipata* sunt opes & thesauri Ninives, & urbs in frusta *conscissa* et dilacerata: incolis cor erat tabescens dolore, pavore, nimiaque angustia. Inde dissolutio, tremor & collisio geniculorum: defectio *renum*, seu lumborum & virium: denique vultuum nigredo instar ollae, de qua alibi *p*.

V. 11. Ubi nunc est speciosa illa & superba Ninive, spelunca & habitaculum leonum, regia sedes Assyriacorum praedonum ac tyrannorum? in qua quasi in pascuis uberrimis & deliciosissimis aeque ac tutissimis, pascebant se reges & regum filii spoliis & praedis totius orbis terrarum.

V. 12. Sufficienter iam cepit ac praedatus est leo iste Assyrius, ut catulis ac leaenis, id est filiis ac filialibus, vel potius uxoribus ac concubinis, suis epulum instruat opiparum.

V. 13. Ecce ego ad te, o Ninive, subvertendam & exscindendam per Chaldaeos & Medos, adsum in procinctu. Quadrigas tuas, id est omne robur bellicum, omnia arma, quibus te restituram praefidis, in fumum & flammam convertam. *Neque* ultra audietur vox nuntiorum & emissariorum tuorum: quos vel ad urbes debellandas, vel ad tributa colligenda, vel ad alia imperia exequenda solebas per universum orbem desti-

destinare : ita Remigius, Albertus, Hugo & alii.

(a) Nahum I. 9.
(b) IV. Reg. XVIII. 13.
(c) IV. Reg. XV. 29.
(d) Cap. XVII. 3. & seqq.
(e) III. Reg. XIX. 45.
(f) Xenophon Lib. VI. Cyropædiæ.
(g) Homer. Iliad. & Plutarchus in Antiocho & Cleomene.
(h) Lipf. Lib. IV. militiæ. Rom. c. XII.
(i) Diodor. Lib. VI.
(k) Roa Lib. I. Singular. cap. II.
(l) Procop. Lib. I. Belli Gothici & Valtrin. Lib. V. de Re militari cap. VI.
(m) Nahum I. 14.
(n) Exodi XII. I.
(o) Herod. Lib. I. Diodor. Lib. III.
(p) Ioel. II. 6. Isaiæ XIII. 7.

GORDONI.

Vers. 1. ASCENDIT QUI DISPERGAT, &c. Ascendit; hoc est, brevi ascendet contra te Ninivem hostis, qui te evertet. Quod magis cohæret instituto Prophetæ, qui totus est contra Ninivem; quam si quis hic intelligat obsidionem Ierosolymæ.

Ceterum excidium Ninives, de quo in præsentia, non est illud quod aliqui narrant contigisse sub Sardanapalo: hic enim Sardanapalus æqualis fuit Oziæ. Nahum autem prophetat sub Ezechia: vide quæ dixi in opere chron. qq. cap. V. num. 18. de sæpius eversa Ninive; ut notatum etiam fuit Tobiæ cap. ultimo. Hoc excidium sane accidisse debuit circa tempus excidii Ierosolymitani: & forte aliquantulum post initium tertiæ captivitatis: sic Cornelius hoc loco ad Nabuchodonosorum retulit.

V. 2. REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM IACOB ET ISRAEL, &c. hoc est, ut plerique interpretantur, vindicabit in excidio Ninive superbiam Assyriorum contra decem tribus & Iudam, quia vastatores fuerunt populi Dei.

V. 3. CLYPEUS FORTIUM, &c. Hi sunt Chaldæi & Medi vastatores Ninives: viri fortes & nobiles: proinde vestiti coccineis chlamidibus. Habenæ sunt igneæ, auro scilicet ornatæ, quæ ad solem apparent igneæ: homines vino consopiti, seu nihil timentes, ac si essent ebrii. CONTURBATI vers. 4. dum præ multitudine non servantur ordines.

V. 5. RECORDABITUR FORTIUM SUORUM. Hoc spectat ad obsessos Ninivitas: aliqui etiam hæc verba referunt ad obsidentes Chaldæos: utroque modo possunt exponi, vel de trepidatione intra urbem, & perturbatione, vel de virtute obsidentium, quibus capta civitate pæparatur umbraculum in tanto æstu.

V. 6. PORTAE FLUVIORUM APERTAE SUNT, &c. Sept. *portæ civitatis apertæ sunt*, expugnatio describitur, & quod inde sequutum est.

V. 8. & 9. ET NINIVE QUASI PISCINA, &c. Describitur desolatio urbis. STATE, STATE, irrisio est dicta fugientibus: DIRIPITE, vox Chaldæorum, concisa oratio est. Sic describit, vers. 11. tandem Ninivem ut speluncam leonum, quod habet causam excidii.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. ASCENDIT: mox ascendet contra Niniven Chaldæus.

Vers. 8. Licet Ninive sita sit ad aquas & Tygrim, non tamen eam defendent aquæ a Chaldæis.

Vers. 9. DIRIPITE. Chaldæi se mutuo exhortantur, quia NON EST FINIS, est ingens vasorum numerus.

Vers. 10. NIGREDO OLLAE. Pallescit facies, quando præ timore ad eam non emittuntur a corde spiritus. Per leonem, catulum & leænam accipio Assyrum Regem, filium, & Reginam.

CA-

CAPUT III.

Ninive urbs sanguinum sub nomine adulteræ vastanda prædicatur: quod exemplo Alexandriæ a Babyloniis devastatæ confirmatur: nec erit qui Ninive condoleat, aut eam consoletur super ipsius devastatione.

1. VÆ civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione
plena: non recedet a te rapinas. 2. * (a) Vox flagel-
li, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & qua-
drigæ ferventis, & equitis ascendentis: 3. & micantis
gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ,
& gravis ruinæ: nec est finis cadaverum, & corruent
in corporibus suis. 4. Propter multitudinem fornicatio-
num meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis male-
ficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis
suis. 5 (b) Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & revelabo pu-
denda tua in facie tua, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis
ignominiam tuam. 6. Et proiiciam super te abominationes, & contumeliis
te afficiam, & ponam te in exemplum. 7. Et erit: omnis, qui viderit
te, resiliet a te, & dicet: Vastata est Ninive: quis commovebit super te
caput? unde quæram consolatorem tibi? 8. * Numquid melior es Alexan-
dria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu eius: cuius
divitiæ, mare: aquæ, muri eius. 9. AEthiopia fortitudo eius, & AEgy-
ptus, & non est finis: Aphrica & Libyes fuerunt in auxilio tuo. 10. Sed
& ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem: parvuli eius elisi
sunt in capite omnium viarum, & super inclytos eius miserunt sortem,
& omnes optimates eius confixi sunt in compedibus. 11. Et tu ergo ine-
briaberis, & eris despecta: & tu quæres auxilium ab inimico. 12. Omnes
munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in
os comedentis. 13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: * inimicis
tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.
14. Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra
in lutum, & calca, subigens tene laterem. 15. Ibi comedet te ignis: pe-
ribis gladio, devorabit te ut bruchus: congregare ut bruchus: multiplica-
re ut locusta. 16. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellæ sint cæli:
bruchus expansus est, & evolavit. 17. Custodes tui quasi locustæ: & par-
vuli tui quasi locustæ locustarum, quæ consident in sepibus in die frigo-
ris: sol ortus est, & avolaverunt, & non est cognitus locus earum ubi
fuerint. 18. Dormitaverunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes
tui: latitavit populus tuus in montibus, & non est qui congreget. 19.
Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audie-

 runt

runt auditionem tuam, & compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?

(a) Ezech. xxiv. 9. Habac. ii. ii. (b) Isa. xlvii. 3.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. 3. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ & equi frementis, & quadrigæ ferventis, & equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ & multitudinis interfectæ & gravis ruinæ*. Quidam libri magnam horum nominum partem scribunt primo casu numeri pluralis: *Et quadrigæ ferventes, & equites ascendentes, & micantes gladii & fulgurantes hastæ, & multitudines interfectæ, & graves ruinæ;* Sed retinendus est ubique secundus casus numeri singularis.

Vers. 8. *Numquid melior es Alexandria populorum*. Non præponas præpositionem *ab* nomini *Alexandria*.

Vers. 13. *Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ*. Una vox abbativi casus *adapertione*, non est distrahenda in duas *ad apertionem:* nam *adapertione pandentur;* hoc est, aperiendo aperietur.

NOTATIO.

Vers. 2. & 3. VOx *flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis* (*furentis* o.) *& equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ*. Sic plerique nostri codices legunt, Lobiensis, Leodiensis, Q, L, A, &c. Duo Brugensis, & Plantini medius habent *: Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementes* (*frementis* o.), *& quadrigæ ferventes* (*ferventis* o.) *& equites ascendentes, & micantes gladii, & fulgurantes hastæ, & multitudines* (*multitudinis* E.) *interfectæ, & graves* (*gravis* E.) *ruinæ*. His Hunnæi, E. & O. litteris signata exemplaria ex parte consonant, id quod indicavimus. Notantur quinque Hentenii & duo Parisiensium antigrapha, illo omnia modo legere præter *equi frementes*. Prior autem lectio Hebræo conformior est: quamquam enim tam primo casu quam secundo verti possit, omnia numero habet singulari, & is quidem pro plurali accipitur: sed priori legendi modo manifeste Hieronymus, Auctor Glossæ, Carensis, ac Richelius suffragantur. Hieronymus: „ Vox flagelli, inquit, crudelis semper & sævientis imperii & vox impetus rotæ: vocem pro sonitu accipiamus; rotam ferventem per diversa discursum. Et equi frementis, & quadrigæ ferventis, subauditur in omnibus vox". &c.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. CIVITAS, scilicet Ninive. SANGUINUM, id est peccatorum, seu homicidiorum, scilicet plena. MENDACII, scilicet plena. LXX. *mendax*. DILACERATIONE; quasi dicat, Crudelitate. LXX. *iniquitate*. RECEDET; pro, recedit; quasi dicat, Semper rapinæ intenta; vel, & in te hostes rapinam exercebunt.

V. 2. VOX, scilicet brevi audietur; vel quasi dicat, Audire mihi videor. FLAGELLI, scilicet aurigæ. FERUENTIS. Sic LXX Chald. *subsilentis*.

V. 3. CORRUENT, &c. quasi dicat, Impingent AEgyptii in suorum cadavera. Chald. *impingent in trucidatos suos*.

V. 4. FORNICATIONUM, scilicet idololatriæ. SPECTOSAE, scilicet Ninive, quæ *pulchra* interpretatur. GAZAD, scilicet oculis amatorum. HABENTIS MALEFICIA; quasi dicat, Veneficæ, seu superstitionibus deditæ. VENDIDIT, id est tradidit hostibus; quasi dicat: Propter cuius peccata multi ab hostibus occisi, seu capti.

V. 5. EXERCITUUM. LXX. *omnipotens*. PUDENDA. Perstat in metaphora meretricis; quasi dicat: Te afficiam ignominia. IN

PA-

FACIE TUA: pro, in faciem tuam usque sublatis vestibus. NUDITATEM. LXX. *turpitudinem*. IGNOMINIAM: repetitio, scilicet est ignominiosum mulieri nudari.

V. 6. PROIICIAM, &c. quasi dicat, Puniam in te tua scelera. ET CONTUMELIIS, &c. Chald. *teque execrandam reddam, & ponam fœdissimam in oculis omnium videntium te*. CONTUMELIIS, &c. quasi dicat, Faciam ut te omnes conviciis prosequantur ob tua peccata. Explicatio est præcedentium. EXEMPLUM, scilicet Dei iudicii, seu punitionis.

V. 7. RESILIET, scilicet præ timore, vel stupore. Chald. *procul recedet*. COMMOVEBIT, scilicet condolens tibi. Chald. *quis condolebit tibi?*

V. 8. MELIOR, id est fortior, vel dignior. ALEXANDRIA, scilicet quam tamen expugnavit Nabuchodonosor. Vide Ierem. XLVI. vel expugnabit: vide inf. POPULORUM, id est populosa. Chald. *magna*. IN FLUMINIBUS. Chald. *inter flumina*. MARE, scilicet ob merces importatas.

V. 9. FORTITUDO, scilicet suppeditando milites. NON EST FINIS, id est præterea aliæ regiones; vel, nec est finis numerandi milites. APHRICA ET LIBYES, scilicet præcipue. Chald. *Libyi & Lidii*. TUO, scilicet o Alexandria. LXX. *eius*.

V. 10. DUCTA EST; pro, ducetur. Chald. & LXX. *ibit*: & sic infra ubi nos legimus per præterita, ita illi vertunt per futura; scilicet quando id prædicebatur a Nahum, nondum eversa erat, sed tamen ante Ninivem evertenda. CONFIXI. LXX. *alligati*.

V. 11. INEBRIABERIS, id est calice iræ Dei potaberis abunde. AB INIMICO, id est propter hostem, scilicet ut te defendas: vel ab his qui tibi erant inimici, cogeris opem petere in eo bello.

V. 13. MULIERES, id est ut mulieres, scilicet imbecilles, nec se defendere valentes. VECTES TUOS, id est portas urbium. Chald. *robur tuum*.

V. 14. OBSIDIONEM, scilicet diu duraturam. EXTRUE. Chald. *obfirma*. LATEREM, scilicet ad obturanda dirupta, & reficienda; quasi dicat: Nihil tibi omnia ista proderunt.

V. 15. BRUCHUS, scilicet qui omnia consumit. CONGREGARE, &c. quasi dicat: Quantumcumque multiplices milites, nihil efficies: vel congrega sane opes instar bruchorum & locustarum, ut soles, nihil tibi proderunt.

V. 16. NEGOTIATIONES, scilicet ad quæstum & opes cumulandas. EXPANSUS, &c. quasi dicat: Multitudo ista tuarum opum cito a te avolabit.

V. 17. CUSTODES; scilicet fortiores viri. QUASI LOCUSTAE, scilicet multitudine. PARVULI, id est inferiores milites viribus. LOCUSTAE LOCUSTARUM, id est plurimæ, vel soboles locustarum; quasi dicat, Pæne infiniti. AVOLAVERUNT, scilicet sic te tui destituent. NON ES COGNITUS, &c. quasi dicat, Ne vestigium quidem mansit.

V. 18. DORMITAVERUNT, &c. quasi dicat, Principes tui velut dormientes nihil te iuvabunt. Chald. *fracti sunt fortes tui*.

V. 19. NON EST OBSCURA, &c. quasi dicat, Nota erit omnibus. LXX. *non est sanitas contritionis tuæ*. PESSIMA; quasi dicat, Mortifera. AUDITIONEM TUAM, id est famam, seu rumorem de tua calamitate. COMPRESSERUNT, scilicet stupentes, vel insultantes. Chald. *comploserunt manibus suis super te latantes*. LXX. *plaudent*. MALITIA TUA; quasi dicat, Quem non afflixisti? Chald. *plaga nequitiæ tuæ*.

E S T I I.

Vers. 18. DORMITAVERUNT PASTORES TUI REX ASSUR: SEPELIENTUR PRINCIPES TUI. Eosdem vocat propheta pastores quos principes; significans officium omnium eorum, qui populo præsunt, sive civiliter, sive spiritualiter, esse; non dominari in populo, aut pro imperio aut animi voluptate agere, sed populum pascere; id est, omne studium suum, & administrationem conferre ad utilitatem, & salutem populi. Unde David Psal. LVII. dicit se constitutum a Domino, *pascere Iacob servum suum, & Israel hereditatem suam*. Et II. Reg. ult. ubi nos legimus Davidem dixisse: *Ego sum qui peccavi, & ego inique egi;* Septuaginta habent: *Ecce ego sum qui inique egi, & ego sum pastor qui male feci*. Nec tantum sacræ litteræ hoc pacto loquuntur, sed & apud Homerum legimus principes Græcorum pastores appellatos.

MARIANAE.

Verſ. 1. CIVITAS SANGUINUM, cædibus plena. Reddit rationes tranſlati Imperii ad Chaldæos. UNIVERSA MENDACII, ſeu *mendacia*, aut *mendaciis plena*, ut Chald. DILACERATIONE PLENA, id eſt præda plena; quæ *præda*, *laceratio* etiam Hebr. vocatur *tereph*, quia qui per vim extorquet aliquid, illud lacerat. NON RECEDET A TE RAPINA, numquam a rapiendo deſiſtes.

V. 2. VOX FLAGELLI. Sic vocat virgam, qua currus equi incitantur. Aut *flagellum* vocat afflictionem, quæ hoſtis adventu inſtabat. Hieronymus: *Vox flagelli, crudelis ſemper & ſævientis imperii*. ET VOX IMPETUS ROTAE. Hebr. *vox* (ſonitus) *fragoris rotæ*. ET EQUI FREMENTIS. Hebr. *equi calcantis* terram ſcilicet. ET QUADRIGAE FERVENTIS. Hebr. *ſubſilientis*, ſcilicet præ velocitate ſubſilire videtur. ET EQUITIS ASCENDENTIS in currus, aut equos, ſcilicet vox auditur. Heb hoc cum ſequentibus iungitur ſic: *Eques erigens* (pro, erigit) *ferrum gladii*, & *ferrum lanceæ*, להב *labab*, & ברק *barak*, pro *ferro* ſumunt *ſplendenti*, ut flamma & fulgur. Hieronymus pro ipſa flamma & fulgure & ſplendore gladii ſumens, dixit.

V. 3. ET MICANTIS GLADII, ET FULGURANTIS HASTAE, ſcilicet vox auditur. Quod commodius videtur propter coniunctionem &, quam redundare dicunt, qui diverſam rationem ſequuntur. ET MULTITUDINIS INTERFECTAE, ſive *interfecti*, pro, interfectorum, ſcilicet ab equitibus. Audietur vox in ſuo ſe volutatium ſanguine. ET GRAVIS RUINAE. Heb. & *gravitatis cadaveris*, id eſt multitudinis cadaverum. Repetitio. NEC EST FINIS, id eſt numerus cadaverum, adeo ut offendant in cadaveribus ipſorum. Noſter: ET CORRUENT IN CORPORIBUS SUIS: *corpus* pro cadavere.

V. 4. QUAE VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBUS SUIS, id eſt docuit idola colere (id vocat fornicari) atque adeo fuit illis exitii cauſa. ET FAMILIAS, id eſt populos, nationes vendidit, fuit illis exitii cauſa.

V. 5. ET REVELABO. Sept. *diſcooperiam*. PUDENDA TUA IN FACIE TUA. Hebr. *fimbrias tuas ſuper faciem tuam*; id eſt in tuam faciem conliciam, inverſam. Sept. *diſcooperiam poſteriora tua ſuper faciem tuam*. NUDITATEM TUAM. Hebr. *pudenda*, *turpitudinem*, ut Sept.

V. 6. ET PROIICIAM SUPER TE ABOMINATIONES, faciam ut te omnes deteſtentur. ET PONAM TE IN EXEMPLUM. *In exemplum magni ſupplicii te adducent*, ſic Sept. Hebr. & *ponam te quaſi ſtercus*.

V. 7. QUIS COMMOVEBIT. Hebr. *quis condolebit ei*. UNDE QUAERAM CONSOLATOREM TIBI, civibus ſublatis, ceteris omnibus in te irritatis.

V. 8. NUMQUID MELIOR ES ALEXANDRIA POPULORUM. Nondum *Alexandria* vocabatur. Sed כאאמון *Noamon*. *Amon* pro *hammo*, id eſt *multitudine*, id eſt *Alexandria multitudinis*, id eſt urbe magna. QUAE HABITAT IN FLUMINIBUS? Ab Ortu & Occaſu duobus Nili brachiis cingitur, a fronte mare noſtrum habet, a dorſo lacum Marcoticum. CUIUS DIVITIAE, MARE: propter commercium ſcilicet cum aliis Gentibus. Chald. *cuius murus eſt mare*. Hebr. *cuius fortitudo mare*, hoc eſt, munitio. AQUAE, MURI EIUS. *Aqua* ſcilicet *maris*: ſic Chald. Sept. *aqua muri eius*. Hebr. *a mari murus eius*. Fro מים *miiam*, *a mari*, ut nunc eſt Hebr. alii legerunt מים *maiim*, id eſt *aquæ*.

V. 9. AEthiopia fortitudo eius, id eſt ex AEthiopia fortitudo eius, id eſt auxilia. ET AEGYPTUS, ET NON EST FINIS, id eſt innumeræ aliæ Gentes ei ſavebant. APHRICA. Hebr. *Phut*, id eſt *Mauritania*, inde *Fez*. FUERUNT IN AUXILIO TUO, o Alexandria, & tamen exciſa es, & capta a Nabuchodonoſore.

V. 10. IPSA IN TRANSMIGRATIONEM DUCTA EST, ſcilicet Alexandria. Nabuchodonoſor cepit eam, Cambyſes Cyri filius in provinciam redegit, Alexander inſtauravit. IN CAPITE OMNIUM VIARUM, ſeu *platearum*. MISERUNT SORTEM, ſcilicet victores ſorte inter ſe captivos diviſere. CONFIXI SUNT, ſeu conſtricti ſunt compedibus.

V. 11. INEBRIABERIS malis, ut vino, o Ninive, ad quam vertit ſermonem, dementaberis; neſcies quid facias ut ebrius. DESPECTA. Hebr. *abſcondita*, ſcilicet præ metu, aut ignota; quaſi ignotam te reliquerunt: neque opem ferent. ET TU QUAE-

RES

RES AUXILIUM. Hebr. *robur*; sed *robur* pro *auxilio*. AB INIMICO, ita ebria eris: sic Hebr. Sed verti etiam potest, *propter inimicum*, ut ei scilicet resistas. Chald. *auxilium flagitabis ab inimico*.

V. 12. OMNES MUNITIONES TUAE. Diruentur tam facile arces, quam poma matura arbore agitata. SICUT FICUS CUM GROSSIS SUIS. Hebr. *ficus cum primitivis*, seu *praecocibus*, scilicet deiicieris tam facile.

V. 13. ECCE POPULUS TUUS MULIERES, id est mulieres inutiles ad pugnam. ADAPERTIONE. Hebr. *pandendo pandentur portae*, id est penitus pandentur. TERRAE TUAE. Urbis tuae portae pandentur.

V. 14. AQUAM PROPTER OBSIDIONEM HAURI TIBI. Hebr. & Chald. *aquas munitionis hauri tibi*; hoc est, aquam, quae intra arcem, ubi teneris, est, collige, ut lateres facias, & diruta ab hoste instaures. Id significat, INTRA IN LUTUM, ET CALCA SUBIGENS. Hebr. *calca lutum*. TENE LATEREM, id est fac lateres. Hebr. *tene calcariam*, id est opus calcariae sume.

V. 15. IBI, intra eam arcem igne & gladio peribis. DEVORABIT TE UT BRUCHUS, scilicet consumit herbam. CONGREGARE UT BRUCHUS: MULTIPLICARE UT LOCUSTA; id est, congrega multos & innumeros milites; nihilominus peribis. Hebr *aggravare ut bruchus*, *aggravare ut locusta*; pro, aggravaberis, ut bruchus & locusta agros aggravant. Chald. *operient te ut bruchus*, *vastabunt te ut locusta*. Pagnin: *multiplica te ut bruchus*, *multiplicate ut locusta*, id est multitudo tua nihil proderit.

V. 16. PLURES FECISTI NEGOTIATIONES TUAS. Hebr. *negotiatores tuos*, id est collegisti mercatores magno numero: inutilem bello turbam. Hi sunt *mulieres*, quas dixit vers. 13. BRUCHUS EXPANSUS EST. Hebr. *grassatus* aut *praedatus est*, ET AVOLAVIT; hoc est, mercatores sunt ut bruchus, qui ubi urbis opes praedati sunt, continuo disparent, nolunt adesse in periculo.

V. 17. CUSTODES TUI, seu *maiores tui*. ET PARVULI TUI, seu *Principes tui*. Chald. *duces tui*. QUASI LOCUSTAE LOCUSTARUM, id est magnae locustae. גוב *Ghob*, genus locustae maioris significat, & ipsa forma loquendi, *locusta locustarum*, id ipsum indicat. Quae locustae cum frigore noctis ad sepes consident, sed cum ortu solis fugiunt: sic Principes tui in periculo te deserunt, & ipsi mercatoribus sunt similes.

V. 18. SEPELIENTUR, seu *iacebunt*, quiescent quasi sepulti Principes seu nobiles tui: prodesse non poterunt, ut mortui. LATITAVIT POPULUS TUUS IN MONTIBUS, seu *mansit*. Verbum נפש *naphas* id significat, scilicet prae metu. Chald. *dispersi sunt populi tui super montes*. Sept. *abiit populus super montes*. ET NON EST QUI CONGREGET, id est Dux.

V. 19. NON EST OBSCURA CONTRITIO TUA, omnibus patet. Hebr. *non est curatio*, seu *sanitas fracturae tuae*, id est, vulneri: כהה *Chehah*, *curatio* & *restrictio* proprie. Non est restrictio vulneri. Nimirum vulnera ligantur. Sept. *non est sanitas contritionis tuae*, *intumuit plaga tua*. PESSIMA EST, seu *infirmata est*; ut Chald. *plaga tua*; id est male habet. AUDITIONEM TUAM, id est ad famam rei gestae cladis tuae, qui audierunt. COMPRESSERUNT MANUM, prae dolore scilicet. Hebr. *complosserunt manum*, scilicet altera manu, laetitiae signo. Quia omnes offendisti. QUIA SUPER QUEM NON TRANSIIT MALITIA TUA SEMPER? irritasti omnes.

M E N O C H I I.

Vers. 1. CIVITAS SANGUINUM, id est crudelis, & sanguinaria. UNIVERSA MENDACII. LXX. *tota mendax*. DILACERATIONE PLENA, id est plena rapina, & laceratione praedarum. NON RECEDAT A TE RAPINA, id est recedit, semper rapinis es intenta. Vel, inter hostes rapinam exercebunt.

V. 2. VOX FLAGELLI, &c. in te audietur flagelli vox, scilicet strepitus resonantis flagelli, quo equi ad cursum excitantur. QUADRIGAE FERVENTIS, id est concitatae, & calentis; nam axes, & rotae curvatura ex motu colorem concipit.

V. 3. CORRUENT IN CORPORIBUS SUIS, id est inter suorum cadavera.

V. 4. PROPTER MULTITUDINEM, &c. quasi dicat, Ruat Ninive, quia totius orbis sibi subiecti coluit idola, & magicis maleficiis dedita fuit, omnique generi superstitionis. MERETRICIS SPECIOSAE: intelligit Niniven, cuius nomen pulchram significat. GRATAE, scilicet oculis amatorum.

rum. HABENTIS MALEFICIA, id est veneficæ, seu superstitionibus deditæ. QUAE VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBUS SUIS: quæ docuit idololatriam, & maleficia alias gentes, atque ita fuit in causa ut Deus illas puniret, & traderet in captivitatem, & prædam Chaldæorum.

V. 5. ECCE EGO AD TE: o Ninive armatus, & iratus in Chaldæos: REVELABO PUDENDA TUA, &c. ostendam omnibus quæ sis, & faciam, ut te omnes detestentur; gravissima contumelia irrogatur mulieri si coram aliis nudetur.

V. 6. PROIICIAM SUPER TE ABOMINATIONES: efficiam ut omnes afficiant te contumeliis, & probris, & sordes in te proiiciant, tamquam in abominandum, & execrandum caput. Pagninus vertit: *proiicere faciam super te abominationes*. PONAM TE IN EXEMPLUM: ut scilicet quoties de magnis peccatis, & de magno supplicio narrabitur, statim in exemplum adducaris. RESILIET A TE: stupefactus tam insigni calamitate, fugiensque ne aliquo modo eius particeps fiat. QUIS COMMOVEBIT SUPER TE CAPUT? quis vicem tuam dolebit? UNDE QUAERAM CONSOLATOREM TIBI? quasi dicat, Nusquam invenietur, qui te consoletur, quia invisa es omnibus, ideoque omnes experti tuam tyrannidem, gaudebunt de tuo casu, & ruina.

V. 8. NUMQUID MELIOR ES: maior, fortior, frequentior, opulentior. ALEXANDRIA POPULORUM. Verti etiam posset, *Alexandria tumultus*, civitate nimirum magna, & frequenti, in qua magnus est populi fremitus ob multitudinem. QUAE HABITAT IN FLUMINIBUS: quæ ab una parte Nilo, ab altera lacu Mareotico, a tertia mari mediterraneo, a quarta incommeabili solitudine cingitur. CUIUS DIVITIAE MARE: cui maris opportunitas maximarum divitiarum causa est, ob mercimonia, quæ in eo emporio orientis celeberrimo exercentur.

V. 9. AEthiopia fortitudo eius: AEthiopia enim sive Abyssia vicina est, & adiacens Alexandriæ, ideoque facile auxiliares copias poterat evocare, ut etiam ex universa AEgypto. ET NON EST FINIS, scilicet militum, & copiarum quas ex vicinis gentibus sibi fœderatis poterat accersere. IN AUXILIO TUO: o Alexandria, ad eam enim se convertit.

V. 10. SED ET IPSA IN TRANSMIGRATIONEM, &c. quasi dicat: Non peperci, vel potius non parcam Alexandriæ tam insigni civitati, nec tibi parcam, o Ninive. DUCTA EST; pro ducetur, nam ex Ieremia cap. XLVI. 10. constat eam vastatam a Nabuchodonosore, qui diu post Nahum vixit. ELISI SUNT: allisi ad saxa a Chaldæis. Allidentur. MISERUNT SORTEM; quasi dicat: Chaldæi, super viros nobiles, & primarios Alexandrinos a se captos sortem mittent, & quasi mancipia divident inter se. CONFIXI: constricti.

V. 11. ET TU ERGO: o Ninive, pari modo quo Alexandria plecteris. INEBRIABERIS: calice iræ Dei. ERIS DESPECTA. Chald. *pessundata*, & eo redacta, ut ab ipsis inimicis tuis, quos antea despiciebas, & premebas, auxilium petere cogaris.

V. 12. SICUT FICUS CUM GROSSIS SUIS, id est muri, & arces ita cadent, ut primitivæ ficus cum concutiuntur. IN OS COMEDENTIS: eius qui sub ficu est, & desiderio inhiat ficubus, & quasi ore aperto illas captat.

V. 13. PULULUS TUUS MULIERES Chald. *imbecillis est*, *instar mulierum*. ADAPERTIONE PANDENTUR: plane pandentur; experientur quantæ sunt. Italice diceremus, *spalancar le porte*. VECTES TUI: quibus portæ hostibus claudebantur.

V. 14. PROPTER OBSIDIONEM: ne potus desit obsessæ multitudini. INTRA IN LUTUM: pedibus lutum subige, ut lateres conficias, & muros farcias, & reficias. SUBIGENS TENE LATEREM: tene lateres, & lutum subigendo illos forma.

V. 15. COMEDET TE IGNIS: dum hæc paras, & urges, igne, & ferro consument te Chaldæi. DEVORABIT TE UT BRUCHUS: magna in te Chaldæorum multitudo effundetur, qui te devorabunt, & absument, ut bruchi herbas; & fruges terræ. CONGREGARE UT BRUCHUS, &c. quantum volueris, aut potueris militum congrega, ita ut sint innumeri ut locustæ, adhuc enim peribis.

V. 16. PLURES FECISTI NEGOTIATIONES TUAS, &c. id est innumeras congregandi pecuniam artes excogitasti, & omnia negotiationum genera exercuisti, ut ditesceres; sed divitiæ tuæ istæ omnes similes erunt bruchis, qui terram tegunt multitudine,

ne, sed cito avolant, nullusque ex tanto agmine deinceps apparet.

V. 17. CUSTODES TUI: quasi locustæ. Duces, & milites, qui te custodient multi erunt quasi locustæ. ET PARVULI TUI: inferiores, & gregarii milites. LOCUSTAE LOCUSTARUM, id est parva germina locustarum. CONFIDUNT IN SEPIBUS IN DIE FRIGORIS: quæ nocturno tempore, cum tempestas frigida est, latent, & sedent in sepibus; & cum sol incaluit, avolant. ET NON EST COGNITUS LOCUS EARUM: quia scilicet omnes ad unam avolant; sic milites tui præsidiarii, & eorum duces, quibus fidebas, deserent te.

V. 18. DORMITAVERUNT CUSTODES TUI. Significat desidiam ducum causam fuisse cur a Chaldæis Ninive caperetur. REX ASSUR: o Rex Ninives. SEPELIENTUR PRINCIPES TUI: hoc veterno, & vino sepulti interficientur, & humo etiam ingesta sepelientur. LATITAVIT: latitabit timore perculsus.

V. 19. NON EST OBSCURA, &c. nota erit omnibus tua calamitas, & clades. PESSIMA EST PLAGA TUA, gravissima, difficillimæ curationis. AUDITIONEM TUAM: id quod de te narrabitur. COMPRESSERUNT MANUM SUPER TE, id est ut habet Chaldæus, *comploserunt super te manibus latantes*. SUPER QUEM NON TRANSIIT MALITIA TUA SEMPER? quia omnes gentes vexasti bello, & tributis, & sævissima tyrannide.

TIRINI.

Vers. 1. VAE tibi o CIVITAS *sanguinaria*, gentium omnium sanguine ebria, in qua nulla veritas, nulla iustitia, sed omne *mendacium*, omne genus idoli ac fraudis: DILACERATIONE prædarum, & rapinis PLENA. Numquam enim RAPINA RECEDET A TE; sed ut a tot sæculis cœpisti, ita perpetuo continuabis in hac tua tyrannide.

V. 2. VOX FLAGELLI aurigarum e curribus Chaldæorum & Medorum in auribus meis insonat. Atque ita pergit Nahum pulcherrimam hypotyposi vivam belli Ninivitici imaginem repræsentare.

V. 3. ET CORRUENT IN CORPORIBUS SUIS, vel suorum: nempe tanta erit Ninivitarum strages, tanta multitudo cadaverum ut viam subinde tum Assyriis fugientibus, tum Chaldæis insequentibus intercludent, utrisque in ea impingentibus ac corruentibus. Porro mala hæc omnia obvenient Ninivæ,

V. 4. PROPTER MULTITUDINEM FORNICATIONUM impudentis MERETRICIS huius, quæ & nomine & re *speciosa* est, ac proinde omnibus gentibus *grata*, cum ob MALEFICIA sua & superstitiones atque artes magicas, quibus omnium oculos fascinat, & ita incautos præcipitat in ruinam, deberet omnibus esse ingratissima & extreme exosa. Non innumeras FAMILIAS, immo integras GENTES, sibi qua vi, qua dolo, qua aliis malis artibus subiectas & in servitutem redactas, pro eo quod opibus suis, ut reginam decebat, eas pasceret, ditaret, protegeret; summa perfidia VENDIDIT hosti, dum prætextu idolorum suorum propugnandorum, & finium dilatandorum coegit secum exire in aciem contra Chaldæos, Medos & alios hostes, obiiciens incautas, gladiis hostilibus ovicularum instar mactandas: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Rupertus, Hugo & Lyranus.

V. 7. QUIS COMMOVEBIT SUPER TE CAPUT: in signum *a* condolentiæ & compassionis?

V. 8. An tu, o Ninive, MELIOR, fortior, potentior, populosior es populosissima & fortissima AEgypti metropoli *Minno amon*, seu *No b*, quæ tot populos sinu suo fovet, & post terna sæcula, ab Alexandro Magno vocata est ALEXANDRIA? QUAE *habitat* IN FLUMINIBUS, ab ortu & occasu cincta *Nilo*, qui in varios rivos diffectus urbem interluit, multasque in ea insulas fecit. AQUAE IN CIRCUITU EIUS. Nam ab Oriente & Occidente, Nilo, ut iam dixi: a Septentrione, mari: a Meridie lacu Mareotico vallatur, teste Iosepho, Solino *c*, & aliis.

V. 9. AETHIOPIA, ET tota reliqua AEGYPTUS est FORTITUDO EIUS, quia inde auxiliares copias ad se evocabat Alexandria, sine *fine* & numero, ut ex tota AFRICA, & maxime ex viciniore eius parte *Libya d*.

V. 10. SED ET hæc IPSA tam potens, tam munita Alexandria, decreto divino ex nunc a Chaldæis expugnata est, & DUCTA IN CAPTIVITATEM, & suo tempore

pore reipsa expugnabitur & ducetur, nempe 17. anno *e* post eversam Ierosolymam. SUPER INCLYTOS, id est super primarios nobiles ac principes Alexandrinos iam captos MISERUNT Chaldæi SORTEM, quis, cui cederet in servum & mancipium.

V. 11. ET TU ERGO, o Ninive, pari modo quo Alexandria INEBRIABERIS cali ce iræ & vindictæ divinæ: ET ERIS DESPECTA. Chaldæus *pessumdata*: ET QUAERES AUXILIUM AB *inimicis* tuis, quos antes despexeras, sed ipsi denegabunt tibi.

V. 12. SICUT FICUS quæ *grossi* vocantur, vento agitatæ, vel alio modo CONCUSSAE, facili negotio & sine labore decidunt IN os hominis sub arbore hiantis, ita MUNITIONES TUAE, arces & propugnacula, quibus præsidis, o Ninive, levi arietum concussione corruent *in os*, seu in manus, in sinum & potestatem Chaldæorum: ita Vatablus, a Castro, a Lapide. Sic Tropologice, animæ peccatorum: & Anagogice, munitiones totius orbis in die iudicii cadent in os extremi incendii, glutientis abyssi, devorantis inferni, torquentis & mordentis diaboli, inquit Rupertus & Theophylactus.

V. 13. ECCE POPULUS & miles TUUS imbellis & effeminatus instar *mulierum*: eius ignavia & metu PANDENTUR INIMICIS omnes PORTAE TUAE.

V. 14. AQUAM potabilem HAURI TIBI, & cisternas tuas imple, PROPTER instantem OBSIDIONEM diuturnam *f* ac molestam: INTRA IN LUTUM, subige argillam, lateres confice, quibus ruinas murorum obstruas, & propugnacula instaures. Etiam isto in loco, isto in opere Chaldæi igne & ferro te absument UT *g* BRUCHUS germina absumit. CONGREGARE *ergo* & tu, ET MULTIPLICARE *ut brurbus*, vel alia species *locustæ*, contrahere quantum vis numerum militum auxiliariorum: sicut

V. 16. PLURES FECISTI &, collegisti tibi NEGOTIATIONES, id est mercatores, merces & opes, QUAM STELLAE SINT CAELI; BRUCHUS ille omnis, id est collectio hæc omnis auxiliatorum & mercatorum & opum, *expansis* alis *avolabit* a te, fugient ad primum hostium accessum.

V. 17. CUSTODES TUI, id est, duces *h* ac præfecti. Hebræum *minnez araich*, a *nezer* id est corona, lamina diadematis, coma, consecratio; Vatablus vertit, *coronati tui*; Chaldæus, *laminæ tuæ*; Tigurini, *comatuli tui*; Pagninus, *magnates & principes tui*; alii, *consecrati*, *separati*, vel *nazaræi tui*. Nempe principes & sacerdotes, qui corona, diademate; & prolixa cæsarie a vulgo separantur, & quasi res sacra Deoque consecrata coluntur & honorantur; infami fuga tempore tantæ necessitatis se subducent, ut solet se subducere locusta cum deficit herba quam depascebatur. ET PARVULI TUI; id est, inferiores & gregarii milites omnis generis & ex omni gente. Hoc enim significat Hebræum *taphsar*, quod propterea LXX. vertunt, *commistos*: nisi malis per *taph* significari *parvos*, & per *sar* principem; quasi dicat: Parvos principis, supple servos, milites, subditos: omnes a te iam periclitante diffugient QUASI LOCUSTAE LOCUSTARUM proles, scilicet *attelabus*, ut LXX. & Tigurini vertunt, de quo nos alibi *i*.

V. 18. PASTORES TUI, id est præfecti militiæ tuæ, o rex Ninives, o *Assyriæ* monarcha: desides atque oscitantes DORMITAVERUNT: unde ut vino somnoque, ita & mox humo sepulti sunt, iugulati a Chaldæis.

V. 19. CONTRITIO TUA, id est excidium & eversio tua, o Ninive, NON EST OBSCURA, non est secreta, sed publica & toti orbi conspicua: OMNES QUI AUDIERUNT AUDITIONEM, id est famam *k* cladis & exeidii tui, COMPRESSERUNT MANUM SUPER TE; Chaldæus, *comploserunt manibus lætantes* de tuo infortunio. Quæ enim natio est sub cælo, SUPER *quam* NON TRANSIIT MALITIA & tyrannis TUA per iniqua tributa, aliasque exactiones & oppressiones? neque id exiguo tempore sed semper & continuo per tredecim *l* & plura sæcula.

(a) Iob XVI. 5. Ierem. XVIII. 16. &c.
(b) Ierem. XLVI. 25.
(c) Ioseph. Lib. II. Belli cap. XXV.
(d) Ierem. XLVI. 9.
(e) Chron. cap. XXXIV. sub fin.
(f) Nahum I. 8.
(g) Ioel I. 4.
(h) Ierem. IV. 17. Iob VII. 20.
(i) Ioel I. 4. Levit. XI. 22.
(k) Proleg. Idiotismis Hebr. num. XLVI.
(l) Chronici cap. XXXIII.

GOR-

GORDONI.

Verʃ. 1. VAE CIVITAS SANGUINUM, &c. Mala ſunt quæ huic ſanguinariæ & ſceleratæ civitati obvenient; fornicatio hic, idololatria eſt.

V. 8. Alexandria potens & ampla in tranſmigrationem ducta eſt: en ibi exemplum, o Ninive, hæc & tu patieris.

V. 14. Dum pergit narrare mala Ninives, INTRA, inquit, IN LUTUM, ſubige argillam, confice lateres, quibus muros inſtaures, ſed nec hoc tibi concidetur; nam COMEDET TE IGNIS. Verſ. 15. bruchus expanſus & avolavit: verſ. 16. opum multitudo cito avolavit, ut avolat bruchus, quando omnia depaſtus eſt.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verʃ. 4. QUAE VENDIDIT GENTES. Corrupit gentes, & cauſa fuit, ut quaſi venderentur ad pœnas & excidia.

Verʃ. 7. QUIS COMMOVEBIT CAPUT, id eſt dolebit vicem tamen.

Verʃ. 8. IN FLUMINIBUS. Clauditur Nilo, mari mediterraneo, ſolitudine, & Mareotico lacu.

Verʃ. 10. DUCTA EST: ducetur Alexandria per Nabuchodonoſorem. Et hoc diu poſt everſam Ninivem.

Verʃ. 11. ET TU ERGO. Redit ad Ninivem.



PROPHETIA HABACUC.

QUOD Habacuc ante captivitatem Babylonicam vaticinatus fuerit, vel ex hoc ipso liquet, quod eam prædicit futuram primi capitis vers. 6. Quia ego suscitabo Chaldæos, &c. *alioquin historicum, non prophetam ageret. Itaque non is videtur esse Habacuc, cuius fit mentio Danielis ultimo. Atque ut duo sunt Prophetæ, Michææ nomine, ut duo sunt Abdiæ nomine; ita nihil prohibet, quominus duo sint eiusdem nominis Habacuc.*



CAPUT PRIMUM.

Miratur Propheta impium prosperari, & prævalere adversus iustum: nam adversus Iudæos suscitat Dominus Chaldæos, qui victoriam non Domino, sed idolo suo tribuunt.

1. ONUS, quod vidit Habacuc propheta. 2. Usquequo Do-
mine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim
patiens, & non salvabis? 3. Quare ostendisti mihi ini-
quitatem & laborem, * videre prædam & iniustitiam
contra me? & factum est iudicium, & contradictio po-
tentior. 4. Propter hoc lacerata est lex, & non per-
venit usque ad finem iudicium: quia impius prævalet
adversus iustum, propterea egreditur iudicium perversum. 5. (a) Aspicite
in gentibus, & videte: admiramini, & obstupescite: quia opus factum est
in diebus vestris, quod nemo credet cum narrabitur. 6. Quia ecce ego su-
scitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudi-
nem terræ, ut possideat tabernacula non sua. 7. Horribilis, & terribilis
est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur. 8. Leviores pardis e-
qui eius, & velociores lupis vespertinis: & diffundentur equites eius: equi-
tes namque eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad co-
medendum. 9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens: &
congregabit quasi arenam, captivitatem. 10. Et ipse de regibus triumpha-
bit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit,
& comportabit aggerem, & capiet eam. 11. Tunc mutabitur spiritus, &
pertransibit, & corruet: hæc est fortitudo eius dei sui. 12. Numquid non
tu a principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Do-

mine

mine in iudicium posuisti eum: & fortem, ut corriperes, fundasti eum. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris: quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio iustiorem se: 14. Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem. 15. Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, & congregavit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit. 16. proptera immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus. 17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, * & semper interficere Gentes non parcet.

(a) Act. XIII. 31.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 3. *Videre prædam & iniustitiam contra me? & factum est iudicium, & contradictio potentior*. Ea quæ hic inseruntur a multis exemplaribus: *Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se: & facies homines quasi pisces maris & quasi reptilia non habentia ducem?* Patres superfluere iudicarunt, ut certe non sunt huius loci, sed infra vers. 13. & 14. quod alias docuimus.

Vers. 17. *Et semper interficere gentes non parcet*. Alii libri, pro *parcet* legunt *cessat*.

NOTATIO.

Vers. 3. QUare *respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem*. Hanc periodum quam multi codices, suffragantibus Richelio, Carensi, Lyrano, & Auctore Glossæ tertio versui addunt post illa verba *videre prædam & iniustitiam contra me*; sex Parisiensium, Di. o. l. Ge. o. p. Mogunt. Compl., septem Hentenii, & novem nostri Brug. Lob, Leod. O. Q. A. I. Colon. Quent. Ruperto Haymone, & D. Hieronymi textu adstipulantibus tollunt. In Hebraicis libris, Græcis, & Chaldaicis non legitur. Itaque e textu Parisienses sustulere. Epanorthotes quoque ait: „ Abacuc 1. ca. a. *Et iniustitiam* „ *contra me? & factum est iudicium*; nihil „ est interponendum: sed quod solet hic po„ ni, inferius habet locum ". Inferius versibus 13. & 14. legitur ab omnibus Latinis, Græcis, Hebræis, Chaldæis: & quidem Latinæ editionis hæc sunt verba: *Quare non* (H, G, C,) *respicis super inique agentes & taces devorante impio iustiorem se? & facies homines* (*hominis* o.) *quasi pisces maris, & quasi reptile non habes principem?* D. Hieronymus in initio commentariorum huius capitis, postquam illud *videre prædam & iniustitiam contra me*, & quæ præcedunt iuxta litteram, & temporis historiam exposuisset, subiecit generaliter etiam accipi posse, quod ex persona humanæ impatientiæ, videns peccatores in sæculo abundantes, Propheta loquatur: ac tum ea recitavit Propheta verba, quia eiusdem sunt argumenti, quæ inferius 13. & 14. versibus leguntur; huius occasione coniecerim ea ab aliquibus initio capitis repetita: nam & eo plane modo sunt scripta, quo Hieronymus, 70. duorum maiori ex parte editionem secutus recitat.

COMMENTARIA

S A.

HABACUC prophetavit tempore Nahum, de captivitate Babylonica.

V. 1. ONUS, scilicet multarum nationum: ideo non nominat aliquam, ut solent Prophetæ.

V. 2. USQUEQUO. Loquitur de persona populi, secundum quosdam, secundum alios in propria. VIM, scilicet Chaldæorum, vel iniquorum.

V. 3. INIQUITATEM, id est iniustitias malorum, seu oppressiones. LABOREM, id est afflictionem. LXX. *dolores*. CONTRA; pro,

pro, coram. ET FACTUM EST, &c. quasi dicat: In iudiciis vincunt, qui iustitiæ contradicunt. POTENTIOR. Chald. *prævalens*.

V. 4. HOC, id est iniquitatem tantam, vel quod statim sequitur. LACERATA EST; quasi dicat: Opprimitur, seu contemnitur, & conculcatur. FINEM, scilicet suum, quem intendit, ut iuste agatur. Chald. *in æternum*; quasi dicat: Numquam recte iudicatur, seu fit iustitia. EGREDITUR, id est egredi solet, scilicet a iudicibus.

V. 5. ASPICITE, &c. LXX. *Videte contemptores; & respicite, & videte mirabilia, & disperdimini, quia opus ego operor in diebus vestris, quod non credetis si quis enarraverit:* atque ita citatur a Paulo Act. XIII. IN GENTIBUS; quasi dicat, In mundo: vel, o Gentes, scilicet Iudæi; vel pro, Gentes, scilicet Chaldæus; vel iunge cum *opus factum*. FACTUM EST; pro, fiet.

V. 6. AMARAM, id est nocentem, seu sævam.

V. 7. EX SEMETIPSA, &c. quasi dicat, Pro suo arbitratu condemnabit, & puniet.

V. 8. LEVIORES, id est velociores. VESPERTINIS, id est qui vesperi gregi insidiantur. Dicuntur vesperi magis sævire, ob rabiem famis diurnæ. Vide Ierem. V. Soph. III. LXX. *Arabiæ*. DIFFUNDENTUR, scilicet multitudine. Chald. *multiplicabuntur*. DE LONGE; quasi dicat, Undique congregabuntur. Vide Ierem. I.

V. 9. VENTUS URENS; quasi dicat, Præsentia sua omnia vastabunt. CAPTIVITATEM, id est captivos.

V. 10. TRIUMPHABIT. Chald. *subsannabit*. TYRANNI, id est principes. RIDICULI; pro, derisui, seu contemptui. LXX. *ludibria*. RIDEBIT; quasi dicat, Contemnet, scilicet Rex, vel exercitus: ad utrumque enim referri possunt quæ sequuntur.

V. 11. SPIRITUS, id est flatus, ut solet ventus. PERTRANSIBIT, scilicet desinet dominari, a Persis victus Chaldæus. Chald. *transferetur eius Regnum*. HAEC EST, &c. Ironice; quasi dicat: Deus suus illum defendere non poterit. EIUS abundat. DEI SUI. LXX. *Dei mei*; quasi dicat, Dei punitione id fiet.

V. 12. A PRINCIPIO, id est ex quo elegisti nos in tuum populum. Loquitur enim in persona populi. DEUS MEUS, scilicet es. SANCTE, scilicet cuius sanctitatem agnoscimus, vel quem sancte colimus, & qui nos sanctificas. MORIEMUR, scilicet te protegente. IN IUDICIUM, id est nostri punitionem. EUM, scilicet Chaldæum, vel Regem, vel exercitum.

V. 13. VIDEAS, id est approbes. RESPICIS, id est fers.

V. 14. FACIES, id est permittes agere.

V. 15. TOTUM; quasi dicat: Omnes fere nationes capit Chaldæus, ut piscator piscium copiam magnam hamo & reti.

V. 16. IMMOLABIT, &c quasi dicat: Tribuet suis viribus, quod tam multos vincit ac si sua virtute non Dei faciat. PARS id est portio edenda. ELECTUS, id est pretiosus, seu optimus, scilicet acquiritur.

ESTII.

Vers. 2. & 4. USQUEQUO DOMINE CLAMABO, ET NON EXAUDIES? VOCIFERABOR AD TE VIM PATIENS, ET NON SALVABIS? Et tandem concludit; QUIA IMPIUS PRAEVALET ADVERSUS IUSTUM, PROPTEREA EGREDITUR IUDICIUM PERVERSUM. Hæc verba prima quidem facie videntur esse expostulantis cum Deo, & velut conquerentis de perversa rerum humanarum administratione. Sed revera neque ex impatientia, neque ex errore circa providentiam Dei hæc oratio procedit, sed tantum, eum exaggeratione aliqua oppressionis iustorum ab impiis, petit de impiis aliquando sumi supplicium. Ita & Apocalyp. VI. Martyres sub altari positi clamant: *Usquequo Domine, non vindicas sanguinem nostrum?* Et simili modo queritur Ieremias cap. X. sed omnem prius perversæ de Deo opinionis suspicionem simul tollit ipso quærimoniæ initio dicens: *Iustus quidem es Domine, si disputem tecum*, &c. Ita scilicet & hic propheta seq. cap. sibi, & cuilibet alteri providentiæ divinæ rationem nondum satis assequenti respondet: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit. Et qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autem in fide sua vivet*; quasi dicat: Qui eum fide expectat promissiones Dei, etiamsi multa adversa patiatur ab impiis, per eam fidem vivet.

V. 13. MUNDI SUNT OCULI TUI, NE VIDEAS MALUM, ET RESPICERE AD INIQUITATEM NON POTERIS. Hic sine dubio *respicere*, idem est quod alibi cognoscere,

seu

ſeu approbare; ſicut illud in evangelio, *Neſcio vos*, id eſt non approbo, non recipio. Significat ergo propheta Deo malum, id eſt peccatum & iniquitatem minime placere poſſe. Sed quæritur quid ergo ſibi velit, quod mox ſequitur; QUARE RESPICIS SUPER INIQUA AGENTES, ET TACES DEVORANTE IMPIO IUSTIOREM SE? Sic enim ſine negatione & tamen cum interrogatione legunt biblia Sixtina correcta. Pridem legebatur cum negatione: *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes?* & ſenſus reddebatur, quare non punis, quare non vindicas? Sed & nunc eodem ſenſus redit; quaſi dicat: Tu Domine non potes, ſat ſcio, reſpicere ad iniquitatem eam approbando, & quare tamen reſpicis, & bene vides aliquos inique agentes, & taces? Et reſpondet ſuæ quærimoniæ tandem cap. ſeq. cum ait; *Si moram fecerit, expecta eum, &c.*

MARIANAE.

HABACUC fuit de tribu Simeon ex agro Bethſacar: Iſidorus, Epiphanius, Dorotheus. De tempore variant Auctores. Seder Holam cap. xx. ait, Ioel, Nahum, & Habacuc tempore Manaſſes Regis vixiſſe, ſed propter eius impietatem illius nomen non poſuiſſe in ſuis Vaticiniis. Verum cum Danieli prandium detulerit, Danielis xiv. 32. fateri cogimur, captivitatis Babylonicæ tempore vixiſſe. Vaticinatus eſt paulo ante captivitatem, contra Babylonem præſertim, ut Nahum contra Niniveм, & Aſſyrios: quoniam ut hi decem tribus captivas duxerant, ita Babylonii tribum Iuda.

Verſ. 1. ONUS. Dura Prophetia. Sept. *Aſſumptio*, ſic dicta, quoniam mens Prophetæ ab humanis ad divinas traducitur viſiones.

V. 2. VOCIFERABOR AD TE VIM PATIENS. Sic Sept. Hebr. *vociferabor ad te rapinam*; hoc eſt, propter rapinam & iniquitatem, qua premunt Iudæos Chaldæi.

V. 3. QUARE OSTENDISTI MIHI INIQUITATEM; id eſt, viros iniquitatis Chaldæos feciſti, ut viderem. ET LABOREM, ſcilicet meorum. VIDERE, ſcilicet feciſti, PRAEDAM ET INIUSTITIAM. Hebr. *vaſtitatem & rapinam*. CONTRA ME, id eſt contra meos. Sequitur in quibuſdam codicibus: *Quare reſpicis contemptores*, & quæ ſequuntur, ſed merito ſunt ſublata. ET FACTUM EST IUDICIUM, id eſt iudicium iniuſtum & contradictio facta ſcilicet iuſtitiæ a Chaldæis, prævalent. Hebraice, *& fuit litem & contentionem* (qui) *ferat*, ſeu *accipiat*, id eſt qui litem excitet temere contra nos.

V. 4. PROPTER HOC LACERATA EST LEX. Hebr. *debilitata*: ſic Chald. *elanguit lex*. ET NON PERVENIT USQUE AD FINEM. Iuſtitia ſuum curſum non tenet. Hebr. *& non erit in æternum iudicium*; ſcilicet rectum iudicium numquam prodit, iniuſte iudicant iudices. QUIA IMPIUS PRAEVALET. Hebr. *impius circumdat iuſtum*; omni ex parte illum impugnat. Ideo iudices male & perverſe iudicant.

V. 5. ASPICITE IN GENTIBUS, id eſt o Gentes videte. OPUS FACTUM EST, id eſt fiet. Hebr. & Sept. *opus operor in diebus veſtris*. Loquitur Deus. Quod eſt opus? Everſio templi, quam fore nemo credebat, ac ne poſt factum credere poterant. Hunc locum citat Paulus Actor. XIII. 41. de excæcatione Iudæorum, ſed ἀλληγορικῶς.

V. 6. GENTEM AMARAM ET VELOCEM, ſeu *præcipitem* ſuſcitabo. Sic ſunt milites, nihil ex conſilio & cunctanter faciunt. SUPER LATITUDINEM TERRAE, id eſt totum orbem, quam late patet, ſubigere parantes.

V. 7. EX SEMETIPSA, id eſt non ex ratione iudicabit ea gens, erit pro ratione voluntas. ET ONUS EIUS, ſcilicet quod imponet Gentibus tributum. Chald. *decretum*. Sept. *aſſumptio*. Sed vis vocis שאת *ſeeth*; per *onus* bene exprimitur. EGREDIETUR, id eſt prævalebit.

V. 8. ET VELOCIORES LUPIS. Hebr. *acutiores*. Quæ vox diligentiam ſignificat, qua lupi per noctem prædam quærunt. VESPERTINIS: qui ex luſtris veſpere ad cibum prodeunt. ET DIFFUNDENTUR, aut *multiplicabuntur* EQUITES EIUS, id eſt multi erunt. Quare? DE LONGE VENIENT, id eſt ex remotis etiam regionibus auxilia venient illis.

V. 9. FACIES EORUM VENTUS URENS. Hebr. *aſpectus facierum ipſorum Orientalis ventus*. Chald. *aſpectus eorum perſimilis eſt vento vehementi*. Ventus Orientalis omnia exu-

exurit. ET CONGREGABO QUASI ARENAM CAPTIVITATEM, innumeros captivos ducet.

V. 10. DE REGIBUS TRIUMPHABIT. Hebr. *in Regibus subsannabit*, id est eos contemnet. TYRANNI RIDICULI EIUS ERUNT. Hebr. *Principes risus ci*. COMPORTABIT AGGEREM. Hebr. *congregabit pulverem*, id est terram, ad faciendum aggerem.

V. 11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS, id est intumescet ex victoria. ET PERTRANSIBIT fines modestiæ. ET CORRUET. Hebr. *delinquet*. In quo? HAEC EST FORTITUDO EIUS DEI SUI. Hebr. *hæc fortitudo eius deo suo:* aut sic, *hanc fortitudinem suam deo suo*, scilicet tribuens, non Deo vero, cuius nutu hæc facta sunt.

V. 12. A PRINCIPIO, seu *ab initio*, ab æterno tu es Deus meus. Vertit sermonem ad Deum, quo auctore facta ea erant. ET NON MORIEMUR, scilicet te protegente, si volueris. DOMINE IN IUDICIUM POSUISTI EUM. Nabuchodonosorem, ut Iudæos puniret. ET FORTEM. Hebr. *petram*. Sed *petra* pro *forti*. Dedisti illi vires, ut nos puniret.

V. 13. MUNDI SUNT OCULI TUI; id est nihil vident, ut mundi dentes, qui non comedunt; non videris videre mala quæ fiunt. QUARE RESPICIS SUPER INIQUA AGENTES. Hebr. *quare respicis prævaricatores*, id est illis faves. Lovan. *quare non respicis*. Sed ut versio Lovan. constet, negatio præcedens, quod sæpe fit, geminetur. *Quare non respicis*, id est non cohibes illos. ET TACES, aut obsurdescis. חרש *Haras* & *tacere* & *obsurdescere* significat: I. Reg. x. 27. ad illud, *Dissimulabat se audire*, ubi id verbum est. Itaque conqueritur videri Deum neque videre, neque audire mala. Quod Timon apud Lucianum in Timone expostulabat, Iovem cæcutire, & cum senio surdum factum, non videre, neque audire quæ in terris agantur.

V. 14. ET FACIES HOMINES QUASI PISCES MARIS, id est impune, ut eos capiant & vexent permittes, quasi non habeant Principem, qui eos homines protegat. Ergo homines sunt ut pisces.

V. 15. TRAXIT ILLUD IN SAGENA SUA reptile, pisces: seu *congregabit*, aut *collegit*, ut Chald. SUPER HOC; hoc est, ob factam prædam lætabitur, scilicet Nabuchodonosor, quem piscatori similem facit.

V. 16. IMMOLABIT SAGENAE SUAE, suis viribus & industriæ tribuet capturam, non Deo. QUIA IN IPSIS, id est per hamum, sagenam, & rete. INCRASSATA EST PARS EIUS, id est hereditas, substantia est ditata. ET CIBUS EIUS ELECTUS. Sic Sept. Hebr. *pinguis*, id est ea arte fit ut laute vivat, instruat convivia splendida.

V. 17. PROPTER HOC ERGO EXPANDIT SAGENAM SUAM. Hebr. *num propter hoc?* Sed *num* redundat. Aut sic, *num hac est illi causa, ut ditetur expandendi sagenam?* scilicet ut ditetur, & laute vivat. *Expandit sagenam suam*. Pagn. *evacuabit*, scilicet ut domum impleat, & repetat piscationem. Verum ריק *raiak* non solum *evacuare* significat, sed *effundere*, *proiicere*, *evaginare*. Sept. *propterea iaciet rete suum*. ET SEMPER INTERFICERE GENTES NON PARCET, id est non desinet. His verbis metaphoram piscium explicat, per quos homines intelligit, quos Babylonii capere & occidere numquam cessabant.

MENOCHII.

Vers. 1. ONus, &c. tristis, & minax prophetia, Habacuc ostensa per divinam revelationem. HABACUC PROPHETA: qui prophetavit paulo post Nahum, sub Manasse Rege Iuda, videtur fuisse unus ex prophetis illis, quos misit Deus ad Manassem, ut eum de impietatibus suis arguerent IV. Reg. XXI. 10. Prophetat vero contra Iuda, & Ierusalem, & eorum excidium per Chaldæos prædicit, sicut etiam Chaldæorum, per Cyrum, & Persas.

V. 2. USQUEQUO DOMINE CLAMABO, &c. Queritur de pravitate morum sui ævi, suique populi, scilicet quod cum Deum sæpe precatus esset, ut tam multa, tamque gravia scelera inhiberet, tamen non fuisset exauditus, sed ea potius videret augeri, quam minui. VIM PATIENS: nam me cruciant scelera quæ patrari video, & quodammodo in me incurrunt, & propemodum enecant.

V. 3. QUARE OSTENDISTI MIHI INIQUITATEM, &c. quasi dicat: Cur permittis, cur fieri finis tantam iniquitatem, quæ oculis meis ostensa, & exhibita, dire me cruciat? LABOREM: quo scilicet impii affliguot, & gravant pios. Laborem, & do-

lo-

lorem, quem patiuntur iusti, & pii. PRAEDAM ET INIUSTITIAM, id est vim, violentiam, iniuriam, oppressionem. CONTRA ME, id est *coram me*, ut habent Hebr. & Chald. quasi dicat, Me vidente, & dolente. ET FACTUM EST IUDICIUM ET CONTRADICTIO POTENTIOR; id est, perversi homines, qui iurgia, & lites serunt, urgentque, potentiores sunt iustis simplicibus, & quietis, eosque in iudicio circumveniunt, & opprimunt.

V. 4. LACERATA EST LEX: nihil ex praescripto legum & iuris agitur. NON PERVENIT USQUE AD FINEM, &c. non consequitur finem suum, qui est reddere unicuique quod suum est. EGREDITUR IUDICIUM PERVERSUM, id est egredi solet, scilicet a iudicibus. Italice diceremus, *Riescono ingiusti li giudici*.

V. 5. ASPICITE IN GENTIBUS, &c. id est aspicite gentes. Respondet Deus se non diu tanta mala toleraturum, sed mox rempublicam Iudaeorum per Chaldaeos puniturum; quasi dicat, Aspice gentes, & agmina Chaldaeorum, quae adduco ad exscindendam Iudaeam. QUIA OPUS, &c. hoc est quod admirandum dicit. OPUS FACTUM EST: rex quaedam fiet, quiddam fiet tempore vestro, quod fidem superabit, propter scilicet cladis, & vindictae atrocitatem.

V. 6. AMARAM: nocentem, saevam. AMBULANTEM SUPER LATITUDINEM TERRAE: quae arma sua late circumfert, & circumiectas nationes subiicit imperio suo. TABERNACULA NON SUA: aedes, & civitates non suas. Tacite subindicat ipsos captiuros esse Ierusalem.

V. 7. HORRIBILIS: quae vel solo vultu terreat. EX SEMETIPSA IUDICIUM EIUS, ET ONUS EGREDIETUR; id est, iudicium quo Chaldaea gens, alias gentes damnat, punit, & exscindit, aliis vero parcit, & onus, sive iugum, quod aliis imponit, *ex semetipsa egredietur*; id est, ex sola eius voluntate, non ratione, sed ex mera libidine; erit pro ratione voluntas. Sic dicunt Iudaei rebelles, Ierem. cap. XLIV. 27. *Faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro*.

V. 8. LEVIORES, id est velociores. Pardi velocissimi sunt ad cursum, & admodum feri; itaque designatur Chaldaeorum celeritas in persequendis hostibus, & saevitia in eosdem. VELOCIORES LUPIS VESPERTINIS. Alii vertunt *Avidiores* lupis vespertinis, qui scilicet vespere exeunt e lustris suis sollicitante fame, suntque propterea saeviores, & leviores. DIFFUNDENTUR: magnum terrae spatium occupabunt. In Hebraeo est, *multiplicabuntur*, quod in idem recidit. DE LONGE VENIENT: non enim suos tantum equites adducent, sed ex aliis etiam subditis, aut foederatis nationibus auxiliares copias, & ideo plurimi erunt. FESTINANS AD COMEDENDUM: eum scilicet in praedam visam de longe ocyssime involat.

V. 9. AD PRAEDAM VENIENT: ad praedam potius quam ad pugnam, nemo enim erit, qui eis resistere possit, & impetum illorum sustinere. VENTUS URENS; quasi dicat: Quacumque transierint, omnia vastabunt, ut vento urente cuncta virentia arescunt. CAPTIVITATEM, id est captivos.

V. 10. RIDICULI EIUS ERUNT: derisui habebit, seu contemptui. LXX. *tyranni ludibria eius*. SUPER OMNEM MUNITIONEM RIDEBIT: contemnet munitionem arcium, & murorum. COMPORTABIT AGGEREM: extruet e terra aggerem, & ita arces in arduo sitas capiet.

V. 11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS: Regis Nabuchodonosor victoriis elati, altosque spiritus sumet, & in superbiam erigetur, ut etiam Chaldaei. ET PERTRANSIBIT: imperium Chaldaeorum, & corruet, cum scilicet in Baltasare exscindetur a Cyro, & Persis. HAEC EST FORTITUDO, &c. ironice; quasi dicat, Deus suus illum defendere non poterit.

V. 12. NUMQUID NON TU A PRINCIPIO, &c. id est, tu Domine nos a principio elegisti, & populus tuus sumus, tuque sanctus noster, qui nos sanctificas, & quem nos sancte colimus; ideo servandi sumus a te, & a morte eripiendi, ut licet calamitatibus iactemur, non tamen funditus pereamus. DOMINE IN IUDICIUM POSUISTI EUM; quasi dicat, Scio sane Domine positum esse a te Nabuchodonosor, ut per illum iudices, id est punias inobedientes tibi. ET FORTE UT CORRIPERES FUNDASTI EUM: cum firmasti, roborasti opibus, viribus, copiis, victoriis, &c. ut per eum, quasi per virgam castigares peccata nostra, & aliarum gentium.

V. 13. MUNDI SUNT OCULI TUI, &c. quasi dicat: At cum tibi omnis iniquitas di-

displiceat, ut nullo modo probare possis quod malum est, quomodo ferre potes Chaldæos, homines pessimos pessundare, & devorare Iudæos, qui ut peccatores sint, sunt tamen Chaldæis meliores? RESPICIS: æquis, & benignis oculis, illis favens, & pro illis pugnans.

V. 4. FACIES; id est, permittes agere Nabuchodonosor de hominibus quod faciunt de piscibus piscatores, ut scilicet illos capiat, occidat, &c. REPTILE. Reptilia maris sunt pisces, qui pedibus carent. NON HABENS PRINCIPEM: a quo protegatur, & cuius ope, & consilio possit adversariis resistere.

V. 15. TOTUM IN HAMO, &c. quasi dicat, Magni sunt progressus Nabuchodonosor; bene illi, cuncta succedunt, partim hamo, partim sagena, partim retibus omnes circumiectas gentes in suam redegit potestatem, hoc est partim aperta vi, partim astutia, & dolo. IMMOLABIT SAGENAE SUAE, &c. quasi dicat, Tribuet suis viribus, quod tam multos vincat, ac si sua, non Dei virtute vinceret. QUIA IN IPSIS INCRASSATA EST PARS EIUS; quasi dicat, Pingues, lautasque epulas, scilicet omnium gentium selectas opes, quasi partem, sortemque suam, sibi hac sua sagena, & reti comparavit. ET CIBUS EIUS ELECTUS; id est, optima, & pulcherrima quæque vorat, & in succum suum vertit. PROPTER HOC ERGO EXPANDIT SAGENAM SUAM, &c. quasi dicat, Ideoque cum hoc piscandi studium tam belle illi procedat, totus in eo est, ut alias gentes capiat, subigat, & spoliet, & se magis ac magis semper ditet.

T I R I N I.

Vers. 2. VIM PATIENS a nimia scelerum populi mei multitudine & enormitate, *vociferor* AD TE quotidie, ut ab illis populum liberes & expurges; sed USQUEQUO NON SALVABIS, non expurgabis?

V. 3. QUARE OSTENDISTI MIHI, seu quare fecisti me videre tantam tamque multiplicem INIQUITATEM ET LABOREM *a*, id est iniuriam ac molestiam quam alii aliis inferunt, iniuste eos deprædantes, etiam CONTRA ME, id est e regione mei, ut est in Hebræo & Chaldæo, id est coram me, in præsentia mea? Quod si ad IUDICIUM vel *contradictionem*, seu privatam, seu publicam coram tribunalibus deveniatur, ipsa semper ex parte iniquorum est potentior ac prævalet, ut Chaldæus exponit. Et quia iniqui sola sua potentia leges omnes & iura, & iudices & iudicia sic pervertunt;

V. 4. PROPTER HOC LEX omnis tam divina, quam humana, iacet LACERATA, & *dissipata*, ut LXX. vertunt: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Hugo & Lyranus: ET IUDICIUM NON PERVENIT AD FINEM suum; id est, non assequitur quod intendit, puta ut cuique ius suum tribuatur, & quisque pro merito causæ vel triumphet, vel plectatur. Verum non erunt diuturnæ hæ tuæ querelæ, o Habacuc: mox enim prosiliam ad vindictam, eamque horrendam atque extreme expavescendam. Adesdum ergo Iudæi.

V. 5. *Bogedim*, id est *contemptores* mei mearumque legum. Sic enim legerunt & verterunt LXX. & ex illis S. Paulus Act. XIII. 41. pro eo quod in Hebræo est *baggoim*; id est IN GENTIBUS, ut cum Nostro legerunt & verterunt Chaldæus, Aquila, Symmachus & Theodotion. Volente Spiritu sancto, ad plures sensus procreandos, uti tali littera, quæ si caput habeat brevius est *vau*, in *baggoim*: sin longius, est *daleth* in *bogedim*, ut subinde alias *b* in Scripturis usu venit. Sed in idem redit hic res: nam, esse *in Gentibus*, seu instar Gentium, vel de numero Gentium, idem est quod esse *contemptores* Dei & hominum: & utrumque poterat merito exprobrari Iudæis. OPUS FACTUM EST a Chaldæis, nempe excidium & eversio Ierosolymæ, & abductio incolarum in Babyloniam. Allegorice, opus vastationis Iudæorum spiritualis per excæcationem & reprobationem: & corporalis per Romanos, ut explicat S. Paulus loco iam citato. Quod antequam fiet, NEMO CREDET. Persuaderi enim non poterat Iudæis, templum & civitatem tam sanctam tradendam infidelibus, populum Dei destituendum ope divina, & abducendum in exilium. Credebant cælum citius ruiturum.

V. 6. EGO tamen SUSCITABO CHALDAEOS ad hæc patranda, GENTEM AMARAM, id est trucem ac ferocem, mira *velocitate* circumeuntem & *perambulantem*, sibique subiicientem LATITUDINEM totius TER-

TERRAE, seu regionum in circuitu sibi adiacentium, UT eas non spolient tantum, sed & stabiliter *possideant* quasi TABERNACULA, olim NON SUA, iam vero sua, utpote bello capta.

V. 7. IUDICIUM quo gens Chaldæa gentes alias vel damnat & exscindit, vel conservat & exaltat, item ONUS seu iugum quod quibus vult imponit, EX SEMETIPSA *e* EGREDIETUR, id est ex sua ipsius voluntate & sic faciendi libidine, non vero ex certa ratione, iustitia vel iure: ita Theophyl. & Hugo.

V. 8. EQUI ET EQUITES EIUS LEVIORES, ac proinde VELOCIORES sunt PARDIS ET LUPIS VESPERTINIS, de quibus alibi *d*. LXX. & Arabicus Alexandrinus pro *ereb*, id est *vespera*, aliis punctis legentes *Arab*, verterunt *lupos Arabes*, id est lupos prædones & latrones. *Arabes* enim, quia latrociniis infames, appellative sumi solent pro latronibus, sicut *Chaldæus* pro ariolo, *Chananæus* pro mercatore, *Bœotus* pro hebete, &c. Allegorice in diabolum optime quadrant.

V. 9. FACIES EORUM VENTUS URENS. Chaldæus, *vehemens;* Vatablus, *Orientalis*, quia hic in terra sancta, reliquaque Syria & Asia est vehementissimus; Tigurini, *quidquid faciebus eorum obiicitur, flaccidum fit, ac si uredo* illud *exussisset*. Et sicut turbine congregantur *arenæ*, ita Chaldæi colligent innumeros *captivos*.

V. 10. TYRANNI, id est reges, quantumcumque potentes, ERUNT RIDICULI. LXX. *ludibria* Nabuchodonosori, id est erunt illi risui, habebit illos ludibrio, faciet eos moriones suos, vel scabella pedum, ut Sapores postea fecit Valeriano Cæsari, & Tamberlanes Baiazeti Turcarum Imperatori.

V. 11. TUNC elato tot victoriis Nabuchodonosori MUTABITUR SPIRITUS, ex humano quasi in divinum *e*, (volet enim in aurea statua sua adorari ut Deus:) deinde ex humano quasi in ferinum *f*, ita ut bos sibi esse videatur: unde & ex hominum cœtu PERTRANSIBIT ad convictum belluarum, & ex altissimo fortunæ fastigio CORRUENT in abyssum miseriæ & infelicitatis. Atque ob similem superbiam reliquorum Chaldæorum transsibit ab ipsis monarchia ad Persas & Medos. HAEC, scilicet EST divina illa FORTITUDO EIUS & DEI SUI; Chaldaice, *idoli sui*. Est ironia & hostilis irrisio; quasi dicat: Glorietur nunc de sua, & Beli sui fortitudine, qua adeo insolescebat. Porro minis his irati Dei in Iudæos territus Propheta, nomine totius populi supplicat Deo, stragem istam avertat,

V. 12. NUMQUID NON A PRINCIPIO universi, immo æternitatis, TU, o DOMINE es DEUS MEUS, pater, protector, sponsus meus? qui me tibi ex tot nationibus in proprium quasi peculium & hereditatem selegisti, segregasti, *sanctificasti*. An ergo iam relicti a te, reiecti & resecti prædæ erimus Chaldæo tyranno, ET MORIEMUR; & exstinguemur? Fatemur ah DOMINE, te *posuisse* misisseque Nabuchodonosorem IN IUDICIUM, id est in iustam vindictam reliquarum gentium, quarum peccata UT CORRIPERES & castigares, firmasti, FUNDASTI, stabilivisti EUM tot opibus, tot imperiis, tot victoriis.

V. 13. OCULI, mens & affectus TUI SUNT *mundissimi* ac iustissimi, adeo ut non possis *videre* æquis oculis, id est approbare, MALUM *g*, aut favere *iniquitati*. QUARE ergo nunc RESPICIS SUPER Chaldæos tam multa INIQUA AGENTES? & permittis ut ipsi nos *devorent?* Esto enim simus peccatores: tamen Chaldæis tantis idololatris & tyrannis sumus *iustiores*, seu minus iniusti & minus impii.

V. 14. FACIES ne HOMINES tibi sacros ac devotos predam fieri barbaro tyranno, sicut PISCES ET *reptilia*, seu MARIS *h*, seu terræ *i* præda fiunt piscatori, vel alteri animali fortiori se? *nec habent* PRINCIPEM qui eos ab iniuria tueatur, vel illatam vim propulset. In quo similes sint homines piscibus & reptilibus, vide apud Cornelium a Lapide.

V. 15. TOTUM, id est totam piscium collectionem, quidquid in stagno est, rapax iste & avarus piscator Chaldæus suo hamo, sagena & reti exhaurit. Primo, regem *Ioakim* cum Daniele & sociis k, & & alios pauculos e Iudæa quasi HAMO eduxit anno I. regni sui. Deinde anno 8. SAGENA, seu minori reti *Ioachinum l* regem, omnemque eius aulam ac præcipuam nobilitatem cepit & avexit. Denique anno 18. latissimo *reti Sedeciam m* regem cum toto populo suo captivum fecit. Ribera & a Lapide per *hamum* accipiunt dolos, technas,

chnas, stratagemata : per *sagenam* & *rete* apertam vim & prælia Nabuchodonosoris.

V. 16. PROPTEREA quia tanta felicitate piscatur, ipse IMMOLABIT ET SACRIFICABIT SAGENAE ET RETI SUO, tamquam deo & auctori tot victoriarum; quasi dicat: Arti suæ militari, & suis suorumque viribus, non tibi, o Deus, acceptos feret suos triumphos, ut Mezentius apud Virgilium *n*.

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Et favebis tam impio, tam blasphemo? Patierisque ut his suis retibus pergat magis magisque in dies *incrassare* & roborare *partem* suam, seu sortem imperialem? & mensas suas insternere selectis ex toto orbe dapibus ac ferculis? Huius enim solius rei causa

V. 17. EXPANDIT quaquaversum SAGENAM SUAM Chaldæus, *mittet exercitus suos*, ut expilet, exhauriat, absumat paulatim omnes gentes: ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Remigius, Albertus, Hugo. Quia allegorice omnia adaptant diabolo.

(a) Psal. 9. 29. Psal. liv. 25. Psal. cxxxix. 10.
(b) Osee xiii. 14. Gen. xlvii. 31.
(c) Ierem. xliv. 27. & Deut. viii. 3. Matt. iv. 4.
(d) Ierem. v. 6. Danielis vii. 6.
(e) Daniel. iii. 1.
(f) Cap. iv. 30.
(g) Psal. v. 7.
(h) Psal. x. 25.
(i) IV. Reg. xxiii. 8.
(k) Dan. i. 1.
(l) IV. Reg. xxiv. 12.
(m) Cap. xxv.
(n) Virg. Lib. X. Æneid.

G O R D O N I.

Vers. 2. ONus, &c. Hoc est præcipue in Iudæos: querimonia est ob laceratam legem (vers. 4.) & perversum iudicium unde satis apparet onus hoc ad Iudæos pertinere. Quid vero sit onus, alibi sæpe: vide Isa. 1. 1. apud LXX. λῆμμα *assumptio*, de voce Hebraica mox.

V. 5. ASPICITE IN GENTIBUS, &c. Loquitur Deus, pœnam designat infligendam Iudæis & acerbam, & a ferocibus Chaldæis. Quod vero est vers. 7. ONUS EIUS EGREDIETUR EX SEMETIPSA; hoc est, iugum quo gentes opprimet, ex ipsomet est, seu non a ratione, sed quia ita vult: vide rad. נשא *portavit*, inde משא *massa*, *onus* a portando.

V. 8. Lupi vespertini velociter currunt urgente tunc fame.

V. 11. TUNC MUTABITUR SPIRITUS, &c. Tunc attollet spiritum Nabuchodonosor tot victoriis auctus, putans se ut Deum aliquem, Dan. III. ET CORRUET inter feras, Dan. IV. vers. 30. & multo magis in nepote Baltasare, & (per ironiam) hæc est fortitudo eius, hoc est quam putat habere se a Deo suo Bel.

V. 12. & 13. NUMQUID NON TU A PRINCIPIO DOMINE, &c. Post denunciatam cladem, vertit se ad orandum Propheta, ut mitius agatur cum gente hac Iudaica peccatrice. Habet oratio commemorationem pristinæ voluntatis Dei bonæ erga Iudam. Hinc deprecatur hoc imminens malum. ET MUNDI, inquit, SUNT OCULI TUI NE VIDEANT, vers. 13. hoc est, ne approbent delictum: averte ergo penitus ne videant mala nostra, averte pœnam tantam. Hanc orationem Novator quidam voluit esse murmurationem: non vidit esse deprecationem, & pergit Propheta; cur Domine permittis, ut rex ille impius piscetur homines instar piscatoris, & hamo suo capiat omnia. IMMOLABIT *impius piscator* SAGENAE SUAE; hoc est, viribus suis tribuit hanc totam victoriam, & non tibi Domine: in hunc sensum orat Propheta.

E x E I U S D E M A U C T A R I O.

Vers. 3. QUARE OSTENDISTI. Cur finis, ut fiant tot iniquitates in omnium etiam conspectu, per vim & iniuriam. CONTRA ME: *coram me*, ex Hebræo. Impii facti sunt potentiores.

Vers. 4. LACERATA LEX, nihil secundum eam fit.

Vers. 9. & 10. Varia similitudine illustrat quam sint timendi Chaldæi. TYRANNI RIDICULI. Reges alii erunt risui coram Nabuchodonosoro, & velut ludibrium.

Vers. 16. IMMOLABIT SAGENAE SUAE: attribuet viribus suis, & non tibi suas victorias.

CA-

CAPUT II.

Prophetæ a Domino responsum expectanti præcipitur, ut scribat visionem, ac longanimiter ipsius eventum expectet: destructio Babylonis propter multa ipsorum scelera describitur, & quod idola eis non proderunt.

1. SUper custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem: & contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, & quid respondeam ad arguentem me. 2. Et respondit mihi Dominus, & dixit: Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum. 3. Quia adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. 4. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: (*a*) iustus autem in fide sua vivet. 5. Et quomodo vinum potantem decipit: sic erit vir superbus, & non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam: & ipse quasi mors, & non adimpletur: & congregabit ad se omnes populos. 6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? usquequo & aggravat contra se densum lutum? 7. Numquid non repente consurgent qui mordeant te: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis? 8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ civitatis, & omnium habitantium in ea. 9. Væ qui congregat amaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. 10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua. 11. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit. 12. (*b*) Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniquitate. 13. Numquid non hæc sunt a Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient. 14. Quia replebitur terra, ut cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare. 15. Væ qui potum dat amico suo mittens fel suum, & inebrians ut aspiciat nuditatem eius. 16. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam. 17. Quia iniquitas Libani operiet te, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & civitatis, & omnium habitantium in ea. 18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? quia speravit in figmento fictor eius, ut faceret simulacra muta. 19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coo-

N 2 pertus

pertus est auro & argento: & omnis spiritus non est in visceribus. 20. (c) Dominus autem in templo sancto suo: sileat a facie eius omnis terra.

(a) Ioan. xxxvi. 333. Rom. 1. 17. Gal. 111. 11. Hebr. x. 38. (b) Ezech. xxiv. 9. Nah. 111. 1. (c) Psal. x. 4.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. CUSTODIAM, id est rem meæ custodiæ commissam, scilicet ut solet qui est in specula. ET FIGAM, &c. repetitio. DICATUR, scilicet a Deo super iis quæ ei supra proposui. ARGUENTEM, id est disputantem de Dei providentia mecum, & coarguentem, me scilicet prædicantem Dei providentiam & iustitiam. Chald. *& quid respondebitur ad deprecationem meam*.

V. 2. VISUM, id est visionem, scilicet quod tibi revelo nunc. EXPLANA; quasi dicat, Scribe perspicue, ut facile legi possit. TABULAS. LXX. *buxum*, scilicet buxeas tabulas. PERCURRAT, scilicet cum facilitate.

V. 3. VISUS, id est quod mihi visione revelatur. PROCUL; quasi dicat, Post multum tempus implendum est. IN FINEM, id est tandem, seu postrema mundi ætate. MENTIETUR, id est fallet, scilicet Deus, qui prædicit; vel *visus*, id est visio. FECERIT, scilicet Christus. VENIENS VENIET, id est omnino veniet, seu ille qui venturus expectatur veniet: solet enim Christus dici, *qui venturus est*, ὁ ἐρχόμενος. NON TARDABIT, scilicet post tempus præscriptum, scilicet & salvabit iustos, puniet iniustos, ut sit responsum quæstioni, Quare non respicis, &c. Citat Paulus Hebr. x. iuxta LXX. nisi quod addit, *adhuc modicum aliquantulum*, pro eo quod LXX. *adhuc in tempus visio*; & noster Interpres, *adhuc visus procul*, quæ videntur alium sensum efficere. Sed quod hominibus est procul, Deo est prope; & quidem totum sæculi tempus modicum præ æternitate.

V. 4. ECCE, &c. LXX. *si subtraxerit se*, scilicet per incredulitatem, quam Paulus *subtractionem* vocat, Hebr. x. opponitque *fidei*, dicens: *Non sumus subtractionis filii, sed fidei*. NON ERIT RECTA, &c. LXX. *non complacebit anima mea in eo*, scilicet non placet Deo qui non est rectus; nec rectus est, qui non credit. SUA. LXX. *mea*, scilicet & Dei est, quia dat; & iusti, quia accipit. VIVET; scilicet per fidem iustificatur peccator, & iustus fit, fideque vivit, scilicet caritate formata. Est autem sermo de fide in Christum, ut patet.

V. 5. SUPERBUS, scilicet sua inebriatus superbia. NON DECORABITUR, id est dedecore notabitur, seu ignominia; quasi dicat, Contemnetur ab omnibus. Quidam hæc de Nabuchodonosor intelligunt, a Deo ob superbiam punito. INFERNUS, id est sepulcrum, scilicet mors, quæ numquam satiatur, vel infernus damnatorum. CONGREGABIT, scilicet sibi subiiciens.

V. 6. ISTI, scilicet ab eo expugnati. SUPER EUM, scilicet cum erit a Deo punitus. PARABOLAM, id est canticum parabolicum: AENIGMATUM, id est obscuram, scilicet per metaphoras. EIUS, id est eo. ET abundat, more Scripturæ: sic I. Reg. III. *videre lucernam*. Hebr. *videre & lucernam*. AGGRAVAT, id est accumulat. CONTRA SE, id est in suam perniciem: LUTUM, scilicet terrenas divitias, quæ viles & conculcandæ essent: DENSUM vero dicit, quod fortiter hæreant, vel quod labore parentur.

V. 7. MORDEANT, scilicet Medi, & Persæ. SUSCITABUNTUR, id est excitabuntur, seu consurgent in te.

V. 8. RELIQUI, scilicet a te non spoliati. SANGUINEM, id est cædem; quasi dicat, Ob tua homicidia. TERRAE, scilicet factam a te. Chald. *terræ Israel*. CIVITATIS. Chald, *urbis Ierusalem*.

V. 9. AVARITIAM MALAM, id est opes iniquas. Chald. *divitias impietatis*. NIDUS id est habitaculum.

V. 10. CONFUSIONEM, id est rem ignominiosam. CONCIDISTI. Chald. *deprædatus es*. LXX. *consumpsisti*.

V. 11. CLAMABIT, scilicet contra te. IN-

INTER IUNCTURAS; scilicet, quo parietes connectentur. RESPONDEBIT, scilicet similiter contra te.

V. 12. IN SANGUINIBUS, id est pecunia parta cædibus & oppressionibus. PRAEPARAT, id est stabilit.

V. 16. HAEC, scilicet quæ statim dicam. A DOMINO, scilicet mihi dicta, vel impiis infligenda. POPULI, scilicet Chaldæi, seu omnes impii. IGNE, scilicet calamitas extinguendo, sed frustra.

V. 14. TERRA, scilicet Chaldæorum. Iunge cum *quasi aquæ*. GLORIAM, scilicet potentiæ & iustitiæ punientis iniquos. QUASI AQUAE, &c. pro, ut cum aquæ terram operiunt, scilicet sic implebitur Chaldæa hostibus. Quidam tamen ad abundantiam referunt gratiarum tempore Evangelii, de quo Isa. XI. Ierem. XXXI.

V. 15. MITTENS, scilicet in poculum. FEL, id est iram, vel venenum. NUDITATEM; quasi dicat, ut spoliet: velut si quis amicum inebriaret, ut deinde spoliaret, scilicet spoliabat Nabuchodonosor etiam sibi fœdere iunctos.

V. 16. REPLETUS ES; pro, repleberis. PRO GLORIA. Chald. *plusquam gloria*. BIBE; pro, bibes, scilicet de calice iræ Dei. CONSOPIRE; pro, consopieris, more ebriorum; quasi dicat, Punieris vehementer. GLORIAM, id est gloriosas vestes, scilicet eadet: perstat in ebrii metaphora; quasi dicat, Redigeris in statum ignominiosum.

V. 17. INIQUITAS, id est pœna iniquitatis. LIBANI, id est qua in Libanum, id est templum usus es. Chald. *sanctuarii*: sic dicitur Templum etiam Ezech. XVII. Zach. XI. forte quod esset cedris Libani, vel quod altum instar Libani. ANIMALIUM, id est hominum, scilicet illic occisorum ab eis: vel ipsi dicuntur *animalia*, id est feræ quæ vastarunt Ierusalem. DETERREBIT, id est in terrorem inducet, scilicet erit causa expugnationis Babyloniæ. DE SANGUINIBUS, id est ob cædes. ET CIVITATIS, &c. Vide supra.

V. 18. FALSAM; id est falsi dei. UT FACERET; pro, faciens, vel ideoque faceret.

V. 19. EXPERGISCERE; quasi dicat, Adiuva me: sic Deo dicitur, *Exsurge quare obdormis Domine*: DOCERE, scilicet se invocantem. OMNIS SPIRITUS NON, id est nullus.

V. 20. TEMPLO, scilicet cælo. SILEAT scilicet præ reverentia. LXX. *revereatur*. A FACIE, id est in conspectu.

ESTII.

Vers. 4. IUSTUS AUTEM IN FIDE SUA VIVET. Quæritur quæ fides intelligatur? Respond. accommodatur ab apostolo ad Hebr. X. ad fidem promissorum Dei, ut patet ex cap. sequenti ad Hebr. XI. Et nihilominus idem Apostolus ad Rom. I. & ad Galat. III. accipit de fide, qua in Christum redemptorem creditur. Quare videtur tota fides christiana intelligi; qua credimus Deum esse, & Christum sua morte nos redemisse, ac denique iustitiæ repositam esse coronam in cælis. Vide plenius in commentario nostro ad iam dicta loca. Iustus enim propter fidem, & spem futurorum bonorum, quæ credit, licet non videat, vivit, & perseverat in iustitia, & bonis operibus. Cognitio enim finis propositi, cum spe illum obtinendi, facit, ut homo propter illum finem bona operetur: quod late declarat locus ad Hebr. XI. & fidei definitio ibi posita.

MARIANAE.

Vers. I. SUPER CUSTODIAM MEAM STABO; pro, in custodia mea stabo. Fingit se intra urbem obsessam esse (aut vere ita erat) distributa singulis loca, quæ custodirent. ET FIGAM GRADUM: consistam in munitione & arce, non deseram locum. UT VIDEAM QUID DICATUR MIHI, scilicet a Deo, & quid illi respondebo, si me increpaverit: sic Hieronymus. Aut sic, Ut videam quid mihi præcipiatur a Duce, & si me negligentiæ increpaverit, quid illi respondere potero. Vide, Deum iis apparere, qui muneri iniuncto vocant.

V. 3. ET RESPONDIT MIHI DOMINUS, id est locutus est mihi. *Respondere* sæpe idem est quod *loqui*, seu *incipere loqui*. Exempla frequentia sunt. VISUM, seu visionem. ET EXPLANA EUM, id est litteris claris perspicuis scribe. Quam visionem? quam modo dicam. SUPER TABULAS. Sept. *in buxo scribe*.

V. 3. QUIA ADHUC VISUS. Hebr. Sept. & Goth. *visio*. PROCUL. Heb. *in tempus* *sta-*

statutum, id est suo tempore erit. ET APPAREBIT IN FINEM. Hebr. *efflabit*, seu loquetur tandem, implebitur, & non fallet: certa erit. NON TARDABIT, id est non differetur, suo & definito tempore veniet.

V. 4. ECCE QUI INCREDULUS EST. Constructio inversa. Ecce cuius anima non est recta, incredulus est. Hebr. *superbit*, contemnit quæ dicuntur, non credit. IUSTUS AUTEM IN FIDE SUA VIVET, quia credet, & se contra mala ventura muniet. Hæc verba citantur ad Rom. I. ad Galat. III. ad Hebr. X. 38. de fide divina, quæ initium est iustitiæ, non complementum, ut hæretici volunt. Sane ut Iudæis ad vitanda mala, de quibus Propheta loquitur, non esset satis credere, nisi diligentiam adhiberent: sic neque ad salutem fides est satis, nisi opera accedant.

V. 5. ET QUOMODO VINUM. Hebr. *etiam cum vinum prævaricatur*, id est nimium, ultraque modum bibitur. SIC ERIT VIR SUPERBUS. Hebr. *vir superbus*, scilicet fit. ET NON DECORABITUR. Heb. *non habitabit*, id est non permanebit in Regno; transferetur ad Medos; quasi dicat: Sicut increduli verbis meis, peribunt eadem ratione Nabuchodonosor, quia multo vino prosperitatis dementatus, & ipse non credit. QUI DILATAVIT QUASI INFERNUS, seu *sepulcrum*. Omnes devorat, neque mors umquam satiatur, sic nec Nabuchodonosor; Regna Regnis accumulat sine fine.

V. 6. PARABOLAM SUMENT. Mutatis rebus carmen lugubre, næniam canent. ET LOQUELAM AENIGMATUM. Hebr. *interpretationem ænigmatum eius*. Næniæ plenæ sunt metaphoris obscuris, quas *ænigmata* vocat. EIUS, id est de eo. ET AGGRAVAT CONTRA SE, seu *super se*. DENSUM LUTUM? sic divitias vocat, quia gravant. Tum Hebr. *divites graves* vocantur ob multa impedimenta, quæ secum deferunt.

V. 7. REPENTE CONSURGENT QUI MORDEANT TE. Per *mordentes*, & *lacerantes* R. Kimhi vermes sepulcri intelligit, qui repente insurgent, quia repente morietur. Alii Medos & Persas intelligunt, qui eas opes diripient Chaldæorum.

V. 8. OMNES QUI RELIQUI FUERINT, quos scilicet spoliare non potuisti. PROPTER SANGUINEM HOMINIS, id est hominum, quem multum effudisti. Iunge hoc cum *spoliabunt te*, quod iam præcessit. ET INIQUITATEM TERRAE. Hebr. *rapinam, quæ terram*, id est regionem omnem diripuisti. CIVITATIS; pro, & civitatis, scilicet Ierusalem, quam prædatus es. Hæc erit vindicta malorum quæ fecisti.

V. 9. VAE QUI CONGREGAT. Hebr. *væ concupiscenti avaritiam*. AVARITIAM MALAM, id est divitias iniquas. DOMUI SUAE, scilicet ut illam ædificet, & ditet. UT SIT IN EXCELSO NIDUS EIUS, id est ædificet arcem sublimem, qua putavit se liberum fore a malo & rebellione omni.

V. 10. COGITASTI CONFUSIONEM. Tota ea cautio cedet in ignominiam domus tuæ, ex Dei vindicta. CONCIDISTI; pro, quia concidisti populos multos. ET PECCAVIT; pro, & in eo peccavit anima tua, ideo punieris.

V. 11. QUIA LAPIS DE PARIETE. Lapis dicet, Ego ex rapina sum. Aut, Lapides & ligna domorum, quas evertisti, tuam crudelitatem clamabunt. ET LIGNUM, QUOD INTER IUNCTURAS AEDIFICIORUM EST. Lignis ex intervallo positis fulciebant parietes. Hebr. *& lignum ex arbore*, aut *ligno respondebit ei* scilicet lapidi. Quid respondebit? Ego etiam sum ex rapina. Ea erit ignominia, omnes fatebuntur, iniuste parta esse quæ possides. Tzetzes de Varia historia, de re manifesta ait dici, *Saxa loquentur*. Symmach. *& iunctura ædificii*, quod sequi Hieron. videtur, nempe pro כפים *Caphis*, id est *ligno* כפים *Chaphaim* legerunt, id est *volas*, seu *iuncturas*. Sept. *scarabeus de ligno*. Sed *scarabeus*, pro *tinea*, ut Theophyl. ait. Significatio vocis *Caphis* non est satis nota.

V. 12. IN SANGUINIBUS, id est ex partis effuso aliorum sanguine. PRAEPARAT; id est, exornat urbem iis quæ per iniquitatem sunt parta. Væ illi.

V. 13. LABORABUNT ENIM POPULI IN MULTO IGNE; id est, cognoscent, ea suo labore effecisse, quæ ignis consumit. ET GENTES IN VACUUM, ET DEFICIENT. Heb. *& populi in vacuum multum sunt lassati*, id est in rem nihili, quæ cito peribit.

V. 14. QUIA, id est id fatebuntur, & cognoscent, quia REPLEBITUR TERRA, sci-

ſcilicet Dei gloria. Ex ea vindicta omnes cognoſcent Dei gloriam, quæ erit ea multitudine, ut aquæ maris.

V. 15. VAE QUI POTUM DAT AMICO SUO. Hactenus de iis, quæ per vim Nabuchodonoſor egit, & quæſivit: nunc de fraudibus, quas ſpecie amicitiæ nexuit; quaſi qui dat potum, ut ſocium inebriet. MITTENS FEL SUUM. Locus difficilis. Variant Interpretes. Hieronymus multas affert verſiones, quas hic prætereo. Tota difficultas eſt in voce חמת *hamath*, quæ *utrem* ſignificat, Oſee VII. 5. tum *venenum*, Pſal. LVII. 5: Si *utrem* hic ſignificet, quod Hebræi putant, erit ſenſus: Adiungens utrem tuum, ut ſcilicet ſocius ſæpe bibat, & citius cadat. Ea eſt fraus de qua agit. Si *venenum*, erit ſenſus: Adiungens venenum tuum, ſeu mittens. Sed *venenum* pro pigmento ſumo, quod vino miſcent, ut maiorem vim inebriandi habeat, ut thus, ut myrrham, unde *murrinum*, ſeu *murratum vinum* apud Feſtum; & *myrrhinum* in Fulgentii Mythologiis. Tum *vinum myrratum* Marc. XV. 23 quod Chriſto obtulerunt, ut ſcilicet minus eruciatus ſentiret. Eo Hieronymus reſpexit, cum dixit, *mittens fel*, niſi quod *ſuum* dixit, pro *tuum*, ut eſt in Hebræo, *hamathecha*, ſed ad ſententiam reſpiciens. Memento *venenum* non ſemper pro letali ſumi, ut & *pharmacum* Græce, quod *venenum* etiam ſignificat, ff. De verb. ſignific. L. Qui venenum 236. UT ASPICIAT NUDITATEM EIUS. Hebr. *eorum*, pro, *eius* ſocii, de quo loquitur. Porro ebrii nudare ſe ſolent.

V. 16. REPLETUS ES. Satiatus es ignominia loco gloriæ tuæ. Quod aliis feciſti, patieris; tu quoque eris ebrius. ET CONSOPIRE, ebrietatem ſomnus ſequitur. Heb. *& nudare*. ET VOMITUS IGNOMINIAE, id eſt ignominioſus. Poſt crapulam vomitus. SUPER GLORIAM TUAM; hoc eſt, pro gloria tua, aut poſt gloriam tuam.

V. 17. INIQUITAS LIBANI. Hebr. *rapina Libani*, id eſt terræ Iſrael, OPERIET TE; eius direptionis pœnas lues. ET VASTITAS ANIMALIUM; ſeu *vaſtitas iumentorum*. DETERREBIT EOS. Hebr. *conteret ea*. Ut iumenta cum arbores vaſtarunt, ab hero verberantur, ſic Chaldæi a Deo, quos iumenta vocat. DE SANGUINIBUS HOMINUM, hoc eſt, ob effuſum hominum ſanguinem. ET INIQUITATE. Hebr. *præda*, *rapina*, *quam iumenta fecerunt*, *contererentur*, ſcilicet iumenta peribunt. TERRAE, ET CIVITATIS. *Et* non eſt Hebr. ſed bene ſuppletur, ut verſ. 8. ſupplevimus, ubi ſunt eadem verba. Hieronymus prætermiſit ibi.

V. 18. QUIA SCULPSIT. *Quia*, pro, *quod*, ut Chald. *quid prodeſt ſculptile*; quare ſculpſit illud fictor? ET IMAGINEM FALSAM. Hebr. *Doctorem*, ſeu *docentem mendacium*, reddentem ſcilicet reſponſa falſa, ſcilicet imaginem & idolum mendax quare ſculpſit? Chald. *conflatile*, & *numen falſum* dixit. QUIA SPERAVIT. Quid ſperavit, aut quare ſperavit? UT FACERET SIMULACRA MUTA, ſeu *idola muta*, ſcilicet fictor quid ſperavit ab idolo?

V. 19. VAE QUI DICIT LIGNO: EXPERGISCERE, id eſt orat ut audiat. SURGE, LAPIDI TACENTI, id eſt orat, ut ferat opem. NUMQUID IPSE DOCERE POTERIT? nihil, neque audire, neque reſpondere. OMNIS SPIRITUS NON EST; id eſt, nulla pars ſpiritus aut vitæ intra illum eſt.

V. 20. IN TEMPLO, in cælo, aut templo Ieroſolymitano eſt Deus. SILEAT A FACIE EIUS OMNIS TERRA. Hebr. *ſile a facie eius*, id eſt coram eo. Silentium coram maioribus eſt reverentiæ ſignum.

MENOCHII.

Verſ. 1. SUPER CUSTODIAM MEAM, id eſt rem cuſtodiæ meæ commiſſam, ſcilicet ut ſolent excubitores in mœnibus, & propugnaculis arcium. ET FIGAM GRADUM, &c. eſt eiuſdem ſententiæ repetitio. QUID DICATUR MIHI: ſcilicet a Deo ſuper iis, quæ illi proxime propoſui. ET QUID RESPONDEAM AD ARGUENTEM ME. In Hebræo eſt, *quid reſpondeam correptioni*, vel *redargutioni meæ*; quaſi dicat, Præſagit animus Deum libertatem meam loquendi increpaturum & reprehenſurum; cogitabo ergo quid reſpondendum ſit, & qua ratione porro urgere poſſim rationes, & dicta mea defendere: ſumpta eſt allegoria a militibus excubantibus in muris, & arcem propugnantibus; ſicut enim milites hi attenti ſunt, & ſoliciti, ne qui obſident irrumpant aliquo, & arcem capiant; ſic propheta ſe attentum

tum fuisse significat, ne causam quam ipse tuebatur Deus argumentis infirmaret, aut infringeret.

V. 2. SCRIBE VISUM: visionem, quam nunc tibi revelo, ut memoria illius perennis fit, est enim magni momenti. EXPLANA EAM SUPER TABULAS. LXX. *buxum*, scilicet *buxeas tabulas*. Perspicuis & distinctis characteribus scribe, ut a quolibet facile legi possint.

V. 3. VISUS, id est id quod visione ostenditur. PROCUL; quasi dicat, Post multum tempus implendum est. IN FINEM; id est, tandem licet post tempus diuturnum aderit, & implebitur. Ad litteram loquitur de Nabuchodonosoris, & Babylonici imperii eversione, & Iudaeorum ex captivitate liberatione. Simul Christum respicit humani generis liberatorem ex daemonis, & peccati servitute. VENIENS VENIET: omnino veniet, id est implebitur omnino visum & prophetia. Christus omnino aderit suo tempore. NON TARDABIT: ultra tempus praescriptum.

V. 4. NON ERIT RECTA ANIMA EIUS IN SEMETIPSO. LXX. habent, *Non complacebit anima mea in eo*: nimirum non placet Deo, qui non est rectus; nec rectus est, qui non credit. IUSTUS AUTEM IN FIDE SUA VIVET: vera, recta, pacata, felicique vita fidei, spei, gratiae, & gloriae; in Deo enim qui vera est vita, eiusque promissis defixus, illi gratus erit, & charus.

V. 5. ET QUOMODO VINUM POTANTEM DECIPIT, &c. Docet Dominus momentaneam esse, & caducam malorum felicitatem & quamvis generatim loqui videatur, non est tamen difficile intelligere Nabuchodonosorem peculiariter notari; sententia ergo est: Quemadmodum vinum potantem decipit, quia eum primum exhilarat, deinde humi sternit, & ridendum omnibus exponit, sic impiorum felicitas, quia superbi ebrii sunt, ad tempus eos exhilarat, sed tandem dolorem affert, & dedecus apud omnes. NON DECORABITUR: immo dedecore, & ignominia notabitur. QUI DILATAVIT QUASI INFERNUS, &c. id est, qui vasto animae desiderio divitias, & imperia captat, inferno, & morti similis, quae quodammodo dilatat se ut multos, quos vorat, capere possit. CONGREGABIT AD SE: suo adiunget imperio.

V. 6. SUPER EUM PARABOLAM SUMENT: carmen lugubre de eius calamitate compositum, nimirum de Baltasare, sub quo Regnum Chaldaeorum eversum est: sic Michaeae II. 4. dicitur: *Sumetur super vos parabola*. ET LOQUELAM AENIGMATUM EIUS; id est, component de eo aenigmaticum carmen; huiusmodi enim esse solebant lamentationes, quae multis, & obscuris metaphoris, & allegoriis constabant. MULTIPLICAT NON SUA: in alienas divitias, & regna irrumpendo, & immolando. USQUEQUO; quasi dicat, Quis erit finis congerendi divitias, & regni fines amplificandi? AGGRAVAT; id est multiplicat; nam gravis idem saepe est in Scriptura, quod multus, ut patet Exod. VIII. 24. Ps. XXXIV. 18. I. Macch. I. 18. CONTRA SE: in perniciem suam. DENSUM LUTUM: divitias intelligit, quae densum lutum vocantur ob utilitatem, & quia cum ex rapinis, fraudibus, aut quibuscumque malis artibus partae sunt, animam inquinant, gravant, tenaciter illi adhaerent, quia magno affectu diliguntur, & tandem in exitium trahunt.

V. 7. QUI MORDEANT TE: nimirum Cyrus, & Persae, qui ut fortiores ferae lacerabunt te. ET SUSCITABUNTUR. Est repetitio eiusdem sententiae.

V. 8. QUI RELIQUI FUERINT DE POPULIS: qui manus, & crudelitatem tuam effugere poterint. PROPTER SANGUINEM HOMINIS: quia multum effudisti humani sanguinis. ET INIQUITATEM TERRAE CIVITATIS. In Hebr. est, *& rapinas terrae, & civitatis*; id est propter tyrannidem, qua vexasti terram Iuda, & civitatem Ierusalem; & omnes habitantes in ea, haec mala tibi evenient.

V. 9. AVARITIAM MALAM: divitias malis artibus partas. UT SIT IN EXCELSO, &c. putans se propterea ab omni malo immunem fore, & extra calamitatem iactum, ut tutae sunt aves, quae in celsis rupibus, & editis locis nidulantur.

V. 10. COGITASTI CONFUSIONEM DOMUI TUAE; id est, putabas te magnam gloriam comparare posteris tuis, sed contra accidit, nam magni dedecoris causa illis fuisti. CONCIDISTI POPULOS MULTOS. Chald. *depraedatus es*. LXX. *consumpsisti*.

V. 11. QUIA LAPIS DE PARIETE CLAMABIT. Est adagium significans crimen, & in-

& iniuriam publicam, & enormem, quæ celari nequeat; quasi dicat, Tua tyrannis, & violentia tanta est, adeoque manifesta, ut licet homines taceant, tamen lapides, & ligna parietum vastatarum, & dirutarum ædium, contra te clamatura sint.

V. 12. CIVITATEM, Babylonem. IN SANGUINIBUS, id est pecunia parta cædibus, & oppressionibus pauperum. PRAEPARAT URBEM: ædificat urbem.

V. 13. NUMQUID NON HAEC, &c. quæ scilicet contra te vaticinor, statimque subiungam. LABORABUNT POPULI IN MULTO IGNE; id est, incedentur Babylon a Medis, & Persis, & Chaldæorum populi, ac gentes aliarum nationum, quæ eis adhærebunt, conabuntur extinguere incendium, sed frustra laborabunt. DEFICIENT: *fatigabuntur;* ut vertit Vatablus.

V. 14. QUIA REPLEBITUR TERRA: totam Chaldæorum terram implebit multitudo innumerabilis Persarum, & Medorum, sicut aquæ, quæ operiunt alveum maris, ut cum Babylon vastata fuerit, cognoscant omnes gloriam, & potentiam Domini punientis tyrannos, & alienorum bonorum direptores.

V. 15. VAE QUI POTUM DAT AMICO SUO, &c. quasi dicat; Væ Nabuchodonosori, eiusque asseclis, qui fel suum, id est suam bilem, & amaritudinem, vel ut habet Aquila, *furorem suum;* usque ad ebrietatem propinat etiam amicis regibus; hoc est, qui eos crudeli tyrannide divexat, & donec eos regno, bonis omnibus, & ipsa libertate pudende, & ad irrisionem despoliet, & denudet.

V. 16. REPLETUS ES IGNOMINIA PRO GLORIA; quasi dicat: Væ illi; nam lege talionis simili modo ab aliis sæpe nudabitur, parique ignominia, & irrisione mulctabitur. BIBE TU QUOQUE, ET CONSOPIRE; id est, tu quoque bibes de calice iræ Dei, & consopieris more ebriorum, qui large vinum hauserunt; quasi dicat, Punieris acerbe, & vehementer. CIRCUMDABIT TE CALIX DEXTERAE DOMINI: vallabit te, & comprehendet ingens calamitas, & afflictio. ET VOMITUS IGNOMINIAE SUPER GLORIAM TUAM. Tantum tibi ex calice vindictæ Dei hauriendum erit, ut non solum inebrieris, sed etiam evomas, more temulentorum, & vomitus in decoras vestes tuas redundet, significatur redigendum ad ignominiosum statum.

V. 17. INIQUITAS, id est pœna iniquitatis. LIBANI, id est qua in Libanum, hoc est in templum Ierusalem sævisti. Chald. pro *Libani*, habet *sanctuarii*. Templum dicitur Libanus etiam Ezech. XVII. 3. & Zach. XI. 1. fortasse quod esset e cedris Libani, vel quod altum instar Libani. OPERIET TE: abundanter veniet super te. ET VASTITAS ANIMALIUM DETERREBIT EOS; quasi dicat, Quia Chaldæi truculentur quasi feræ vastarunt Ierusalem; idcirco vicissim truculenter a Medis, & Persis, quasi feris percellentur, vastabuntur, & conterentur. DE SANGUINIBUS, id est propter sanguinem hominum copiosum, quem fudisti. ET INIQUITATEM TERRAE, ET CIVITATIS, id est propter iniquitatem, vim & expilationem terræ Iudææ, & civitatis sanctæ Ierusalem; quasi dicat, Quia diripuisti, & desolasti Iudæam, & Ierusalem, pari sorte, & iure tu quoque desolaberis, & diripieris a Medis, & Persis.

V. 18. QUID PRODEST SCULPTILE, &c. Irridet Chaldæos, qui in suis idolis spem locabant, & se ab eis protegendos putabant; quasi dicat, Nihil vobis proderit sculptile, quia non est Deus, sed opus artificis. CONFLATILE, &c. Nihil vobis proderit idolum, quod ex auro, vel alio metallo ab hominibus conflatum est in fornace, & formatum. ET IMAGINEM FALSAM: artifex fecit conflatile, sive sculptile esse imaginem falsam, & mentientem, quia nullum verum numen repræsentat. QUIA SPERAVIT IN FIGMENTO FICTOR; quasi dicat: Et tamen adeo demens est homo, ut ille ipse, qui fecit idolum, spem suam in eo collocet, ideoque fecerit simulacra eiusmodi, quæ nec sermonis usum habent, nec rationis.

V. 19. QUID DICIT LIGNO, EXPERGISCERE, &c. qui ita sua alloquitur idola, ac si sentire possent, sic vero Deo, & viventi bene dicebat David: *Exsurge, quare obdormis Domine*: Psal. XLIII. 23. In Hebræo est: *Væ dicenti ligno, expergiscere. Suscita te ipsum, lapidi tacenti.* NUMQUID IPSE DOCERE POTERIT? num lapis poterit cultori suo aliquid dicere, & indicare utilia, aut noxia? ECCE ISTE, &c. id est, nihil aliud est idolum, quam lapis, aut lignum auro tectum, vel argento, vita, sensu, ac spiritu carens.

V. 20. DOMINUS AUTEM IN TEMPLO, &c. quasi dicat: At non talis est Dominus noster, qui est in cælo, ut Dominus omnium, & inde cuncta videt, & moderatur. SILEAT A FACIE EIUS OMNIS TERRA. LXX. *Revereatur faciem eius*, sitque illi subiecta, nam hoc significat nonnunquam silentium in sacris litteris, ut cum dicitur de Alexandro magno I. Machab. 1. 3. *Et siluit terra in conspectu eius*, subiecta scilicet, & nihil amplius ausa contra illum movere, aut hiscere.

TIRINI.

Vers. 1. STABO, etsi tot tentationum ictibus assidue concussus, immota tamen & firma mente constanter FIGAM *a* GRADUM, quasi SUPER MUNITIONEM meæ *custodiæ* commissam; quasi dicat: Non capio quidem, qua ratione velit Deus populum suum tam scelesto tyranno tam indignis modis divexandum, excidendum, & perdendum obiicere: nolo tamen propterea vel tantillum deesse muneri mihi commisso, sed pergam qua docendo, qua monendo, qui increpando invigilare bono & saluti gregis mihi crediti tamquam Prophetæ, doctori & pastori. Interim summa vigilantia & attentione CONTEMPLABOR, num QUID cælitus MIHI revelandum aut iudicandum sit, quod RESPONDEAM AD ARGUENTEM ME intellectum meum: ita Theodor. Theophyl. Pagninus & Vatablus, qui vertunt, *ad disceptationem meam*, vel *ad argumentum meum*, quo cap. præced. evincere conatus sum, non debere committi Chaldæis excidium & eversionem populi Dei.

V. 2. ET RESPONDIT MIHI anhelo & anxio benignissimus DOMINUS: SCRIBE VISUM id est, rem a te visam, quam tibi nunc revelo & videndam propono. Atque ut omnibus innotescat, *scribe* non in libro vel volumine, mox claudendo & seponendo, sed *in tabulis* apertis & expansis, ut publice legi & percurri possit a quocumque prætereunte. LXX. *scribe visionem manifeste in buxum*. Quia enim buxus levis est & facile characteres excipit, olim frequens usus erat tabularum e buxo, in quas vel incidebant characteres stylo chalybeo, (& talem esse titulum crucis Christi, testatur Beda *b* & alii testes oculati, qui cum Romæ in ecclesia S. Crucis viderunt) vel ceram inducebant, atque in cera complanata litteras efformabant, ut fuse docet Guevara. Scribe autem ad memoriam posterorum.

V. 4. QUIA VISUS hic, seu res quæ iam tibi videnda proponitur, ADHUC PROCUL EST, post multos demum annos, cum fine 70. annorum captivitatis Babylonicæ complenda. Nam ad litteram hic agi de Chaldaici imperii eversione, & Iudæorum e Babylone liberatione, patet ex contextu Prophetæ, & docent S. Cyrillus, Theodoretus, Albertus, Arias Vatablus, a Castro & a Lapide. Allegorice, tamen loquitur de eversione regni diaboli & mundi liberatione per Christum, ut S. Paulus *c* & alii exponunt.

V. 4. ECCE QUI INCREDULUS EST huic prophetiæ de liberatione per Cyrum & Christum obventura, NON ERIT RECTA ANIMA EIUS, seu vita, sed distorta erit & iniqua, & molesta, & misera, tum naturaliter, quia carebit certissimo liberationis aliquando obventuræ solatio; tum supernaturaliter, quia carebit interna iustitia & gratia iustificante, ac proinde *displicet Deo*, ut vertunt LXX. & ex illis S. Paulus *d*. Nam *sine fide* & fiducia *impossibile est placere Deo*. E contrario IUSTUS & fidelis, qui Deo promittenti credit, per hanc *suam* (ut etiam vertit Aquila, Symmachus, & Theodotion;) vel *meam fidem* (ut LXX. vertunt, sed eadem est fides *nostra*, quæ *Dei*, nempe nostra est subiective, sed Dei est obiective;) VIVET, vita recta, sancta, felici & amoena secundum utrumque hominem, spe futurorum sese recreans *e*, & interea constanti tolerantia adversitatum, maiorem perpetuo gratiam, favorem & gloriam sibi comparans apud Deum.

V. 5. QUOMODO VINUM immodice sumptum DECIPIT & inebriat & *dedecorat* POTANTEM, facitque non modo revomere, sed & ruere in extremam subinde perniciem: SIC ERIT VIR ISTE SUPERBUS Nabuchodonosor, vino fortunæ nimis prosperæ inebriatus & mente dimotus insanit, furit, tumultuatur, turbat omnia, sed mox ad belluas relegatus, fabula & ludibrium erit toti mundo, cogeturque post paulo per filium suum Baltassarem omnia quæ cepit, una cum imperio & vita revomere: ita S. Hie-

S. Hieronymus, Theophylactus, Remigius, Hugo, Lyranus, Clarius, Vatablus, Delrio *f*, Ribera, a Lapide. Tum brevi urna concludetur, cui antea non sufficiebat universus orbis, *& dilatabat quasi* INFERNUS ANIMAM SUAM seu sitim & aviditatem appetitus sui, quæ insatiabilis atque inexplebilis est: ET QUASI MORS, quæ licet omnibus dominetur, omnesque devoret, numquam tamen satiatur, sed quo plures debellat, subiugat & mactat, eo plures perdere anhelat. Ita iidem.

V. 6. & 7. OMNES ISTI qui nunc tyrannice per Nabuchodonosorem subiguntur, tunc SUMENT SUPER EUM PARABOLAM *& ænigma*, id est parabolico & proverbiali carmine, immo scommate ludent in eum, & subsannabunt illum *dicentes*, VAE, &c. Simile carmen de eodem Chaldæo tyranno pangit etiam Isaias, & alii de *g* aliis. AGGRAVAT, id est multiplicat, CONTRA SE DENSUM LUTUM, id est aurum, argentum, aliasque opes; LXX. *torquem suam*. Sed hæc *torques* erit ei laqueus & catena quibus tota eius familia & stirps illaqueabitur & strangulabitur a Persis & Medis, qui etiam instar canum in te CONSURGENT, UT MORDEANT TE, prædamque quam cepisti, faucibus eripiant. Ita iidem, nisi quod Clarius & Vatablus id de *vermibus* exponant, quos Balthassari intentat Isaias cap. XIV. *Subtus te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*.

V. 8. PROPTER SANGUINEM HOMINIS. LXX. & Chaldæus, *hominum*, id est quia tam copiosum sanguinem humanum profudisti; & præ aliis tam inique ac crudeliter in Iudæam, urbemque Ierosolymam, & in omnes eius incolas sæviisti.

V. 9. VAE QUI CONGREGAT AVARITIAM, id est opes avare per vim & rapinam extortas, MALAM, id est perniciosam & exitialem DOMUI SUAE. Tigurini, *væ inhianti lucro, idque malo domus suæ*. Lucri enim odore attracti Persæ & Medi stimulabunt ad domum eius invadendam, spoliandam & exscindendam.

V. 11. LAPIS DE PARIETE, ET LIGNUM, etsi abditum in *iuncturis* palatiorum tuorum, toti orbi testabuntur, & *clamabunt* *h*, te raptorem & tyrannum esse, qui nullo iure, sed mera vi sustuleris illa de loco suo, tibique usurparis: inde

V. 12. *Ædificans* CIVITATEM tuam regiam IN SANGUINIBUS, id est oppressionibus, expilationibus, cædibus pauperum, quos præter ius & morem coegisti in tuis istis turribus, arcibus, hortis pensilibus, aliisque insanis substructionibus *i* noctu & diu desudare, suosque spiritus & sanguinem exhaurire: ita Chaldæus, Albertus & alii supra citati.

V. 13. *Nonne* HAEC omnia, quæ iam dixi tibi, o tyranne, adventura, SUNT decreta & præparata tibi A DOMINO EXERCITUUM, cui nec tu, nec ulli mortales resistendo sunt? *Laborant* quidem & desudant in arcibus & machinis tuis erigendis, quibus te tuaque adversus hostium irruptiones & insultus tuearis, *tot* POPULI, tot myriades, sed IN MULTO IGNE, id est præparant luculentam materiam igni, quem Persæ & Medi in tuas illas arces iniicient. Innumera enim Persarum & Medorum, qui ignem iniecturi sunt, multitudine.

V. 14. REPLEBITUR *tota* TERRA Babylonica, sicut *aquis operitur maris* alveus: ut tandem aliquando discant vel sic *cognoscere* & agnoscere GLORIAM DOMINI, eiusque divinam potentiam, atque infinitam iustitiam, quam hucusque tam proterve contempserunt, & deriserunt Chaldæi.

V. 15. VAE tyranno illi, QUI AMICO suo pro suavi nectare, FEL SUUM, id est bilem & amaritudinem; Aquila, *furorem suum, dat in potum*, eoque *inebriat* illum, ut inebriato ac turpiter denudato illudat. Nempe crudelis & barbarus tyrannus etiam amicos reges tamdiu divexabat iniquis armis, donec opibus, sceptris, regiis insignibus, ac libertate eos exuisset ac denudasset: ita S. Hieronymus, & Ribera, & alii iam citati.

V. 16. Sed TU vicissim, o tyranne, iusta talionis pœna BIBE QUOQUE ex calice iræ & vindictæ divinæ, inebriare, & CONSOPIRE, denudare & revome quæ hausisti.

V. 17. INIQUITAS LIBANI, id est, in Libano, & circa Libanum, id est in Iudæa, a te commissa, OPERIET, obruet & perdet te. Sicut enim Ierosolymam excidisti, templum Dei excussisti, tot alias nobiles urbes evertisti: ita pari modo tua Babylon, tua Chaldæa, a Persis & Medis evertetur, exuretur, excidetur: ET VASTITAS ANIMALIUM, id est vastatio inferenda per Persas & Medos, qui quasi pardi, ursi, leones

leones & ſimiles feræ in Chaldæam irrumpent, DETERREBIT, conſternabit, exanimabit Chaldæos, ne contra vel latrare, vel mutire audeant: ita prædicti Patres. Tunc, o Chaldæi,

V. 18. QUID VOBIS *proderit* omne veſtrum SCULPTILE & idolum? quod non eſt aliud quam *imago falſa* Dei, ac numen mendax, omnis divinitatis, potentiæ, providentiæ, immo & vitæ expers.

V. 20. DOMINUS AUTEM per eſſentiam ſuam eſt & vivit, idque neceſſario & ab æterno k immenſus & infinitus in omni genere entis: cuius palatium, *templum* & ſolium in cælo eſt, unde humana & creata omnia pro libito & nutu ſuo moderatur ac dirigit. Habet & in terra tabernaculum ſuum, quaſi campeſtre, non in delubris aut idolis, ſed IN auguſtiſſimo TEMPLO Ieroſolymitano, ubi audit & exaudit vota ſupplicum, & ſuccurrit egentibus, iuſtitiam unicuique adminiſtrans, piis præmia, impiis ſupplicia decernens & inſtigens. Unde merito SILEAT A FACIE EIUS OMNIS TERRA; LXX. *revereatur eum*; Arabicus, *timeat*; Syrus, *contremiſcat coram eo*. Præ ſtupore enim, timore ac reverentia ſolemus tacere *l*, & tacendo noſtram teſtari inſufficientiam, impotentiam & indignitatem, maxime reſpectu immenſæ maieſtatis, ſapientiæ, ſanctitatis & potentiæ divinæ, in cuius conſpectu tremunt *cardines m cæli*; & totum hoc univerſum ſi cum ipſo conferatur, nec guttula *n* quidem eſt cum vaſto Oceano collata.

(a) Eccli. xi. 22.
(b) Beda in Collectaneis & Floribus.
(c) Rom. i. 17. Hebr. ix. 38.
(d) Ibidem.
(e) Gen. xlix. 18.
(f) Delrio adagio 1002.
(g) Iſaiæ xiv. 4. Ezech. xxxii. in argum.
(h) Iſaiæ xiv. 7. & cap. xxxiii. 9.
(i) Ioſeph. Lib. X. Antiquit.
(k) Exodi iii. 14.
(l) Sophon. i. 7. & I. Mach. i. 3.
(m) Iſaiæ vi. 4.
(n) Dan. iv. 31.

G O R D O N I.

Verſ. 1. SIgnificat Propheta ſe conſtanter permanſurum in officio, & interim avide expectare, quid ad querelam reſponſurus ſit Dominus,

V. 2. ET RESPONDEBIT MIHI DOMINUS SCRIBE, &c. Notari vult LXX. annorum futuram captivitatem; Iudæis quidem longam, ſed quam ſequetur liberatio. Iubet ergo reſpondens Dominus ſcribi, & notari quæ de futura clade ſunt decreta, quæ erunt ſuo tempore. Incredulo male erit (verſ. 4.) & iuſtus ex fide vivet, nempe ſicut incredulus rebellis, & ſuperbus rectam animam non habet: (talis eſt Nabuchodonoſor) ita fidelis ſeu Deo credens & adhærens vivet ex hac ſua ſpe & fide, per vitam gratiæ & gloriæ: talis erit qui his credet prophetiis de captivitate ad tempus; & de libertate tum per Cyrum, tum etiam allegorice per Chriſtum. Nihil habet hinc Calvinus pro *ſola* fide iuſtificante; nam nec *ſolam*, Propheta dixit, nec videt Calvinus hic requiri a Iudæis recte agendi rationem, diligentiam, & opera: ſic fidem ait eſſe principium iuſtitiæ, non complementum; nam qui eſt fidelis, ſe muniet contra mala ut iuſtificetur. An non etiam, quod eſt hic de fide, opponitur incredulo, quod Hebr. eſt עפלה *hhupela*, *elatus*, *ſuperbus*, deductum a nomine עופל *hhopel*, arx alta eſt hic enallage generis; nam *hhuppela* eſt feminini Sept. habent *ex fide mea*; nempe in Deum.

V. 6. NUMQUID NON OMNES, &c. En deſcriptionem malorum quæ obvenient Nabuchodonoſoro, & quam hic carmine propoſitam vocat parabolam: de qua voce dixi ad initium libri Proverbiorum: aggravat, inquit, rex impius denſum lutum, nempe opes, ſed perituras; & poſt multa concludit, verſ. 17. INIQUITAS LIBANI, hoc eſt qua tu uſus es in Libanum (quæ pars eſt initium Iudææ) in Iudæam, & (ut aliqui exponunt) in templum, veniet ſuper te; & vaſta animalia Perſarum deterrebunt Chaldæos propter ſanguinem copioſum hominis effuſum, & iniquitatem Chaldæorum in civitates & habitatores.

V. 18. QUID PRODEST, &c. Præclarum epiphonema tum in Nabuchodonoſorum fidentem ſuis idolis & divitiis, tum ad omnes qui in auro & argento ſpem ſuam ponunt.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 1. Ad arguentem me. Deum, qui eſt operum meorum inſpector, & cum opus eſt, reprehenſor.
Verſ. 5. Vinum decipit potantem, dum initio quidem exhilarat, tamen brevi proſternit privatum uſu rationis. Sic erit de felicitate Nabuchodonoſori.
Verſ. 8. Terrae civitatis. Hebr. *terræ & civitatis*.
Verſ. 9. In eccelso: putabit ſe eſſe extra calamitatem.



I. O R A T I O

HABACUC PROPHETAE

P R O I G N O R A N T I I S.

C A P U T III.

2. 
Omine audivi auditionem tuam, & timui.
Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.
In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.
3. Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan:
* Operuit cælos gloria eius: & laudis eius plena eſt terra.
4. Splendor eius ut lux erit: cornua in manibus eius:
Ibi abſcondita eſt fortitudo eius: 5. ante faciem eius ibit mors.
Et egredietur diabolus ante pedes eius.
6. Stetit, & menſus eſt terram.
Aſpexit, & diſſolvit Gentes: & contriti ſunt montes ſæculi.
Incurvati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius.
7. Pro iniquitate vidi tentoria AEthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.
8. Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?
* Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſalvatio.
9. Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es.
Fluvios ſcindes terræ: 10. viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſiit.
Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas levavit.
11. Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum, ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.
12. In fremitu conculcabis terram: * in furore obſtupefacies Gentes.

13. Egreſ-

13. Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.
Percuſſiſti caput de domo impii: denudaſti fundamentum eius uſque ad collum.
14. Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus ut turbo ad diſpergendum me.
Exultatio eorum, ſicut eius qui devorat pauperem in abſcondito.
15. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.
16. Audivi, & conturbatus eſt venter meus: a voce contremuerunt labia mea.
Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.
Ut requieſcam in die tribulationis: ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum.
17. Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.
Mentietur opus olivæ: & arva non afferent cibum.
Abſcindetur de ovili pecus: & non erit armentum in præſepibus.
18. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Ieſu meo.
19. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi cervorum.
Et ſuper excelſa mea † deducet me victor in pſalmis canentem.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. Operuit cælos gloria eius. Quidam libri his verbis præponunt *ſemper* poſitum pro hebraico *ſela* & græco *diapſalma*: quod non magis hic ſententiam ingreditur, quam faciat in Pſalmis, ubi eſt frequentiſſimum. Idem accidit infra verſ. 9. ante ea verba: *fluvios ſcindes terræ*; & verſ. 14. ante illa: *maledixiſti ſceptris eius*.

Verſ. 8. Qui aſcendes ſuper equos tuos. Non mutes futurum *aſcendes* in præſens *aſcendis*.

Verſ. 12. In furore obſtupefacies gentes. Non præponas his verbis coniunctionem *&*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 19. D*Educet me victor in pſalmis.* Pro nominativo *victor* Hebr. legitur vox illa prorſus eadem, quæ a D. Hieronymo (qui eſt proprius interpres Prophetarum, ut in Vulgata a nobis latine leguntur) vertente Pſalmos ex Hebræo, in titulis frequenter occurrens, ſemper vertitur *victori*, a LXX. *in finem*. Quare coniectura & valde probabilis doctorum quorundam tractatorum, hic quoque ſcribendum eſſe dativo caſu, *victori*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verſ. 1. PRO IGNORANTIIS, id eſt peccatis: ſic etiam peccata vocantur Pſal. XXIV. eſt enim peccatum, error quidam. Vel pro peccatis per ignorantiam commiſſis. Orat igitur hic pro populi Iudaici peccatis, ne ſcilicet Dei promiſſa impediant, præſertim de Chriſto venturo.

V. 2. AUDITIONEM, id eſt nuntium, ſcilicet quod ſupra ei de Chriſto revelatum. *Auditio*, pro, re audita, more Scripturæ; quaſi dicat, Quod me audire feciſti te revelante. TIMUI, id eſt obſtupui. LXX. addunt, *Domine conſideravi opera tua, & obſtupui*, ſeu *expavi*, ſcilicet admiratione tantæ bonitatis & potentiæ. OPUS, ſcilicet redemptionis humanæ. IN MEDIO ANNORUM, id eſt intra annos; qua-

quasi dicat, Tempore a te præscripto. Vivifica, id est effice, suscita. LXX. *in medio duorum animalium cognosceris*, id est duorum Testamentorum, quæ in se vitam continent, vel populi Gentilis & Iudaici, vel asini & bovis in præsepio. In medio annorum. LXX. *cum appropinquaverint anni*. Notum facies, scilicet te: vel demonstrabis quod promisisti. LXX. *cognosceris*. Misericordiae, scilicet exhibendæ; quasi dicat, Exhibetis promissam misericordiam.

V. 3. Austro, id est Bethlehem quæ ad Austrum; vel de Idumæa: quod Deut. xxxiii. dicitur de *Seir*; quasi dicat: Ille veniet, qui olim se ostendit in Seir & Pharan: vide Deut. xxxiii. Pharan. LXX. *umbroso*. Hic additur Hebr. *Selah*, & in LXX. διάψαλμα. Vide Psalm. iii. Operuit, &c. quasi dicat: Veniet is, cuius gloria cælos implet & superat. Laudis, id est operum laude dignorum, seu perpetuo celebrandorum.

V. 4. Splendor, scilicet doctrinæ, & miraculorum. Lux, scilicet solis; quasi dicat, Maximus. Cornua, id est vires, vel crux, in cuius cornibus confixus, & per quam fortissime vicit. Ibi, scilicet in cruce, ubi infirmus videbatur. Fortitudo: hanc vocavit *cornua*: forte duo, quia fortis, & Deus & homo.

V. 5. Ibit, id est discedet victa, seu fugiet, scilicet mortem moriendo destruxit. Diabolus, scilicet victus: iuxta illud, *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*.

V. 6. Stetit. Præterita pro futuris; quasi dicat: Stabit more victorum, qui subactam bello terram dividunt, scilicet distribuet Apostolos & prædicatores per orbem. Aspexit, scilicet misericorditer. Dissolvit; pro, solvit, scilicet a peccatis, vel quasi dicat, Liquefecit, seu peremit, scilicet interficiens peccata, seu veterem hominem, & renovans per gratiam. Montes saeculi, id est qui in mundo similes montibus antiquis, scilicet Reges & Principes, nam & ii etiam fidei se subdiderunt, velut veritatis vi prostrati. Incurvati, id est humiliati. Colles, id est potentes. Vide Isa. xl. Ab itineribus, &c. id est ob adventum æterni Dei in mundum.

V. 7. Pro iniquitate, id est ob iniquitatem. Tentoria, scilicet eversa. AEthiopiae; pro, AEthiopum, id est peccatorum peccatis deformium. LXX. *AEthiopum*. Pelles, id est tabernacula; e pellibus enim fiebant. LXX. *tabernacula*. Madian. Est Madian pars AEthiopiæ, ut patet Num. xii. & II. Par. xiv. est ergo repetitio.

V. 8. In fluminibus; pro, in flumina, scilicet tantum; quasi dicat: Numquid solum ostendes potentiam tuam in siccando Iordanem & Mare rubrum, veluti ascensa quadriga ad servandum tuos? Aut in fluminibus, scilicet AEgypti, conversis in sanguinem olim. Vel alludit ad id quod dicitur Luc. xxi. & Apoc. viii. & xvi. de mari, & fluviis. Qui ascendes; pro, cum ascenderis; vel ascenderes olim. Salvatio, scilicet populi tui.

V. 9. Suscitans, &c. pro, omnino parabis. Arcum, id est potentiam velut arcum, scilicet contra fidei hostes. Iuramenta; pro, & iuramenta, scilicet *suscitabis*, id est implebis promissa; vel quasi dicat, Secundum iuramenta. Tribubus, id est genti Israeliticæ. Locutus es, id est fecisti loquendo eum Patribus; ut Abraham, Isaac, Iacob, David, &c. vide Gen. xxii. Mich. ultimo, Psalm. lxxxviii. & cxxxi. Fluvios, id est populos. Scindes, scilicet sistendo impetum, ut olim in Iordane fecisti; quasi dicat, Reprimes vim hostium Ecclesiæ.

V. 10. Te, id est tuam potentiam. Quidam ad diem iudicii referunt, iuxta ea quæ dicuntur Luc. xxi. & Apoc. xvi. Gurges aquarum, id est servos Dei persequentium impetu, more aquæ inundantis. Transiit; pro, transibit, id est cessabit, te scilicet reprimente. Abyssus, id est copia aquarum, scilicet persecutorum. Vocem, id est strepitum, ut solent aquæ furibundæ; quasi dicat: Vehementer persequentur impii fideles. Altitudo, id est profunditas, scilicet abyssi. Manus suas, id est aquarum vim, velut manus, scilicet persecutores vires suas contra Dei servos. Quidam hæc referunt ad laudes Dei decantatas, per *abyssum*, id est homines, & *altitudinem*, id est Angelos, celebrantes scilicet Christi victorias.

V. 11. Sol et luna, scilicet tempore Iosue olim, itemque in die iudicii, cum scilicet cessabit motus cælorum. Ibunt, id

id est fugient, scilicet hostes tui sagittis fulgentibus territi: vide Sap. v. Apoc. xvi. seu potius in infernum detrudentur tuis percussionibus, veluti sagittarum ictibus, & hastæ.

V. 12. FREMITU, id est indignatione. TERRAM, id est terrenos homines. OBSTUPEFACIES, scilicet attonitos reddens suppliciis: vel alludit ad illud Luc. xxi. *Arescentibus hominibus præ timore*, &c.

V. 13. EGRESSUS ES: præterita pro futuris. CAPUT, scilicet Antichristum. DOMO IMPII, id est familia diaboli, vel *impii*, pro impiorum. DENUDASTI, &c. quasi dicat, Prorsus domum evertisti usque ad fundamenta. USQUE AD COLLUM, scilicet evertisti; quasi dicat, Ut cum quis mergitur aquis totus, & obruitur, sic penitus delevisti; vel usque ad concultationem colli, quod solent victores facere. Hic iterum Hebr. additur *Selah*. LXX. *in finem*, id est perpetuo: vide supra.

V. 14. MALEDIXISTI, scilicet adstruendo. Dei dicere, facere est. SCEPTRIS EJUS, id est potentiæ, seu regno diaboli, vel peccati. CAPITI; pro, capitibus, id est ducibus. DISPERGENDUM, id est perdendum. ME. Loquitur in persona populi Dei. EXULTATIO EORUM, scilicet tanta erat venientium.

V. 15. FECISTI; pro, facies; quasi dicat: Incedes tu per medias calamitates, inde tuos eripiens.

V. 16. AUDIVI, scilicet Dei terribile iudicium de malis. VENTER, id est interiora; seu viscera. A VOCE; pro, ad vocem, scilicet tuam mihi revelantem hæc; vel quasi dicat: Ita ut vocem edere non possem præ tremore. INGREDIATUR, &c. quasi dicat: Mala mihi huius vitæ potius eveniant dum vivo, quam illa supplicia patiar parata impiis. UT REQUIESCAM; pro, modo ut requiescam, Hieron. II. cont. Pelag. TRIBULATIONIS, scilicet damnatorum, vel iudicii ultimi. ACCINCTUM, scilicet fortitudine; quasi dicat, Fortem & victorem, scilicet eum Christo regnantem.

V. 18. FICUS ENIM, &c. per hæc significatur magna bonorum spiritualium penuria futura tempore Antichristi. MENTIETUR, id est fallet operantem, scilicet non secuto fructu: vel *opus* vocat fructum, qui fallere dicitur, dum non provenit expectatus. ABSCINDETUR, id est peribit, vel deficiet.

V. 18. IESU. LXX. *Salvatore*. Chald. *redemptore*.

V. 19. QUASI CERVORUM, id est agiles. EXCELSA, scilicet, cælos. MEA, scilicet cælum patria iustorum. VICTOR, scilicet Christus, vel potius *victori*, ut legit Hieron. quasi dicat: Christi victoriam carmine seu cantu celebrantem, & pro victoria mihi data gratias agentem.

E S T H.

Vers. 1. ORATIO HABACUC PRO IGNORANTIIS. Hieron. videtur dicere quod Habacuc velut canticum pœnitentiæ hoc scripserit, & se reprehenderit de eo, quod cap. I. conquestus erat: *Usquequo Domine clamabo, & non exaudies*, &c. Et ita loquitur Hieron, Lib. I. contra Pelag. in fine, & in prologo commentarii huius loci. Verum in ipso commentario temperat sermonem, dicens prophetam vel ex sua, vel populi, vel humanæ impatientiæ persona talia dicere. Atque adeo prophetam Habacuc in illa querela non plus peccasse, quam Ieremiam in simili; ostensum est supra, cap. I. ad dicta verba, *Usquequo*, &c. Intellige ergo *pro ignorantiis*, scilicet populi.

V. 2. DOMINE OPUS TUUM, IN MEDIO ANNORUM VIVIFICA ILLUD. Opus istud intelligitur totum mysterium redemptionis nostræ; comprehendens scilicet Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, id est evangelii, & novæ legis prædicationem, ac veteris legis in novam commutationem. Istud enim opus est, cuius promissi fidem supra requirebat dicens: *Iustus autem in fide sua vivet*. *Vivificat* autem hoc opus Deus, dum illud implet; & quidem *in medio annorum*, id est in plenitudine temporis; vel, ut alii exponunt, in dimidio hebdomadis: quando videlicet iuxta prophetiam Danielis prædicitur, abrogato veteri sacrificio, venturus Christus.

Septuaginta interpretes vertunt: *In medio duorum animalium cognosceris*. Græce est ζώων, *animalium*, vel ζωῶν, *vitarum*. Ecclesia in nocte Nativitatis Domini canit animalia vidisse Dominum; scilicet respiciens ad hunc locum. Et in Circum-

cumcisione Domini expresse canit: *In medio duorum animalium iacentem in præsepio*. Quidam, ut meminit Hieron. duo animalia interpretati sunt, Filium, & Spiritum sanctum. Sed videtur ea expositio quiddam Origenianum sapere, nec eam probat Hieron. sed tantum refert. Augus. Lib. XVIII de civit. cap. XXXII. in medio duorum animalium exponit, vel duorum testamentorum, vel duorum latronum, vel in medio Moysi & Eliæ. Item in concione ad Catechumenos cont. Iudæos cap. XIII. tom. VI.

V. 13. EGRESSUS ES IN SALUTEM POPULI TUI, IN SALUTEM CUM CHRISTO TUO. Quamvis hoc modo vertat Hieron. idem tamen dicit in Hebræo sic haberi: *Egressus es in salutem populi tui, cum Iesu Christo tuo*. Dices, Cur ergo non ita vertit? Videtur Hieronymus non aliud velle, quam Hebræa posse etiam in hunc sensum accipi, sed rectius priori modo. Commemorat ibidem Sixtinam editionem verti hoc modo: *Egressus es, ut salvares populum tuum per Iesum Christum tuum*. Et hac versione dicit proditum manifestissime sacramentum.

MARIANAE.

Vers. 1. PRO IGNORANTIIS. Hebr. *super Sigheionoth*. Cantilena vulgaris erat, ad cuius modos hæc Oratio seu Canticum cani debebat. De qua re plura Psalm. VII. 1. sic Hebræi peritiores sentiunt. Porro in hoc Cantico Propheta orat, ut quæ mirabilia olim fecit, cum populum ex AEgypto eripuit, ea contra Babylonios instauret.

V. 2. DOMINE AUDIVI AUDITIONEM TUAM, id est famam eorum quæ olim fecisti mirabilia. DOMINE OPUS TUUM, quod olim fecisti. IN MEDIO ANNORUM, id est tempore suo. VIVIFICA ILLUD, id est instaura, repete. IN MEDIO ANNORUM NOTUM FACIES; pro, fac; ostende hoc tempore. Sept. *in medio duorum animalium cognosceris*. Hinc occasio affingendi Christi nati præsepi duo animalia. CUM IRATUS FUERIS. Hebr. *in ira misericordiæ recordaberis*; pro, recordare; etsi nunc es irritatus in nos, debes meminisse eorum quæ olim promisisti.

V. 3. DEUS AB AUSTRO VENIET; pro, venit. Hebr. *a Theman venit*, quæ est Idumææ urbs. Sed quoniam vox ea *Austrum* etiam significat, Hieronymus, Sept. Chald. pro *Theman*, *Austrum* posuerunt. DE MONTE PHARAN. Mons est vicinus monti Sinai, quo fingit aliunde venisse Deum ad Legem dandam. Et alludit ad verba Deuter. XXXIII. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan*. Pro *Seir*, id est, Idumæa, Habacuc posuit *Theman*. Est autem Idumæa Sinai vicina. Heb. hic ponitur *Sela*, quæ vox per se legi debet, neque prioribus aut posterioribus iungi: sed notat, vocem, propter mysterium quod ibi continetur, elevandam: de qua re copiosius Psal. III. 3. Sequitur: OPERUIT CAELOS, propter mirabilia; quæ in Sina fecit, tonitrua & fulgura. Ea fuit gloria, ea laus Dei, quæ cælum & terram replevit.

V. 4. SPLENDOR EIUS UT LUX, id est ut ignis. Sic cum Legem daret, dicitur: *Et aspectus gloriæ Dei sicut ignis vorans*. ERIT; pro, fuit; futurum pro præterito. CORNUA. Sic Sept. Alii vertunt *splendores*. קרן *Keren* & *splendorem* & *cornu* significat, de quo Exod. XXXIV. 29. Verum sive *splendores* dicas, sive *cornua*, de iis loquitur, quæ Moysis facies habuit; ideo dicit, *in manibus eius*, id est Dei, & Heb. additur *ipsi*, quia Deus ea Moysi dedit. Hebr. sic: *cornua* (seu *splendores*) *ex manu eius* (Dei) *ei*, scilicet Moysi. Aut per *cornua* robur Dei intellige, ad evertendas septem gentes. IBI ABSCONDITA EST FORTITUDO EIUS: inde prodiit; quasi esset ante in Sina reposita & ignota.

V. 5. ANTE FACIEM EIUS, ante eum. IBIT MORS. Hebr. *pestis*. ET DIABOLUS. Hebr. *pestis* iterum, aut *carbo*, id est ignis. ANTE PEDES EIUS, id est ante eum, coram eo. Ea pestis excidium est, quo Chananæos delevit. *Diabolus* pro *peste*.

V. 6. STETIT, id est diu in deserto mansit Deus cum populo. ET MENSUS EST TERRAM. Deinde Terram promissam inter tribus mensura divisit. ASPEXIT, ET DISSOLVIT, seu *transtulit*; aspexit ad transferendum Gentes septem; scilicet, Non temere, sed cum consilio id fecit. MONTES SAECULI, id est Reges contriti sunt. Heb. *montes æterni*: qui videbantur æternum man-

mansuri. INCURVATI SUNT COLLES MUNDI; seu *sæculi*, quia Hebr. est *holam*. AB ITINERIBUS, id est expeditionibus, quas ab æterno fore decrevit. Hebr. *itinera sæculi ei*, scilicet incurvata sunt. Per *itinera* aut *vias*, leges & mores intelligit antiquos Gentium earum, quas mutavit; per *montes* & *colles* Principes.

V. 7. PRO INIQUITATE. Hebr. *in loco iniquitatis*: sic hostium castra vocat. VIDI TENTORIA AETHIOPIAE. Sic Sept. Duplex erat AEthiopia. Ex Asiatica, quæ erat in Arabia, venisse Gentes contra filios Israel, verisimile est. Hebr. *tentoria Cusan*. Erat Mesopotamiæ Rex, qui & Madianitæ primi molesti extiterunt populo Israel, cum ex AEgypto rediret: Iudic. III. & VI. PELLES. Tentoria vocantur *pelles*, quoniam ex pellibus. Illi ergo turbati sunt, timuerunt, qui in tentoriis erant.

V. 8. NUMQUID IN FLUMINIBUS. Siccavit mare & Iordanem. In quo illis irasci videbatur, sed alio spectabat ira eius. IRATUS ES DOMINE. Hebr. *iratus est Dominus*. QUI ASCENDIS SUPER EQUOS TUOS. Per *equos* & *currus* nubes intelligit, quibus vehi Deus videtur, ut confligat cum hoste, ut prodigia faciat. ET QUADRIGAE TUAE SALVATIO. Hebr. (in) *curribus tuis salus*, cripis scilicet tuos.

V. 9. SUSCITANS SUSCITABIS. Heb. *nudando nudabis arcum tuum*. Videris intra thecam illum continuisse, nunc autem expedies arma, ut Chananæos evertas. IURAMENTA, id est propter iuramenta, hæc fecisti ut impleres iuramenta. TRIBUBUS, id est patribus tribuum facta. QUAE LOCUTUS ES. Hebr. *dictum*, pro, dicta, scilicet iuramenta. Hebr. additur *Sela*, ut vers. 3. FLUVIO SCINDES TERRAE, pro, scindes terram fluviis, id est facies tu aquæ copiosæ quasi fluvii erumpant e terra: quod factum est in deserto in populi siti. *Scindes*, pro scidisti.

V. 10. VIDERUNT TE, ET DOLUERUNT, seu *timuerunt*. MONTES, id est Reges. GURGES AQUARUM. Hebr. *inundatio aquarum* transiit, cum mare & Iordanem divisit, aqua ripis est superfusa. DEDIT ABYSSUS VOCEM SUAM, insonuit ex collisione fluctuum. ALTITUDO MANUS SUAS LEVAVIT, id est profundum, mare litora levavit. Litora *manus* vocantur; *levavit* autem, cum aquæ ab utraque parte quasi cumuli extabant. Eos cumulos *manus* & litora vocat.

V. 11. SOL ET LUNA. Hebr. non est *&*, sed suppletur. Ergo STETERUNT IN HABITACULO, non erat opus eo lumine: splendor armorum pro luce erat. Hyperbole. Per *sagittas* & *hastas* omnia arma intelligit. IBUNT, scilicet Israel.

V. 12. IN FREMITU. Hebr. *in ira* calcabis terram, scilicet Chanaan, illam subiges, pro, subegisti. OBSTUPEFACIES. Hebr. *triturabis* Gentes.

V. 13. EGRESSUS ES. Transit ex hoc ad obsidionem Ierusalem per Chaldæos, & præterita pro futuris. *Egressus es*, pro, egredieris. Precor ut egrediaris, sicut futura superius pro præteritis, nunc præterita pro futuris. Sic sunt Prophetæ, tempora commutant. IN SALUTEM CUM CHRISTO TUO. Sedecia Rege. Aut forte repente a bellis Iudæorum transit ad Christi adventum, qui fuit salutaris omnibus. PERCUSSISTI CAPUT, id est Regem Babel. DENUDASTI FUNDAMENTUM EIUS: qui diruunt, nudant fundamenta. Ergo *diruisti fundamentum eius*, domus impiæ. USQUE AD COLLUM, id est penitus. Aquæ cum ad collum pertingunt, suffocant hominem: sic tu domum Nabuchodonosor penitus dirues. Hebr. *Sela*, ut vers. 3.

V. 14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EIUS, scilicet impii Nabuchodonosoris. Duæ voces Hebr. שבט *sebet*, & מטה *matech*, *virgam* significant. Prior pro *sceptro* sæpe ponitur; posteriorem, quæ hic est, pro eo sumi non invenio. Ita alii Hebr. sic vertunt, *perfodisti* (perfodies) *virgis eius*, id est suismet armis perimes. CAPITI BELLATORUM EIUS. Hebr. *caput militum eius*, id est ipsum Nabuchodonosorem. VENIENTIBUS UT TURBO; pro, venientium ut turbo, scilicet cum impetu. AD DISPERGENDUM ME, id est meos, ut agant eos in captivitatem. Ut solet is facere QUI DEVORAT, opprimit PAUPEREM, qui resistere non potest; & IN ABSCONDITO, ubi non sit defensor, qui ei patrocinetur.

V. 15. VIAM FECISTI. Hebr. *calcasti in mari* (pro, mare) *equis tuis*, scilicet qui mare equorum pedibus, cum illud aperuisti, calcasti, bene poteris Babylonium superare & subiicere.

V. 16. VENTER MEUS, id est viscera tre-

tremuerunt viso hostium exercitu. A VOCE CONTREMUERUNT, seu *palpitarunt* LABIA, scilicet præ timore vocis, id est fragoris quem edebant, aut famæ quæ ferebatur. INGREDIATUR. Hebr. *ingressa est putredo*, id est contabui. ET SUBTER ME SCATEAT. Hebr. *subter me* (pro, intra me) *tremo*. UT REQUIESCAM. Heb. *quia quiescam* (id est putavi me quieturum) *in die angustiæ*. Sed quies in angustiam versa est. UT ASCENDAM AD POPULUM ACCINTUM. Hebr. *ut ascendam ad populum, quem turmæ circumdant eum;* quasi dicat: Timeo ingredi intra urbem obsessam. Huc etiam Vulgatæ verba possunt referri. Quomodo in die angustiæ quiescam, quomodo ascendam ad *populum accinctum*, id est qui est in armis?

V. 17. FICUS ENIM NON FLOREBIT, aut *germinabit*. *Ficus* flores non habet. ET NON ERIT GERMEN. Hebr. *fructus in vineis*. יבול *Iebul*, *fructum* significat. OPUS OLIVAE, cultura, aut fructus. ABSCINDETUR, diripietur. NON ERIT ARMENTUM IN PRAESEPIBUS. Hebr. *non erit bos in bovilibus*; quasi dicat: Etiamsi ab hoste omnis ager vastetur, ego tamen in Deo confidam.

V. 18. IN DEO IESU MEO. Hebr. *in Deo salutis meæ*, qui est salus mea, id IESUS est. Ille me eripiet; ponet pedes meos.

V. 19. QUASI CERVORUM, ut fugiam, & evadam. ET SUPER EXCELSA MEA. Saltem in arce sublimi me constituet. DEDUCET ME. Hebr. *calcare me faciet excelsa*. VICTOR IN PSALMIS CANENTEM, scilicet Deus victoria parta deducet me quasi pæana canentem. Hieronymus in Comment. *Victori*: sic Hebr. *Victori* (præfecto) *in canticis meis*. Pars est tituli, quæ præter morem ponitur in fine. Totus titulus erit: *Oratio Habacuc super Sigheionoth præfecto in Canticis meis*. Erat cantor, cui ipse sua Cantica decantanda tradebat. De hac re in Psalmis plura.

MENOCHII.

Vers. 2. AUDIVI AUDITIONEM TUAM: oraculum quod a te mihi revelatum est de vastatione Iudææ per Chaldæos, & de clade Chaldæorum per Medos, & Persas. Opus etiam magnum, quod pro hominum salute facturus es, carnem assumendo. ET TIMUI: timore reverentiæ. Obstupui admiratione tanti operis. LXX. addiderunt, *Consideravi opera tua, & expavi*. Græce ἐξέστην, *Extra me factus sum*. IN MEDIO ANNORUM: scilicet, calamitosum, captivitatis, cum calamitates erunt in summo, sic vulgo dicimus. In medio tribulationum versor, id est in summis tribulationibus: sane Christus in medio annorum peccatis, oblivione veri Dei, & idololatria plenissimorum venit in mundum. VIVIFICA ILLUD: fac ut prodeat; nec patiaris tantum opus a te promissum, iacere quasi mortuum; vivifica illud. NOTUM FACIES: idem significat quod vivifica illud. Prodire facies. CUM IRATUS FUERIS, &c. id est, licet peccatis hominum iratus sis, tamen cum tempus advenerit, misericordiam tuam non subtrahes.

V. 3. DEUS AB AUSTRO VENIET. Futurum pro præterito, *Veniet*, pro *venit*. Incipit enim propheta commemorare mirabilia, quæ Deus patravit, cum populum suum ex AEgypto eductum, induxit in terram promissam, ut significet similia facturum Deum, ut liberet ex Babylone. Ut ergo legem daturus in Sina, venit Deus ab Austro, &c. sic a Perside & Media, quæ Australes sunt Chaldææ, adducet Cyrum, & Darium, qui Babylonem vastent, indeque nos liberent. Deus etiam se ostendet in carne, ille idem qui in montibus Seir, Pharan, & Sina olim patribus apparuit. Alludit propheta ad illud Deut. XXXIII. 2. *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia*: vide ibi dicta. OPERUIT CAELOS GLORIA EIUS, &c. quasi dicat, Veniet is cuius gloria cælos implet, & superat LAUDES EIUS, &c. id est operum laude dignorum, seu perpetuo celebrandorum.

V. 4. SPLENDOR EIUS UT LUX ERIT; quasi dicat: Claritas, & splendor Dei advenientis ad dandam legem, erat ut splendor solis; simili maiestate veniet non contra hostes nostros, claruit Christus luce doctrinæ, & miraculorum. CORNUA IN MANIBUS EIUS: robur, & potentia in manibus eius. Omnipotens est dextera eius: hisce cornibus ventilabit inimicos suos. Non male interpretantur multi de cruce, in eu

ius cornibus confixæ sunt manus Christi, & per quam fortissime adversarios vicit.

V. 5. IBI ABSCONDITA EST FORTITUDO EIUS. In hisce cornibus quodammodo latet fortitudo eius, quam tamen exeruit in Chananæos, & in Chaldæos exprometur; sic in Christi cruce abscondita est fortitudo, quia in carne patiens Dominus infirmus videbatur. ANTE FACIEM EIUS IBIT MORS. Loquitur de peste, & strage, quam Deus immisit Chananæis, ut venientes Israelitæ facile eos opprimerent. Promiserat id Deus Exod. XXIII. 27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris*, &c. *emittens crabrones prius*, &c. Id autem re ipsa præstitisse Deum patet ex Iosue XXIV. 12. sic antequam excindatur regnum Chaldæorum; mortales plagæ famis, aut pestis immittentur a Domino. Ante faciem Christi ivit mors, quia moriendo mortem vicit, illaque superata, & pudibunda aufugit, *Absorpta est mors in victoria*, I. Cor. XV. EGREDIETUR DIABOLUS ANTE PEDES EIUS. Pro *diabolus*, in Hebræo est רשף *resceph*, quod significat quicquid volando adurit, ut sunt fulmina, sagittæ ignitæ, scintillæ, &c. significat ergo *immissiones per angelos malos*, ut loquitur David Psalm. LXXVII. 49. cum scilicet fulmina, pestes, sagittas igneas in Chananæos misit Dominus antequam invaderentur ab Hebræis, innuens similes in Chaldæos immittendas, omnis scilicet generis calamitates. Optime de Christo hoc intelligitur qui Diabolum vicit, & de huius mundi possessione exturbavit, iuxta illud, *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*.

V. 6. STETIT, ET MENSUS EST TERRAM. Deus expugnata per Hebræos terra promissa, eadem mensus est in funiculo distributionis, singulis tribubus portionem suam assignans. Pariter expugnata Babylone per Cyrum, in eo quasi victor consistet, & Persis, ac Medis victoribus partietur, & tribuet. Christus subactam prædicatione terram divisit Apostolis, & successoribus eorum, ut eam spiritualiter colerent. ASPEXIT, ET DISSOLVIT GENTES: solo quasi aspectu, & minaci vultu Chananæos terruit, & timore solvit, ac perculit, eumdem terrorem experientur Chaldæi. Christus aspexit, & omnia sceleribus, & infidelitate plena vidit; credentes autem in se a peccatorum vinculis solvit. CONTRITI SUNT MONTES SAECULI. Per montes sæculi, & colles mundi intelligit reges; & principes qui in maioribus suis longissimo tempore regnaverunt in Chanaanitide. Hos Dominus contrivit, & idem accidit Chaldæorum regibus. Christo etiam veniente montes, & colles hi humiliati sunt, nam se doctrinæ, & legi eius subiecerunt. AB ITINERIBUS AETERNITATIS EIUS, id est ob adventum æterni Dei.

V. 7. PRO INIQUITATE VIDI TENTORIA AETHIOPIAE. *Vidi*; id est, cognovi quid olim feceris Domine AEthiopibus, id est Madianitis *pro iniquitate*, id est propter scandalum fornicationis, & cultus Beelphegor, quod ipsi obiecerunt filiis Israel, submittendo in eorum castra filias suas, quæ ad utrumque scelus eos pellicerent: Num. XXV. 1. Cognovi enim quod eorum pelles, tentoria & castra turbaveris, & profligaveris per Iosue; sicut ergo turbasti Madianitas per Iosue, ita turbabis, affliges, & excindes Chaldæos per Cyrum & Persas. Christus turbavit, & evertit castra AEthiopum, id est diaboli, & peccatorum sceleribus deformium.

V. 8. NUMQUID IN FLUMINIBUS IRATUS ES DOMINE. Sententia est; quasi dicat: Ad salvandum populum tuum Israel, videbaris Domine irasci, & indignari Iordani, & fluentis maris rubri; simili modo per Cyrum deduces Euphratis alveum in fossas, & per eum ita desiccatum Persas immittes in Babylonem; ita enim a Cyro captam memorant. QUI ASCENDES SUPER EQUOS TUOS: quando scilicet tu ut populum tuum salvares, contra Pharaonem pugnaturus ascendebas nubem, quasi currum bellicum. ET QUADRIGAE TUAE SALVATIO. In Hebræo est, *& quadrigas tuas ad salutem*, scilicet populo tuo dandam. LXX. habent, *& equitatio tua salus*.

V. 9. SUSCITANS SUSCITABIS ARCUM TUUM. Arcum tuum arripuisti, & iaculatus in AEgyptios, eos perdidisti. IURAMENTA TRIBUBUS QUAE LOCUTUS ES: ut effecta dares promissa tua iuramento confirmata, quæ Israelitis præstiteras.

V. 10. FLUVIOS SCINDES TERRAE, id est fluenta Iordanis, & maris scidisti. VIDERUNT TE ET DOLUERUNT MONTES. In Hebræo est, *& tremuerunt montes*; id est magnæ aquarum moles ad instar montis assurgentes in transitu Iordanis, & maris ru-

rubri reveritæ sunt imperium tuum, & quodammodo doluerunt, quod a suo cursu inhiberentur. GURGES AQUARUM TRANSIIT, id est recessit, inhibitus, & retroactus. DEDIT ABYSSUS VOCEM SUAM: fremuit mare, & strepitum edidit collidentibus se fluctibus. ALTITUDO MANUS SUAS LEVAVIT. Altæ aquarum crepidines utrinque elevatæ sunt, ita ut mare videretur ad te manus suas supplex attollere.

V. 11. SOL ET LUNA STETERUNT IN HABITACULO SUO: pugnante Iosue contra Amorrhæos, Iosue x. 12. IN LUCE SAGITTARUM TUARUM IBUNT, id est ibant, vel iverunt; sensus est, cum sagittis tuis, id est lapidibus, & fulguribus grandini permixtis hostes Israelitarum impeteres, & prosterneres; tunc Israelitæ per lucem eorumdem fulminum, ac fulgurum (quæ sunt sagittæ, & hastæ Dei) illæsi, immo illustrati, inimicos insectabantur.

V. 12. IN FREMITU: fremens, & furore plenus, & vindictæ cupiditate flagrans late dedisti, & porro dabis stragem inimicorum tuorum, adeo horribilem, ut omnes obstupescant.

V. 13. EGRESSUS ES IN SALUTEM POPULI TUI: cum eum liberasti, & eduxisti ex AEgypto. CUM CHRISTO TUO: per Moysem, quem spiritu tuo unxisti, ut esset dux, & propheta populi tui, simili modo egredieris cum Cyro in aciem contra Babylonem, ut ex ea liberes populum tuum captivum. Hinc Cyrus ab Isaia cap. XLV. I. vocatur Christus, dum ait: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro*. Egressus est etiam Deus cum Christo Iesu in salutem populi spiritualem, per opus redemptionis nobis partam. PERCUSSISTI CAPUT DE DOMO IMPII. Pharaonem intelligit, qui erat caput domus impii Cham, qui fuit nequissimus, & primus Rex AEgypti, quæ inde dicta est *Terra Cham*, Psalm. CIV. 23. & Psalm. LXXVII. 51. Vel, *caput*, id est capita, hoc est, Principes impii Pharaonis. Simili modo percuties Baltasarem, qui est caput in domo impii Nabuchodonosor per Cyrum. Caput in domo Diaboli, est potentissimus ex eius domesticis, id est Antichristus, *quem Christus interficiet spiritu oris sui*. II. ad Thess. II. DENUDASTI FUNDAMENTUM EIUS USQUE AD COLLUM. Ignominia eum perfudisti turpiter prostigatum, dedecore illum afficiens, non secus ac si totum eius corpus a pedibus, qui sunt bases, & fundamenta humani corporis, nudasses usque ad collum, & summum verticem.

V. 14. MALEDIXISTI SCEPTRIS EIUS: capitibus, & ducibus exercitus eius, quos maris rubri gurgitibus mersisti; simili modo Deus maledixit sceptro Baltasaris, & Chaldæorum per Cyrum; Christus vero sceptro, & tyrannicæ dominationi Antichristi. VENIENTIBUS UT TURBO, &c. qui magno impetu veniebant, ut populum Israel perderent, vel in servitutem AEgyptiacam retraherent.

V. 15. EXULTATIO EORUM, &c. exultabant AEgyptiorum duces, quod me conclusum in mari cernerent; putabant enim ibi me devorare; sicut potens aliquis exultat, come pauperem, quem mactare, vel spoliare intendit, in reducto aliquo ab arbitris loco deprehendit, ubi nullus ei possit opem ferre.

V. 16. VIAM FECISTI IN MARI EQUIS TUIS. Populum tuum favore tuo, quasi in equos sublatum, transportasti per alveum lutosum maris rubri; ita tamen ut non inquinaretur, nec læderetur, complanata & exsiccata via: simili modo Deus viam faciet Persarum equitatui, ut Babylonem victores ingredi possint. Deus Apostolis scidit flumina, & maria, cum illis totum mundum pervium reddidit, & prædicationi eorum patefecit. AUDIVI: quæ Deus contra AEgyptios fecerit, & quæ facturus sit contra Chaldæos. CONTURBATUS EST VENTER MEUS, id est interiora mea, cor meum. A VOCE: quam audivi hæc prædicentem. CONTREMUERUNT LABIA MEA: ut iis accidit qui multum timent. INGREDIETUR PUTREDO IN OSSIBUS MEIS: emoriar Domine, ne tam atrocis cladis sim spectator. UT REQUIESCAM, in sepulcro. AD POPULUM ACCINCTUM NOSTRUM: ad cœtum, Abraham, Isaac, Iacob, Iosue, aliorumque virorum sanctorum, & fortium e populo meo, qui olim pro gente sua armis accincti insignes de hostibus victorias reportarunt. Vox Hebræa quam vulgatus vertit, *accinctum nostrum*, significat etiam unitum, collectum, colligatum, congregatum, coniunctum; quod convenit Patribus in limbo degentibus.

V. 17. FICUS ENIM NON FLOREBIT, &c. quasi dicat: Tanta erit Babylonis clades

des per Cyrum, tanta rerum omnium vastitas, & desolatio, ut exarescant ficus, vinearum germina, oleæ pereant, armenta & greges. CIBUM, tritieum. ABSCINDETUR, peribit, vel deficiet.

V. 18. GAUDEBO, exultabo, iubilabo, quod LXX. dixerunt ἀγαλλιάσομαι, nimirum propter opem, & salutem ab eo mihi præstitam. EXULTABO, gestiam. IN DEO IESU MEO. LXX. *Salvatore*. Chald. *Redemptore*, qui scilicet ex captivitate Babylonis, & deinde per Christum ex servitute peccati, & diaboli liberavit me.

V. 19. DEUS DOMINUS FORTITUDO MEA, id est fortem me efficiet, nec aliunde fortitudinem spero. PONET PEDES MEOS QUASI CERVORUM: celeres ad fugienda mala, & ad transilienda impedimenta, quæ prospero, & felici statui obiici possent. ET SUPER EXCELSA MEA: iuga collium, & montium Iudææ. VICTOR: Deus, cuius beneficio ego etiam victor factus sum.

TIRINI.

Vers. 1. ORATIO HABACUC PROPHETAE PRO IGNORANTIIS. Id est, pro peccatis tum suis (ut volunt S. Hieronymus, Remigius, Albertus & Iansenius;) tum populi Iudaici, ut alii exponunt; quasi dicat: Oro Domine, ne intuitu tot tantorumque scelerum negligas aut differas promissum redemptionis opus. Voco autem scelera *ignorantias*, sed crassas, sed affectatas subinde,) quia omni peccato, quantumcumque voluntario, semper coniuncta est aliqua ignorantia & error, nempe inconsideratio. Si enim peccator, ut par est, consideraret & æstimaret malitiam, turpitudinem, & damna peccati, Deumque vindicem, cuius in se provocat iram & æterna tormenta, utique non peccaret.

V. 2. DOMINE AUDIVI, intellexi, expendi, AUDITIONEM TUAM, id est, oraculum iam a te auditum duobus præcedentibus capitibus, puta primo excidium Iudæorum per Chaldæos, deinde eversionem Chaldæorum per Medos & Persas. Idcirco TIMUI, expavi, cohorrui, tum ob insolentiam rei, tum ob periculum novæ cladis inde nobis forsan obventuræ. Quid enim si Iudæos in Babylonia captivos involvat idem incendium quo illa conflagrabit? ita S. Hieronymus, Remigius & Theodoretus. Sed vanum hunc metum mihi excutit certa nobis a te facta promissio de liberandis Iudæis per eumdem illum *Cyrum* per quem Babyloniam everles. Unde intrepidus oro: DOMINE, illud OPUS TUUM, redemptionis Iudæorum, & (Allegorice) totius generis humani, VIVIFICA, id est, suscita, adimple, perfice, optima qua tibi probabitur via, & quanto citius fieri poterit, saltem IN MEDIO ANNORUM, id est, intra *a* annos, seu intra terminum septuaginta annorum a te ad id præ definitorum ac destinatorum; ita vertunt Symmachus, Aquila & LXX. qui ut erant Prophetæ, prophetica libertate quædam hic addunt quæ in Hebræo & Latino non repetiuntur nempe, *Consideravi opera tua & expavi*. Item, *In medio duorum animalium cognosceris;* quasi dicat: Per Cyrum & Darium, qui duobus animalibus, puta asino & camelo assimilantur ab Isaia & aliis Prophetis, innotescet toti orbi completio hæc promissi tui, ita Eusebius *b*, Sanchez, a Lapide, & plures alii. Allegorice, Origen. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Nyssenus, Nazianzenus, Cyrillus & Paulinus *c*, id exponunt de Christo recens nato, & in præsepio inter bovem & asinum reclinato & a pastoribus agnito, conformiter illi Isaiæ 1. vers. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*. Certe Ecclesia in Officio nativitatis & circumcisionis Christi, hoc sensu locum hunc usurpat.

Porro certus iam Propheta se exauditum a Deo, non amplius sub dubio, sed assertive pronuntiat: IN MEDIO ANNORUM, seu intra terminos prædictorum annorum, NOTUM FACIES, o Domine, toti orbi, quid? quod, CUM IRATUS valde FUERIS, & multis annis per Chaldæos sævieris in populuum tuum, stato definitoque a te tempore *recordaturus* sis promissæ illi MISERICORDIAE ac liberationis e servitute Chaldaica, ac tandem etiam e diabolica. Unde merito in lætissimum canticum *d* prorumpo.

V. 3. DEUS, ut olim patribus nostris ex AEgypto egredientibus dux, protector & salvator advenit *ab Austro*, id est, a læta regione Australi, puta ex monte *Sinaï e*, ubi lex divina concessa: item ex montibus *Seir f*, seu Idumææ, (pro qua in Hebræo, & LXX. ponitur hic *Theman*, me-

metropolis Idumææ) ubi serpens *g* æneus Hebræis saluti fuit : denique ex MONTE PHARAN. (quem LXX. vocant *umbrosum & condensum*) ubi spiritus propheticus illapsus in 70. *h* iudices: ita pari modo iam per Cyrum & Darium a Perside & Media, quæ Chaldæis ad Austrum sunt, novus Hebræis salvator adveniet idem Deus. Et ipsemet homo factus ad nos accurret ex *Austro*, id est, calor charitatis: e Bethlehem, quæ ad Austrum est Ierosolymæ, & ex Sion, ubi erecta crux Christo, ubi promulgata nova lex, ubi repleti discipuli Spiritu sancto, ita fere S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus & alii.

V. 4. SPLENDOR, claritas & fulgor Dei in monte Sinai, fuit quasi LUX *i* solis, terram ubique illustrans. Et adventante Cyro similis affulgebit Iudæis lux redemptionis, libertatis, prosperitatis. Et nato Christo, *claritas Dei circumfulgebit* k pastores: passo autem & resurgente, totum illuminabit orbem. CORNUA *l*, id est robur *m*, vires & arma sunt IN MANIBUS Dei. His instar ferocis & invicti tauri; Primum, ab Hebræis in deserto per Moysen & Iosue: Secundo, ab iisdem in Babylonia per Cyrum & Darium; Tertio, ex tota Ecclesia & regno suo per Christi divinitatem & humanitatem, vel, ut SS. Patres *n* & Doctores exponunt per bina illius brachia in cruce extensa, quasi per bina cornua, in quibus omne robur eius consistit, mortem & diabolum repulit, fudit, fugavit, & quasi ferales lictores *o* suos immisit in hostes populi sui. Pro Hebræo *deber*, id est, peste, & quæ inde consequitur *morte*. LXX. mutatis punctis legerunt *dabar*, id est, verbum, seu præceptum, nempe quo iubet Deus hostes occidi. Hebræum *resceph*, præter *diabolum* significat etiam fulgur *p* scintillas & sagittas ignitas, quibus ut Chananæos, ita etiam Chaldæos postea cælitus confectos fuisse, docet Lyranus.

V. 6. STETIT hoc modo victor mortis & diaboli Deus, & per Iosue *q*, per Esdram, per Christum *r* ADMENSUS EST populo suo TERRAM olim promissam, cum prius, solo quasi torvo aspectu *dissolvisset* animos & manus adversariorum omnium, qui antea magnitudine, celsitudine, firmitate sua videbantur quasi montes æternum immobiles, inaccessi & inexpugnabiles. Sed illos facili negotio penetravit, expugnavit, loco cedere coegit Deus, ITINERIBUS AETERNITATIS SUAE, id est, æternis, seu perpetuis, *deambulationibus*, (ut ex Hebræo verti potest) deambulans cum populo suo, ac pro illo depugnans. Hoc archistratego

V. 7. TENTORIA AETHIOPIAE, & PELLES TERRAE MADIAN, id est, castra AEthiopum Orientalium, id est, Madianitarum (per hos intellige etiam reliquos populi Dei hostes,) sub pellibus suis & tentoriis expansa, *vidi prorsus turbari*, exscindi, everti sub Moyse, sub Cyro, sub Christo, idque PRO INIQUITATE in populum Dei toties *s* patrata.

V. 8. *An* FLUMINIBUS, seu fluentis Iordanis, & *mari* rubro furibundus *irasceris* aut indignaris, quando *t* tanta violentia disseeas illorum aquas, & cogis ex una parte immotas stare, ex altera præcipites fugere, ut per eas inter pandas populo tuo? Et sub Cyro aquas Euphratis per novos alveos divertis *u*: sub Christo impedimento fidei omnia tollis *ascendens* SUPER EQUOS TUOS ET *quadrigam x* bellicam, e qua, ut *salves* populum tuum,

V. 9. SUSCITANS *suscitas*, id est vehementer intendis, ARCUM TUUM, ad hostes configendos ac sternendos turbinibus, tonitruis, fulminibus: ut sic *suscites* atque impleas IURAMENTA, id est promissa tua iuramento confirmata, QUAE TRIBUBUS Israelitarum olim præstitisti: ita Albertus, Hugo & alii. Hac sane via.

V. 10. FLUVIOS, id est fluenta Iordanis & maris, *scidisti*, coactis undis cum sonitu & fremitu contra naturam suam hærere, relabi, intumescere & ascendere in *montium* altitudinem, & quasi supplices MANUS in cælum attollere ad Deum, quo licentiam obtineant rursus per consuetos alveos remeandi.

V. 11. SOL LUNA & reliqua astra STETERUNT immota ad nutum & obsequium Iosue *y*. Eadem *ibunt* & inservient Cyro & *Christo tuo*, una cum LUCE SAGITTARUM, id est cum sagittis & hastis tuis lucentibus ac fulgurantibus, nempe fulminibus, tonitruis, grandinibus, lapidibus quæ omnia e nubibus eiaculaberis in hostes tuos, donec omnes *obstupefactos* ac prostratos *conculces*: ita Albertus, Hugo, Lyra-

ranus, Dionysius. Sic, sic in bellum adversus hostes

V. 13. EGRESSUS ES CUM CHRISTO TUO, Moyse: & egrederis cum Cyro, & eum Messia tuo: ita iidem illi, & S. Hieronymus & Augustinus z, & multi Hebræi: immo Sexta editio vertit, *egressus es ut salvares populum per Iesum Christum tuum*. Sic PERCUSSISTI; Pagninus, *transfixisti*; Tigurini, *contudisti*; Pharaonem, CAPUT, id est principem, *domus*, seu familiæ IMPII Cham *aa*, id est regem AEgypti, quæ vocabatur terra Cham *bb*. Simili modo percuties & conteres caput familiæ Chaldaicæ Balthassarem: & caput, seu principem, mundanæ & infernalis nequitiæ *cc* diabolum: ita iidem. FUNDAMENTUM *domus* EIUS DENUDASTI, & denudatum evertisti USQUE AD COLLUM, id est ab immo sursum; quasi dicat: Integrum, quantum quantum erat. Porro per *fundamentum* intelligit duces & principes exercitus, adeoque tota castra hostium, quia in illis robur est & fortitudo totius regni, & illis eversis evertitur regnum.

V. 14. MALEDIXISTI non nudis verbis, sed efficacibus ictibus ac cædibus perdidisti impiissimi tyranni *sceptra*, id est potentiam, imperium, dignitatem, una cum ipso *capite* & archistratego omnium exercituum eius. Quorum EXULTATIO & gaudium, cum viderent Israelitas mari conclusos, similis erat gaudio latronis, cum *pauperculum* viatorem in latebris conclusum spoliat, ubi nemo illi auxiliari potest. Finito carmine seu epinicio suo subdit Habacuc:

V. 16 AUDIVI ex Deo, ut vers. 1. dicebam, stragem horrendam, primo Iudæorum per Chaldæos, dein Chaldæorum per Persas, denique dæmonum, peccati & mortis per Christum; & propter occisum Christum, totale Iudæorum excidium per Romanos, inquit Theodoretus. Sed audiens totus *contremisco* & coherresco: cor mihi *conturbatur* & palpitat, vox tremit & hæret, genua labant, animo linquor. Quis mihi nunc det vita hac defungi, ut carne & ossibus putredine absumptis, anima procul ab horrenda illa tribulatione, se recipiat in locum quietis & pacis, in limbum patrum, in sinu Abrahæ, ibique accenseat *populo nostro accincto* olim gladio, cum bellandum esset; nunc cum parta est victoria, baltheo & paludamento triumphi? Vide S. Augustinum *dd*, Hieronymum & Iansenium. Tanta enim erit strages, tanta vastitas, tanta desolatio, ut

V. 17. FICUS, *vinea*, OLIVAE, gramina exarescant, *oves & armenta* penitus intereant. Sed longe maior erit spiritualium bonorum sterilitas Iudæis, post & propter cæsum ab ipsis Christum, inquit S. Augustinus *ee*. Verum, etsi summo volupe mihi esset, ut dixi, vita hac tam tristi, tam ærumnosa defungi: quia tamen video necdum id placere Deo, componam me ad æquanimitatem, immo ad gaudium, ad exultationem, ad iubilum mentis. Sæviant ergo tyranni, ardeat Iudæa, templum excidatur, deportemur in exilium, gemant, plorent omnes.

V. 18. EGO AUTEM GAUDEBO, non in fratrum meorum miseriis, sed IN DOMINO, divinaque eius providentia, sapientia, iustitia, cui vel sic, cum aliquo nostro incommodo, satisfieri gaudeo. Sed accedit & alia gaudendi exultandique occasio, nempe ingens misericordia, & erga nos beneficentia coniuncta iustitiæ divinæ tam dictæ, puta salvatio ac liberatio nostri ab exilio, a carcere, a servitute Babylonica, in quam abripimur, quin & a servitute diabolica & infernali, in qua tot iam millibus annorum totus mundus detinetur. Video enim ex divina revelatione, *Deum* met fore *Iesum meum*. Legit enim Noster non *iisci*, sicut nunc est in Hebræo, id est *salutem meam*, ut Pagninus, Vatablus & alii recentiores vertunt; sed aliis punctis *iescui*, id est *Iesum meum*, seu *salvatorem meum*, ut etiam legerunt ac verterunt LXX. Chaldæus & Syrus. Revelabatur enim Prophetæ, Verbum Dei incarnandum, (cuius meritis salus omnis obventura erat tum Iudæis, tum reliquo toti orbi,) non re tantum, sed & nomine fore *Iosue* seu *Iesum*, ac totius mundi salvatorem ac redemptorem: ita S. Augustinus *ff* & alii. Hic

V. 19. FORTITUDO MEA erit, roborabitque me ne collabar, ne deficiam, ne etiam perpetuo maneam in hostium potestate: dabit enim mihi tibias & PEDES agiles, expeditos, celeres, QUASI CERVORUM, quibus impigre, cito & alacriter in patriam recurram ad EXCELSA Iudææ & montosa loca, ad quæ ME VICTOR omnium ho-

hostium suorum & meorum *Iesus meus* postliminio *reducet*, summa lætitia ac iubilo laudes & gratiarum actiones fecistis PSALMIS & hymnis ipsi bonorum omnium auctori decantantem. Aliqui vertunt, *super colla inimicorum meorum imponet me*. Promittit hæc sibi Habacuc in persona tam sua, quam populi Iudaici, festive e Babylone, Allegorice e vinculis diaboli, in diu optatam libertatem recursuri. Potuit enim ipse tanto tempore facile supervivere, ut in proœmio dixi.

(a) Genes. 1. 6. 9. 11. Exodi III. 2. &c. Isaiæ XXI. 7.
(b) Euseb. Lib. IX. Præpar. Evangel. cap. ult.
(c) Origenes homil. XIII. in Lucam Ambros. in Lucæ 11. 7. Hieron. ep. XXVII. ad Eustoch. Aug. contra Iudæos cap. XIII. Nyssen. & Naz. orat. in Christi nativitatem. Cyr. Ierosol. catechesi 12. Paulinus epist. X. ad Severum.
(d) In argum cap.
(e) Exodi IX &c.
(f) Deut. XXXIII. 2.
(g) Num. XXI. 46. &c.
(h) Num. XXI. 25.
(i) Deut. XXXIII. 2.
(k) Lucæ 11. 9.
(l) Deut. XXXIII. 17.
(m) Psal. XLIII. 6. Psal. LXXIV. 5.
(n) Cypr. Lib. II. cont. Iudæos cap. XXI. Euseb. Lib. VI. Demonstr. Evang. cap. XI. August. Lib. XVIII. Civit. cap. XXXII. S. Hieron. Theodoret. Rupertus, Haymo, Ribera, Sa, a Lapide.
(o) Psal. LXXVII. 49.
(p) Lucæ X. 10.
(q) Iosue XV.
(r) I. Esdræ II. ult. Matth. ult. II.
(s) Num. XXV. 1. &c. & cap. XXXI.
(t) Exod. XIV. & Iosue III.
(u) Dan. V. in fine.
(x) Psal. CIII. 3.
(y) Iosue X. 12.
(z) August. sup.
(aa) Genes. IX. 22.
(bb) Psal. LXXVII. 31. Psal. CIV. 23.
(cc) Ioan. XII. 31. 14. 30. & XVI. 11.
(dd) Augu!. cap. XIV. Manual. tom. IX.
(ee) August Lib. XVIII. Civ. cap. XXXII.
(ff) August. sup.

GORDONI.

HEbr. שגה est *errare*, vel *ignorare*: hinc recte Vulgatus in titulo huius cantici, vocem Hebraicam vertit *pro ignorantiis*; hoc est pro peccatis, scilicet ut dimittantur. Sane cum peccatis est coniuncta aliqua ignorantia, saltem per modum inconsiderationis: quo sensu, peccans est ignorans.

V. 2. DOMINE AUDIVI AUDITUM, &c. Hic Hymnus recitatur fer. VI. ad laudes. Loquitur Habacuc, *audivi auditionem tuam*, verbum tuum & oraculum de clade Iudæorum per Chaldæos; & Chaldæorum per Cyrum, & de redemptione per Christum. ET TIMUI, obstupui. LXX. ἐξέςην. At quodnam est hoc *opus*? Certe liberationis Iudæorum a captivitate Babylonica; & mystico sensu, opus est Christi seu verbi incarnati, & opus redemptionis humani generis. Ita cum Aug. & Hieronymo interpretes passim. Addit, VIVIFICA *&* *perfice* illud IN MEDIO ANNORUM, hoc est in mundi tempore medio, & quod tanto operi destinatum est. Hebr. בקרב *bekereb*, *in ipso interiori*, & velut intestino temporis, nec in principio, nec in fine. LXX. *in medio duorum animalium*, nempe in præsepio duorum animalium. Inter bovem & asinum, ut multi optime interpretantur; iuxta illud Isa. 1. 3. *bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Scio hanc versionem LXX. de duobus animalibus varie a variis exponi: hic tamen allegoricus sensus de duobus animalibus prophetice videtur additus a LXX. (& non reiecta altera lectione de annis) magnæ auctoritatis est; nam eo utitur Ecclesia in officio circumcisionis, & recipitur ab antiquis Patribus, Aug. orat. contra Iudæos cap. XIII. Nazianz. orat. in Christi nativit. Hier. epist. XXVII. Cyril. Hierosol. Catec. XII. Amb. Luc. II. 7. & demum quid si LXX. pro שנים *sanim*, (*anni*) legerunt שנים *senaim*, (*duorum*) & rursus pro היהו *chaiehu*, (*vivifica illud*) legerunt חיות *chaioth*, (*animalium:*) plura de his Luc. II.

V. 3. DEUS AB AUSTRO VENIET, &c. Est secunda pars capitis, in qua per modum Cantici celebrat magnalia Dei, quæ liberaliter exhibuit, quando liberavit populum ex AEgypto: & hoc involvit tacitam petitionem similis auxilii, in futura liberatione a captivite Babylonica. Orditur ergo Canticum a magnifico Dei adventu, quando pro suis bellum suscipit. *Ab Austro*, inquit, *veniet*, Deus, (quæ pars cæli felicior, & dextera æstimatur) Hebr. *a Theman*; urbs est Idumææ, sed vox ea etiam Austrum significat. Atque ita Hieronymus & LXX. vertunt Austrum: de hac urbe vide Iob IV. 1. PHARAN est mons vicinus monti Sinai: vide Deut. XXXIII. 2. certe Theman Seir, & Sina sunt Australes Iudææ: omitto *Selach* Hebraicum, de quo in Ps. III.

V. 4. CORNUA IN MANIBUS EIUS. Hoc est robur contra hostes: vires item & arma, dum Angelus per desertum perduxit populum ad terram promissionis.

V. 5. ANTE FACIEM EIUS IBIT MORS. Est strages hostium. Diabolus, pestis, excidium: sic corruent demum omnia in adventu populi. Mystice hæc accepta commode etiam Christo conveniunt, qui mortem & diabolum devicit, stetit vero, & victor mensus est terram per Iosue; & cetera quæ sequuntur de consternatione populorum.

V. 7. PRO INIQUITATE VIDI TENTORIA AETHIOPIAE, &c. AEthiopes hi sunt Madianitæ: vide Num. XII. 1. sunt AEthiopes orientales. Abyssini vero AEthiopes sunt occidentales, de quibus hic non agitur. Nam Propheta hoc Cantico tantum mirabilia Dei ab Exodo, usque ad ingressum in terram promissionis. Sensus iam est, pro iniquitate, hoc est ob iniquitatem vidi eversa tentoria AEthiopiæ: & TURBABUNTUR, (enallage) turbati sunt Madianitæ, in pellibus & tentoriis suis, Num. XIII.

V. 8. NUMQUID IN FLUMINIBUS, &c. Quin etiam ira tua apparuit in divisione maris rubri, Exod. XIV. & in siccitate Iordanis, Iosue III.

V. 11. SOL ET LUNA STETERUNT, &c. Attingit miraculum quando pugnante Iosue stetit Sol; & consequenter orbes reliqui, Iosue X. 12. Sagitta, & splendor hastæ fulgurantis designant grandinem, & fulgura in hostes Israelitarum in illa pugna Iosue.

V. 13. EGRESSUS ES IN SALUTEM, &c. Venit Deus in salutem cum Christo suo Mose in Exodo: veniet iterum cum Christo Cyro cum libertate; ac demum perfectissime cum Christo verbo incarnato. Plura addit vers. hoc 13. & deinceps de clade illata Pharaoni.

V. 13. AUDIVI ET CONTURBATUS EST, &c. Finito Cantico redit Propheta ad auditionem, de qua vers. 2. audivi, inquit, auditionem a Deo, & conturbata sunt viscera mea: reliquo ergo capite dolet de clade, & mox redit vers. 18. ad gaudium de populi reditu, & libertate: ergo vers. 16. exoptat potius mori quam videre tantam populi afflictionem, & in somno mortis suaviter transire ad antiquos patres Abraham, Isaac, &c. Exaggerat vers. 17. malum ex effectu: concludit demum spe lætus quidquid acciderit, dum contemplatur futuram libertatem a captivitate, & salutem in Deo Iesu. Loquitur Propheta in persona populi sui redeuntis cum cervorum velocitate in patriam. Nam ipse alioqui, ad tempus solutæ captivitatis non pervenit.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 14. MALEDIXISTI BELLATORUM CAPITI: ducibus militiæ. Sic de Pharaone, & Baltasare Babylonico. EXULTATIO, AEgyptiorum, &c. instar sicariorum, qui prædam assequuntur sine periculo.

Vers. 15. VIAM FECISTI: tu viam aperis, ut puniantur, quos indicas puniendos.

Vers. 16. AUDIVI. Hæc contra hostes, & futura contra populum tuum, ad quæ vehementer indolui. POPULUM ACCINCTUM. Hebr. *colligatum cœtum*, congregatum (qui sunt in limbo) vel olim armis accinctum, & victorem.

Vers. 17. Post novam mentionem cladium concludit sperans meliora.

PRO-

PROPHETIA SOPHONIAE.

PAUCIS *ante captivitatem annis sub Iosia vaticinatus est: duas tribus ad pœnitentiam invitat.*



CAPUT PRIMUM.

Quo tempore Sophonias prophetaverit: qui primum peccatoribus universis, deinde Iudæis comminatur, ob idololatriam & Dei contemptum, divinam ultionem: Ierusalem quoque lucernis scrutanda dicitur, & quam erit amara dies ultionis Domini.

1. VERBUM Domini, quod factum est ad Sophoniam fi-
lium Chusi, filii Godoliæ, filii Amariæ, filii Ezeciæ,
in diebus Iosiæ filii Amon regis Iudæ. 2. Congre-
gans congregabo omnia a facie terræ, dicit Dominus:
3. congregans hominem & pecus, congregans volati-
lia cæli & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: &
disperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. 4.
Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitantes Ieru-
salem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æedituorum cum
sacerdotibus; 5. & eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant
& iurant in Domino, & iurant in Melchom. 6. Et qui avertuntur de
post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec investigave-
runt eum. 7. Silete a facie Domini Dei: quia iuxta est dies Domini,
quia præparavit Dominus hostiam, sanctificavit vocatos suos. 8. Et erit:
in die hostiæ Domini, visitabo super principes, & super filios regis, &
super omnes qui induti sunt veste peregrina: 9. & visitabo super omnem,
qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum
Domini Dei sui iniquitate & dolo. 10. Et erit in die illa, dicit Domi-
nus, vox clamoris a porta piscium, & ululatus a Secunda, & contritio
magna a collibus. 11. Ululate habitatores Pilæ: conticuit omnis populus
Chanaan, disperierunt omnes involuti argento. 12. Et erit in tempore il-
lo: scrutabor Ierusalem in lucernis: & visitabo super viros defixos in fæ-
cibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet bene Dominus, & non
faciet male. 13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum
in desertum: & (*a*) ædificabunt domos, & non habitabunt: & plantabunt
vineas, & non bibent vinum eorum. 14. Iuxta est dies Domini magnus,

iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.
15. (*b*) Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis
& miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, 16. dies
tubæ & clangoris super civitates munitas, & super angulos excelsos. 17.
Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt:
& effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.
18. (*c*) Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos
in die iræ Domini: (*d*) in igne zeli eius devorabitur omnis terra, quia
consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

(a) Amos v. 11. (b) Ier. xxx. 7. Ioel. II. 11. Amos v. 18. (c) Ezech. VII. 18.
(d) Infr. III. 8.

COMMENTARIA.

S A.

SOPHONIAS prophetat contra Iudæos, & quasdam alias nationes.

V. 1. IOSIAE: quo tempore etiam Ieremias prophetavit. Vide Ierem. I.

V. 2. CONGREGANS, &c. quasi dicat, Delebo. Chald. *delendo delebo*; quasi dicat, Omnino delebo. OMNIA, scilicet homines & iumenta. A FACIE, id est e superficie. TERRAE, scilicet Iuda, nam Israel iam erat in captivitatem abductus.

V. 3. CONGREGANS, scilicet congregabo: est autem explicatio præcedentium: PECUS: quo nomine etiam iumenta intelliguntur; scilicet perdit Deus ob hominum peccata etiam quæ hominibus serviunt.

V. 4. ET; pro, id est: explicat enim quos homines dixerit. EXTENDAM, scilicet percussurus. BAAL, id est cultus idolorum. AEDITUORUM, id est sacerdotum: vox Hebr. כמרים *Kemarim* significat secundum Hieron. *fanaticos*, scilicet dæmonis spiritu afflatos. LXX. *sacerdotum*, scilicet erant sacerdotes idolorum. CUM SACERDOTIBUS; quasi dicat: Et ipsos sacerdotes delebo, & eorum nomina seu memoriam.

V. 5. MILITIAM CAELI, id est astra, quæ ita dicuntur, quod multa sint & ordinata more exercitus. Angeli etiam ita dicuntur. Vide Lucæ II. ET ADORANT, &c. quasi dicat: Adorant cum idolis Deum, & iurant per Deum & idola. IN DOMINO, id est per Dominum. MELCHOM. Idolum erat Ammonitarum.

V. 6 AVERTUNTUR, id est recedunt. LXX. *declinant*, scilicet disperdam etiam. DE POST, &c. id est a sequela Domini. LXX. *a Domino*. INVESTIGAVERUNT. Chald. *precati sunt*. LXX. *adhæserunt*.

V. 7. SILETE, scilicet præ timore, seu reverentia. LXX. *timete*, seu *reveremini*. DIES, scilicet quo puniemini per Chaldæos. HOSTIAM, id est Iudæos mactandos. Vide Isa. XXXIV. Ierem. XLVI. SANCTIFICAVIT, id est paravit. VOCATOS, scilicet Chaldæos ad cædem faciendam.

V. 8. DOMINI; pro, meæ; quasi dicat, Cum eos cædam. SUPER FILIOS REGIS; scilicet Iosiæ: *filii* autem, vel liberi, vel posteri. VESTE PEREGRINA, id est moribus a Dei lege alienis. Forte etiam notatur vestium abusus per ambitionem.

V. 9. LIMEN, scilicet domus suæ, vel templi. DOMINI, scilicet idoli: non enim *Iehova* est Hebr. sed *Adonim*. DEI sui: sic legit Hieron. & LXX. etsi nunc Heb. non est *Dei*, nec in Compl. ideoque quidam referant ad domos Principum & nobilium. INIQUITATE, &c. id est rebus per iniquitatem & dolum acquisitis, vel peccatis cum proximi iniuria.

V. 10. PISCIUM: Ita dicebatur, quod per eam pisces e locis maritimis inferrentur. Vide II. Esd. cap. III. & XII. SECUNDA. Et id nomen portæ. Vide IV. Reg. XXII. CONTRITIO, id est dolentium mœstitia, scilicet ob adventantes Chaldæos. COLLIBUS, scilicet Ierusalem; subaudi, audietur illo tempore, scilicet occupatis portis urbis & collibus ab hoste.

V. 11. PILAE. Loci est nomen concavi in-

instar pilæ, seu mortarii, ob profunditatem, inde enim sic dictus. Chald. *torrentis Cedron*. CONTICUIT, scilicet confusus, seu mœstus tacebit, ut solent calamitate pressi. Chald. *fractus est*. CHANAAN: sic vocat Iudæos ob mores & impietatem. Vide Ezechiel. XVI. Daniel. XIII. INVOLUTI ARGENTO, id est undique opibus septi. Chald. *divites opibus*.

V. 12. SCRUTABOR, scilicet per Chaldæos, qui omnia scrutabuntur. IN LUCERNIS. Chald. *ut qui cum lucerna scrutantur*. DEFIXOS IN FAECIBUS SUIS, id est peccatis, vel more vini (quod super fæces conservatur quietum) in divitiis quiescentes. Chald. *tranquillissime fruentes divitiis suis*, QUI DICUNT, &c. id est qui Dei providentiam negant. BENE, scilicet bonis. MALE, scilicet malis.

V. 13. FORTITUDO. Chald. *divitiæ*.

V. 14. MAGNUS, scilicet calamitatem insignem afferens. VOX, id est strepitus; quasi dicat, Audiri videtur iam, ut solent appropinquantes. AMARA; quasi dicat, Calamitatem minans. TRIBULABITUR. Chald. *interficietur*. FORTIS; pro, etiam fortis.

V. 15. IRAE, scilicet Dei. TENEBRARUM, id est calamitatis, quæ per tenebras solet significari, ut per lucem prosperitas.

V. 16. TUBAE, scilicet Chaldæorum. CLANGORIS. Chald. *iubilationis*, scilicet hostium. ANGULOS, id est turres, quæ velut murorum anguli sunt.

V. 17. CAELI, scilicet consilii inopes. SICUT HUMUS, id est in magna copia: etiam vulgo dicitur de re copiosa, *come terra*. Chald. & LXX. & Hebr. *ut pulvis*.

V. 18. IGNE, id est ira. ZELI. Chald. *ultionis*: potest intelligi *zelus*, id est vehemens amor, quo contempto, solet qui amat, valde irasci. DEVORABITUR. Chald. & LXX. *consumetur*. TERRAM, scilicet Iudæam. Chald. *impii terræ*.

ESTII.

Vers. 5. ET EOS QUI ADORANT SUPER TECTA MILITIAM CAELI, ET ADORANT, ET IURANT IN DOMINO, ET IURANT IN MELCHOM. Non vituperat iurationem in Domino; sed peccatum iurantium per deos falsos aggravat, ex eo quod iidem qui iurabant per Deum verum, etiam iurarent per deos falsos. Cedit enim in contemptum Dei, si quis eodem ore iuret Dominum, & Melchom, id est Deum verum & falsum. Erat enim Melchom idolum Ammonitarum; de quo in Lib. Regum & alibi. Tali modo & Iacobus Apostolus exaggerat malitiam linguæ, cap. III. his verbis: *In ipsa*, inquit, *benedicimus Deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio*.

V. 12. ET ERIT IN TEMPORE ILLO; SCRUTABOR IERUSALEM IN LUCERNIS, ET VISITABO SUPER VIROS DEFIXOS IN FAECIBUS SUIS; QUI DICUNT, &c. Verba ad litteram pertinent ad Ierusalem vastatam a Chaldæis: in qua vastatione omnia, etiam abditissima loca, scrutabantur hostes, sicut adhibitis lucernis fieri solet. Sed typice significatur extremum iudicium: in quo Dominus in lucernis scrutabitur Ierusalem, quando & occulta omnia cordium manifestabuntur, & in lucem proferentur a iudice. Illud autem quod sequitur; QUI DICUNT IN CORDIBUS SUIS, NON FACIET DOMINUS BENE, ET NON FACIET MALE, vox est virorum, qui *defixi sunt in fæcibus suis*; id est, qui ita affixis sordibus rerum terrenarum, ut omnem cogitationem divinæ providentiæ seponant, & abiiciant a se; proferentes has impias voces: *Non faciet Dominus bene*; id est, non reddet præmia iustis; *Et non faciet male*, id est nec reddet supplicia impiis. Vide etiam Thren. III.

MARIANAE.

SOPHONIAS, de Tribu Simeon in agro Sarabath. Sub Iosia Rege contra Iudam & Ierusalem prophetat.

Vers. 1. IN DIEBUS IOSIAE: tunc Ieremias prophetavit. REGIS IUDAE, aut *Iuda*, ut Sept. & Goth.

V. 2. CONGREGANS CONGREGABO. Chald. *delendo delebo omnia*. Sic Hebr. אסף *Asaph*, & *congregare* & *delere* significat. Et ipsum *congregare* aliquando *delere* est, uti aliis locis est dictum. OMNIA A FA-

CIE

CIE TERRAE. De terra, scilicet Iuda, delebo omnia.

V. 3. CONGREGANS VOLATILIA. Hebr. *delebo*, consumam. ET RUINAE IMPIORUM ERUNT. Hebr. *offendicula impiis*, scilicet erunt, in quæ offendant & pereant.

V. 4. RELIQUIAS BAAL, perdam, id est impium cultum Baal, & idolorum. ET NOMINA AEDITUORUM. Heb. כמרים *chemarim* significat *sacerdotes*, aut *cultores*, aut *ministros idolorum*, sic dictos, quod nigris vestibus uterentur. CUM SACERDOTIBUS, scilicet idolorum disperdam. *Camar* est *denigrare*.

V. 5. SUPER TECTA. Erant plana tecta, & in ea ascendebant, ut melius stellas viderent, quas *militiam cæli* vocat. ET IURANT IN DOMINO. Aliquando per Dominum iurant, aliquando per Melchom, cum Dei cultu iungunt idola. MELCHOM. Saturnus, deus Moabitarum.

V. 6. ET QUI AVERTUNTUR DE POST TERGUM DOMINI, id est Deo terga verterunt, cum reliquerunt. Hebr. *& qui retrocedunt de post Dominum*, id est illum non sequuntur. NEC INVESTIGAVERUNT EUM. Chald. *neque precibus postularunt a conspectu eius*. דרש Daras & *quærere* significat, & *interrogare*. Ita verti potest; *neque rogaverunt eum*, ab eo responsa non postularunt.

V. 7. SILETE. Hebr. *sile*. Silentium ex timore. Sile ergo, id est metue. Sept. *timete*. A FACIE DOMINI DEI, hoc est coram eo. QUIA PRAEPARAVIT DOMINUS HOSTIAM. Sic vocat stragem futuram Iudæorum. SANCTIFICAVIT VOCATOS SUOS. Sic Chaldæos vocat, qui hostiam mactare debebant, quos sanctificavit quasi sacerdotes, aut paravit. Id *sanctificare* significat;

V. 8. VISITABO SUPER PRINCIPES, occidam eos. ET SUPER FILIOS REGIS, scilicet Sedeciæ, qui occisi sunt in Reblatha: IV. Reg. XXV. 7. QUI INDUTI SUNT VESTE PEREGRINA, id est non solum perimam cives & incolas, sed & advenas, quibus victor solet parcere. Magnam lanienam.

V. 9. QUI ARROGANTER INGREDITUR SUPER LIMEN, id est in templum cum pompa intrat, scilicet divites visitabo. Hebr. *qui transilit super limen*, id est Philisthæos, cui nefas erat limen templi sui calcare, sed transiliebant illud: I. Reg. V. 5. Itaque postquam in genere de advenis dixit, loquitur sigillatim de Philisthæis, quorum maior erat numerus, ea clade perituros. QUI COMPLENT DOMUM DOMINI DEI SUI, id est ex rapina offerunt sacrificia Deo suo Hebr. *complent domum dominorum suorum*. Vulg. Regia, *implent domum Domini sui*, id est ipsi, & Principes rapto vivunt. INIQUITATE ET DOLO. Hebr. *rapina*.

V. 10. VOX CLAMORIS A PORTA PISCIUM. Ea parte irrumpet hostis. Erat porta sic dicta versus mare, qua pisces inferebantur. A SECUNDA. Porta sic dicta, quoniam in secundo muro erat, e regione alterius: sic Hieronymus. Chald. hanc alibi portam, *doctrinæ portam*, scilicet ubi schola publica erat: IV. Reg. XXII. 14. De qua re plura eo loco diximus, quæ hic prætermittimus. Sane משנה *misneh* inter alia *secundam*, & *scholam* significat. ET CONTRITIO, id est clamor erit. A COLLIBUS, in quibus Ierusalem erat posita.

V. 11. ULULATE HABITATORES PILAE. *Pila*, priori longa, est mortarium, fovea. Sic vocat eos, qui habitabant in valle Siloe; quasi dicat: Non solum qui in collibus erant, sed qui in vallibus urbis, ululate. Urbis Ierusalem duo montes sunt: mons Sion ad Occasum, ubi Davidis arx: ad Ortum mons Moria, ubi templum. Inter hos montes vallis, quæ ad fontes Siloe & Gehon, ad Meridiem desinebat. Ultra montem Moria extra urbem vallis Iosaphat, & torrens Cedron ad Ortum, & mons Oliveti. Tum ad Austrum vallis Hinnon, alio nomine Gehenna. Guilielmus Tyrius Lib. VIII. de Bello sacro, cap. II. Pro, *habitatores Pilæ* habet, Chald. *qui habitatis in torrente Cedron*. CONTICUIT. Hebr. *excisus est*. OMNIS POPULUS CHANAAN, id est mercatore. In parte urbis inferiori erant tabernæ & mercatus. Porro *mercatores*, *Chananæi* vocabantur, & locus *Chanaan*, ut Toleti, *Alcana*, ubi sunt dardanarii. INVOLUTI ARGENTO. Hebr. *ferentem argentum*. Hi etiam sunt mercatores, penes quos est pecunia, quæ argenti nomine vocatur.

V. 12. DEFIXOS IN FAECIBUS SUIS. Hebr. *stantes*, id est quiescentes in suis fæcibus, id est opibus. Metaphora a vino, quod in fæcibus suis stans conservatur.

QUI

QUI DICUNT. Dei providentiam negant, neque Prophetis credunt. IN CORDIBUS SUIS, non ausi lingua proferre; vel, *in cordibus*, id est ex corde dicunt, Non faciet Dominus bene vel male.

V. 13. FORTITUDO, seu *substantia*. חיל *Haiil* utrumque significat. Chald. *divitiae eorum*. IN DESERTUM. Hebr. *in desolationem desolabuntur*.

V. 14. TRIBULABITUR IBI FORTIS. Hebr. *clamabit ibi fortis*, aut *clamosa*, scilicet dies erit multi clamoris. *Ibi fortis*, scilicet interficietur. Sic distinguit Hebr. Schol. Chald. *ibi fortes occisi*.

V. 15. DIES CALAMITATIS ET MISERIAE, tumultus & desolationis. DIES NEBULAE ET TURBINIS: *nubis & caliginis*, Hebr.

V. 16. ANGULOS EXCELSOS, id est arces, quas angulos vocat, quia aut anguli fortes sunt: sic etiam Sept. *angulos excelsos* vertunt. Aut turres sic vocat, quae ad murorum angulos sunt. Ergo ibi clangor erit.

V. 17. SICUT HUMUS. Hebr. *sicut pulvis*, *qui multus est*. Sic multus sanguis effundetur. ET CORPORA EORUM. Caro eorum, ut stercora. לחם *Lehem*, *panem* significat, לחם *lehum*, *carnem*, quae vox hic est.

V. 18. IN IGNE ZELI EIUS. Chald. *ultionis eius peribit terra*. QUIA CONSUMMATIONEM CUM FESTINATIONE FACIET. Hebr. *consummationem profecto festinatam faciet*.

MENOCHII.

Vers. 1. IN DIEBUS IOSIAE: quo tempore etiam Ieremias prophetavit, ut patet ex Ierem. 1.

V. 2 CONGREGANS CONGREGABO; id est, colligam, & coacervabo in captivitatem. Chald. *delens delebo*; id est, omnia omnino delebo, & perdam, nam colligere in Scriptura aliquando significat vitam adimere. LXX. habent, *defectione deficiet homo*, *& iumenta*. RUINAE IMPIORUM ERUNT: impii, qui me relicto idola secuti sunt, magnis, & ineluctabilibus calamitatibus opprimentur.

V. 4. EXTENDAM MANUM MEAM, vindicem. SUPER IUDAM: duas tribus intelligit, Iudam, & Beniamin. RELIQUIAS BAAL: ita ut nullum remaneat vestigium cultus prophani idoli Baal. NOMINA AEDITUORUM. In Hebraeo est כמרים, *Chemarim*; quasi dicat, Accensores ignis, & thuris, thurificatores; a radice כמר *Chamar*, id est *accendit*, *ussit*.

V. 5. SUPER TECTA: in quibus facile excitari poterant arae, cum essent plana, ut saepe dictum est. MILITIAM CAELI: solem, lunam, & stellas. ADORANT, ET IURANT IN DOMINO, &c. disperdam eos, qui simul colunt Deum, & Melchom, id est Moloch, & per utrumque aeque iurant.

V. 6. QUI AVERTUNTUR DE POST TERGUM DOMINI: qui Dominum non sequuntur, sed abeunt post Idola. Chald. *Qui avertuntur retrorsum a cultu Domini*. QUI NON QUAESIERUNT, &c. est eiusdem sententiae repetitio. LXX. *Qui non requirunt Dominum*, *& qui non retinent Dominum*. Adhibetur a propheta repetitio, ad maiorem exaggerationem.

V. 7. SILETE A FACIE DOMINI; silentes timete, & reveremini Dominum. Eodem sensu dixerunt LXX. εὐλαβεῖσθε, *timete*. PROPE EST DIES DOMINI: iustitiae, & vindictae exercendae. PRAEPARAVIT DOMINUS HOSTIAM: multitudinem interficiendorum a Chaldaeis vocat *hostiam*, ut etiam Isaias XXXIV. 9. Ierem. XLVI. 10. SANCTIFICAVIT VOCATOS SUOS: paravit, & instruxit Chald. invitatos ad mactandas has hostias, & ad epulum ex iis apparatum.

V. 8. IN DIE HOSTIAE DOMINI: excidii Ierusalem, quando ipsa futura est hostia mactanda a Chald. Domino. VISITABO: puniam morte. PRINCIPES: qui aliis exemplo esse debuerant, ideoque gravius peccaverunt. Ita factum narratur IV. Reg. XXV. 7. *Iugulavit*, inquit, *filios Sedeciae in oculis eius*; *sed & omnes Principes Iuda occidit*. QUI INDUTI SUNT VESTE PEREGRINA: more vicinarum gentium conformata, patrio more relicto, una cum religione. Pertinebat etiam haec vestis mutatio ad levitatem, ambitionem, & superbiam, ut patet ex sequentibus.

V. 9. SUPER LIMEN: superbos, qui cum fastu limen templi ingrediuntur. Hoc est quod etiam Amos reprehendit VI. 1. *Vae qui opulenti estis in Sion ingredientes pompatice domum Israel*. DOMINI DEI SUI,

id

id est idoli, quod colunt. Pagn. & Vatabl. vertunt, *Dominorum suorum*. Vel sensus est, qui malis artibus, & per iniuriam quæsita, Deo offerre volunt, quasi huiusmodi oblationes gratæ illi esse possint.

V. 10. VOX CLAMORIS A PORTA PISCIUM: nam per hanc portam Chaldæi in urbem Ierusalem irruperunt. A SECUNDA: scilicet porta, quæ erat in secundo muro, nam Ierusalem Septentrionem versus iuxta templum triplici muro erat circumdata. A COLLIBUS: scilicet Sionis, & templi, aliisque similibus ad quos, utpote munitiones, capta a Chald. urbe confugerunt Iudæi; sed a Chald. persequentibus ibidem comprehensi, contriti, & trucidati sunt.

V. 11. HABITATORES PILAE, id est *mortarii*. Aquila vertit, ὅλμον, *mortarium*. Ita vocat voraginem Mello, quæ etiam Tyropæon dicebatur; quasi diceret: *Quemadmodum in pila frumenta vecte desuper feriente tunduntur, ita de porta piscium, & de secunda, & de collibus proruens in vos exercitus, contundet, & comminuet vos*, ut ait D. Hieron. CONTICUIT: scilicet confusus, & mœstus tacebit, ut solent calamitate pressi. Chald. *Fractus est*. CHANAAN: sic vocat Iudæos ob mores, & impietatem: ita Ezech. XVI. dicitur: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan*. INVOLUTI ARGENTO, id est undique opibus septi. Chald. *Divites opibus*.

V. 12 SCRUTABOR: per Chald. qui omnes angulos scrutabuntur. IN LUCERNIS: sumpta est metaphora ab iis qui aliquid diligentissime quærunt, ideoque lucernam accendunt, ut mulier. DEFIXOS IN FAECIBUS SUIS: more vini (quod super fæces suas conservatur quietum) in divitiis quiescentes. Chald. *Tranquillime fruentes divitiis suis*. NON FACIET BENE DOMINUS, &c. Vox Politicorum, & Atheorum, qui Dei tollunt providentiam, aiuntque Deum res mortalium non curare, nec bonis, & integris benefacere, nec scelcratos plectere. Hoc antem non audent palam profiteri, sed dicunt in corde suo: sic etiam David de huiusmodi hominibus ait: *Dixit impius in corde suo, non est Deus*, Psal. XIII. 1.

V. 13. FORTITUDO EORUM: divitiæ eorum, in quibus confidunt, & fortitudinem suam locant. Pagnin. vertit, *Erit substantia eorum in direptionem*. Chald. *Erunt divitiæ eorum in spolium*.

V. 14. IUXTA EST: prope est. DIES DOMINI, &c. dies vindictæ, & excidii Ierusalem, & captivitatis Babylonicæ. VOX DIEI DOMINI AMARA: quia in illa die erit clangor, strepitus, tumultus, comploratio, &c. TRIBULABITUR IBI FORTIS; id est, fortissimi quique eiulabunt, nec poterunt viribus suis sibi parare incolumitatem.

V. 15. DIES IRAE DIES ILLA, &c. ingeminatione nominum idem, aut fere idem significantium, ostendit magnitudinem futuræ calamitatis.

V. 16. DIES TUBAE ET CLANGORIS: plurimæ enim tubæ hostium audientur, & clangor exhortans milites ad excindendam, & diripiendam urbem. ANGULOS EXCELSOS, id est turres excelsas in angulis murorum exædificatas.

V. 17. TRIBULABO HOMINES. Pagnin. *Angustiis afficiam*. AMBULABUNT UT CAECI: nescientes præ anxietate animi, quid consilii capiant, aut quo fugiant, & ex uno periculo in aliud gravius incidentes, ut cæci cum fugiunt. QUIA DOMINO PECCAVERUNT; quasi dicat, Et quidem iuste hæc patientur, quia contra Dominum peccaverunt. SICUT HUMUS: magna copia: etiam Italice cum magnam rei alicuius copiam significare volumus, dicimus, *Come terra*. Aliqui vertunt, *Ut pulvis*. CORPORA EORUM, &c. cadavera eorum insepulta projicientur, ut stercora.

V. 18. IN IGNE ZELI: ignem zeli vocat furorem vindictæ, cum enim irascitur homo, fervet sanguis circa cor. Zelum vocat quasi viri erga uxorem, habuit enim Deus synagogam ut uxorem. CONSUMMATIONEM CUM FESTINATIONE FACIET; quasi dicat: Hæc strages qua omnia consumentur, & evertentur, prope abest, mox aderit.

TIRINI.

Vers. 2. CONGREGANS CONGREGABO; *a* id est accurate & exacte colligam & coacervabo omnes incolas Iudææ, *homines* & iumenta, *volucres & pisces*. Colligam, inquam, ex dispersione per creaturas in primum vitæ fontem qui est in creatore, quod fit moriendo, inquit

Pi-

Pineda *b*. Colligam ergo omnia ista ad excidium, ad mortem, ad interitum. *Quia*, ut ait S. Hieron. *vastatis urbibus, & hominibus interfectis, raritatem & solitudinem bestiarum quoque fieri, & volatilium piscium que, testis est Illyricus, testis Thracia, testis in quo ortus sum solum, ubi præter cælum & terram, & crescentes vepres, & condensa silvarum, cuncta perierunt*. Vobis ergo, o Iudæi, vel exstinctis, vel in exilium deportatis, ipsa quoque bruta animalia, quasi dominorum suorum servitio iam perfuncta, partim exstinguentur, partim alio defugient, & sic

V. 3. RUINAE IMPIORUM plenæ ERUNT: quando non ipsi tantum, sed & omnia illorum servitia e medio tollentur.

V. 4. DISPERDAM funditus; Hebraice, *exscindam*, omnes RELIQUIAS BAAL, templa, altaria, statuas, sacerdotes, & ipsorum *æditus*, adeo ut ne nominandi quidem sint deinceps, nec ulla eorum memoria, nomen aut fama superfutura. Hebræum *kemarim*, proprie significat *accensores*, puta ignis vel thuris, qui quia fuligine ut plurimum obducti, & atra erant facie ac veste; hinc Vatablus & Mariana vertit *exustos*; Pagninus *atratos* vel *pullatos*; Noster alibi *aruspices* *c*, additque positos fuisse *ad sacrificandum in excelsis*; Hebraice, *lecater*, id est *ad suffumigandum* vel *thus adolendum* idolis. AEDITUORUM ergo officium, præter sacræ ædis tuitionem, unde nomen sortiti videntur, erat fovere perpetuum ignem in templo, thus idolis adolere, & in victimis cremandis *sacerdoti* subservire: licet & ipsi, ob dictam thuris suffumigationem, quæ species erat sacrificii, *sacerdotes* subinde vocarentur, ut & hic vocantur a LXX.

V. 5. SUPER TECTA; quæ plana erant in Iudæa, & etiamnum sunt in Syria, ADORANT MILITIAM, seu exercitum, CAELI, cuius rex est sol, regina luna *d*, signifer Venus, seu lucifer, alia sidera turmæ & phalanges instructæ: ET IURANT tam per MELCHOM *e*, quam per verum Deum, colentes utrumque pro numine & Deo: iuramentum enim est actus latriæ, quo protestamur, eum per quem iuramus, esse primam & increatam veritatem (hæc enim sola est infallibilis,) ac proinde esse Deum.

V. 7. SILETE A FACIE DOMINI; id est, silentes præ admiratione & stupore, timete, servite, *reveremini* Dominum, ut vertunt LXX. *quia* instat *dies Domini*, nempe quo solemnem victimam & sacrificium offerre designavit *f*, in quo vos o Iudæi, victima eritis seu hostia: Chaldæi erunt ministri, seu sacerdotes, ad hanc lanienam a me ex Chaldæa in Iudæam *evocati*, auctorati & quasi *consecrati*: ita S. Hieronymus, Theodoret. Haymo & Lyranus.

V. 8. & 9. IN ILLO DIE quo HOSTIAE mactabimini *Domino*, id est tempore excidii Ierosolymorum, primo loco VISITABO *g* SUPER PRINCIPES, id est cædam, iugulabo, mactabo principes Iuda, Sedeciam regem, ET FILIOS REGIS, quos Nabuchodonosor occidet in conspectu parentis: item principem *h* sacerdotum, principem militiæ, & alios principes populi interficiet in Reblatha. Secundo loco, OMNES QUI INDUTI SUNT VESTE, non Iudaica, sed PEREGRINA *i* & Gentili, puta AEgyptia, Tyria, Chaldaica: & cum veste etiam mores & ritus gentiles, inquit S. Hieronymus. Tertio, QUI ARROGANTER *k* INGREDITUR; Hebraice, *qui saltat super limen domus Domini*, ut sequitur, id est, qui fastuose, pompatice & quasi subsultim ascendit in templum, ubi summa animi corporisque demissione atque humilitate agendum cum Deo. Videtur maxime notare sacerdotes, qui dilatatis phylacteriis magno fastu atque arrogantia, quasi præfecti & præsides templi, per atria & *vestibula* illius (ut habent LXX.) incedere solebant. Neque hoc modo, sed & *complebant* illud INIQUITATE ET DOLO, ut iisdem etiam Christus *l* exprobrat, quod prætextu longæ seu multæ orationis, emungerent domos & bursas viduarum ac pauperum, inquit S. Hieron. Haymo, Albertus, Hugo & plures alii.

V. 10. VOX CLAMORIS audietur, irrumpentibus in urbem Chaldæis, A PORTA PISCIUM, sita iuxta turrim seu arcem David in valle Mello, inter montem Sion & civitatem inferiorem ad plagam Occidentalem *m*, inquit S. Hieron. Saligniacus, Borchardus & Adrichomius *n*. Dicta *piscium porta*, quod per eam a Ioppe & a mari Galilææ pisces quotidie in urbem inferrentur, inquit Villalpandus *o*. Qui cum Ribera & aliis docet, per hanc portam Chaldæos primum in urbem irrupisse fracto muro extimo, & cæsis de plebe, quæ istic ha-

habitabat, obviis quibuſque, irruiſſe in ſecundum murum, eiuſque portam, quæ a muro ſecundo SECUNDA *p* ſeu media vocabatur, occupaſſe. Unde cum nobiles, ſtudioſi ac doctores, quorum iſtic domicilium erat (unde LXX. vocant *Academiam*) magno *ululatu* confugerent ad intimum murum, qui colles Sionis & templi ſecernebat a reliqua urbe; fugientes inſecuti Chaldæi, ſimulque irrumpentes in eoſdem *colles*, & in ſubiectam collibus inferiorem civitatem, quæ inde *filia Sion* dicebatur, maxima iſtic cæde contriverunt Iudæos. Vide Ioſephum, Adrichomium & Villalpandum *q*.

V. 11. ULULATE HABITATORES *Machtes*, id eſt PILAE, ſeu mortarii. Sic vocabatur *vallis Mello*, *r*, quam Ioſephus *Tyropæon*, S. Hieron. *vallem Siloe*; Chaldæus *vallem Cedron* vocat, quia uſque ad *Siloen* & *Cedron* per portam aquarum excurrebat. Vocatur autem *Pila*, tum ob profunditatem, tum ob cædem iſtic patratam olim, vel patrandam brevi a Chaldæis, qui e collibus iam dictis in ſubiectam vallem delapſi, incolas eius acervatim maximo numero, ſine ullo diſcrimine quaſi legumina in mortario contuderunt, inquit S. Hieronymus, Remigius, Ribera, Sa, Mariana & a Lapide. Simili metaphora Ezechiel vocat Ieruſalem *ollam* cap. XXIV. 3. Tropologice, pilæ & ollæ ſunt urbes & provinciæ tyrannis ſubiectæ; Anagogice, infernus, Vulcani *olla* Proſerpinæ *pila*. Nec tamen ſoli Ieroſolymitani in hac pila contuſi ſunt: etiam OMNIS POPULUS CHANAAN, id eſt omnes incolæ Chanaanitidis, ſeu terræ ſanctæ, ab iiſdem Chaldæis eodem impetu contriti & exciſi ſunt, adeo ut prorſus *conticuerint*, nullaque vox eorum amplius, vel repugnantium ſtrepitus, vel lætantium ſibilus auditus ſit, omnibus aut iugulatis, aut in exilium & ſervitutem abreptis: ita S. Hieron. Theodoret. Haymo, Lyranus & Chald. qui addit, Iudæos ideo vocari Chananæos, quod ſceleſtis moribus ſuis ſimiles eſſent Chananæis *s*. Denique DISPERIERUNT OMNES INVOLUTI ARGENTO, id eſt opibus cincti & circumſepti, indeque ſuperbientes ac protervientes, inquit S. Hieron. LXX. *elevati argento*; alii, *portatores argenti*. Talibus enim vel maxime inhiabunt Chaldæi. Porro ne quis evadat,

V. 12. SCRUTABOR per Chaldæos urbem totam IERUSALEM IN LUCERNIS, omnes urbis & ædium latebras excutiendo & rimando, ne quis incolarum ſe ſubducat. Simili ſtudio etiam Romanos inveſtigaſſe Iudæos ſub Veſpaſiano & Tito, cum cloacas quoque ac ſepulcra excuterent, teſtis eſt Ioſephus *r*, & ipſe in ſpelunca ab iiſdem deprehenſus. Anagogice in die iudicii Deus infinita ſua ſcientia & perſpicacia ſcrutabitur & deteget omnia conſcientiæ arcana, inquit Apoſtolus, & etiam Eccleſiaſticus. Unde & Eccleſia in Officio defunctorum omnia hæc & ſequentia adaptat diei iudicii.

V. 16. DIES TUBAE SUPER ANGULOS EXCELSOS, id eſt ſuper *turres excelſas*, ut Tigurini vertunt, quæ ſunt in angulis palatiorum; quaſi dicat: Celerrime involabunt Chaldæi etiam in altiſſimas turres, ut inde tubis proclament victoriam, & inſonent triumphum de vobis devictis.

(a) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. XLIX.
(b) Pineda in Iob XXXIV. 14. num. 5.
(c) IV. Reg. XXIII. 4.
(d) Ierem. VII. 18. 44. 25.
(e) Levit. XVIII. 21. & I. Paral. XX. 11. Ierem. LXIX. 1. Amos I. 15. 6. 26.
(f) Iſaiæ XXXIV. 6. Ierem. XLVI. 10. Ezech. XXXIX. 17.
(g) IV. Reg. ult. verſ. 7.
(h) Ibid. verſ. 18. 19. 21.
(i) Exech. XXXIII. 12. & 15. & II. Mach. IV. 13.
(k) Amos VI. 1.
(l) Matt. XV. 6. & cap. XXIII. 14.
(m) II. Par. XXXIII. 14.
(n) Salign. & alii apud Adrichom. in terra Sancta.
(o) Villalp. de Apparatu urbis p. 1. Lib. III. cap. IX.
(p) Ierem. XXXIX. 3. & IV. Reg. XXII. 14.
(q) Ioſeph. Lib. VII. Antiqu. & de bello Lib. VI. cap. VI. 19. &c. Villal. ſup. & Lib. II. cap. III.
(r) III. Reg. IX. 14.
(ſ) Ezech. XVI. III. Daniel. XIII. 56.
(r) Ioſeph. Lib. III. Bellic. XIV. & Lib. VII. cap. XVII. 26. 30. Hebr. IV. 12. Eccli. XXIII. 27.

GORDONI.

Verſ. 1. CONgregabit Deus Iudæos, & quæ eorum ſunt omnia, & tradet Chaldæis in captivitatem una cum miniſtris idololatriæ: & eos, qui declinant, & avertunt ſe a facie Domini ſeu poſt tergum: ergo, inquit, ſilete in reverentia præ timore coram Domino: præparati eſtis in hoſtiam mactandam a Chaldæis, verſ. 5. Iurant, coniungendo invocationem Dei, ſimul & idola: vel certe in idolos, tamquam in Deo.

V. 10.

V. 10. ET ERIT IN DIE ILLA, &c. En clamores Iudæorum irrumpentibus Chaldæis in urbem per portam piſcium (ſpectabat porta hæc mare, unde piſces inferebantur) & ululatus a ſecunda porta; quippe quæ erat in ſecundo muro. De triplici muro Ieroſolymæ Adriehom. ad pag. CXLIV. in mappa urbis.

V. 11. ULULATE HABITATORES PILAE. Adrichomius in deſcriptione urbis Ieroſolymæ, ait Pilam eſſe vallem Cedron. Chald. torrentem Cedron inter Ieruſalem & montem Oliveti: omnes etiam divites; & auro involutos ſcrutabitur Dominus; eos etiam qui negantes-providentiam, affirmant Deum non habere euram bonorum & malorum: de portis Ieruſalem Eſdræ, II. eap. IV.

V. 14. IUXTA EST DIES, &c. Deſcribit ealamitatem magni illius diei, & eaptivitatis ſub Chaldæis: hæc etiam ad diem iudicii accommodat Hieronymus, ſimilia habentur Ioelis II.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 2. Congregare deſignat aliquando mortem ut congregare ad patres, & ſupra Abacue III. 16. Hic proprie eſt in captivitatem coaeervare.

Verſ. 5. SUPER TECTA: erant plana. MELECHON, Moloch, peribunt, iurant vel colunt utrumque: nam ſolus Deus latria coli debet.

Verſ. 7. SILETE, timete.

Verſ. 8. VESTE PEREGRINA. Veſtis hæc externæ nationis præter levitatem, ſapiebat etiam quandam profeſſionem mutatæ religionis.

Verſ. 12. Scrutator erit per Chaldæos. DEFIXOS IN FAECIBUS. Bene ſibi eſſe putant, ut vinum, quod bene in fæcibus conſervatur. NON FACIET BENE: vox Atheorum eſt negantium providentiam.



CAPUT II.

Hortatur Propheta populum ut ad Deum convertatur, priusquam ira Domini ei superveniat, omnesque mansuetos terræ ut Dominum quærant: denuntians destructionem imminere Philisthæis, Moabitis, Ammonitis, Æthiopibus & Assyriis.

1. COnvenite, congregamini gens non amabilis: 2. Prius-
quam pariat iussio quasi pulverem transeuntem diem,
* antequam veniat super vos ira furoris Domini, an-
tequam veniat super vos dies indignationis Domini.
3. Quærite Dominum omnes mansueti terræ, quæ iu-
dicium eius estis operati: quærite iustum, quærite man-
suetum, si quomodo abscondamini in die furoris Domi-
ni. 4. Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in me-
ridie eiicient, & Accaron eradicabitur. 5. Væ qui habitatis funiculum ma-
ris, gens perditorum: verbum Domini super vos Chanaan terra Philisthi-
norum, & disperdam te, ita ut non sit inhabitator. 6. Et erit funiculus
maris requies pastorum, & caulæ pecorum: 7. & erit funiculus eius, qui
remanserit de domo Iuda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vespe-
ram requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & avertet ca-
ptivitatem eorum. 8. Audivi opprobrium Moab, & blasphemias filiorum
Ammon: quæ exprobraverunt populo meo, & magnificati sunt super ter-
minos eorum. 9. Propterea vivo ego, dicit Dominus exercituum Deus Is-
rael, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quasi Gomorrha, sicci-
tas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum: reliquiæ po-
puli mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos. 10. Hoc eis
eveniet pro superbia sua: quia blasphemaverunt, & magnificati sunt super
populum Domini exercituum. 11. Horribilis Dominus super eos, & atte-
nuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes in-
sulæ Gentium. 12. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis. 13.
Et extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur: & ponet spe-
ciosam in solitudinem, & in invium, & quasi desertum. 14. (a) Et ac-
cubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ Gentium: & onocrotalus &
ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra, corvus in
superliminari, quoniam attenuabo robur eius. 15. Hæc est civitas gloriosa
habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me
non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis
qui transit per eam, sibilabit, & movebit manum suam.

(a) Isa. xxxiv. 11.

BRU.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

Verſ. 2. Antequam veniat ſuper vos dies indignationis Domini. Non eſt omittenda hæc pericope, ut fit a multis.

GOMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. CONVENITE, ſcilicet ſimul ad placandum Deum per preces & pœnitentiam. NON AMABILIS, ſcilicet Deo; vel quaſi dicat, Indigna amore. Chald. *nolens converti*. LXX. *indiſciplinata*, ſeu *inerudita*.

V. 3. Iusso, ſcilicet Dei. PULVEREM TRANSEUNTEM, ſcilicet derepente, & obcæcantem, vel inquinantem. DIEM, ſcilicet calamitatis, iunge cum *pariat*, id eſt afferat. LXX. *antequam ſitis*, *quaſi flos tranſiens die*.

V. 3. MANSUETI. LXX. *humiles*. IUDICIUM, id eſt præcepta. QUAERITE, ſcilicet omnes. IUSTUM, & MANSUETUM, id eſt iuſtitiam, & manſuetudinem. Chald. *veritatem* & *manſuetudinem*. SI QUOMODO. LXX. *ut*. ABSCONDAMINI, id eſt evadatis. Chald. & LXX. *protegamini*: ſic Pſal. XXVI. *Abſcondit me*, &c.

V. 4. DESTRUCTA, ſcilicet a Chaldæis DESERTUM, ſcilicet redigetur. MERIDIE; quaſi dicat, Media luce, ſcilicet in omnium oculis. EIICIENT, ſcilicet in captivitatem.

V. 5. FUNICULUM, id eſt partem; funiculo enim terræ dividebantur; quaſi dicat, Oram maritimam Palæſtinæ. PERDITORUM, id eſt periturorum, vel perdentium, ſcilicet alios. Hebr. *Cherethœorum*, de quibus II. Reg. VIII. ubi *Cerethi* dicuntur, ſcilicet Palæſtini quidam dediti militiæ, virique fortes. Vide I. Regum XXX. & Ezech. XXV. ubi vocantur ab Interprete *interfectores*. Quidam tamen putant omnes Palæſtinos ita dici, quod eſſent egregii milites. LXX. *Cretenſium*; ſicut etiam verterunt Ezech. XXV. SUPER vos CHANAAN, id eſt contra Palæſtinos, qui erant Chananæi. Vide Ioſ. XIII.

V. 6. FUNICULUS, ſcilicet pars, ſeu poſſeſſio. MARIS, ſcilicet Philiſthæi ad mare habitabant. REQUIES, &c. quaſi dicat, Ibi, ut ſolet in locis deſertis, pecora paſcent, ſcilicet vaſtarunt etiam Palæſtinos Chaldæi. Vide Ierem. XLVII. Ezech. XXVI.

V. 7. REMANSERIT, ſcilicet rediens ex captivitate. PASCENTUR, ſcilicet a Iudæis poſſeſſoribus tunc eius regionis. AVERTET. Chald. *reducet*.

V. 8. BLASPHEMIAS. LXX. *contumeliam*. Chald. *elationem*. POPULO MEO, ſcilicet cum abduceretur a Chaldæis. MAGNIFICATI SUNT, id eſt inſolenter, ſeu ſuperbe egerunt. SUPER, id eſt contra, quaſi poſſeſſuri ipſi, vel quaſi merito vaſtati ſint ab hoſtibus ſuis Iudæi, ſcilicet inſultabant Iudæis victis.

V. 9. UT SODOMA, ſcilicet deſtructa penitus. SICCITAS, &c. explicatio præcedentium; quaſi dicat, Redigentur in locum plenum ſiccis ſpinis. Chald. *locus derelictus carduis*. ACERVIS SALIS; pro, velut acervi ſalis; quaſi dicat, Sterilis. AETERNUM, id eſt longum tempus. RELIQUIAE, ſcilicet poſt captivitatem Babylonicam. Quidam factum dicunt tempore Machabæorum, & deinceps: forte de Chriſtianis intelligitur.

V. 10 SUPERBIA. LXX. *contumelia*. BLASPHEMAVERUNT. Chald. & LXX. *exprobraverunt*. MAGNIFICATI SUNT, id eſt ſuperbierunt. SUPER, id eſt contra.

V. 11. HORRIBILIS. Chald. *terribilis*. ATTENUABIT. LXX. *diſperdet*. VIRI. Hebr. *vir*, id eſt quiſque. LXX. *quiſque*. DE; pro, in. LOCO SUO; quaſi dicat, Non ut olim ſolum in Ieruſalem. OMNES; pro, *omnes etiam*. Auguſt. epiſt. LXXX. de Divinat. dæm. cap. IX. INSULAE, id eſt loca ad quæ mare itur.

V. 12. GLADIO MEO, ſcilicet per Nabuchodonoſor.

V. 14. EXTENDET, ſcilicet Chaldæus, vel Deus; ſcilicet per Chaldæos. ASSUR, id eſt Aſſyrios. SPECTOSAM. Hebr. Chald. & LXX. *Ninivem*.

V. 14. BESTIAE GENTIUM, ſcilicet vicinarum. LXX. *feræ terrarum*. Chald. *feræ*-

ra-

rarum. ONOCROTALUS. Avis est similis cygno: vocatur sic a sono asini, quem edit: ὄνος *asinus*, κροτᾶν *sonare*: dicitur & *pellicanus*. LXX. *leones*. LIMINIBUS, scilicet domorum diruttarum. CANTANTIS, scilicet avis; subaudi, audietur, vel sonabit, vel quasi dicat, Pro aviculis olim cantantibus succedet corvus.

V. 15. GLORIOSA. Chald. *potens*. LXX. *malis dedita*. ALTA, scilicet mihi conferenda. DESERTUM. Chald. & LXX. *desolationem*. CUBILE. LXX. *pascua*. SIBILABIT, scilicet per irrisionem, vel admirationem. MOVEBIT, scilicet vel complodens, quod est lætantis; vel extendens, quod est mirantis vel irridentis. MANUM SUAM. LXX. *manus suas*.

E S T II.

Vers. 3. QUAERITE DOMINUM OMNES MANSUETI TERRAE, QUI IUDICIUM EIUS ESTIS OPERATI, QUAERITE IUSTUM, QUAERITE MANSUETUM. Quæritur, quare hæc non sit supervacanea prophetæ exhortatio, cum eo ipso mansueti sint, iam antea Dominum quæsierint? Respondeo, quando *impiis* dicitur, *Diligite Dominum*, monentur facere id quod antea non faciebant; quando autem *rectis corde* dicitur, *Diligite Dominum*, monentur amplius & diligentius facere quod antea faciebant. Ita & cum dicitur malis & duris; *Quærite Dominum*, monentur facere, quod non faciebant; quando autem mansuetis dicitur, *Quærite Dominum*, (ut hoc loco) monentur, eum quem quærebant, maiori studio & devotione quærere. Quærere autem Dominum non est aliud quam quærere regnum Dei, & iustitiam eius, ut in Evangelio dicitur. Ex quo intelligitur iustitiam quæri a iusto, ut iustificetur amplius, iuxta illud Apocalyp. XXII. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, ubi termini mutationis sunt, (ut philosophice loquamur) minor iustitia, & maior; sicut in accretione minor & maior quantitas.

M A R I A N AE.

Vers. 1. CONVENITE, CONGREGAMINI, id est consulite, quid vobis agendum sit, aut recedite a malo per pœnitentiam. Hebr. *scrutamini vos ipsos* (scilicet malos vestros mores) *& scrutamini*, scilicet alios increpate. קשש Kasas, *congregare* & *scrutari* significat. Eadem utroque modo sententia. GENS NON AMABILIS. R. Ioseph Kimhi, *o gens sine pudore*. Chald. *gens, quæ non vultis converti ad legem*.

V. 2. PRIUSQUAM PARIAT IUSSIO, decretum, id est veniat dies excidii. QUASI PULVEREM TRANSEUNTEM DIEM. Hebr. *quasi gluma* (palea tenuis) *transit die*. Per diem ventilantur areæ. Ergo decretum id, ut gluma, cito veniet. Aut supple, Quo decreto peribitis, ut gluma per diem: sic Hebræus.

V. 3. MANSUETI, id est iusti. Ex una virtute ceteras intelligit. QUAERITE IUSTUM, quod iustum. Hebr. *iustitiam*, *& mansuetudinem*. Sectamini eas, SI QUOMODO ABSCONDAMINI; hoc est, evadatis, ut qui se in latebras condunt.

V. 4. QUIA GAZA DESTRUCTA ERIT, sive *relicta*. IN DESERTUM, desolationem. IN MERIDIE EIICIENT, non per insidias, sed palam in captivitatem agent. Qui? Chaldæi, non Iudæam tantum, sed vicinas Philisthinorum urbes vastabunt. ET ACCARON ERADICABITUR, a fundamentis convelletur. Ea est vis verbi Hebraici עקר *hakar*. Porro in *Gaza* & *Accaron* Hebr. paronomasiæ sunt, quas Latina lingua non exprimit. Indicasse sit satis.

V. 5. VAE QUI HABITATIS FUNICULUM MARIS, id est oram maritimam. Funiculis dividebant agros. Sic ager, prædia, *funiculus* vocantur. Chald. *portus maris*. GENS PERDITORUM. Hebr. *gens Cerethæorum*. Pars Palæstinæ erat ad mare versus Sidonem. Sept. *advenæ Cretensium* pro *Cerethensium*. De quo Ezech. XXV. 16. plura. CHANAAN TERRA PHILISTHINORUM. Palæstina erat pars Chanaan, aut econtrario. Vastitatem iis regionibus minatur.

V. 6. ET ERIT FUNICULUS MARIS. Redit ad oram maritimam. REQUIES PASTORUM. Heb. *habitacula fossa pastorum erit*. In latere montis fodiebant pastores specus. ET CAULAE PECORUM. Heb. *septa*, id est caulæ.

V. 7. ET ERIT FUNICULUS. Ibi comma, id est ea ora maritima cedet. Quibus? iis qui remanserint e tribu Iuda post captivitatem. EIUS, QUI REMANSERIT DE DOMO IUDA. E Iudæorum numero & stirpe. IBI PASCENTUR. Hebr. *in illis*, scilicet

licet urbibus aut agris *pascentur*, pro, pascent greges. REQUIESCENT, cubabunt. Erunt illæ domus pro mapalibus. Eos, scilicet Iudæos visitabit in bonum Deus. Non ibunt captivi ut alii.

V. 8. ET MAGNIFICATI SUNT SUPER TERMINOS EORUM. Hebr. *magnificarunt* (scilicet os suum, probra iactarunt) *Moabita super terminum eorum*, id est regionem Iudæorum, videntes eam desolatam. Vertit sermonem ad Moabitas & Ammonitas.

V. 9. MOAB UT SODOMA ERIT, id est desolabitur. SICCITAS SPINARUM. Heb. *ortus urticæ*. Totum agrum urticæ &; spinæ operient. ET ACERVI SALIS. Sic Sept. Chald. *fodinæ salis*. Sed melius *cumuli salis*: nam מכרה *michreh*, *cumulum* significat. Hebr. Schol. Ego per *sal*, nitrum intelligo, quod provenit in terra sterili. ET DESERTUM, desolationem. POSSIDEBUNT Iudæi, seu *hereditabunt*. Iudæos regionem Moab & Ammon occupasse constat ex I. Machab. v. & Iosepho Lib. XIII. cap. XXI. & XXII. tum ex Iosepho Gorionis Lib. IV. cap. XII.

V. 10. ET MAGNIFICATI SUNT, magnificarunt, ut vers. 8. super populum Domini.

V. 11. ET ATTENUABIT OMNES DEOS TERRAE. Detrahet Deus illis diis vires, ne suis cultoribus faveant. VIRI. Hebr. *vir*; id est, quisque de loco suo adorabit Deum verum, non in sola Iudæa, sed per totum orbem, quod per Christum est factum. Et Iudæi ipsi, teste Hieronymo, quæ hic dicuntur, omnia ad Messiæ tempora referunt. OMNES INSULAE. Sic vocabant Provincias longinquas, ad quas ibatur mari. *Omnes*, pro, *omnes etiam insulæ*, ut Augustinus legit epist. LXXX.

V. 12. VOS AETHIOPES. Ex AEthio pia Asiatica Iudæis molestiam præbitam verisimile est, quas gladio vindicare vult.

V. 13. SUPER AQUILONEM, contra Aquilonem extendet manum. ET PONET SPECIOSAM. Hebr. *ponet Ninivem caput Assyriæ*, scilicet in solitudinem. Verum quoniam *Ninive*, *speciosam* significat, & quidam, quæ hic dicuntur de Babylone intelligebant, de qua Isaias cap. XXXIV. II. similia vaticinatus est;, ideo Hieronymus *speciosam* vertit. Sed Sept. Chald. & alii omnes *Ninivem* ponunt. ET IN INVIUM, sive *in siccitatem* ponet. Memento Assyriam ad Aquilonem esse Iudææ comparatam.

V. 14. OMNES BESTIAE GENTIUM, scilicet vicinarum Gentium armenta in ea pascantur. ET ONOCROTALUS. Alii *pellicanus*. Et quidem *onocrotalus* sic dictus, quia rudit ut asinus. *Croto* Hispanice, avis magna, credo ex anserum genere; nam Hieronymus *onocrotali* duo genera facit, aquatile & silvestre. ET ERICIUS. Alii, *noctua*; alii, *testudo*. IN LIMINIBUS EIUS, *in superliminaribus*, quæ *captho im* Hebr. vocantur, id est *poma*; quoniam ea in superliminari insculpuntur. MORABUNTUR, aut *pernoctabunt*. VOX CANTANTIS. Hebr. *vox* (scilicet *avium*, ut Chald.) *cantabit in fenestra*, nullo scilicet prohibente. CORVUS IN SUPERLIMINARI. Heb. *desolatio in limine*; hoc est, usque ad limen perveniet. Sept. *corvi in portis eius*. Itaque tam illi, quam Hieronymus pro חרב *hereb*, id est *desolatione*, legerunt ערב id est *corvus*. QUONIAM ATTENUABO ROBUR EIUS, scilicet illius vires debilitabo, ne cladi possit resistere. Hebr. *quia cedrum eius* (tigna) *nudavit*, hostis scilicet evertit, propterea ruina ad limen perveniet, id est funditus evertetur domus.

V. 15. NON EST ALIA AMPLIUS, quæ scilicet mei comparatione civitatis nomen mereatur. Sic Ninive dicebat. FACTA EST IN DESERTUM, in desolationem. CUBILE BESTIAE; pro, bestiarum. SIBILABIT. Viator scilicet, hoc est, ex contemptu. ET MOVEBIT MANUM SUAM, ut altera manu tacta complodat, quod lætitiæ erit. Alii de eius interitu mœrebunt, alii lætabuntur.

MENOCHII.

Vers. 1. CONVENITE: scilicet simul ad placandum Deum per preces, & pœnitentiam. NON AMABILIS; scilicet Deo: amore indigna. LXX. *indisciplinata*, seu, *inerudita*. Chald. *Nolens converti*.

V. 2. PRIUSQUAM PARIAT IUSSIO, &c. convenite ad preces publicas, antequam Deus iussu suo pariat, & producat diem excidii Ierusalem, & captivitatis Babylonicæ, qui dies veniet sicut *pulvis transiens*,

flens, scilicet qui a vento rapitur, id est, veniet subito, & cum impetu.

V. 3. OMNES MANSUETI TERRAE, id est humiles. Ex una virtute vult ceteras intelligi, ac si diceret: Omnes iusti, qui in hac gente relicti estis. IUDICIUM ESTIS OPERATI, id est, id quod iustum est, & æquum, hoc est id quod lege præscribitur. QUAERITE IUSTUM. In Hebræo est, *Quærite iustitiam*: quærite Deum, qui iustus est, & mitis. Vel, quærite, & sectamini ipsas virtutes iustitiæ, & mansuetudinis. SI QUO MODO ABSCONDAMINI; quasi dicat: Tanta erit acerbitas supplicii, ut vix etiam iusti liberentur.

V. 4. QUIA GAZA DESTRUCTA ERIT, &c. quasi dicat: Multum sane vobis timendum est Iudæi, quos Deus præcipue flagello Chaldæorum petit, nam etiam Gaza, & aliæ Palestinæ urbes, Azotus scilicet, Accaron, & Ascalon, quæ per occasionem tantum vestram, cladis erunt participes, destruentur. IN DESERTUM. In Hebr. est, *in desolationem*, scilicet erit. IN MERIDIE EIICIENT: meridie, clara luce, aperto Marte, non ex insidiis deiicient, & evertent.

V. 5. FUNICULUM MARIS: tractum maris, oram maris Palæstinæ. GENS PERDITORUM. Hebr. *Gens Cerethim*. Porro vox *Cerethim* vel est nomen proprium gentis, ut accipiunt LXX. qui vertunt *accolæ Crerensium*; vel est appellativum, ut accipitur a vulgato, & aliis, qui vertunt, *Gens perditionis*, vel *Gens vastatrix*. Vel passive, *Genus exterminatum*, vel, *Gens interficienda*. Alloquitur ergo propheta Cerethæos, qui incolebant Australem plagam Palestinæ, & ex etymologia captat illos irridendi occasionem; quasi dicat: Vos estis interfectores, & vastatores, & vastabimini, & interficiemini. VERBUM DOMINI SUPER VOS CHANAAN, &c. quasi dicat; Verbum Domini, & decretum ultionis contra vos Philistæos, qui estis Chananæi, significat non solos Cerethim, sed omnes omnino Philisthinos vastandos esse.

V. 16. REQUIES PASTORUM, ET CAULAE PECORUM: ita a Chaldæis vastabitur ora illa, ut habitatoribus occisis, vel abductis vertenda sit in pascua armentorum, & caulas gregum.

V. 7. ET ERIT FUNICULUS, &c. & tractus ille adeo destruetur, ut Iudæi relicti qui ex captivitate redeuntes possessuri sint illum, & greges suos, & armenta in illum acturi, ut ibi pascantur. AD VESPERAM REQUIESCENT: cum e pascuis oves revocantur ad caulas, agentur ad dirutas illas ædes, ut ibi nocturno tempore stabulentur. QUIA VISITABIT EOS: scilicet Iudæos, qui remanserint in Babylone. AVERTET CAPTIVITATEM: captivos per Cyrum remittet in Iudæam.

V. 8. AUDIVI; quasi dicat: Aderam, & audiebam, licet hominibus abesse viderer, quia non puniebam. OPPROBRIUM MOAB, &c. id est, probra, & convicia, quæ in vos, o Iudæi iactarunt Moabitæ, & Ammonitæ. Insultarunt enim vobis dum Ierusalem caperetur a Chaldæis, ideo scelus eorum impune abire non patiar. MAGNIFICATI SUNT SUPER TERMINOS EORUM. Hebr. *Magnificabat os suum*, &c. superbe, & arroganter locuti sunt, & miniati se invasuros fines Iudæorum, quos desertos videbant, & irridentes eos, partem eorum sibi vendicabant. Vide Ezech. xxxv. 11. & Abdiam num. 12.

V. 9. MOAB UT SODOMA ERIT, id est evertetur funditus. SICCITAS SPINARUM, ita deserta, ut nihil ibi possit inveniri præter spinas, quæ etiam arescent sponte, solo maligne succum, & alimentum illis suppeditante. ET ACERVI SALIS. Salsuginosa fiet, & sterilis, aut inundatione vicini maris mortui, quod mare salis Scriptura appellat; aut Dei peculiari flagello, vertentis *terram fructiferam in salsuginem*, ut dicitur Psalm. CVI. RELIQUIAE POPULI MEI: e Babylone redeuntis.

V. 11. HORRIBILIS DOMINUS, &c. id est, terribilem, & formidabilem se ostendet Deus contra has nationes. ATTENUABIT. LXX. *Disperdet*. ADORABUNT EUM VIRI DE LOCO SUO; id est, unusquisque in patria sua verum Deum adorabit. Non adorabitur in sola Iudæa, sed ubique. OMNES INSULAE GENTIUM: scilicet adorabunt eum. Hebræi *insulas* vocant omnes regiones, ad quas e Iudæa non nisi navigio adiri potest.

V. 12. SED ET VOS AETHIOPES, &c. Hæc non cohærent cum proximo versiculo, sed nectenda sunt cum dictis supra num. 9. quasi dicat; Moabitæ, Ammonitæ, & vos AEthiopes vastabimini, & interficiemini.

V. 13.

V. 13. Extendet manum; scilicet Chaldæus victor. Assur, id est Assyriam. Ponet speciosam in solitudinem. In Hebræo est, *Ponet Niniven in desolationem*. Ninive enim *speciosam* significat. In invium: locum desertum, & humanis vestigiis non signatum.

V. 14. Omnes bestiae gentium: scilicet, vicinarum, quæ eo adducent suos greges, ut herbidum Ninives solum depascantur. Onocrotalus: est avis cygno similis, ita dicta a sono quem edit, absono, & incondito, ut quodammodo rudentem asinum videatur referre; ὄνος enim est asinus, & κρότος sonitus, vel crepitus. Vide dicta Levit. xi. 18. Ericius: de quo vide dicta Isa. xiv. 23. Ut expressius significet magnam vastitatem futuram, meminit avium, & animalium, quæ non morantur nisi in solitudine. Vox cantantis in fenestra; quasi dicat, In fenestris iam desolatis, & desertis considebunt, canentque avieulæ, nulli enim erunt habitatores qui abigant. Quoniam attenuabo robur eius: extenuabo, & ad nihilum redigam robur Ninives, quæ nunc florentissima civitas est.

V. 15. Haec est civitas, &c. insultat propheta ruinæ superbæ civitatis. Habitans in confidentia: secure agens, & sibi nihil timens. Ego sum: sola ego sum, & ceteræ urbes mecum collatæ nihil sunt. Sibilavit, &c. sibilo, & complosione manuum irridebit, & insultabit.

T I R I N I.

Vers. 1. Gens Iudæa non amabilis; Pagninus, *non desiderabilis*, sed odibilis, invisa & exosa, tum Deo, propter vestra scelera; tum vicinis gentibus, propter religionis & politiæ differentiam, inquit Pineda *a*; convenite in unum, congregamini in publicum cœtum, ut unanimi prece, lamento ac pœnitentia communem Deum placetis, ipsique quasi vim faciatis, & flagellum quod manu tenet, extorqueatis.

V. 2. Priusquam iussio divina pariat vobis diem excidii & exilii transeuntem quasi pulverem, id est instar turbinis, qui pulverem & paleas violenter dispergit, ac celerrime transit, omnia deiicientem, & vastantem, miscentem, diripientem & auferentem, inquit S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo & Lyranus.

V. 13. Quaerite fugientem, placate iratum Dominum, saltem vos omnes quotquot superestis in hac *terra* humiles, mansueti, iusti. Vos vero qui iusti aut mansueti non estis, quaeritae quod iustum est & mansuetum; id est, conamini per pœnitentiam evadere iusti & mansueti. Hebraice est, *quærite iustitiam & mansuetudinem*. Insinuat Propheta, unicum, sed certissimum leniendæ iræ divinæ remedium esse, resipiscentiam & mansuetudinem, ut patuit in Moyse, Davide *b*, & aliis.

V. 7. Azotum, id est Azoti incolas, (& reliquas etiam Philisthinorum satrapias, quas hic enumerat) eiicient e suis arcibus & urbibus Chaldæi non dolo, vel occulta fraude, sed aperta vi, clara luce collatis signis, in meridie: ita S. Hieronymus, Remigius, Albertus & Hugo. Quod si Philisthæos & alios infideles qui me non noverunt, tam severe ob idololatriam & in proximum perfidiam ac crudelitatem puniam; quomodo vos o Iudæi, qui mihi tam arcte devincti, obstricti & adstricti, iisdem sceleribus me irritatis, impune id vobis cessurum sperare potestis?

V. 5. Funiculum *c* maris vocat partem vel oram maritimam, quam ut hereditariam incolebat gens *Cerethim*, id est gens perditionis, seu perditioni destinata.

Nota autem regionem illam Philisthæorum *ad Meridiem d*, e qua David cohortem suam prætoriam *e* olim sublegit, de qua alibi *f*; quasi dicat: Vos o Cerethim soletis perditioni esse aliis, iam vobis ipsis eritis. Dicimini *perditores*, sed iam ipsi perdemini a Chaldæis.

V. 7. Funiculus, seu terra ista Philisthæorum in Chanaanitide, erit aliquando eius qui remanserit superstes de domo Iuda; id est, abductis vel excisis per Chaldæos Philisthæis, terra illorum cedet olim reductis ab exilio Iudæis, qui illa utentur pro *pascuis pecorum* suorum. Quod contigit sub Machabæis *g*.

V. 8. Moab et Ammon, qui magni-

GNIFICATI, id est magnis ac superbis animis elati, SUNT SUPER TERMINOS Iudæorum, iactantes, quod excisos a Chaldæis & vastatos illorum fines invasuri essent & occupaturi; vice versa excisi ipsi funditus instar Sodomæ & Gomorrhæ, cedent prædam Iudæis sub Iuda Mach. *b*, eiusque nepote Alexandro *i*, ut dixi in Abdia k & Ezech. Allegorice, Christus & Apostoli devicerunt & possederunt Philisthæos, Ammonitas & alias barbaras gentes, uti de *Gaza* & *Azoto* constat ex Actis *l* Apostolorum.

V. 9. Erunt SICCITAS SPINARUM; id est, nihil in eis reperietur præter ficeas spinas, ET *acervos* SALIS ex inundatione maris *m* mortui cui vicina Moabitis; & maris Galilææ, cui adiacet Ammonitis.

V. 11. ATTENUABIT Deus, id est consumet, OMNES falsos DEOS universæ TERRAE: Chaldæi diripient illorum statuas: Machabæi etiam cultum & adorationem eorumdem adiment Moabitis & Ammonitis, Idumæis, & aliis gentibus, ut dixi in Abdia *n*. Sed omnem idololatriam funditus exscindet Christus per Apostolos & discipulos suos, inquit Eusebius *o*, S. Hieron. August. *p* Theodor. Remigius, & alii passim. Nam in solum legis Evangelicæ tempus quadrat quod sequitur: ADORABUNT Deum & sacrificiis colent VIRI; id est, singuli singularum nationum, non in una urbe Ierosolyma, ut solebant Iudæi, sed ubique terrarum, singuli in LOCO SUO, id est in regione sua: OMNES INSULAE GENTIUM. Per *insulas* intelligunt Iudæi quidquid ipsis trans mare erat, & navibus adiri debebat, ut alibi *q* dixi: ita S. Chrysost. a Castro, & a Lapide & alii.

V. 12. SED ET VOS AETHIOPES *interfi-ciemini* eodem GLADIO MEO: Chaldaico corporaliter, Evangelico spiritualiter. Quia enim etiam ipsi Iudæis aliquando *r* infesti fuerunt; ideo puniendi dicuntur, ut egregie puniti sunt a Nabuchodonosore, una cum AEgyptiis AEthiopiæ adiacentibus, itemque a Cyro, & a Cambyse, ut inquit S. Hieron. & Iosephus; & Isaias ita futurum diserte prædixerat. Sed & convertendi prædicuntur ad Christum a regio Propheta Psalmo LXVII. 32. & alibi *t*. Plinius *u* vult *AEthiopiæ* nomen inditum ab *AEthiope* filio Vulcani. Sed alii id deducunt αἴθω, id est eremo, & ὤψ, id est aspectu, eo quod vultu sint quasi exusto, propter solis vicinitatem & ardorem.

V. 13. EXTENDET etiam Deus per Nabuchodonosorem, MANUM ulturicem SUAM SUPER AQUILONEM, id est super Assyriam, quæ Iudæis est Aquilonaris: ET regiam urbem *Niniven* (ita habent Hebræa, Chaldæa & Græca) id est, SPECIOSAM *x* PONET IN SOLITUDINEM, uti prædixerunt etiam Ionas & Nahum: ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Lyran. Vatablus, Ribera, a Lapide. Factum id 13. anno regni Iosiæ, ut alibi *y* dixi. Ex quo loco constat, Sophoniam non sub finem, sed sub initia regni Iosiæ prophetasse.

V. 14. OMNES BESTIAE GENTIUM vicinarum ACCUBABUNT IN herbido & pingui *Ninives* solo, inquit S. Hieron. & alii iam citati. De *onocrotalo* & *ericio* z alibi dictum. Per *cantantem* IN FENESTRA intelligit aviculas silvestres. Per quas designat, summam fore Ninives desolationem, utpote quæ non amplius hominum, sed silvestrium & solivagorum animalium habitationi sit deservitura.

(a) Pineda Lib. I. de Regus Salom. cap. 1.
(b) Num. XII. 3. & Exod. XXXII. 32. I sam. CXXXI. 1.
(c) Psal. XV. 6.
(d) I. Reg. XXX. 14.
(e) II. Reg. XV. 18. I. Paral. XVIII. 17.
(f) Ezech. XXV. 16.
(g) I. Mach. v. ult. cap. x. 84. & seqq. Abdiæ XIX.
(h) I. Mach. v. 6.
(i) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. XI. & Lib. I. Belli cap. III.
(k) Abdiæ vers. 12. &c. Ezech. XXV. 2. & 8.
(l) Actor. VIII. 26. & 40.
(m) Genes. XIX. 26.
(n) Abdiæ vers. 16. 18. 20. &c.
(o) Euseb. Lib. II. Demonst. Evang. cap. XVI.
(p) August. Lib. XVIII. Civ. cap. XXXIII.
(q) Isaiæ XXIII. 1. Ierem. XXV. 22. & I. Mach. I. 1. Chysost. orat. II. cont. Iudæos.
(r) II. Par. XIV. 9.
(s) Iosephs Lib. X. Antiq. cap. XI. & IV. I. cont. Apion. Isaias XX. 3.
(t) Psal. LXXXVI. 5.
(u) Plin. Lib. VI. cap. XXX.
(x) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. XVII.
(y) In Proœmio Nahum, & Chronici cap. XIII. ibi citato.
(z) Deut. XIV. 15. Psal. CIII. 18. Isaiæ XIV. 23. & XXXIV. 11. 15.

GOR.

GORDONI.

Verſ. 1. CONVENITE, &c. Sophonias qui eodem tempore quo Ieremias prophetavit, accedit omnino ad Ieremiæ argumentum, & prophetandi modum, ut hactenus apparuit, & hic (ut passim Ieremias) hortatur Iudæos populum Deo amabilem, ut conveniant Deum deprecantes; & agant pœnitentiam, antequam veniat dies Domini plenus indignatione. Hortatur autem ad preces viros iustos; quia impiorum oratio ad impetrandam hanc veniam parum prodest.

V. 4. QUIA GAZA DESTRUCTA ERIT, &c. Vaticinatur, contra Philisthæos seu funiculum & possessionem eorum, recensitis eorum urbibus: hæ urbes designant satrapias Philisthiim.

V. 7. ET ERIT FUNICULUS, &c. Hoc infert obiter, fore ut redeuntes a captivitate possideant terras, & funiculum Philisthinorum. Quod factum constat sub Ionatha, & Simeone Machabæis fratribus, ac demum sub Christo alio sensu.

V. 8. & 9. AUDIVI OPPROBRIUM MOAB, &c. Extendit vaticinium ad quatuor gentes, scilicet Moabitas, Ammonitas, AEthiopes (scilicet Orientales) & Assyrios: vide de AEthiopibus Habacuc III. 7. RELIQUIAE, inquit, POPULI MEI DIRIPIENT EOS; quod factum sub Machabæis iam dixi, I. Mach. v. 6. & longe illustrius sub Christo.

V. 11. HORRIBILIS DOMINUS SUPER EOS, &c. Dum potentiam prædicat contra has recensitas nationes, excurrit hic in spiritu ad gentium plurimarum subiectionem, quando sub Christo submittent colla iugo Christianæ Ecclesiæ, & tandem vers. 12. redit ad cladem inferendam per Chaldæos AEthiopibus orientalibus, ut iam dicebam: de his subactis AEthiopibus Ioseph. Lib. X. Antiq. cap. XI.

V. 13. EXTENDET MANUM SUAM, &c. Assyrii sunt versus Aquilonem respectu Iudææ per aliquot gradus: hos etiam per Chaldæos percutiet Dominus; & Metropolim Ninivem: vide de eversione Ninives Nahum II. 1. unde facile apparet hanc eversionem contigisse post tempore Iosiæ regis. Onocrotalus ex Hieronymo (& LXX. Levit. XI. 18.) est Pellicanus. Ericius noctua putatur: cantus avium in fenestra est nota solitudinis. Onocrotalus, forte quia rudit ut asinus.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 2. PARIAT IUSSIO, antequam veniat dies excidii.

Verſ. 4. IN MERIDIE: non per insidias, sed aperto marte.

Verſ. 5. FUNICULUM MARIS: sunt Philisthini ad litus Mediterranei maris. De his obiter, ut magis timeant Iudæi.

Verſ. 7. Tanta erit desolatio Philisthinorum ut redeuntes a captivitate Babylonica ibi sedes sibi inveniant.



CAPUT III.

Arguit Ierusalem, & præcipue rectores eius, quibus minatur celerem Dei vindictam, quod neque beneficiis neque flagellis sint ad ipsum conversi: de felicitate novæ legis, ac multiplicatione credentium, pœnaque iniquorum prædicitur.

1. VAE provocatrix, & redempta civitas, columba. 2. Non
audivit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domi-
no non est confisa, ad Deum suum non appropinqua-
vit. 3. (*a*) Principes eius in medio eius quasi leones
rugientes: iudices eius lupi vespere, non relinquebant
in mane. 4. Prophetæ eius vesani, viri infideles: sa-
cerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt con-
tra legem. 5. Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem: mane
mane iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur: nescivit autem
iniquus confusionem. *6.* Disperdidi Gentes, & dissipati sunt anguli earum:
desertas feci vias eorum, dum non est qui transeat: desolatæ sunt civita-
tes eorum, non remanente viro, neque ullo habitatore. 7. Dixi: Attamen
timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum eius, pro-
pter omnia in quibus visitavi eam: verumtamen diluculo surgentes corru-
perunt omnes cogitationes suas. 8. Quapropter expecta me, dicit Domi-
nus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum ut con-
gregem Gentes, & colligam regna: & effundam super eos indignationem
meam, omnem iram furoris mei: (*b*) in igne enim zeli mei devorabitur
omnis terra. *9.* Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent
omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno. 10. Ultra flumina
AEthiopiæ, inde supplices mei, filii dispersorum meorum deferent munus
mihi. 11. In die illa non confunderis super cunctis adinventionibus tuis,
quibus prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos
superbiæ tuæ, & non adiicies exaltari amplius in monte sancto meo. 12.
Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum: & sperabunt
in nomine Domini. 13. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec lo-
quentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua dolosa: quo-
niam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat. 14. Lauda
filia Sion: iubila Israel: lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalem.
15. Abstulit Dominus iudicium tuum, avertit inimicos tuos: rex Israel
Dominus in medio tui, non timebis malum ultra. *16.* In die illa dicetur
Ierusalem: Noli timere: Sion, non dissolvantur manus tuæ. 17. Dominus
Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit: gaudebit super te in lætitia,
* silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude. 18. Nugas, qui a
lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: ut non ultra habeas super
eis opprobrium. *19.* Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in

tem-

tempore illo: & salvabo claudicantem: & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudem, & in nomen, in omni terra confusionis eorum: 20. in tempore illo, quo adducam vos: & in tempore, quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cum convertero captivitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

(a) Ezech. xxix. 27. Mich. iii. 12. (b) Sap. i. 18.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 17. *Silebit in dilectione sua*. *Retinendum* est pronomen tertiæ personæ *sua*, non substituendum secundæ *tua*. Sequitur. *Exultabit super te in laude*. Non præponas his verbis & coniunctionem.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. VAE. Alloquitur Ierusalem. PROVOCATRIX, scilicet Dei. LXX. *illustris*. REDEMPTA, id est sæpe a Deo liberata, vel ex AEgypto educta. COLUMBA, scilicet sine intellectu. Vide Ose. VII.

V. 2. VOCEM, scilicet Dei.

V. 3. VESPERE, id est qui vespere oves aggrediuntur fame diurna rabidi. Vide Habac. I. LXX. *Arabiæ*. NON RELINQUEBANT, &c. quasi dicat, Omnia statim vorantes.

V. 4. PROPHETAE. Chald. *pseudoprophetæ*. VESANI, scilicet spiritu malo agitati. INFIDELES. Chald. *mendaces*. LXX. *contemptores*. SANCTUM, scilicet templum. Chald. *sanctitatem*. LXX. *sancta*.

V. 5. FACIET, id est feret, seu permittet; vel quasi dicat, Faciet iustitiam. MANE, id est cito, vel quotidie. IUDICIUM, scilicet puniens. DABIT IN LUCEM, id est proferet, seu faciet conspicuum. ABSCONDETUR. Chald. *tardabit*. NESCIVIT, &c. quasi dicat: Nec populum pudet suæ iniquitatis, nec pœnitet; vel de quovis iniquo sermo est.

V. 6. GENTES. LXX. *superbos*. ANGULI, id est turres, vel regna. Chald. *palatia*. DUM NON EST; pro, ita ut non sit. DESOLATAE, &c. quasi dicat, Debuerat populus meus similia timere, & cavere ne me offenderet.

V. 7. DIXI, &c. quasi dicat, Monui par esse, ut me timeret, & recte viveret; quod si faceret, parcerem ei. EIUS; pro, tuum, mutata persona, more Scripturæ. VISITAVI, id est hactenus punivi. DILUCULO, id est sollicite, seu sine mora. CORRUPERUNT, &c. quasi dicat: Tantum abest ut se emendarent, egerunt peius.

V. 8. QUAPROPTER, &c. verba Christi; quasi dicat: Post meam resurrectionem te per Romanos puniam, vel die iudicii, ut quidam volunt, ob ea quæ sequuntur. IN IGNE, &c. Vide sup. cap. I. TERRA. Chald. *impii terræ*.

V. 9. QUIA TUNC, scilicet tempore Evangelii. POPULIS, scilicet ad fidem conversis. LABIUM. Chald. *locutionem*. HUMERO UNO, id est unanimiter: metaphora a baiulis idem simul portantibus, vel bobus. LXX. *sub iugo uno*.

V. 10. AETHIOPIAE, scilicet quæ est prope AEgyptum, vel *Indicæ*, secundum quosdam. Chald. *Indiæ*. FILII DISPERSORUM MEORUM; pro, dispersi mei. Heb. *dispersorum meorum filia*, id est congregatio, scilicet electi per mundum dispersi. Vide Ioan. XI.

V. 11. ADINVENTIONIBUS, id est consiliis, seu operibus. MAGNILOQUOS SUPERBIAE, id est superbos magistros, vel de quibus superbiebas, scilicet Scribas & Pharisæos. Chald. *fortes gloriæ*. LXX. *detractiones contumeliæ*. EXALTARI, id est super-

perbire. LXX. *gloriari*. IN MONTE, &c. quasi dicat, De templo Ierosolymitano, vel in Ecclesia; discitur enim hic humilitas.

V. 12. PAUPEREM ET EGENUM. Chald. *mansuetum & excipientem afflictionem*. LXX. *mansuetum & humilem*. SPERABUNT IN NOMINE DOMINI, id est in Domino. LXX. *timebunt*, seu *reverebuntur nomen Domini*.

V. 13. MENDACIUM. LXX. *vana*. PASCENTUR, scilicet ut Christi oves ab ipso. ACCUBABUNT, scilicet in Ecclesia, vel cælo.

V. 14. FILIA SION, id est Ecclesia. IN OMNI. LXX. *ex toto*.

V. 15. IUDICIUM TUUM, id est damnationem, scilicet remissis peccatis. LXX. *iniquitates tuas*. AVERTIT, id est expulit. Chald. *extirpavit*. INIMICOS, scilicet dæmones, & vitia. IN MEDIO TUI, id est tecum. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, &c.

V. 16. DICETUR. LXX. *dicet Dominus*. DISSOLVANTUR. Chald. *remittantur*.

V. 17. GAUDEBIT, &c. LXX. *adducet super te lætitiam, & innovabit te in charitate sua*. SILEBIT, scilicet ad peccata præterita, quia remissa. SUA, id est sui, non *tua*. LAUDE. Chald. *exultatione*. LXX. *delectatione*.

V. 18. NUGAS, id est peccatores, peccata enim velut nugæ & mendacia: dicuntur quidem homines nihili, & nugatores, *nugæ*. EX TE, scilicet de numero electorum. OPPROBRIUM, id est tibi exprobretur illorum vita mala.

V. 19. CLAUDICANTEM, scilicet a recto, vel animam, vel Synagogam. LAUDEM. LXX. *gloriam*; quasi dicat: Faciam gloriosos. IN NOMEN, id est famam, seu celebritatem. LXX. *nominatos*. CONFUSIONIS, scilicet ubi contempti, & contumeliis affecti.

V. 20. CORAM OCULIS VESTRIS; quasi dicat, Vobis videntibus, & gaudentibus ad tam felicem mutationem.

E S T I I.

Verf. 3. RELIQUIAE ISRAEL NON FACIENT INIQUITATEM, NEC LOQUENTUR MENDACIUM. Quamvis forte ad litteram hoc dictum sit de Iudæis ex captivitate Babylonica reducendis in terram suam; quando postea ille populus non amplius defluxit ad idololatriam; certior tamen sensus est, de reliquiis Iudaici populi, id est paucis illis, qui in Christum per Christi & Apostolorum prædicationem crediderunt. Sic enim reliquias Israel iuxta Isaiæ vaticinium intellexit Paulus ad Rom. IX. Et de his verissima esse cognoscet, quæ hic a propheta commemorantur, quisquis sanctitatem & perfectionem primitivæ illius ecclesiæ ex Iudæis, in Actis Apostolorum, & in epistola Pauli ad Hebræos diligenter observaverit. Non tamen ita dicuntur, non facturi iniquitatem, quasi nemo inter eos peccator fuerit (nam Ananias & Sapphira spiritui sancto mentiti sunt Act. V. & alii præterea potuerunt esse peccatores) sed quia congregatio illa pro maiori parte laudem illam merebatur.

M A R I A N A E.

Verf. 1. VAE PROVOCATRIX, ET REDEMPTA. Hebr. *polluta & fœda*. In Ierusalem invehitur. COLUMBA. Sic Sept. id est unice dilecta ante, ut Hieronymus explicat. Alii vertunt, *diripiens*, *prædatrix*. Vox Hebr. יונה *ionah* utrumque significare potest. De qua voce plura Ierem. XXV. 38.

V. 3. LUPI VESPERE, id est vespertini. Nocte lupi ad prædam exeunt. Sept. *lupi Arabiæ*, id est deserti: ערב *hereb*, & *vesperam* & *desertum* significat. NON RELINQUEBANT IN MANE, totam pecudem nocte comedebant. Hebr. *non exossabant in mane*, id est per diem non prædabantur. Sic iudices nocte & per fraudem populum spoliabant.

V. 4. PROPHETAE EIUS VESANI. Heb. *præcipites*, *leves*. VIRI INFIDELIS. Hebr. *viri prævaricationum*, id est prævaricantes. POLLUERUNT SANCTUM, id est templum. INIUSTE EGERUNT CONTRA LEGEM. Heb. & hoc modo verti possunt, ut Chald. etiam & Sept. vertunt, & sic: *rapuerunt legem*, id est non eam docuerunt populum, ut par erat. Sic Hebræus.

V. 5. MANE MANE, id est palam, aut quotidie. IUDICIUM SUUM DABIT Deus, id est puniet pravos, aut bonis benefaciet. ET NON ABSCONDETUR, seu *non deficiet*; id est, non desistet ita facere, quam-

quamvis peccatis hominum provocatus. NESCIVIT AUTEM INIQUUS CONFUSIONEM, id est pudorem, quamvis provocatus Dei iudiciis, non recedet a malo.

V. 6. ET DISSIPATI SUNT ANGULI EARUM, id est arces, ut cap. 1. vers. 16. VIAS EORUM. Hebr. *desolavi plateas eorum*. Nullus ibi versatur, nullus transit.

V. 7. TIMEBIS ME, scilicet his cladibus provocatus. ET NON PERIBIT HABITACULUM EIUS, pro, habitacula, domus Ierusalem nollet Deos ut perirent. Verum contra accidit. DILUCULO SURGENTES, cum luce redieruut od opera solita. COGITATIONES SUAS, opera, studia mala.

V. 8. QUAPROPTER EXPECTA ME. Quando hac via non successit, ut hic populus me coleret, aliam tentabo, ut Gentes omnes convertam; quod suo tempore fiet; ideo expectate. IN DIE RESURRECTIONIS MEAE IN FUTURUM. Hebr. *in die*, *quo resurgam ad spolium*, id est quo ero victor. עד *had* multa significat, *aeternitatem futuram*. Id sequitur Hieronymus cum ait *in futurum*, *testimonium hoc* Sept. *iudicium hoc* Chald. sed & Genes. XLIX. 27. significat *praedam*. *Mane comedet praedam*. Hebraei hoc loco idem significare putant. *In die*, *quo surgam ad praedam*. QUIA IUDICIUM MEUM, id est decretum est; volo Gentes congregare & subiicere.

V. 9. QUIA. Hæc causalis redundat, aut sumatur pro *profecto*. TUNC, postquam illos subiecero bello illato. REDDAM POPULIS LABIUM ELECTUM, ut omnes de Deo bene sentiant, & bene loquantur. HUMERO UNO, eadem mente, consensu uno.

V. 10. ULTRA FLUMINA AETHIOPIAE, id est ex omni orbe. INDE SUPPLICES MEI, FILII DISPERSORUM MEORUM. Iudaeorum, qui dispersi sunt. Hebr. *Natharai*, *Beth Puzai*. Totum hoc Hebraei putant esse nomen Gentis, unde & ex AEthiopia munera deferre debebant. DEFERENT MUNUS MIHI, id est sacrificia offerent. Vel, afferent filios Israel, qui inter eos sunt, munus mihi.

V. 11. NON CONFUNDERIS, non pudefies ob peccata praeterita, quia erunt dimissa. AUFERAM DE MEDIO TUI MAGNILOQUOS SUPERBIAE TUAE. Hebr. *exultantes in superbia tua*, id est superbos, qui de tuis dotibus, genere, antiquitate, copiis superbiebant. ET NON ADIICIES EXALTARI, superbire. IN MONTE SANCTO MEO, in templo, id est ob templum, quod penes te est.

V. 12. POPULUM PAUPEREM. Heb. *humilem & egenum* relinquam in te. Ii fuerunt Apostoli, & eorum discipuli.

V. 13. PASCENTUR, ut greges, metaphora. ET NON ERIT QUI EXTERREAT. Mendacia, quae dixit non fore amplius, & fraudes, sunt ex timore; eo sublato, Dei ob praesidium, & illa non erunt.

V. 15. IUDICIUM TUUM. Supplicium, quod ferre debebas, abstulit Deus. AVERTIT, seu *evertit* inimicos tuos.

V. 16. NON DISSOLVANTUR, debilitentur MANUS TUAE, scilicet prae moerore.

V. 17. SILEBIT IN DILECTIONE SUA, id est ob dilectionem suam non te puniet, non accusabit. Hieronymus in Comment. *in dilectione tua*, sed falso.

V. 18. NUGAS, QUI A LEGE RECESSERANT, id est homines perditos. Hebr. *dolentes*, *tempus statutum*, scilicet non venire; quia scilicet tempus liberationis, aut adventus Christi differebatur. CONGREGABO, scilicet ad te, illis parcam. QUIA EX TE ERANT. Hebr. *congregabo ex te*; pro, quia ex te erant. UT NON ULTRA HABEAS SUPER EIS OPPROBRIUM. Heb. *onus super eam* (id est super te, &) *opprobrium*, scilicet quod fuerunt illi homines.

V. 19. INTERFICIAM, seu, *contundam*. Hebr. *faciam*. Sed verbum *faciendi* Hebr. multa significat; inter alia frangere. Heb. *faciam exterminationem*. PONAM EOS IN LAUDEM, ET IN NOMEN, IN OMNI TERRA CONFUSIONIS EORUM, id est ubi fuerunt captivi, ibi faciam ut laudentur, & fama eorum volet. Id significat, *Et in nomen ponam eos*.

V. 20. IN TEMPORE ILLO, QUO ADDUCAM VOS. Hebr. *in tempore illo adducam vos*. Sed bene suppletur *quo*, ut supplent Sept. DABO ENIM VOS IN NOMEN. Hebr. *quia dabo vos in nomen*. Sed *quia* & *enim* redundant. OMNIBUS POPULIS, non iis solum, ubi captivi fuistis, sed ubique nomen vestrum celebrabitur; quia vestrae liberationis fama toto orbe diffundetur, omnibus erit nota. CORAM OCULIS VESTRIS, id est vobis videntibus, aut palam convertam captivitatem vestram, liberabo vos.

ME-

MENOCHII.

Verf. 1. VAE PROVOCATRIX : væ tibi Ierusalem, quæ semper tuis peccatis Deum provocas ad iracundiam. Verti etiam potest, *Væ amaricatrix!*, quæ scilicet Deum ad bilem concitas. ET REDEMPTA. Taxat Ierusalem ingratitudinis, quæ cum a Deo redempta esset ex AEgypto, & deinceps e servitute aliarum gentium, Deum tamen idololatria, & aliis sceleribus pergeret provocare. CIVITAS, COLUMBA : columba vecors, & seducta, ut loquitur Osee vtt. 11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta*. Vel, quæ iam fuisti columba, licet iam non sis.

V. 2. VOCEM, id est divina præcepta. NON SUSCEPIT DISCIPLINAM : correpta, atque punita, noluit resipiscere. IN DOMINO NON EST CONFISA : cum malis premebatur, sed in hominibus spem suam locavit. NON APPROPINQUAVIT : ut illum invocaret, ei obediret, illum amaret, & sincere coleret.

V. 3. QUASI LEONES RUGIENTES : effundentes subiectorum sanguinem, & ex rapto viventes. LUPI VESPERE : vide dicta Habacuc 1. 8. NON RELINQUEBANT IN MANE : omnia statim vorabant, ita ut nullæ in tempus matutinum reliquiæ superessent.

V. 4. PROPHETAE EIUS VESANI: fanatici, & spiritu malo correpti, & insanientes. INFIDELES. Chald. *Mendaces*. SACERDOTES, &c. sacerdotes sacrilegi, nam polluerunt *sanctum*, id est templum. INIUSTE EGERUNT CONTRA LEGEM. *Legem transgressi sunt*, ut vertit Vatablus, & Pagninus.

V. 5. DOMINUS IUSTUS IN MEDIO EIUS, &c. id est, cum Deus sit in medio eius, & omnia videat, non erit iniquus, ut illi, sed pessimæ civitati, quæ meretur, reddet. Vel, Non inique faciet, si eos puniat. *Non gli farà torto*. MANE MANE: valde cito, citissime. Vel, quolibet mane, ut sensus sit; Deus quotidie, & quasi quolibet mane edit aliquod exemplum sui iudicii, nunc hos, nunc illos sceleratos puniens. NESCIVIT AUTEM INIQUUS CONFUSIONEM; quasi dicat : Iniquus tamen populus meus post tot peccata erubescere nescivit, & confundi, & pœnitentiam agere.

V. 6. DISPERDIDI GENTES: multas gentes perdidi, & dissipavi. ANGULI EARUM : Angulos vocat arces, & munitiones, quæ in limitibus regnorum excitantur. Vel intelligit satrapias, & præcipuas partes, in quas regnum tributum est. Sic Helvetiorum Respublica divisa videtur, de qua vulgari lingua dicimus, *li Cantoni de' Svizzeri*. DUM NON EST QUI TRANSEAT : occisis, vel abductis civibus, qui per illas transire potuissent.

V. 7. DIXI : per prophetas meos. ATTAMEN. In Hebræo est אך *ach*, quæ particula more Hebræorum poni solet initio sententiæ ornatus potius causa, quam significationis. TIMEBIS ME, : timeas me, ut tibi parcam. SUSCIPIAS DISCIPLINAM. Correptionem, & admonitionem meam, & ex illa proficere stude. ET NON PERIBIT HABITACULUM EIUS, id est habitaculum tuum, non capietur, non evertetur Ierusalem, propter peccata, quorum causa hactenus eam punivi. Contentus ero pœnis, quas de te hactenus sumpsi. VERUMTAMEN DILUCULO SURGENTES, &c. quasi dicat : At ipsi non solum non egerunt pœnitentiam, sed etiam ad omne nefas affectu, & desiderio ferebantur, & cum primum potuerunt, effectum dederunt, quidquid mali fuerant machinati.

V. 8. QUAPROPTER, &c. avolat Sophonias ad Christum more prophetarum. EXPECTA ME : vindicem in extremo die iudicii. Vel, cum per Romanos Ierusalem evertam. RESURRECTIONIS MEAE : cum scilicet mea virtute mortui excitabuntur ad vitam, & ego qui resurrexi, iudicaturus adveniam. Vel, cum post meam resurrectionem, per Romanos vos plectam. IN FUTURUM : quæ longo post tempore futura est. QUIA IUDICIUM MEUM : scilicet constituam, & exercebo. UT CONGREGEM GENTES, &c. scilicet, in valle Iosaphat. Vel, Iudæos intelligit ex variis gentibus, & regnis congregandos in Iudæam, & Ierusalem ante urbis huius excidium. IN IGNE ENIM ZELI MEI, &c. Hæc supra explicavimus cap. 1. 18.

V. 9. QUIA : redundat more Hebræorum. TUNC REDDAM POPULIS LABIUM ELECTUM. *Labium mundum*, ut vertit Symmachus, ut scilicet labia non invocent falsos deos, sed verum Deum. Hoc autem fiet tempore Christi. HUMERO UNO: uno corde, una mente : est metaphora

phora sumpta ab iis, qui simul humeros ponderi supponunt. Excutient iugum dæmonis, & iugum meum suave subibunt.

V. 10. ULTRA FLUMINA AETHIOPIAE, &c. De remotissimis quibusque, nationibus venient ad Ecclesiam, & offerent mihi munera in signum obedientiæ. SUPPLICES MEI: mihi supplicantes, & me, ut Deum colentes. FILII DISPERSORUM MEORUM, &c. Filii Ecclesiæ variis regionibus dispersi. Alludit ad Iudæos variis locis dispersos, quos per Cyrum Deus reduxit in Ierusalem, ubi hostias Deo obtulerunt in gratiarum actionem pro reditu. Vel, *filii dispersorum*, sunt filii spirituales Apostolorum, & virorum Apostolicorum, late per regiones, quas prædicatione veræ religionis excoluerunt, dispersorum.

V. 11. IN DIE ILLA NON CONFUNDERIS, &c. Loquitur conversis ex Iudaismo; id est, non confundemini propter peccata ante admissa, nam & per baptismum tollentur, & postea ad eadem patranda non revertemini. ADINVENTIONIBUS: consiliis, sive operibus. MAGNILOQUOS SUPERBIAE TUAE. Superbos, & elatos, magistros tuos, quibus tibi placebas, & superbiebas, Scribas scilicet, & Pharisæos; habebisque illum magistrum, qui de se dixit: *Discedite a me quia mitis sum, & humilis corde*. Pagninus vertit, *Qui exultant in superbia tui*; id est, qui exultant, & gestiunt ob tuam dignitatem, excellentiam, & magnificentiam. EX ALTARI IN MONTE SANCTO MEO: non amplius de templo Salomonis gloriaberis. Solebant Iudæi valde sibi placere ob templum, ideo apud Ierem. VII. 4. reprehenduntur, qui dicebant: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*.

V. 12. ET DERELINQUAM IN MEDIO TUI, &c. id est, pro Scribis, & Pharisæis dabo tibi Apostolos pauperes, humiles, & eorum discipulos piscatores, & illiteratos, quos tamen divinitus docebo. RELIQUIAE ISRAEL: primi fideles, & Christiani ex Israele ad Christum conversi, & præsertim Apostoli, & perfectioris vitæ sectatores. QUONIAM IPSI PASCENTUR, &c. Tanta sanctitate præditi erunt, quia Deus erit eorum pastor, & ipsi, ut oves, se ab eo duci sinent. Pascentur autem verbo Dei, & Eucharistia. ACCUBABUNT, &c. quiete agent, nec erit qui eorum quietem, qua fruentur in Ecclesia, perturbet.

V. 14. FILIA SION: ita vocat primitivam Ecclesiam, quam Christus e Iudæis collegit in Sion. IUBILA ISRAEL: repetitio. Clama, & exulta, Deum laudans præ lætitia. FILIA IERUSALEM: idem significat quod filia Sion.

V. 15. ABSTULIT DOMINUS IUDICIUM TUUM, id est peccata, quibus damnationem merueras. INIMICOS TUOS: demones, & vitia. REX ISRAEL: Christus Dominus. IN MEDIO TUI, protegens te, iuxta promissum Matthæi ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. NON TIMEBIS MALUM ULTRA: facile omnia pericula contemnes, Dei auxilio freta.

V. 16. DICETUR IERUSALEM: ab Apostolis, & Evangelii prædicatoribus. NON DISSOLVANTUR MANUS TUAE: ne deficias timore, etiam si tyranni persequentur te.

V. 17. DOMINUS DEUS TUUS: Christus Dominus. FORTIS: cui nulla potestas resistere valet. SALVABIT: a persecutoribus, & hostibus liberabit. GAUDEBIT SUPER TE IN LAETITIA: videns quam generose certes. SILEBIT IN DILECTIONE SUA: quiescet in dilectione sua, qua scilicet te prosequitur, & stabilis erit, & perseverans in ea. EXULTABIT SUPER TE IN LAUDE: laudabit Christus Patrem, & gratias aget ei, cum viderit fortitudinem, & præclara opera tua.

V. 18. NUGAS QUI A LEGE RECESSERANT: peccatores, qui nugis fuerant sectati, & idola inania, & illius similes facti fuerant, nugaces nimirum, & nihili. CONGREGABO: ad Ecclesiam. QUIA EX TE ERANT, id est ex numero electorum. UT NON ULTRA HABEAS SUPER EIS OPPROBRIUM, id est ne tibi amplius exprobrentur mali eorum mores.

V. 19. INTERFICIAM OMNES QUI AFFLIXERUNT TE: persecutores tuos, o Ecclesia Dei. Iudæos per Titum, & Romanos. Alios etiam multos, qui propterea male perierunt, quod Ecclesiam essent persequuti, ut Iulianus Apostata, &c. SALVABO CLAUDICANTEM: vires addam, in fide infirmis, & claudicantibus virtute sacramentorum, ut prædicationis verbi Dei. EAM QUAE EIECTA FUERAT, CONGREGABO: Ecclesiam, hoc est, fidelium cœtum, quem Iudæi, & tyranni aversabantur,

tur, & eiiciebant, nec secum esse, aut versari patiebantur. PONAM EOS IN LAUDEM, &c. faciam eos inclytos, & illustres. IN OMNI TERRA CONFUSIONIS EORUM: in omnibus illis locis, in quibus depressi prius fuerant, & afflicti. Accidit hoc Ecclesiæ Christi tempore Constantini, & deinceps.

V. 20. IN TEMPORE ILLO, &c. Repete, *interficiam omnes, qui afflixerunt te, & salvabo claudicantem*, &c. DABO VOS IN NOMEN: idem est, quod praecedenti versiculo dixit: *Ponam in laudem*, &c. CUM CONVERTERO CAPTIVITATEM VESTRAM, &c. cum vos a captivitate dæmonis, & peccati liberavero. CORAM OCULIS VESTRIS: vobis videntibus, & gaudentibus ad tam felicem mutationem.

TIRINI.

Vers. 1. VAE tibi, o Ierosolyma, CIVITAS PROVOCATRIX iræ seu bilis divinæ, toties a iugo hostium REDEMPTA sub Moyse, sub tot iudicibus ac regibus; COLUMBA stolida, seducta, sine corde, sine prudentia, ultro ruens in laqueum, in necem. Idem exprobrabat Oseas Samariæ VII. 11. *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor*. Syrus & Arabicus Antiochenus pro *columba* retinent Hebræum *Iona*, voluntque hic agi de *Ninive*, quæ usque hodie ab Orientalibus vocatur *civitas Ionæ*, id est columbæ, partim a Propheta Iona, partim a Semiramide prima Assyriorum regina, quam (ut fingebant,) conversam in columbam, colebant sub specie columbæ tam Assyrii, quam Chaldæi, ut alibi *a* dixi. Sed Patres, & Interpretes omnes censent hic agi non de Ninive, sed de Ierosolyma.

V. 2. NON AUDIVIT VOCEM Dei, per Prophetas eam a laqueis aucupis, ab insidiis accipitris ad manum suam vel ad proprium columbarium revocantis: ita Chaldæus, Hugo & Vatablus.

V. 3. PRINCIPES instar *leonum* obruunt, expilant, devorant populum. IUDICES quasi LUPI *b vespertini*, diurna inedia & fame rabidi, iniquis iudiciis suis exhauriunt bona pauperum, tanta aviditate, ut nihil reliquum faciant.

V. 4. PROPHETAE EIUS VESANI, insani; Aquila, *enthusiasmo* seu furore fanatico *perciti*; Pagninus, *contemptibiles*; Vatablus, *homines nihili*. LXX. *spiritu acti*, non divino, sed diabolico. Nempe vilissimi & ignorantissimi tenebriones, fingebant se furere & agi spiritu prophetico, cum agerentur *spiritu immundo*, ut vertit Arabicus; & *lascivo* atque *impudico*, ut Syrus. Mox in sacerdotes quoque invehitur, accusans illos contemptus & profanationis sacrorum, & perfidiæ ac transgressionis legum. Ita verum erat etiam sub Sophonia, quod olim Isaias 1. 6. eidem populo exprobrarat, *A planta pedis usque ad verticem* capitis *non est in eo sanitas*.

V. 5. *&* 6. DOMINUS, qui IN MEDIO EIUS, in templo & throno suo residet, IUSTUS per omnia iudex, NON FACIET INIQUITATEM, colludendo cum iniquis, & tanta scelera, quæ se spectante fiunt, perpetuo dissimulando: sed aeriter illa castigabit, & cito, MANE IUDICIUM, id est iustum supplicium suum, proferendo IN LUCEM: neque clam id faciet vel in obscuro angulo, sed palam & clara luce, toto orbe spectante, uti ex nunc fecit in excidio decem tribuum, item in excidio Ninives & monarchiæ Assyriacæ, 13. anno Iosiæ regis Iuda, utique & vicinarum aliarum gentium Assyrio tyranno adhærentium: quarum ANGULI, id est arces & munitiones, quæ in angulis & limitibus regionum excitari solent, iam de facto DISSIPATI SUNT. Et tamen INIQUUS iste Iudæorum populus, etsi sciat pares, immo graviores, pœnas sceleribus suis debitas ac paratas, *nescit* CONFUSIONEM, negligit resipiscere, contemnit pœnitere. Ex hoc loco, ubi insinuatur, iam tum prophetante Sophonia excisam fuisse Niniven, confirmari videtur quod alias *c* docui, excisam fuisse Niniven a Chaldæis, non post excisam Ierosolymam, ut quidam contendunt; sed diu ante, nimirum tempore Iosiæ regis Iuda, ut iam dixi: nam sub hoc solo rege prophetavit Sophonias *d*.

V. 7. DIXI, redixi, toties per Prophetas monui populum meum Israel, ut relictis idolis *timeret*, id est coleret, ME, meæque disciplinæ ac legibus adhæresceret: tuum NON *periturum* HABITACULUM EIUS, neque excisum iri Ierosolymam & reliquam Iudæam; addicens me fore contentum datis iam mihi pœnis, QUIBUS EAM VISITAVI, id est punivi per Sennache-

cherib e Assyrium, & Ben-Merodach *f* Chaldæum tyrannum. Sed stolidi Iudæi, spretis monitis & minis, DILUCULO, id est festinato, solicite, ante & super omnia hinc uni rei intenderunt perpetuo, ut pravos mores & studia sua magis magisque *corrumperent* in dies.

V. 8. QUAPROPTER, o Sophonia, non est quod *exspectes* morum populi huius commutationem in melius, nisi exiguam admodum paucorum post datas acres pœnas & post totius Iudææ excidium per Chaldæos & alias ipsis sociandas gentes: IUDICIUM enim MEUM est firmum ac fixum, UT ad evertendos Iudæos CONGREGEM varias ex Aquilone GENTES ET REGNA, duce Nabuchodonosore, a quibus DEVORABITUR OMNIS TERRA Iudææ. Atque utinam vel sic resipiscant contumaces & rebelles! Sed, ut dixi, paucorum hoc erit. Nam ut universus populus ad me recurrat, mihique ut legitimo domino subdatur ex toto, tum demum EXSPECTA cum ego ipse vestra indutus carne, IN FUTURUM, nempe post sex sæcula, adcurram ad vos, & actus ab ingratis ac perfidis in crucem, tertio post mortem die redivivus, merito passionis meæ cor novum & animum novum impetrabo non Iudæis modo, sed & omnibus gentibus. Hic enim de Christi temporibus agi constans est sanctorum Patrum, & etiam Hebræorum sententia.

V. 9. TUNC, id est a *die resurrectionis meæ in futurum*, tollam omne genus idololatriæ, tollam diversa illa diversarum nationum studia, dissensionem cultuum, rituum, religionum, animorum: & REDDAM omnibus POPULIS, LABIUM unum, labium ELECTUM; Symmachus, *labium purum*, quo OMNES INVOCENT, colant & laudent unum eumdemque Deum cæli & terræ, idque HUMERO UNO, id est unanimi consensu, consonantia & conspiratione. Cœpit hoc post Christi resurrectionem in Pentecoste, & continuat augeturque quotidie, sed plene perficietur sub finem mundi, in generali omnium Iudæorum ad Christum conversione, ac demum post resurrectionem universalem, in futura vita, ubi omnium gentium erit unus animus, unum labium, una lingua qua Deum laudabunt & benedicent in æternum. Hanc linguam dicit Arias, Galatinus *g* & a Castro, futuram in cælo eamdem quæ in paradiso fuit, nempe Hebræam, primigeniam universi, & passim *sanctam* vocari solitam.

V. 10. ULTRA FLUMINA AETHIOPIAE: non illius Africanæ quæ AEgypto adiacet, & Abyssia vocatur, & nunc recens cum Imperatore suo Preto-Ioanne, ope Patrum Societatis Iesu reconciliata est Ecclesiæ Romanæ: sed alterius Arabicæ, in qua degebant Madianitæ, passim in Scriptura *h* *AEthiopes* vocitati. Huius flumina sunt *Gihon*, *Traianus*, lacus *Sirbonides*, sinus *Arabicus*, fossa *dioryges*, inquit a Castro. Et ultra hæc flumina a Chaldæis in exilium deportati fuerunt Iudæi, & ab Assyriis Israelitæ, atque ibi per totum Orientem dispersi degebant: quos Sophonias hic dicit SUPPLICES advolaturos ad templum Ierosolymitanum: & una cum his gentes omnes trans eadem flumina sitas, usque ad Indos Orientales (de quibus hæc exponunt Chaldæus, Arias, Vatabl. a Castro;) & Occidentales (de quibus S. Hier. Remigius, Albert. Hugo, Sa, Ribera:) immo usque ad extremos fines terræ, ut Hugo, Clarius, Mariana, a Lapide & alii volunt. Et favet S. Ioan. *i* cum alludens ad hunc locum Sophoniæ dicit, *moriturum* Christum *non tantum pro gente* Iudaica, *sed ut* quoslibet *filios Dei*, etiam ex aliis quibusvis gentibus, *qui erant* per universum orbem *dispersi*, *congregaret in unum*.

V. 11. IN DIE ILLA, o Sion iam Christiana, NON CONFUNDERIS amplius, seu coram me, seu coram hominibus, ob priora tua scelera, idololatriam, rapinas, pauperum *k* expilationes, &c. ab omnibus enim mundaberis per sanguinem Messiæ tui, inquit S. Hier. Theodor. Remigius, Hugo & Lyran. Quin & AUFERAM DE MEDIO TUI MAGNILOQUOS SUPERBIAE TUAE, id est fastuosos quibus nunc subiaces, principes tam politicos, quam Ecclesiasticos, Scribas & Pharisæos, qui nil aliud crepant: curant vel agunt, quam fovere, stabilire, augere, externum splendorem, superbiam ac magnificentiam ædificiorum tuorum. Sed neque sinam diutius gloriari & EXALTARI te IN materiali MONTE SANCTO MEO; per superbum illud templum *l* quod in eo constructum habes; nam illud funditus excindam primo per Chaldæos, deinde per Romanos. Sed excitabo in te

& ex te templum longe nobilius & splendidius, spirituale, puta Ecclesiam meam, sanctam fidelium congregationem, cuius hoc Salomonicum templum non nisi typus est & figura. Ac pro superbis & fastuosis Scribis, Pharisæis ac principibus tuis, efficiam ut consles *populo paupere & egeno m*, si spectes terrenas opes, sed divitem gratiis, potente miraculis *n*, splendente virtutibus. Tales erant Apostoli & primi discipuli Christi, inquit S. Hier. & alii iam citati. Unde ad se suamque familiam alendam vel augendam

V. 13. NO, ut vos hactenus *o*, FACIENT alter alteri INIQUITATEM, calumniam, vim, dolum, sed paucis omnes contenti, PASCENTUR in commune *p*: & bene pasti tum corporaliter, tum spiritualiter, sub fida pastorum suorum cura ac tutela læti hilaresque ACCUBABUNT in pinguibus Ecclesiæ pascuis, primum in hac vita ad modicum tempus, deinde plene satiandi in altera, in perpetuas æternitates.

V. 14. IUBILA ISRAEL iam Christiane, tot beneficiis aucte & decorate a Deo: nam

V. 15. ABSTULIT primo, IUDICIUM TUUM, quo reus agebaris tot tantorumque scelerum, & propterea damnationis æternæ. Nam renato per Christum condonabit omnem culpam ac pœnam. Secundo, AVERTIT a te INIMICOS TUOS iuratos, dæmones, infernum, mortem, iugum Mosaicæ legis, ut non ipsa amplius dominentur tibi, sed tu domineris illis, & solus Dominus dominetur tibi. Tertio,

V. 7. SILEBIT; Chaldæus, *absconder delicta tua*; quasi dicat: Non exprobrabit tibi scelera tua præterita, non etiam ob præsentes infirmitates, aut leviores lapsus, ultor statim exsurget; sed silentio involvet, donec ipse resipiscas & pœnitentia deleas admissa: unde LXX. vertunt, *innovabit te*: idque IN DILECTIONE SUA; id est, propter ingentem amorem quo te prosequitur. Quarto

V. 18. NUGAS; Hebraice, *nuge*, id est, homines nugaces, abiectos, viles, nullius pretii (sic enim etiam Cicero & Plinius & Plautus *q* hoc verbum usurpant) puta *Iudæos*, QUI ob nugas, id est nugacia bona terræ, & nugaces suas traditiones, A LEGE Dei, quæ Christum ipsis digito demonstrat, iam ab olim RECESSERUNT, etsi deferentes & contemnentes me possem iuste tamquam quisquilias & *nugas* contemnere ac deserere; QUIA tamen EX TE ERANT, o chara mihi primorum fidelium Synagoga, CONGREGABO illos ad me & ad te, nunc quidem inchoate per Apostolos *r* & Apostolicos viros: complete autem sub finem mundi, quando *omnis Israel salvus fiet*: ita S. Hieronymus & alii supra citati. Quinto,

V. 19. INTERFICIAM OMNES QUI AFFLIXERUNT TE, tyrannos, hæreticos, schismaticos; & in die iudicii, omnes etiam impios & hostes tuos, æterna morte & infernali supplicio mulctabo. Interea sexto, SALVABO CLAUDICANTEM ex te, & horrore tormentorum vel tyrannorum nutantem firmabo ac stabiliam gratia & ope mea cælesti. Septimo, collectionem fidelium QUAE vel iussu tyrannorum EIECTA FUERAT e domo & urbe paterna, vel metu eorumdem ultro secesserat in exilium, CONGREGABO, & postliminio suæ patriæ restituam, ut ibi sint in honore & laude, ubi prius affecti fuerant *confusione* & ignominia. Factum id per Constantinum Magnum & alios subsecutos Imperatores ac principes Christianos, inquit Theodoretus, Remigius & Vatablus.

V. 20. IN TEMPORE ILLO, supple, faciam hæc iam dicta, QUO ADDUCAM vos ad optatam libertatem & pacem etiam temporalem. Nam statui prorsus, vos non solum e *captivitate* diaboli, mortis & inferni; sed etiam e *captivitate* & servitute qua saltem initio christianismi sub Gentilibus magistratibus quasi captivi delitescetis, educere, & plena libertate donatos etiam supra hostium vestrorum, puta Gentilium, qui antea vobis dominabuntur, capita gloriosos evehere, ut ipsis iam vos dominemini, & templa, palatia, sceptra illorum paulatim toto orbe occupetis, & ita me & Christum meum gloriose, splendide, magnifice colatis, inquit Vatablus & Lyranus.

(a) Psal. lxvii. 29.
(b) Habacuc I 8.
(c) In Procemio Nahum & aliis locis ibi citatis.
(d) Sophoniæ I. I.
(e) IV. Reg. xviii. 13.
(f) II. Par. xxxiii. II. Chron. c. xxxiv. & initio Iudith.
(g) Galat. Lib. XII. de Arcanis Fidei cap. III.
(h) Exodi II. 21. & Num. xvi. 2. Ps. lxxiii. 14.
(i) Ioan. XI. 51.
(k) Hic vers. 3. (l) Ierem. vII. 4.
(m) Actor. II. 45. (n) Ibid. vers. 43.
(o) Hic vers. 3. (p) Actor. II. 44.
(q) Cicero Lib. VI. ad Atticum epist. xxxI. & Lib. I. ad Quint. fratrem ep. xxxvIII. Plin. Lib. X. c. xIx. Plau. & alii apud Athenæum Lib. VI.
(r) Actor. II. 41.

GOR-

GORDONI.

Verf. 1. VAE PROVOCATRIX, &c. Consequenter ad priora pergit Propheta commemorare mala ob quæ Iudæi merentur puniri: initio compellat Ierusalem, quæ est provocatrix iræ Dei. Sæpe quidem redempta & liberata a Deo, sed excors tamen instar columbæ, & fine intellectu: vide Osee vrt. 11. Heb. יונה *Iona*, recte in Vulgato *columba*. Hieron. sequitur verf. 2. commemoratio malorum & ingratitudinis, & verf. 5. iudicium a Deo.

V. 6. DISPERDIDI GENTES, &c. Tacita apostrophe est ad populum Iudaicum; quasi dicat: Disperdidi gentes multas propter similia peccata, debuisset Iudæa hoc exemplo sapuisse. Additur verf. 7. Deum sæpe expectasse ad pœnitentiam, & tamen magna inconstantia rediit populus ad vomitum, corrumpens cogitationes si quas bonas habuit.

V. 8. QUAPROPTER EXPECTA ME, &c, Reliquum capitis ad Christum Christique tempora referendum est; eo ergo transit Propheta, coronidem ponens in mentione & prophetia de Christo; & certe quæ hic de resurrectione, de collectione tot gentium, de labio electo, & puro invocantium Dominum, & de futuro iudicio iam sunt illustria ut alio commode referri non possint: tunc, inquit, (verf. 13.) RELIQUIAE ISRAEL NON FACIENT INIQUITATEM: habebit enim Ecclesia, qui abstinebunt ab iniquitate, hoc est a mortali peccato, immo a veniali deliberato. Sic ergo Propheta transit a vetere Sione ad novam & Christianam. Quamvis una semper fuerit & sit Ecclesia, utpote constans una fide, una caritate & doctrina revelata. HUMERO UNO verf. 9. eadem mente & consensu uno: en unitatem Ecclesiæ: metaphora est a bobus sub iugo, aut a baiulis.

V. 16. NOLI TIMERE, &c. Fiducia Ecclesiæ & securitas ex promissione: adde verf. 19. contra hæreses.



PRO-

PROPHETIA AGGAEI.



CAPUT PRIMUM.

Quo tempore prophetaverit Aggæus: qui increpat Iudæos, quod neglecta domo Dei propria ædificia curarent: ob quam causam dicit illis immissam a Deo sterilitatem: eoque tempore dux Zorobabel & Iesus sacerdos magnus una cum populo excitati, incipiunt ædificare domum Dei.

1. IN anno secundo Darii regis, in mense sexto (*a*), in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum, filium Iosedec, sacerdotem magnum, dicens: 2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. 3. Et factum est verbum
Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens: 4. Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? 5. Et nunc
hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. 6.
(*b*) Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis: & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: 8. ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. 9. Respexistis ad amplius, &
ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam. 10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum: 11.
& vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum. 12. Et audivit Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedec sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi, * vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus a facie
Domini. 13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus. 14. suscitavit Dominus spiritum Zorobabel filii Salathiel, ducis Iuda, spiritum Iesu filii Iosedec sacer-

sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

(a) Esdr. VI. 1. (b) Deut. XXVIII. 38. Mich. VI. 15.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 12. *Vocem Domini Dei sui*. Non omittas *Domini*.

COMMENTARIA

S A.

AGGAEUS prophetavit ad Iudaeos, qui ex captivitate redierant.

V. 1. DARII, filii Hystaspis. Alii Longimanum putant, qui fuit postea: alii aliter. Vide I. Esdr. V. Fuerunt ab hoc tempore ad Christi nativitatem anni circiter 500. SEXTO, scilicet Iulio, vel Augusto. UNA, id est prima. MANU, id est opera. ZOROBABEL: non est iste de quo I. Paral. III. ille enim filius Phadaiae fratris Salathiel.

V. 2. ISTE, scilicet qui redierat e captivitate. NONDUM, scilicet videbant impeditum fuisse opus diu, quasi Deus nollet adhuc aedificari.

V. 4. LAQUAETIS; quasi dicat, Ornate fabricatis. Chald. *tectis cedrinis tabulis*. ISTA, scilicet coeperat aedificari templum. DESERTA. Chald. *destructa*, scilicet fuerat opus interruptum, impedientibus hostibus vicinis.

V. 5. PONITE CORDA, &c. quasi dicat: Cogitate sedulo quanta mala sitis passi ob istam socordiam. VIAS, id est opera, & labores.

V. 6. INTULISTIS, scilicet in horrea. INEBRIATI, id est satiati. MERCEDES, scilicet operarum, seu negotiationum. MISIT, id est perdidit, ac si misisset, &c.

V. 8. MONTEM, scilicet Libanum. Chald. *montes*. PORTATE. Chald. *afferte*. LXX. *incidite*. DOMUM, id est templum. GLORIFICABOR, id est cedet in gloriam meam, vel quasi dicat, Exaudiam vos, & benefaciam vobis.

V. 9. RESPEXISTIS, &c. quasi dicat: Sperastis multum fructus ex agris, sed contra accidit. EXUFFLAVI, id est feci evanescere, seu redegi in nihilum; scilicet ut solet segetes ventus urens. FESTINATIS, &c. quasi dicat: Quisque suam domum diligenter aedificat, vel providet domui suae.

V. 10. ROREM. Chald. *pluviam*.

V. 11. SICCITATEM. Chald. *sterilitatem*, seu *penuriam*.

V. 13. NUNTIUS; quasi dicat, Legatus, scilicet Propheta. DE NUNTIIS; quasi dicat, Unus de numero Prophetarum.

V. 14. SUSCITAVIT, id est excitavit. SPIRITUM, id est mentem, scilicet ut intenderet operi.

E S T I I.

Vers. 5. *& 6.* PONITE CORDA VESTRA SUPER VIAS VESTRAS. SEMINASTIS MULTUM, ET INTULISTIS PARUM, COMEDISTIS, ET NON ESTIS SATIATI. Monet propheta populum, ut consideratione privatorum saltem malorum, agnoscant iratum sibi Dominum, propter neglectam reaedificationem templi. Sensus ergo est: Advertite animum ad statum & successum rerum vestrarum, & ex sterilitate quam patimini, certe colligite iratum vobis Dominum. Cum autem etiam subiungit: BIBISTIS, ET NON ESTIS INEBRIATI, non idcirco putandum est ebrietatem computari inter divina beneficia: nam secundum Apostolum ebrietas inter ea vitia collocatur, quae excludent a regno Dei, sed vel ebrietatis nomine satietatem potius intelligit, sed moderatam; sicut praecedit: *comedistis & non estis satiati*, vel negat populo tantam fuisse abundantiam vini, unde possent inebriari; quasi dicat: *Et non estis*

estis inebriati, id est & non potuistis inebriari.

MARIANAE.

AGGAEUS natus est in Babylone. Iuvenis venit Ierusalem, ut intermissam templi fabricam absolvi curarent. Ex qua tribu fuerit, clam est. Suspicor ex Levitica, quoniam ad sacerdotum sepulcra tumulatum, Isidorus, Epiphanius, & Dorotheus aiunt.

Vers. I. IN ANNO SECUNDO DARII REGIS. Hic fuit filius Hystaspis, ut Iosephus & Hieronymus aiunt, Secundus eo nomine. Hebræi aiunt fuisse filium Esther. Et fortasse Assuerus eius vir Hystaspes etiam vocabatur. Huius anno secundo completi sunt septuaginta captivitatis seu desolationis anni: Zachar. I. 12. & anno sexto eius fabrica templi absoluta est: Esdræ I. cap. VI. 15. IN MENSE SEXTO. Is est *Elul* Augusto respondens. IN DIE UNA, hoc est, prima. AD ZOROBABEL FILIUM SALATHIEL, factum est verbum. Hebræi *nepotem* dicunt, quod sequitur Vatabl. *filium Phadaiæ:* I. Paral. III. 19. Verum *Phadaia* non fuit filius, sed frater Salathielis, ut ex eo loco constat. Sic aut duo fuere Zorobabeles patrueles, aut hic *Zorobabel* natura fuit filius Phadaiæ, adoptione Salathielis, aut e contrario. Quin Galatinus, contra Iudæos, cap. XII. non eumdem putat Zorobabel in Matth. & in Luca, nescio an vere. ET AD IESUM, FILIUM IOSEDEC. *Iosedec* occiso patre Saraia, summo Sacerdote, quando Ierusalem est capta, ivit cum aliis captivis Babylonem; eius filius fuit Iesus, seu Iosue, sacerdos summus.

V. 3. IN MANU AGGAEI, id est per Aggæum factum est verbum.

V. 4. IN DOMIBUS LAQUEATIS. Chald. *in tabulatis cedrinis*, id est laquearibus e cedro factis habitatis. ET DOMUS ISTA DESERTA? seu *destructa* est, scilicet templum.

V. 5. SUPER VIAS VESTRAS. Studia, negotia, opera vestra considerate, ut ex iis Deum iratum esse intelligatis.

V. 6. ET INTULISTIS PARUM, scilicet in horrea. ET NON ESTIS INEBRIATI, id est satiati potu. Qui inebriantur, satiantur vino; ideo *ebrietas* ponitur pro satietate. OPERUISTIS VOS. Hebr. *induere* (pro, induistis vos) *& non ad calorem*, id est veste non estis calefacti. ET QUI MERCEDES CONGREGAVIT, id est pecuniam labore & industria quæsivit, eam continuo amittit, perinde ac si in marsupium perforatum misisset. Nihil procedit eorum quæ tentatis.

V. 8. ASCENDITE IN MONTEM, ut tigna ad fabricam cædatis. ET ACCEPTABILIS MIHI ERIT, scilicet domus. Hebr. *& complacebo mihi in ea*. ET GLORIFICABOR, scilicet in ea.

V. 9. RESPEXISTIS AD AMPLIUS. Hebr. *ad multum*, id est cum uberes fructus ex agris speraretis, parum intulistis. Atque id parum; flaccidum & inane; hoc est quod ait, EXUFFLAVI ILLUD. Feci ut spicæ & grana essent inania.

V. 10. GERMEN SUUM, seu *fructum suum*, id est solitum est dare, prohibita terra.

V. 11. ET VOCAVI; pro, vocabo, id est faciam, inducam. Deum dicere, facere est. SICCITATEM, seu *vastitatem*. חרב *Horeb* utrumque significat, *siccitatem* & *vastitatem*. Vocabo ergo vastitatem super omnia, nisi obedieritis scilicet.

V. 12. SICUT MISIT EUM DOMINUS, id est prout misit eum Dominus; iuxta id ad quod miserat illum Prophetam Aggæum, in eo audierunt illum, fecerunt quod iussit.

V. 13. ET DIXIT AGGAEUS NUNTIUS. Hebr. *Angelus*: sic Propheta vocatur, quia missus a Deo, quia nuntiat quæ Deus iubet. DE NUNTIIS, id est de numero Prophetarum. Hebr. *in legatione Domini*, id est Dei verbis & nomine dixit populo: EGO VOBISCUM SUM, vobis favebo.

V. 14. ET INGRESSI SUNT, seu *venerunt*, cœperunt opus, ut iubebatur.

MENOCHII.

Vers. I. DARII REGIS: Darii Hystaspis regis Persarum. Vide Lib. I. Esdræ cap. V. MENSE SEXTO: scilicet, Iulio, vel Augusto. Nisan enim primus erat mensis, qui partim Martio respondebat, partim Aprili. IN UNA MENSIS, id est prima mensis; ponunt enim non infrequenter Hebræi numerum cardinalem, pro ordinali: sic dicunt, Una sabbato-

batorum, id est prima sabbatorum. IN MANU AGGAEI, id est per Aggæum, opera, & ministerio Aggæi. FILIUM SALATHIEL. At I. Paral. III. 19. dicitur fuisse filius Phadaiæ. Quomodo hic nodus solvendus sit, diximus ad eum locum, quem vide. DUCEM IUDA: supremum administratorem, Reipublicæ Iudaicæ, quæ hoc tempore reges non habebat. SACERDOTEM MAGNUM: summum Pontificem.

V. 2. NONDUM VENIT TEMPUS: revera iam tempus advenerat, sed ipsi metu, & socordida ædificationem differebant.

V. 3. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI. Priora verba versiculi superioris Zorobabeli, & Iesu filio Iosedec dicta sunt, ut intelligerent sermonem populi Deo non placere: quæ nunc sequuntur, universo populo dicuntur. NUMQUID TEMPUS VOBIS EST, &c. quasi dicat: Vobis suppetit tempus, & animus, nec desunt pecuniæ ad domos laqueatas, concameratas, & ornatas construendas; & desunt hæc omnia ad templum meum instaurandum, quod adhuc desertum est, & squalidum?

V. 5. PONITE CORDA VESTRA SUPER VIAS VESTRAS; id est, diligenter considerate opera vestra, & quid vobis acciderit.

V. 6. SEMINASTIS MULTUM, &c. quasi dicat, Nihil vobis successit propter vestram negligentiam in instaurando templo, quam plecto infausto eventu rerum, ad quas manus admovetis.

V. 7. INTULISTIS PARUM: parum frumenti collegistis, etiamsi multum seminaveritis. ET NON ESTIS SATIATI: præ inopia, quia paucos fructus congregastis in horrea. ET NON ESTIS INEBRIATI: non potuistis ad satietatem bibere, quia parum vini collegistis. ET NON ESTIS CALEFACTI: quia paucas, & pauperes vestes habuistis, cum haberetis paucas oves, & parum lanæ. ET QUI MERCEDES CONGREGAVIT, &c. quicumque sive ex negotiatione, sive ex labore suo mercedes, & lucra congregare studuit, perinde fecit, ac si pecuniæ in marsupium perforatum missæ essent.

V. 8. ASCENDITE IN MONTEM: ut inde ligna cædatis templo ædificando. ACCEPTABILIS MIHI ERIT, scilicet domus ædificata. In Hebræo est, *Et complacebo in ea*. ET GLORIFICABOR: ibi laudabor ab hominibus & ibi me magnum ostendam, & magnis vos beneficiis afficiam.

V. 9. RESPEXISTIS AD AMPLIUS: optastis, & sperastis vos multum tritici &c. collecturos, sed spes vos fefellit, nam parum collegistis. EXSUFFLAVI; evanescere feci, seu redegi in nihilum, ut solet segetes ventus urens. FESTINATIS UNUSQUISQUE, &c, quasi dicat, Quisque suam domum diligenter ædificat, vel providet domui suæ.

V. 10. PROHIBITI SUNT, scilicet, a me.

V. 11. SICCITATEM. Chald. *sterilitatem*, seu, penuriam. SUPER HOMINES, ET SUPER IUMENTA: ex siccitate enim, & aeris inflammatione multi morbi pestiferi, tam in hominibus, quam in iumenti enasci solent. ET SUPER OMNEM LABOREM: super omnes hortos, & arbores, quas manibus vestris rigabatis.

V. 12. OMNES RELIQUIAE POPULI: quæ ex illa magna multitudine, quæ Babylonem migraverat, reliquæ fuerant, & in Iudæam venerant. TIMUIT POPULUS: timuerunt Dominum, ne maiora mala immitteret.

V. 13. NUNTIUS DOMINI DE NUNTIIS DOMINI, id est unus ex numero prophetarum, qui a Deo mitti solent ad populum. EGO VOBISCUM SUM, DICIT DOMINUS. Hæc & similia sæpe repetit, quia populus pavidus erat, & animo deiecto; verbis autem Domini ad spem bonam plurimum erigebatur.

V. 14. SUSCITAVIT DOMINUS SPIRITUM: intus animum eius movit, & excitavit, alacritatem addens, ut operi manum admoverent. ET FACIEBANT OPUS: materiam parabant, nam structura non est cœpta ante diem vigesimam quartam noni mensis, ut habetur capite sequenti n. 6. & num. 19.

T I R I N I.

Vers. 2. ANNO SECUNDO DARII, non Medi, (ut putant Philo, Cyrillus, Tertulianus *a*, Genebrardus & Gerardus Mercator, quia hic iam pridem mortuus erat;) neque Artaxerxis Longimani (ut Iansenius *b*;) neque Darii Nothi (ut Sulpitius & Scaliger *c*) quia hi diu post Esdram & Aggæum vixerunt: sed Darii Hystaspis filii, qui a satrapis electus

electus per hinnitum equi, post Cambysen & Smerden Magum, rex fuit Persarum: ita Iosephus, Eusebius *c*, S. Hieronymus, Clemens Alexandrinus *d*, Theodoret. Albertus, & alii passim. Vide Chronicum nostrum *e*. MENSE SEXTO anni non vulgaris, (ut vult Lyranus & Vatablus,) qui inchoatur circa æquinoctium autumnale, sed anni sacri, qui inchoabatur ab æquinoctio verno: ita Iosephus *f*, Hieronymus & alii iam citati. Et patet ex simili locutione Zachariæ & Esdræ, qui socii fuerunt Aggæi. Zacharias enim cap. I. 7. & cap. VII. I. nonum mensem vocat *Casleu*, undecimum *Sabath*: qui numeri non subsistunt, nisi annum inchoes ab æquinoctio verno. Esdras quoque Lib. I. cap. VI 14. & 19. post duodecimum mensem *Adar* anni sacri, computat mox primum mensem *Nisan*, quo pascha comedebatur. De his etiam fuse legi in Chronico cap. IV. Sextus ergo hic mensis erat *Elul*, & respondebat nostro partim Augusto, partim Septembri, quando occasione malignæ messis & vindemiæ recens actæ, monuit Aggæus Iudæos, ob neglectam templi instaurationem illos puniri ab irato Deo. ZOROBABEL hic ex proavis Christi vocatur *filius* SALATIEL filii Ioachim, seu Iechoniæ regis Iuda, ad distinctionem alterius Zorobabelis filii Phadaiæ filii eiusdem Iechoniæ, & fratris Salathielis prædicti, ut constat ex I. Paralip. III. 17. & 19. & Chronico *g* nostro. Ubi etiam *h* vide de Iesu filio Iosedec summo tunc temporis pontifice Iudæorum. Porro hic Zorobabel idem est cum illo qui III. Esdræ IV. 42. inter tres principes primarios corporis regii custodes recensetur, qui obtenta a rege venia, Ierosolymam contendit sub initium secundi anni Darii, ut ex indulto eiusdem regis fabricam templi instauraret. Sed Iudæi memores præteritarum difficultatum, toti etiam rebus propriis promovendis intenti, ad curandam sacram fabricam induci non potuerunt, donec sterilitate puniti, metu graviorum pœnarum, & hortatu Prophetarum Aggæi & Zachariæ eo pertraherentur.

V. 5. PONITE CORDA VESTRA SUPER VIAS VESTRAS; id est, attenta mente perpendite fructum operum vestrorum, simulque causam inquirite, cur, ex quo neglexistis instaurationem templi, omnia vestra studia sint infelicia & infausta. Certe deprehendetis non aliam esse, quam neglectum sacræ fabricæ, inquit Vatablus, Lyranus, Arias & alii.

V. 6. COMEDISTIS collectas fruges, sed adeo parcas ac modicas, ut iis NON *sitis* EXSATIATI; nec INEBRIATI, id est repleti & exhilarati. Hæc & similia alia pœnarum genera peccantibus Iudæis infligenda prædixit iam olim Moyses in Levitico & Deuteronomio *l*. Unde cum nullum aliud adverteretur publicum in populo peccatum, facile erat notare ex inflictis cælitus pœnis, neglectu sacræ fabricæ offensum esse Deum.

V. 8. ASCENDITE IN MONTEM Libanum, inde LIGNA cedrina & trabes excindite, & Ierosolymam *deportate*, ET DOMUM Domini iam sub Cyro fundatam *m*, pergite *ædificare* & perficere: ERIT illa MIHI ACCEPTABILIS & grata, & proinde orantes in ea, vel versus eam, ut olim *n*, promisi, exaudiam: ET sic GLORIFICABOR, dum in ea magnifice colar, & ex ea gloriose vobis succurram ac benefaciam.

V. 13. DIXIT AGGAEUS NUNTIUS, id est legatus seu Propheta, DOMINI DE NUNTIIS DOMINI, id est unus e numero probatorum & selectorum nuntiorum, seu Prophetarum Dei: cui proinde Zorobabel & populus universus merito fidem habuit. Hebræum *malach*, & Græcum ἄγγελος significat non eum solum qui natura angelus est, sed etiam qui officio, id est, nuntium seu legatum in genere, ut etiam Chaldæus vertit. Unde immerito hinc collegit Origenes, Aggæum, ut & Malachiam *o*, & Ioan. Baptistam *p* quia *angeli* vocantur in Scriptura, veros & naturales angelos fuisse humana carne indutos, ut dixi in proœmio.

(a) Philo Annii, apud Genebrard. in Chronico, & Mercatorem. Cyrill. Ierosol. catechesi XII. Tertull. Lib. Cont. Iudæos tit. de Passione Christi.
(b) Iansenius Concordiæ Evang. cap. XIX. Sulpic. Lib. II. Histor. Scaliger. in Emend. tempor.
(c) Ioseph. Lib. XI. Antiq. cap. IV. Euseb. in Chron.
(d) Clem. Lib. I. Stromat.
(e) Chron. cap. XXXVII.
(f) Ioseph. Lib. I. Antiq. cap. IV.
(g) Chron. VIII. 46. tabula ult.
(h) Chron. XLII. initio classis II.
(i) III. Esdr. V. 9. (k) Ibid. XLVII.
(l) Levit. XXVI. Deuter. XXVIII.
(m) I. Esdr. V. 16. & VI. 3.
(n) Deut. XII. II. & III. Reg. VIII. 29.
(o) Malach. I. I.
(p) Malach. III. I.

COR-

G O R D O N I.

Vers. 1. IN ANNO SECUNDO DARII, &c. Aggæus prophetavit post Cyrum & Cambysem: I. Esdræ IV. 5. templi ædificandi potestatem concessit Cyrus: eandem inhibuit Cambyses: mortuo autem Cambyse Aggæus venit Ierosolymam, ut urgeret cœptum opus. Fuit vero rex sub quo venit Aggæus, Darius Hystaspis, ut in opere Chronol. ostendi: qq. cap. XIV. num. 21. & ad annos expansos 3484. & insequentes. Darii VI. anno absolutum templum est, & nono completum ibid. ac proinde 46. annis ædificatum, Ioan. cap. II cetera quæ hic sequuntur sunt clara.

V. 6. SEMINASTIS MULTUM, &c. Agit ex oraculo, HAEC DICIT DOMINUS: multa seminastis, nihil vobis successit, vestra curastis, & domum Dei negligitis: quin potius famem & alia estis experti; ergo aggredimini opus Dei (vers. 8.) & aderit Dominus: sic ergo (vers. 12.) persuasum est Zorobabeli principi populi & Iesu summo sacerdoti.



C A P U T II.

Etsi templum reædificatum nihil videatur priori collatum; postea tamen veniente Messia, replebitur gloria maiori, quam fuerit prioris templi: & sicut Iudæi ob neglectam templi reædificationem facti fuerant immundi coram Deo, ipsorumque sacrificia & sterilitas adducta; ita post inceptam reædificationem omnia ipsis facta sunt prospera.

IN † in die vigesima & quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darii regis. 2. In septimo mense, vigesima & prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: 3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens: 4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? 5. Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Iesu fili Iosedec sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum) 6. verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de Terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere. 7. Quia hæc dicit Dominus exercituum: (*a*) Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam. 8. Et movebo omnes Gentes: ET VENIET DESIDERATUS cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. 9. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. 10. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. 11. In vigesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Aggæum Prophetam, dicens: 12. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes

V 2 le-

legem, dicens: 13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes, dixerunt: Non. 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur. 15. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt. 16. Et nunc ponite corda vestra a die hac & supra, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. 17. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. 18. (*b*) Percussi vos vento urente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis, qui reverteretur ad me, dicit Dominus. 19. Ponite corda vestra ex die ista & in futurum, a die vigesima & quarta noni mensis: a die, qua fundamenta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum. 20. Numquid iam semen in germine est: & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit? ex die ista benedicam. 21. Et factum est verbum Domini secundo ad Aggæum in vigesima & quarta mensis, dicens: 22. Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego movebo cælum pariter & terram. 23. Et subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni Gentium: & subvertam quadrigam, & ascensorem eius: & descendent equi, & ascensores eorum: vir in gladio fratris sui. 24. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te (*c*) Zorobabel fili Salathiel serve meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

(a) Hebr. xii. 26. (b) Amos iv. 9. (c) Eccli. xlix. 13.

B R U G E N S I S

Lectionum Varietas.

Vers. 1. *In die vigesima & quarta mensis, in secundo mense, in anno secundo Darii Regis.* Hæc verba plerique libri faciunt initium capitis secundi: sed antiqua manuscripta quæ vidimus nos aliique, quæ non habent eam capitum distinctionem, quam nos, sic scribunt, ut liceat ea facere, vel finem primi, vel principium secundi capitis: immo indicant esse potius finem periodi, quam principium, quando verba sequentia, *in septimo mense*, incipiunt a littera capitali: revera enim pertinent ad finem capitis præcedentis. *Simile occurrit Ier.* xxxxvii, ait vir doctissimus Franciscus Ribera, quod verum est.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. IN DIE, &c. hic versus conjungitur cum præcedenti cap. apud Hieron. & quosdam alios, scilicet hac die cœptum opus, id est parari materia; nam ædificium cœptum 24. mensis noni, ut dicitur infra. SEXTO, scilicet Augusto: quidam Februarium putant, quia annus vulgaris incipiebat a Septem-

ptembri, sacer autem a Martio. Vide Exod. xii.

V. 4. Derelictus, scilicet ex iis qui viderunt primum templum. Gloria, id est splendore. Chald. *decore*. Quid; pro, qualem. LXX. *quomodo*. Non sit. Chald. *res nihili*.

V. 5. Terrae, scilicet huius. Facite, scilicet opus templi quod cœpistis.

V. 6. Verbum, id est fœdus, scilicet firmum erit, seu servabo. Spiritus, scilicet tertia persona in Deitate, adeoque tota Trinitas; nec enim separantur actione. Erit, scilicet per effectum gratiæ & protectionis.

V. 7. Modicum. Nota, 500. annos, aut 300. secundum alios, dici *modicum*, scilicet breve est, respectu non solum æternitatis, sed totius temporis. LXX. *adhuc semel*: & ita citatur Hebr. xii. Commovebo, &c. quasi dicat: Faciam rem novam & mirabilem in orbe. Et mare, &c. explicat quid terræ nomine intellexerit.

V. 8. Movebo, scilicet stupore tanti mysterii, & lætitia, & vitæ innovatione. Veniet, scilicet in mundum, vel ad iudicium. Vide August. XVIII. Civit. cap. xxxv. & xlviii. Desideratus, &c. scilicet Christus, quem totus mundus desiderabat, scilicet optabat felicitatem, quam Christus attulit, etsi id eum facturum multi ignorabant. Chald. *desiderium omnium Gentium*. Gloria, scilicet ob Christi præsentiam.

V. 9. Meum est, &c. quasi dicat: Si velim, possim facile istam ornare auro & argento, sed ornabo re pretiosiori, scilicet filii mei præsentia, & doctrina, &c.

V. 10. Domus istius, id est Ecclesiæ per hanc significatæ. August. XVIII. Civit. Pacem, scilicet Christum, qui est pax nostra.

V. 12. Legem, id est de re ad legem pertinente.

V. 13. Sanctificatam, scilicet per oblationem eius factam Deo. Eius, scilicet vestimenti. Sanctificabitur, scilicet id est quod tactum fuit.

V. 14. In anima, id est ob contactum hominis mortui.

V. 15. Sic populus, &c. quasi dicat: Contaminat quidem oblationes, quia immundus est peccatis, & non ab ipsis sanctificatur, quod eas tangat sanctificatas. Vide Ierem. xi. *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas*, &c. Ibi, scilicet in altari quod extruxerant ad sacrificia.

V. 16. Hac, scilicet 24. mensis noni.

V. 17. Viginti, scilicet opinione vestra, seu spe.

V. 18 Vento urente. LXX. *sterilitate*. Aurugine. Vitium est segetis ex nimio humore. LXX. *corruptione aeris*.

V. 19. Iacta, scilicet super illa, quæ cœpta tempore Cyri, vel in altera parte, in qua nondum cœpta. Vide I. Esd. iii.

V. 20. Germine; quasi dicat, Nondum germinavit. Hinc apparet *nonum* esse Novembrem, non Martium. Chald. *in area*. Benedicam, id est dabo copiam fructuum.

V. 23. Regnorum. Quidam putant prædici eversionem Regni Persarum. Alii Græcorum, alii Romanorum. Descendent, id est cadent in terram, scilicet morientur. Vir, id est quisque.

V. 24. Te, scilicet in posteris tuis, præcipue in Christo: sic quædam promissa Abraham, Genes. xii. & xv. quæ in posteris impleta. Signaculum, id est annulum signatorium. Chald. *sculpturam annuli super manum*. Elegi, scilicet ut ex te Christus nascatur. Chald. *in te mihi complacui*.

ESTII.

Vers. 7. & 8. Adhuc unum modicum, et ego commovebo caelum et terram, et mare, et aridam. Et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus. Apertissimum vaticinium est de adventu Christi, & gratia novi testamenti. Quod igitur dicit, *Adhuc modicum*, significat post breve tempus venturum Christum; quod imprimis contra Iudæos carnales notandum, qui usque hodie adhuc suum Christum expectant. Citans hunc locum Apostolus ad Hebr. xii. significat Deum antea semel movisse terram, nunc autem promittere, quod movebit non solum terram, sed & cælum. Terram semel movit Deus, quando apparens in monte Sina, per fulgura, & horrenda tonitrua exterruit populum illud terrenum, qui tamen

men nihil aliud quam terra remansit. In adventu autem suo Christus, non solum terram, sed & cælum movit, quando non terrestria tantum, sed & cælestia in suo sanguine instauravit; aut certe, quod proprium est gratiæ novi testamenti, quando terrenos homines in spirituales commutavit. August. in Psal. cxviii. con xx. & Serm. XV. de diversis cap. vii illud, *Et veniet desideratus cunctis gentibus*, refert ad secundum Christi adventum. Sed obstat, quod dicitur: *Adhuc modicum*. Agitur igitur de eo quod proxime erat futurum. Movetur August. hac ratione, quia primum adventum gentes non expectabant; hic autem dicitur, *veniet desideratus*. Sed respondetur; dicitur *desideratus*, id est desiderabilis, ut qui summum beneficium redemptionis & salutis iis esset allaturus.

V. 10 MAGNA ERIT GLORIA DOMUS ISTIUS NOVISSIMAE PLUSQUAM PRIMAE Hoc nonnulli referunt ad tempora quæ Christi adventum præcesserunt, quando, ut in Lib. Machab. legimus, etiam reges externi locum illum summo honore dignum ducebant, missis eo muneribus, & subministratis hostiis, & aliis sumptibus ad sacrificia. Alii ad Christi referunt adventum, cuius præsentia templo illi mirificum splendorem attulit; ibi scilicet oblatus est, ibi docens, ibi mira patrans fuit. Neque obstare volunt huic sententiæ, quod Iosephus testetur templum hoc a Zorobabel ædificatum, ab Herode prorsus destructum, & aliud reædificatum fuisse. Nam dicunt, eodem loco & iisdem fundamentis fuit ædificatum, & sic idem poterat templum censeri. Sed sine dubio, sicut quod præcedit, *Et veniet desideratus cunctis gentibus*, de Messia intelligitur, non tantum quatenus ad Iudæos, sed quatenus ad omnes gentes salvandas missus est; sic & quod subiungitur de gloria domus illius novissimæ, maxime & principaliter de gloria ecclesiæ ex omnibus gentibus collectæ intelligendum est.

MARIANAE.

Vers. 1. IN DIE VIGESIMA ET QUARTA. Hic est finis capitis superioris; sic Hebræi dividunt. Ergo Aggæus cœpit vaticinari die prima mensis sexti; populus, quod hic dicitur, cœpit opus eius mensis die vigesimaquarta. Proximo mense denuo Aggæus Principes & populum alloquitur.

V. 2. IN SEPTIMO MENSE. Is est mensis *Tisri*, Septembri respondens.

V. 4. DOMUM ISTAM IN GLORIA SUA. Quis vidit? nempe Salomonis templum. NUMQUID NON ITA EST, QUASI NON SIT. Hebr. *an non sicut ipsa, ut nihil;* id est eius comparatione nihil est hæc domus, in nullo illi priori domui comparata. Quinque res in secundo templo defuerunt, uti Hebræi aiunt; Primum, Divina præsentia; non enim reddebantur responsa. Secundum, Spiritus propheticus; nam in Malachia defecit. Tertium, Ignis sacer; numquam enim comparuit, ex quo absconditus est: II. Machab. 1. 19. Quartum, Urim Thumim in Rationali. Quintum, Arca, ubi Lex erat.

V. 5. ET FACITE, scilicet opus quod cœpistis, in eo pergite.

V. 6. VERBUM QUOD PEPIGI, scilicet implebo. Quod fuit illud? quod sequitur. ET SPIRITUS MEUS ERIT, id est ego ipse ero vobiscum, non vos deseram.

V. 7. ADHUC UNUM MODICUM EST, scilicet post parum temporis. Sept. *adhuc semel*. Sic Paulus citat ad Hebr. xii. 26. id est adhuc semel meam potentiam ostendam rebus omnibus motis. ET EGO COMMOVEBO. Terram commovit tantum, cum legem terrestrem dedit; at in adventu Christi cælum & terram. CAELUM, ob stellam & Angelos; TERRAM, ob pastores & Magos, & Herodem. ET MARE, ET ARIDAM. Quia undique confluent ad Christum. Per *aridam* August. XVIII. de Civit. cap. xxxv. intellexit insulas, quia scilicet *terra* præcessit. Sed frequens in Sacris est repetitio.

V. 8. ET MOVEBO OMNES GENTES. Forte loquitur de bellis, quæ multa inter Romanos adventum Christi præcesserunt. ET VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS. Hebr. *& veniet desiderium* (pro, desideria) *omnium Gentium*, id est divitiæ, aurum & argentum, quæ omnes cupiunt, in hoc templum adducentur. Sic Hebræi. Favent illis Sept. vertunt enim: *Venient electa omnium Gentium*. Chald. *Veniet desiderium omnium Gentium*, pro, *desideratus*, ut Hieronymus posuit, nomen formæ vertens in subiectum & composi-

tum,

tum, quod sæpe fit. Christus sane ob Prophetarum vaticinia a cunctis Gentibus expectabatur. ET IMPLEBO DOMUM ISTAM GLORIA, id est argento & copiis, ut Iudæi somniant; nos ob adventum & præsentiam Christi. Ea fuit gloria eius templi, non alia. De Messiæ adventu veteres Iudæi locum hunc intellexere: Galatinus Lib. IV. cap. IX.

V. 9. MEUM EST ARGENTUM; ut scilicet in illud templum conferatur, ego id facere possum: sic Iudæi. Nos, *meum est argentum*, id est nihili illud facio; neque iis copiis ornare hoc templum volo.

V. 10. MAGNA ERIT GLORIA, id est maior. Hebræi comparativo carent, pro eo utuntur positivo. Verum, in quo gloria posterioris templi fuit maior priore? Iudæi respondent, duratione; quia prius stetit 410. annis, posterius 420. tum pulchritudine & forma ædificii superasse dicunt. Verum cum vers. 4. dixerit, pro nihilo esse posterius templum cum priori comparatum, cum prius auro obductum esset, de posterioris copis nihil legamus, ac vero turbidis temporibus eas habere non potuerint; cogimur eam gloriam alio referre, ad Christi in eo templo præsentiam. ET IN LOCO ISTO DABO PACEM, in ortu Christi magna fuit pax, Iani portæ ab Augusto clausæ, immotæ toto Imperio Romano pacis argumento.

V. 11. NONI MENSIS. Hic est *Kisleu*, Novembri respondens. Tunc Deus locutus est Aggæo.

V. 12. INTERROGA SACERDOTEM LEGEM, id est de lege. Propone illis quæstionem.

V. 13. IN ORA VESTIMENTI SUI: in ala vestimenti. DE SUMMITATE EIUS. Hebr. *in ala eius*, scilicet vestimenti, si tulerit quis carnem sanctam. Numquid PANEM; id est, numquid ob tactum carnis sanctificatæ, illa, panis scilicet & vinum, sanctificabuntur? Respondet. Minime.

V. 14. SI TETIGERIT POLLUTUS IN ANIMA. *Anima* pro cadavere. Si is, qui se polluit tactu cadaveris, tetigerit panem, aut quidpiam aliud, an id etiam contaminetur? Respondet, contaminari. Sed quorsum hæc? Ut ostendat, nil mirum, ob peccata populi, fruges & alia quasi contaminata maligne provenire, & iram Dei ad alia extendi, & eorum oblationes repudiare. Sic hi & dona eorum contaminata sunt.

V. 15. QUAE OBTULERUNT IBI, id est in altari, quod initio ædificarunt: I. Esdræ III. 2. Sacrificia ingrata sunt, quia offerentes polluti ob intermissam templi structuram.

V. 16. ET NUNC PONITE CORDA VESTRA, id est considerate superiora tempora, antequam ædificationem templi incœpistis.

V. 17. CUM ACCEDERETIS AD ACERVUM, id est ex acervo, ex quo putabatis fore viginti, scilicet modios, invenistis decem; & ex torculari, unde exprimere (Hebr. *haurire*) credebatis quinquaginta, scilicet lagenas, invenistis viginti: scilicet Deo irato contra vos, proventus est imminutus, & spes fefellit. Hebr. nec *modios* est, nec *lagenas*; sed bene supplentur, quod faciunt Hieronymus, item Sept. & Chald. in diverso quamvis mensurarum genere.

V. 18. PERCUSSI VOS VENTO URENTE. Chald. *uredine*, qua scilicet spicæ siccantur. ET AURUGINE. Vitium ex nimio humore, cum pallent spicæ & grana, in cinerem vertuntur. Hæc fuit causa exigui proventus, percussisse me vos his plagis. ET NON FUIT IN VOBIS Hebr. *& non fuit vobiscum ad me*, id est quispiam e vestro numero, qui ad me reverteretur, me oraret, a malo desisteret.

V. 19. A DIE, QUA FUNDAMENTA IACTA SUNT; pro, id est a die, quo ædificare cœpistis, quæ fuit vigesima quarta mensis noni.

V. 20. NUMQUID IAM SEMEN IN GERMINE EST? id est, sata nondum germinarunt, ut ex illis coniectura fiat futuræ ubertatis. Hebr. *nonne adhuc semen in horreo*? nondum sementis est facta. Ne dicatis me conicere ubertatem futuram ex semente iam facta. NON FLORUIT vinea. Hebr. *non tulit*, scilicet fructum. EX DIE ISTA BENEDICAM, id est fructus tamen uberes segetibus & arboribus dabo. Vides Deum etiam in præsenti piis secundos successus largiri, mulctare impios. Hoc frequenter & plurimum accidit.

V. 21. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI

MINI SECUNDO. Duas visiones habuit uno die.

V. 22. EGO MOVEBO CAELUM PARITER ET TERRAM. Turbabo bellis orbem; scilicet ante Christi adventum.

V. 23. ET SUBVERTAM SOLIUM, id est Regna ipsa subvertam, Regibus sublatis qui nunc sunt. ET DESCENDENT EQUI, &c. pro, eadent. Chald. *interficientur equi & ascensores*. VIR, id est *quisque* gladio fratris sui, sic Sept. & Chald. Indicant bella civilia, quæ diu inter Romanos viguerunt, & alibi.

V. 24. IN DIE ILLA. Inter tot bella te incolumem, o Zorobabel, servabo; id erit tuæ pietatis præmium. PONAM TE QUASI SIGNACULUM, id est ut annulum signatorium, qui semper in manu & in oculis est, te charissimum habebo. Chald *ut sculpturam annuli*. QUIA TE ELEGI. Chald. *quoniam in te mihi complacui*. Porro hæc promissio aut in ipso Zorobabel, aut in eius posteris impleta est, in Christo præsertim.

MENOCHII.

Vers. 1. SEXTO MENSE: Iulio, vel Augusto, ut dictum est superiori capite num. 1.

V. 2. IN MANU AGGAEI: per Aggæum.

V. 4. DERELICTUM: scilicet ex iis, qui viderunt primum templum. QUID VOS VIDETIS HANC NUNC? quasi dicat, Qualis vobis hæc videtur? Hoc dicit, quia senes, qui viderant templum primum, lugebant videntes fundamenta huius secundi templi, magnificentia, & splendore cum Salomonico non conferendi. QUASI NON SIT: quasi sit res nihili.

V. 5. ET NUNC CONFORTARE: ne propterea animum despondeatis, & ab opere cessetis. FACITE: promovete opus ædificationis templi. Vel potius (quod interpunctioni Romanæ magis convenit) sensus est, Facite verbum, id est servate legem, quam in pacto vobisque inito, quasi conditionem fœderis a vobis præstandam exegi: ego vicissim præstabo quod meum est, vos enim protegam, & opem feram, ut difficultates omnes superare possitis.

V. 6. SPIRITUS MEUS ERIT IN MEDIO VESTRUM; quasi dicat, Ego spiritu meo vobis adero, vobisque aspirabo spiritum providentiæ, fortitudinis, alacritatis, &c. ut opus inchoatum perficere possitis.

V. 7. ADHUC MODICUM. Loquitur de adventu Christi in carne; licet quingenti adhuc anni usque ad Christum superessent, dicit tamen *modicum*, quia breve est omne tempus comparatione æternitatis, & quingenti anni si comparentur cum tot sæculis ante, & post lapsis, & quæ habentur, modica est temporalis particula. COMMOVEBO CAELUM, ET TERRAM: ut scilicet omnes homines, & Angelos per multa, & magna prodigia excitem ad attentionem operis magni quod paraturus sum, scilicet ad Christi incarnationem, legis lationem, & redemptionem. Prodigia quæ facta sunt nascente Christo, nemini sunt ignota, nam Angeli apparuerunt pastoribus; stella visa est Magis, &c. MARE, ET ARIDAM. Explicat quid nomine terræ intellexerit: commotiones in mari factæ sunt, & in terra propter Romanorum bella civilia tempore Augusti. Facta etiam est commotio in mari, quia Christus maris fluctus commoveri iussit, & quiescere pro arbitrio suo. In terra autem, quia in eius morte terra mota est, & petræ scissæ sunt.

V. 8. MOVEBO OMNES GENTES: vel per bella tempore Augusti, ut dictum est, vel per censum sub Tiberio iubente describi universum orbem Romanorum, vel per Evangelii prædicationem, & miracula Christi, & Apostolorum, &c. VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS: Christus, quem omnes electi omnium nationum expectaverant, & desideraverant, ut Iob in terra Hus, &c. Vel, eius adventu & redemptione, omnes maxime indigebant, & ideo *Desideratus* dicitur, ut terra cum sicca est, imbrem desiderat. ET IMPLEBO DOMUM ISTAM GLORIA: ob Christi redemptoris præsentiam, qui in illo frequenter versabitur.

V. 9. MEUM EST ARGENTUM, ET MEUM EST AURUM, &c. quasi dicat: Si velim facile possim templum hoc ornare auro, & argento, sed ornabo re pretiosiori, scilicet filii mei præsentia, & doctrina, &c.

V. 10. IN LOCO ISTO DABO PACEM: in loco isto per Christum dabo pacem, id est

est benedictionem, & bonorum omnium copiam.

V. 12. INTERROGA SACERDOTES, &c. Duas quæstiones iubetur propheta proponere sacerdotibus, ut ex eorum responsis arguat Iudæos de neglectu fabricæ templi. Italice diceremus, *Dimanda loro questi casi di conscienza*.

V. 13. CARNEM SANCTIFICATAM, id est Deo immolatam. DE SUMMITATE EIUS, scilicet vestimenti. NUMQUID SANCTIFICABITUR? scilicet, id quod tactum est. DIXERUNT, NON. Recte, nam licet caro sanctificata si tangat vestem, eam sanctificet, ut habetur Levit VI. 27. non tamen ulterius vestis contactu carnis sanctificata, si tangat panem, vinum &c. illud sanctificare poterit, sanctitatem suam illi communicando, & in illud transfundendo. Apodosis similitudinis habetur infra num. 15.

V. 14. POLLUTUS IN ANIMA, id est ob contactum hominis mortui. EX OMNIBUS HIS: verbi gratia, si tetigerit panem; aut pulmentum, aut vinum, ut dicitur numero superiori. DIXERUNT, CONTAMINABITUR. Recte, nam ex ritu legis veteris Numer. XIX. 13. & 22. pollutus ex contactu cadaveris, vel morticini, omnia quæ tangebat, contactu suo immunda reddebat.

V. 15. SIC POPULUS ISTE, &c. quasi dicat, Contaminat quidem oblationes, quia immundus est peccatis, ac nominatim negligentia, & inobedientia templi reædificandi, non tamen ab ipsis sanctificatur, quod eas tangat sanctificatas; nam licet ex contactu rei sanctificatæ contrahat exteriorem quamdam sanctitatem legalem, tamen ulterius sanctificatio hæc non progreditur, nec ad sanctificandam animam pervenire potest: sic Ierem. XI. 15. dicitur: *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es?* SIC OMNE OPUS MANUUM EORUM; scilicet, pollutum erit quicquid fecerint, quia labe peccati inobedientiæ sordidi sunt.

V. 16. ET NUNC PONITE CORDA VESTRA, &c. id est, agnoscite causam, cur hactenus vobis omnia male cesserint, usque ad diem hanc 24. mensis noni, qua cœpistis reædificare templum, ut cum deinceps prospera evenerint, causam quoque intelligatis.

V. 17. CUM ACCEDERETIS AD ACERVUM VIGINTI MODIORUM: cum quispiam vestrum accedebat ad cumulum manipulorum, & spicarum, qui daturus videbatur viginti modios tritici, postea illum virga excutiens non colligebat nisi decem.

V. 18. VENTO URENTE, ET AURUGINE. Quid sit ventus urens diximus Amos IV. 9. Quid vero aurugo Iœl I. 4. QUI REVERTERETUR AD ME: peccata relinquens, ad templi ædificationem se accingens.

V. 19. EX DIE ISTA, ET IN FUTURUM: ut scilicet videatis quam prospera vobis futura sint omnia, quia templum ædificare cœpistis.

V. 20. NUMQUID IAM SEMEN IN GERMINE EST? &c. Pagninus vertit, *Nonne ad semen est in horreo? & adhuc vitis, & ficus & malogranatum, & arbor oleæ, non tulit fructum?* sententia autem est: Semina adhuc sunt in horreo vel si terræ sunt tradita, adhuc latent sub illa. Pari modo vinea, & ficus nondum floruerunt, cum sit nunc mensis nonus, id est pars Novembris, & Decembris; non diceris ergo me ex signis divinare. Quamvis ergo nullum signum videatis fertilitatis; tamen prædico vobis annum proximum uberrimum, quia iam templum mihi ædificatis. BENEDICAM, id est dabo copiam fructuum.

V. 22. MOVEBO CAELUM ET TERRAM: vide dicta supra num. 7.

V. 23. SUBVERTAM SOLIUM REGNORUM, &c. Nam Persas tunc dominantes Iud. contrivit Deus per Græcos; Gr. vero per Romanos; Romanos per mutua bella civilia. REGNI GENTIUM. In Hebræo est, *regnorum Gentium*. DESCENDENT EQUI, id est, cadent in terram, scilicet morientur. VIR, id est unusquisque.

V. 24. ASSUMAM TE ZOROBABEL, &c. Hæc promittuntur Zorobabeli non in eius tantum persona implenda, sed in eius etiam posteris, & præcipue in Christo. QUASI SIGNACULUM, id est annulum signatorium, ut quemadmodum annulus semper in manu habetur, & diligenter custoditur, ita & tu mea peculiari cura protegaris, & serveris. ELEGI TE: scilicet ut ex te Christus nascatur. Chald. *In te mihi complacui*.

T I R I N I.

Verf. 1. IN DIE VIGESIMA QUARTA MENSIS SEXTI: fupple, cœperunt aggredi inftaurationem templi. Pendent enim hæc verba a fine cap. præced. inquit S. Hieronymus, Theodoretus & alii paffim.

V. 4. QUIS veftrum VIDIT DOMUM ISTAM IN GLORIA SUA PRIMA, antequam everteretur a Chaldæis: *Viderant* autem illam plurimi non modo plebeii, fed & *principes patrum & feniores*, etiamtum fuperftites, ut ait Efdras. Lib.I. cap.III. 12. Vix enim effluxerant 40. anni, ut in Chronico demonftravi cap. XXXV. ET QUID VOS VIDETIS HANC NUNC prout illam inftaurare decreviftis? NUMQUID NON ISTA EST IN OCULIS VESTRIS QUASI NON SIT? Chaldæus, *quafi res nihili*; LXX. *quafi non exiftens*: nempe fi cum magnificentia prioris templi comparetur. Templum enim hoc pofterius non ex lapidibus pretiofis undique laminis aureis tectum, ut Salomonicum *a*, fed ex vulgaribus lapidibus excitabatur, neque in parem *b* altitudinem, neque cum tot appendicibus, gazophylaciis & porticubus. Unde cum utrumque inter fe conferrent, *flebant vocem magna*, inquit Efdras *c*. Sed

V. 6. VERBUM FACITE QUOD PEPIGI VOBISCUM; id eft, obfervate legem meam, quam in pacto vobifcum inito, quafi conditionem fœderis ex veftra parte præftandam exegi; & ego viciffim præftabo quod ex mea parte præftandum addixi, nempe ut SPIRITUS MEUS fanctus tum fecundum perfonam fuam *d*, tum fecundum dona *e* fua perpetuo vobis adfit, providentia fua vos dirigens, fortitudine corroborans ac defendens, fapientia, fcientia, confilio fuo inftruens ad inchoatam iam fabricam, & alia opera concinne & affabre perficienda: ita Hebræi, & paffim SS. Patres. Nec folum Spiritum meum, fed & filium meum, vobis dabo. Exfpectate enim

V. 7. & 8. ADHUC UNUM MODICUM, puta 515. annos (tot enim funt a fecundo anno Darii Hyftafpis *f* ufque ad Chrifti adventum) qui revera modicum quid funt refpectu temporis elapfi ab orbe condito, puta 3485. annorum *g*: refpectu vero æternitatis vix momentum vel punctum faciunt. Addit Arias, effe modicum refpectu legis Chriftianæ; ad finem ufque mundi duraturæ, quæ tamen & ipfa in Scripturis *hora* vocatur, I. Ioan. II. 18. *Filioli, noviffima hora eft*. Exacto hoc modico, multis magnifque prodigiis COMMOVEBO CAELUM, TERRAM, MARE, ET OMNES GENTES, ut excitæ quafi e fomno profiliant ad excipiendum Meffiam regem & dominum fuum. VENIET enim tunc in hunc orbem DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS. Hebraice, *defiderium cunctarum gentium*; LXX. *venient electa omnium gentium*. Meffias enim unus eft ex omnibus gentibus & præ omnibus electus, per quem ceteri omnes electi & dilecti funt a Deo: per ipfum mala omnia ab omni creatura removentur, & bona cuique omnia obveniunt: ipfe eft principium, finis, exemplar, centrum, nodus, vinculum, vita, falus, felicitas totius univerfi, fumma, caput, compendium omnium operum Dei. Unde merito gentes omnes ad ipfum anhelant & ardent; ipfum defiderant, amant, & exoptant vehementiffimo appetitu, non modo naturali (ficut terra arida fitit & exoptat pluviam, & quævis res defiderare dicitur illud quo eget, inquit Martinus de Roa *h*:) fed & rationali: nam etiam Gentes ex maiorum fuorum traditione iam inde ab initio mundi, poft etiam ex relatu Iudæorum fciebant venturum aliquando falvatorem ac redemptorem mundi, ut conftant de primis Patriarchis, de Iobo, eiufque amicis, de Sibyllis, & tot aliis. Quæ vero nefciebant, fimulatque ex Apoftolicis viris de adventu illius certiores factæ funt, ardentiffimo defiderio ad ipfum afpirarunt, tantoque affectu amplexæ funt, ut ipfis amore, & pro ipfius honore fubftantiam omnem, & fanguinem, & vitam libentes profunderent. Porro locum hunc de Chrifto ad litteram exponendum effe concors eft fententia, non modo omnium SS. Patrum, fed & Rabinorum, maxime antiquorum, quos citatos habes apud Galatinum *i*, qui ex hoc loco clariffime convincit Iudæos, advenisse iam pridem Chriftum, quia iam pridem defiit hoc templum Zorobabelis, quod Chrifti præfentia dicitur hic gloriofius reddita, quam ante fuerit templum Salomonis.

Pe-

Petes, Quænam commotio veniente in mundum Christo, facta est in cælo, in terra, in gentibus, in mari? Respondeo, e cælo missus est archangelus ad Zachariam k nuntiaturus præcursorem Messiæ, ad Mariam *l*, ad Ioseph *m*, ad pastores *n*, Incarnationem & Nativitatem Messiæ: missa est stella *o* Magorum, missa & alia phænomena, quæ ex Svetonio, Dione & Tacito recenset Orosius gravis historicus a S. Augustino laudatus, & ex eo Baronius, Barradius *p* & alii. His adde, quæ in baptismo, transfiguratione, passione, resurrectione, ascensione & pentecoste *q*, facta fuit cælorum apertio, angelorum emissio & vocum demissio. Terra, & in terra gentes nascentes Christo commotæ fuerunt; primo, armorum per totum orbem discussione, bellorum compositione, & animorum in universalem *r* pacem conspiratione. Secundo, omnium ad commune lustrum & censum *f* concursu. Tertio, omnium vel perturbatione *t* vel metu ob nasciturum vel natum Messiam, ut etiam Romanis persuasum erat, teste Tacito *u* & Svetonio *x*. Quarto, oraculi Delphici & aliorum subito silentio, ut ait Cicero Arnobius & Eusebius *y*: statuarum & idolorum tum in Capitolio, ut scribit Dio *z*, tum alibi, de cælo percussione, liquefactione, deiectione, vel delapsu, ut alibi *aa* dixi. Quinto, numquam audito in terris miraculo, incontaminatæ virginis partu, inquit S. August. Lib. XVIII. Civit. cap. xxxv. Sexto, petrarum & rupium patiente Christo, disruptione, & horrendo terræmotu *bb*, de quo Plinius *cc*, *Terræ*, inquit, *maximus memoria mortalium exstitit motus Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis*. Taceo convulsionem & disruptionem viscerum terræ, quando anima Christi ad limbum, inferos spoliatura descendit. Taceo commotionem animarum factam prædicatione & miraculis Christi & Apostolorum. Ad mare venio, quod & ipsum insolitis modis in adventu Christi concussum fuit partim per bella navalia, quæ Svetonius *dd*; partim per tempestates, quas alii historici apud a Castro recensent; partim per Christi imperium, quo & sedatæ procellæ, & undæ pedibus calcatæ, & pisces in retia coactis: denique per terræ generalem motum, patiente Christo, etiam mare concussum constat.

Huius tam prodigiosi, tam illustris, tam potentis Domini præsentia, doctrina, & miraculis gloriosis, inquit hic Deus, IMPLEBO DOMUM ISTAM, quam nunc instauratis. Et ex his longe maior GLORIA accedet *huic domui*, quam alteri olim accessit ex omni auro & argento Salomonico. Et vero

V. 9. MEUM EST quidquid toto orbe extat ARGENTUM ET AURUM, neque decedit mihi ex eo quidquam, licet hanc domum non undique cingatis auro, ut fecit Salomon: nam quocumque loco fuerit aurum, etsi in terræ visceribus, in maris fundo, in regum thesauris, perinde meum est, ac si vestiendo templo meo, vel ornando altari circumdaretur. Et vero quando lubebit mihi, v. g. sub adventum Messiæ, efficiam ut auro circumdetur intus & foris ab Herode Ascalonita, ut Iosephus, Iosippus, Hegesippus, & ex his S. Hieron. Chrysostomus, Genebrardus, Ribera & alii describunt. Nunc etsi careat hoc ornatu, non carebit tamen mea benedictione, quia

V. 10. IN LOCO ISTO DABO vobis omnem PACEM, id est prosperitatem, & omnium bonorum copiam & affluentiam, per Christum, qui de cælis illam secum devehet in terras, & plena manu vobis impertiet. *Pax vobis: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*.

V. 12. INTERROGA SACERDOTES binas quæstiones, ut ad eas ex præscripto *legis* respondeant. Primo,

V. 13. Si quis CARNEM Deo immolatam, & ita SANCTIFICATAM ferens in veste sua, TETIGERIT veste illa PANEM vel aliud edulium, an panis ille contactu isto SANCTIFICABITUR? RESPONDENT SACERDOTES, *Nequaquam*; & bene: nam licet caro Deo oblata, si tangat vestem, illam sanctificet, uti lex *ee* sancit; non tamen idcirco vestis sic sanctificata, vim habet ulterius sanctitatem similem in alias res quas tangit, transfundendi. Loquitur de sanctitate legali & ceremoniali, qua res sanctæ in veteri lege ab usu profano separandæ erant, Deoque donandæ & sancte tractandæ. Applicat mox vers. 15. responsionem sacerdotum scopo suo Propheta, hoc modo: *Sic populus iste*,

qui neglecto templo quod Deus instaurari iusserat, contentus solo altari: I. Esdræ III. 3. licet victimis in eo altari oblatis sanctificetur legaliter; non tamen idcirco sanctificat ipse ulterius quidquid agit, molitur aut tractat, abstergens ab omni opere suo quidquid illi inest vitii, maculæ aut peccati: quia talem sanctificandi vim non habet illa legalis sanctificatio. Sed potius e contrario, vitium & peccatum inhærens personæ, contaminat omnia ipsius opera & actiones, quibus utitur quasi mediis seu instrumentis ad peccatum suum patrandum vel fovendum. Numquid enim (& hæc secunda quæstio;)

V. 14. Si quis POLLUTUS IN ANIMA, id est contaminatus contactu cadaveris, *contaminat* & immunda reddit quæcumque tangit? *& responderunt*. CONTAMINABIT. Ergo & vos, Iudæi, quia immundi fuistis ex inobedientia & contemptu fabricæ sacræ, non potuistis mundari ab hoc peccato quibuscumque victimis Deo in altari oblatis, quin potius eadem inobedientia contaminastis omnia alia opera & actiones vestras quibus illam inobedientiam fulciebatis & fovebatis, v. g. fabricas privatarum ædium vestrarum, procurationes propriorum lucrorum & commodorum quibus sponte vos a sacra domus meæ fabrica distrahebatis.

V. 16. *&* 17. PONITE CORDA VESTRA; id est, attendite & expendite penuriam, sterilitatem & inopiam qua afflicti fuistis, A DIE HAC retro computando, cum ex *acervo*, qui videbatur daturus *viginti modios* frumenti, vix DECEM excussistis; non aliam deprehendetis tanti mali causam, quam neglectum instaurationis templi mei, toties vobis inculcatæ. Contra vero

V. 19. PONITE CORDA VESTRA; id est, attendite & expendite fertilitatem & bonorum omnium copiam, quæ EX DIE ISTA qua iacta sunt fundamenta non prima, quæ terra occultantur (hæc enim iam pridem iacta sunt sub Cyro: I. Esd. III. 8.) sed secunda, quæ supra terrenam reliquo operi substernenda erant; id est, ex ea die qua neglectam hactenus fabricam templi, novis animis nunc cœpistis instaurare; expendite, inquam, fertilitatem quæ deinceps IN FUTURUM tempus vobis obveniet, reperietis curam sacræ huius fabricæ causam vobis esse tantorum bonorum: ita Arias, Ribera & alii.

V. 20. An *semen* iam recens *nono mense* Casleu, (respondente fere nostro Novembri,) terræ commissum germinavit? Minime. Unde neque possumus ex eodem, seu copioso, seu raro, conicere messem fore vel copiosam vel raram. Ego tamen EX DIE ISTA messem vobis addico copiosam, quia ob diligentiam quam præstatis in sancta fabrica, BENEDICAM semini terræ commisso, faciamque ut in multos culmos, & plenas spicas exuberet. Quod si materialem fabricam, promoventibus sic benedicit Deus, quam putamus mercedem daturum qui spiritualem animarum ædificationem totis viribus tum in se, tum in aliis procurant?

V. 22. MOVEBO CAELUM PARITER ET TERRAM: commotionibus tum elementorum, supra vers. 7. tum regnorum & imperiorum inter se tumultuantium & bellantium, inquit S. Hieronymus.

V. 23. ET SUBVERTAM SOLIUM REGNORUM quæ nunc tenent Persæ & Medi, destruendo hos per Alexandrum & alios principes Græcos: & istos rursum per Romanos: & Romanos quoque per mutua & civilia bella: unumquemque GLADIO FRATRIS SUI, Pompeium gladio Cæsaris, Cæsarem gladio Bruti, Antonium gladio Augusti, &c.

V. 24. IN DIE ILLA; id est, tempore tantorum tumultuum, excisis tot regibus, tot regnis, ego TE, o ZOROBABEL, dux fabricæ templi mei, pro mercede operis mihi gratissimi, in singularem protectionem meam ASSUMAM, servaboque tam personam tuam, quam familiam, domum, posteritatem tuam inter tot pericula & bella intactam atque illæsam: immo & carnem tuam mihi assumam, quam QUASI annulum *signatorium* aureum inseram dextræ meæ, nempe Filio meo, qui virtus & fortitudo mea est: ut tali filio ex te progenito colaris & glorificeris ab omni creatura, & super omnes æxalteris, & quasi deificeris in natura humana, quam ex posteritate tua, nempe ex virgine Maria Filius meus assumet, sibique æternum unict longe arctiori nexu, quam annulus digito adnectatur, nempe unione hypostatica, quæ faciet hominem Deum. Alluditur autem ad Ieremiæ XXII. 24. ubi avus Zorobabelis, puta Iechonias, rex Iuda vocatur *annulus in manu dextera* Dei, sed inde evellendus, & manui Nabuchodonosoris commit-

mittendus: hic vero nepos eius dicitur manui & digito Domini restituendus.

(a) III. Reg. v. 17. & vi. 7.
(b) II. Par. III. 4. & I. Esdr. vi. 3.
(c) I. Esdr. III. 12.
(d) Sap. vii. 22.
(e) Num. xi. 25. Exodi xxxi. 3.
(f) Chronici cap. xxxvi. & xxxvii.
(g) Cronici cap. vii. & xlvii.
(h) Roa Lib. I. Singular. cap. xiii.
(i) Galat. Lib. IV. cap. ix. & x.
(k) Lucæ I. II.
(l) Ibid. 26.
(m) Matt. I. 20
(n) Lucæ II. 9.
(o) Matt. II. 2.
(p) Orosius Lib. VI. cap. lxxxi. & seqq. Barrard. tom. I. Lib. VIII. cap. xii. Baron. in Apparatu.
(q) Matth. III. 17. Matth. xvii. 5. Matt. xxvii. 45. Matt. xxviii. 2. Actor. I. 9. & cap. x. Act. II. 2.
(r) Chronic. xliv.
(s) Ibidem.
(t) Matth. II. 3.
(u) Tacit. Lib. XXI.
(x) Sveton. in Vespasiano cap. iv. & in August cap. xciv.
(y) Cicero Lib II. de Divinat. Arnob. Lib. III. cont. Gentes. Euseb. Lib. V. Præparat. Evang. c. ix.
(z) Dio Lib. XXXVII.
(aa) Isaiæ xix. 1.
(bb) Matt. xxix. 51.
(cc) Plin. II. cap. xlviii.
(dd) Sveton. in Augusto.
(ee) Levit. vi. 27.
(ff) Levit. xix. 28. Num. v. 2. Num. xix. 13. & 22.
(gg) Eccli. xlix. 13. Ioannis vi. 27. & Cant. viii. 63.

GORDONI.

Vers. 1. IN DIE, &c. Est finis præcedentis capitis vers. 14. ubi sic ait *ingressi sunt & faciebant*; hoc est, cœperunt præparare materiam. Iam hoc primo vers. notat huius inchoatæ præparationis diem; scilicet 24. mensis sexti anno 6. Darii. Fabrica vero inchoata fuit 24. mensis noni, ut hic vers. 11. habetur: & sic notatum sit tempus duplex fabricæ.

V. 2. IN SEPTIMO MENSE, &c. Initio capitis primi notatum est tempus secundæ prophetiæ (quæ est prima huius capitis.) Quis ex vobis est derelictus, &c. non sane impossibile erat ut superesset tunc aliquis qui vidisset Templum Salomonis; vix enim ab excidio templi effluxerant 90. anni, ut docebunt anni nostri expansi: iam Aggæus vers. 5. subiungit prophetiam, de qua mox.

V. 7. & 10. QUIA HAEC DICIT DOMINUS, &c. Ostendit in quo sit futura maior gloria secundi templi. At quomodo modicum tumpus ab hoc secundo templo ad Christum? certe Prophetis non est magnum tempus; præsertim si conferas hoc spatium cum illo quod est, vel a principio Synagogæ & Mose; vel etiam a templo Salomonis: sane a secundo anno huius Darii usque ad Christum, reperio annos 516. & fere totidem sunt a primo templo ad secundum.

V. 8. ET MOVEBO, &c. Modicum hoc post quod veniet desideratus gentibus & desiderabilis, habebit in hoc adventu rei cuiusdam maximæ indicia. Ex his Aggæus dat has notas: *movelo cælum*, ob stellam & Angelos: *terram*, ob pastores, magos, & Herodem; *mare & aridam*, ob bella inter Romanos sub illud tempus. Adde signa & miracula Christi & Apostolorum; immo & ipsam passionem Christi, resurrectionem, incarnationem ipsam, &c. Omitto alias rerum variarum commotiones in adventum Christi incidentes, quas congessit in hunc locum magno numero Cornelius: & hæc de commotione, quam velut iudicium veritatis a Deo denunciatæ attigit Aggæus. Ceterum quoad sensum litteralem, & hunc esse de Christo, habemus clare ex verbis Prophetæ, ex Paulo Hebr. XII. 2. & Patribus passim. Aug. XVIII. civit. cap. xxxv. Hier. Ambr. Cyril. & Aliis.

Quæstionem movent aliqui, an templum Hærodis fuerit magnificentius templo Salomonis? Sed parum hoc facit ad rem præsentem; tum quia Herodes novum templum non extruxit, sed illud Zorobabelis restauravit, tum quia receptum a pluribus est, secundum templum impar fuisse primo in structura & pretio; vide Vilalpandum I. p. apparatus Lib. II. cap. v. de ampliore vero gloria secundi templi satis hic Aggæus, ut dixi, ex præsentia Christi, quia est dominator tantopere quæsitus, Malac. III. 1. & Angelus testamenti, Deus & domo, ibi annunciatus a Gabriele, ibi docens & disputans, ibi miraculis, doctrina & exemplo fundans Ecclesiam sub lege gratiæ amplioris quam antea.

V. 11. IN VIGESIMA ET QUARTA, &c. Hic notatur tempus inchoatæ fabricæ, ut dixi vers. 1.

V. 13. & 14. ET DIXIT AGGAEUS, &c. Duabus propositis quæstionibus reprehendit Iudæos ob neglectam fabricam; ac primo, si ca-

ſi caro ſanctificata (Deo immolata) tangat veſtem, ſanctificat eam, Levit. vi. 27. tamen (non ultra) veſtis ſic ſanctificata non ſanctificat rem aliam, licet eam tangat, hoc eſt, non ſeparat ab uſu profano. Redditio huius habetur verſ. 15. ſic caro immolata in altari ſine templo, licet ſanctificet id quod tangit; tamen non propagatur ultra ad ſanctificandam veſtram actionem in neglecta fabrica templi; ſed manebit contaminata negligentia iſta, niſi quod Deus iubet accedat templum.

V. 14. SI TETIGERIT POLLUTUS, &c. Secunda quæſtio eſt: pollutus in anima (phraſi Hebraica) eſt pollutus ex contactu cadaveris, ex Levit. XIX. 27. Iam talis pollutus polluit omnia quæ tangit, ut hic concedunt ſacerdotes. Hinc infert Aggæus verſ. 15 SIC POPULUS ISTE contaminatus eſt in omni opere ſuo, & præcipue ex iſta inobedientia contra Deum qui iubet promoveri fabricam. Certe malum eſt ex particulari defectu, & qui in uno peccat, nihil offert Deo ex vi illius ſtatus quod ſufficiat. Inepte tamen hinc colligit Calvinus, omnia impiorum opera eſſe peccata, quia non ſemper operatur impius ex vi & ratione illius ſtatus; unde eſt aliqua diſparitas. Nam contactus polluebat legaliter omnia ſine reſtrictione, non ſic in peccato.

V. 16. ET NUNC, &c. Eſt velut argumentum & exhortatio ad repetendam fabricam ſumpta ab incommodo; quaſi dicat: Non alia de cauſa paſſi eſtis ſterilitatem & damna a die intermiſſæ fabricæ, niſi quia non eſtis, ut Deus iuſſit, proſequuti hoc opus. Si autem promovere vultis templi ædificationem, dabit vobis Dominus ex hac ipſa die benedictionem in bonis veſtris; diem notat verſ. 19.

V. 21. ET FACTUM EST, &c. De priore quadam prophetia data hoc eodem die 24. menſis noni, vide verſiculum 11. Iam eodem die datum eſt aliud oraculum quod nunc proponitur; & eſt promiſſio de Chriſto naſcituro ex ſemine Zorobabelis, ob navatam operam in fabrica; ita cum Hieronymo paſſim alii interpretes. Facta autem eſt hæc promiſſio Zorobabeli, non quidem in ipſius perſona, ſed in poſteris, in quo tamquam in ſignaculo, & protoplaſte electo a Deo, promittitur Chriſtus, qui everſa regnorum & gentium poteſtate, evadet omnium ductor & Dominus.



PRO-

PROPHETIA ZACHARIAE.

ZACHARIAS in eodem verſatur argumento, quod Aggeus brevi ſermone perſtrinxit: Iudæos ad templi conſtructionem adhortatur, ſed multa prophetico ſtylo de Chriſto vaticinatur; ſymbolis utitur ſubobſcuris, ut quadrigis, oculis, volumine, candelabro, quæ eventus ipſe in Chriſto & Apoſtolis illuſtrat. Prophetavit anno ſecundo Darii Hyſtaſpis.

CAPUT PRIMUM.

Quo tempore Zacharias prophetaverit: qui hortatur populum ad reſipiſcentiam, ne imitentur patres ſuos, qui Prophetas contemnentes puniti ſunt: duplici figura oſtendit Dominus ſe puniturum Gentes quæ populum ſuum afflixerant; hunc autem in Ieruſalem revocandum, in qua ædificabitur ipſi Domino templum.

1. IN menſe octavo, in anno ſecundo Darii regis, factum
eſt verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ filii Addo, Prophetam, dicens: 2. Iratus eſt Dominus
ſuper patres veſtros iracundia. 3. Et dices ad eos:
Hæc dicit Dominus exercituum: (*a*) Convertimini ad
me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos,
dicit Dominus exercituum. 4. Ne ſitis ſicut patres
veſtri, (*b*) ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. 5. Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ num-
quid in ſempiternum vivent? 6. Verumtamen verba mea, & legitima mea,
quæ mandavi ſervis meis Prophetis, numquid non comprehenderunt patres
veſtros, & converſi ſunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis ſecundum vias noſtras, & ſecundum adinventiones noſtras, fecit nobis? 7. In die vigeſima & quarta undecimi menſis Sabath,
in anno ſecundo Darii, factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium
Barachiæ, filii Addo, Prophetam, dicens: 8. Vidi per noctem, & ecce
vir aſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant
in profundo: & poſt eum equi rufi, varii, & albi. 9. Et dixi: Quid ſunt
iſti, Domine mi? * & dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego
oſten-

oſtendam tibi quid ſint hæc. 10. Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, & dixit: Iſti ſunt, quos miſit Dominus ut perambulent terram. 11. Et reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulavimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quieſcit. 12. Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem, & urbium Iuda, quibus iratus es? * Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. 13. Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria. 14. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: (c) Zelatus ſum Ieruſalem & Sion zelo magno. 15. Et ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi vero adiuverunt in malum. 16. Propterea hæc dicit Dominus: Revertar ad Ieruſalem in miſericordiis: & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur ſuper Ieruſalem. 17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent civitates meæ bonis: & conſolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ieruſalem. 18. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua. 19. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid ſunt hæc? & dixit ad me: Hæc ſunt cornua, quæ ventilaverunt Iudam, & Iſrael, & Ieruſalem. 20. Et oſtendit mihi Dominus quatuor fabros: 21. Et dixi: Quid iſti veniunt facere? Qui ait; dicens: Hæc ſunt cornua, quæ ventilaverunt Iudam per ſingulos viros, & nemo eorum levavit caput ſuum: & venerunt iſti deterrere ea, ut deiiciant cornua gentium, quæ levaverunt cornu ſuper terram Iuda ut diſpergerent eam.

(a) Malach. III. 7. (b) Iſa. XXI. 8. XXXI. 6. & XLV. 23. Ierem. III. 12. Ezech. XVIII. 30. & XX. 7. & LIII. 11. Oſee XIV. 2. Ioel. II. 12. (c) Infr. VIII. 2.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 9. Et dixit ad me Angelus. Non addas *Domini*.

Verſ. 12. Iſte iam ſeptuageſimus annus eſt. Non omittas adverbium *iam*.

Notatio.

Verſ. 12. *Iſte iam 70. annus eſt*. Adverbium *iam* quidam codices auferunt: duo Pariſienſium (Di. l. Ge. p.) tres noſtri (O. E. I.) quatuor Hentenii. Brugenſe manuſcriptum ſupra textum minori eiuſdem manus littera habet; Atrebatenſe pronomini *iſte* præponit. Hieronymi, & Richelii textus non legunt. Nec Græce additur, aut Chaldaice. Hebraice quod legitur pronomen זֶה, *iam* verti poſſit, ut Pagninus vertit, *Iam ſeptuaginta annos*: Sed Interpres *iſte* reddidit. Ceterum Epanorthotes ſententiæ cauſa *iam* additam ab Interprete exiſtimat, ſicuti eſt pleriſque in libris.

C O M M E N T A R I A

S A.

Zacharias prophetat de Iudæis, Gentibus, Chriſto & Eccleſia.

V. 1. Octavo, ſcilicet Octobri. Darii: vide Agg. 1. Zachariam, de quo Matth. XXIII. etſi quidam aliud ſentiunt.

V. 2. Super, id eſt contra.

V. 3. Et dices, ſcilicet præterea. Eos, ſcilicet Iudæos. Convertimini, ſcilicet

per

per pœnitentiam. CONVERTAR, scilicet remittendo peccata, dando gratiam, & iuvando.

V. 4. PRIORES, scilicet qui ante captivitatem.

V. 5. UBI SUNT? quasi dicat: Nonne illi acciderunt quæ prædixi, etsi non credebant eventura? NUMQUID, &c. quasi dicat: Pseudoprophetæ illi qui patres vestros decipiebant, nonne & ipsi misere mortui, cum tamen felicitatem promitterent? Vel si de veris Prophetis loquitur; quasi dicat: Numquid perpetuo opus est vos monere per Prophetas? nec mihi eredetis sæpius monenti, cum præsertim appareat re ipsa me vera prædicere?

V. 6. LEGITIMA, id est præcepta. Heb. *statuta*. COMPREHENDERUNT, id est ad eos pervenerunt; quasi dicat: Nonne eis manifestata sunt; vel, nonne mala quæ simul minabantur illis invenerunt? CONVERSI SUNT, id est ad se reversi sunt. LXX. *responderunt*. FECIT, scilicet puniendo.

V. 7. UNDECIMI, scilicet Ianuarii. VERBUM. Visionem vocat verbum, quamquam & in ipsa visione interveniunt verba Angeli.

V. 8. VIR, id est Angelus Michael, de quo Daniel. x. EQUUM RUFUM. In *equo* celeritas, in colore punitio hostium significata. PROFUNDO, scilicet aquarum; quasi dicat, Prope aquas, scilicet Babylonis. Chald. *Babylone*. EQUI, scilicet & equites. VARII. Varietate coloris significantur varia Angelorum munia, pro varietate præceptorum Dei; nempe *ruso* punitio seu calamitas, *albo* prosperitas.

V. 9. DIXI, scilicet Angelo, qui mihi illa ostendebat. IN ME, scilicet intra me. Chald. *mecum*. OSTENDAM, id est faciam tibi ostendi.

V. 10. VIR, scilicet Michael. PERAMBULENT, scilicet custodientes Provincias, vel exequentes varia Dei mandata.

V. 11. RESPONDERUNT, scilicet rogat de statu hominum, ut Zacharias audiret. HABITATUR, ET QUIESCIT; pro, habitatur in pace, scilicet sine prœliis. Chald. *habitatur pacifica & quieta*. Quidam ad ditionem Darii solam referunt.

V. 12. RESPONDIT, id est locutus est. QUIBUS IRATUS ES? id est quos affligis. SEPTUAGESIMUS, scilicet ex quo Ierusalem eversa. Num. 19. Nabuchodonosoris, qui deinde regnavit 26. sed computato 19. fiunt 27. nam mense 5. decimi noni capta urbs. Evilmerodach 23. Baltassar 3. Cyrus 7. post expugnatam Babylonem (etsi alii aliter sentiunt, sed deinde filio dant 14.) Cambyses 8. Qui omnes usque ad Darii 2. fiunt 70.

V. 13. BONA, id est consolatoria, ut statim explicant. Chald. *recta*.

V. 14. ZELATUS SUM, id est amore prosecutus, adeoque eorum causa iratus affligentibus ipsam. Hæc sunt verba consolatoria.

V. 15. GENTES, scilicet Chaldæos. ADIUVERUNT IN MALUM, id est gravius afflixerunt quam debuerint, seu quam vellem. Chald. *adiuverunt ad malefaciendum*.

V. 16. IN MISERICORDIIS, id est cum magna misericordia. PERPENDICULUM, &c. quasi dicat, Edificabitur. IERUSALEM. Chald. *ædificium parietum Ierusalem*.

V. 17. AFFLUENT. Chald. *implebantur*. ELIGET, id est tractabit ut electam. Chald. *complacebit sibi in*: possunt hæc ad Ecclesiam referri.

V. 18. LEVAVI OCULOS, id est aspexi. QUATUOR CORNUA. Quidam Regna quatuor intelligunt, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum. Alii, quatuor orbis partes, quæ Iudæos vexarunt, scilicet ab Oriente Ammonitæ & Moabitæ, ab Occidente Palæstini, a Septemtrione Chaldæi, a Meridie Idumæi. Chald. *quatuor Regna*.

V. 19. VENTILAVERUNT, id est vexarunt. Chald. LXX. *disperserunt*.

V. 20. FABROS, scilicet ferrarios, qui cornua ferrea confringerent, nempe Angelos.

V. 21. PER SINGULOS, &c. quasi dicat, Iudæos omnes. EORUM, scilicet Iudæorum. LEVAVIT CAPUT, id est potuit resistere, seu respirare. CORNU, id est potentiam, robur.

ESTII.

Vers. 3. CONVERTIMINI AD ME, AIT DOMINUS EXERCITUUM: ET CONVERTAR AD VOS, DICIT DOMINUS EXERCITUUM. Magni ponderis, profundique sensus sententia, cui secundo illa verba iuncta sunt; *Dicit Dominus exercituum*.

Ceterum quomodo hinc consequens non sit, liberum arbitrium aliquo modo saltem ad bonum movere se posse, antequam Deus per gratiam se ad nos convertat, quo olim volebant Pelagiani, vide explicatum infra ad Malachiæ III. 7. ad illa verba prorsus his similia: *Revertimini ad me, & revertar ad vos*.

V. 12. ET RESPONDIT ANGELUS DOMINI, ET DIXIT: DOMINE EXERCITUUM, USQUEQUO TU NON MISEREBERIS IERUSALEM? ISTE TAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST. Habemus hic clarum, & irrefragabile Scripturæ testimonium, quo ostenditur sanctos Angelos intercedere pro hominibus apud Deum, ac divinam iram deprecari, & misericordiam flagitare. Testimonium, inquam, ita clarum, ut mirum sit, qua fronte illud hæretici obscurare conentur. Quod si sancti Angeli interpellant pro nobis, ergo multo magis Sanctorum hominum defunctorum animæ, quæ cum Christo regnant, pro fratribus suis hic adhuc in terra militantibus Dei misericordiam interpellabunt: multo enim maior est naturæ societas hominibus inter se, quam inter homines & angelos. Quod autem additur: *Iste septuagesimus annus est*, convincit Septuaginta annos a Ieremia cap. XXV. & XXIX. prædictos, esse impletos eo tempore, quo hæc prophetia scripta est. Scripta est autem, ut hoc eodem cap. vers. 7. dicitur, *anno secundo Darii*. Cognito autem illorum annorum termino, facile etiam facta supputatione eorum initium inveniri poterit.

MARIANAE.

ZACHARIAS Propheta & sacerdos fuit: Dorotheus. Diu in Babylone versatus, provecta ætate venit Ierosolymam, ad urgendam templi fabricam, multaque & præclara est vaticinatus. Isidorus de Ortu & obitu Patrum, cap. LVII. Zachariam filium Ioiadæ facit, qui & Barachias. Verum is alius est a nostro, de quo agit cap. LI. ne nominis similitudo quem fallat. Ubi, quæ hic continentur, fuerit vaticinatus, Babylone, an in Iudæa, non constat.

Vers. 1. IN MENSE OCTAVO. Is est *Marchesuam*, Octobri respondens. IN ANNO SECUNDO DARII, scilicet Hystaspis. FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ZACHARIAM, FILIUM BARACHIAE. An hic est, de quo Matth. XXIII. 35. dicitur, occisum inter templum & altare? nam patris *Barachiæ* nomen consentit, & fuisse ultimum, aut ex ultimis in Prophetarum numero. Quod Christus indicare voluit, cum dixit: *A sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ*, a primo tempore ad ultimum progressus. Nam quod Hieronymus in eum Matthæi locum opponit, vix eo tempore templi ruinas superesse; parum movet, cum secundo anno Darii, Hystaspis scilicet prophetare cœperit, & sexto templi structura absoluta sit: Esdræ Lib. I. cap. VI. vers. 15. quo tempore in vivis fuisse verisimile est. Sane Isidori, Epiphanii, & Dorothei auctoritas magis movet, affirmantium hunc Zachariam in pace quievisse. Ceterum, an is Evangelii Zacharias fuerit Ioiadæ filius, ut Hieronymus vult, de quo II. Paral. XXIV. an vero Zacharias Baruch filius, quem occiderunt Zelotæ intra templum, ut Iosephus ait Lib. IV. de Bello cap. III. præsagium instantis excidii, ut ille Lib. V. cap. I. & II. alio fortassis loco commodius. FILII ADDO. Fuit ergo Zacharias nepos Addo. Sic Esdræ Lib. I. cap. V. vers. I. ubi dicitur, *Zacharias filius Addo*. *Filius* pro nepote sumi debet.

V. 2. SUPER PATRES VESTROS, &c. contra patres vestros iratus est Deus.

V. 4. ET DE COGITATIONIBUS, studiis, operibus convertimini. NEQUE ATTENDERUNT AD ME, id est neque auscultarunt me, neque obedierunt mihi.

V. 5. PATRES VESTRI UBI SUNT? id est non præterita, sed futura nuntiarunt veritatis argumento; quoniam ipsis mortuis constat evenisse quæ prædixerunt vestris Patribus Prophetæ. Non sunt fabulæ, aut commenta.

V. 6. VERBA MEA, ET LEGITIMA MEA. Dei sunt verba. Hebr. *verba mea, & decreta mea*. COMPREHENDERUNT PATRES VESTROS, id est evenerunt illis quæ ego decrevi. ET CONVERSI SUNT ad pœnitentiam. SECUNDUM ADINVENTIONES NOSTRAS. Sic Sept. Hebr. *secundum studia*, opera nostra, fecit nobis.

V. 7. SABATH. Sic mensis undecimus vocabatur. Et sane hæc mensium nomina

Ba-

Babylonica sunt, neque ea invenias, præterquam in libris post captivitatem scriptis, ut in Esther, Esdra, Zacharia. Olim alia mensium nomina habuerunt, aut per numeros eos nominabant, *primus*, *secundus*, *tertius*; ut apud Romanos veteres, *Quintilis*, *Sextilis*, *September*. Tunc ergo Deus Zachariæ est locutus.

V. 8. VIDI PER NOCTEM. Per quietem Deus apparet, & fortassis visio fuit in somnis. ET ECCE VIR. Is fuit Angelus custos Synagogæ Michael, ut Theodoretus ait. ASCENDENS, &c. Hebr. *equitans super equum rufum*. *Equus* celeritatem agendi in Angelo, color vindictam de Gentibus sumendam significat. INTER MYRTETA, QUAE ERANT IN PROFUNDO. In profundo arbores non nascuntur. Ergo *in profundo*, id est iuxta profundum; ad ripam fluminis, ubi arbores multum crescunt. ET POST EUM EQUI RUFI. Per *equos* equites intellige, custodes scilicet Angelos aliarum Gentium. VARII, id est maculosi. Porro colores, *rufus* ultionem, *albus* benignitatem, *varius* mixtam benignitati severitatem significat. Quibus uti volebat Deus in eas Gentes, quibus ii Angeli erant pro se quisque præfecti pro conditione equi, quo singuli vehebantur. Rogat Propheta qui illi essent: respondet Angelus.

V. 9. QUI LOQUEBATUR IN ME, id est mihi: is erat Angelus, qui stabat inter myrteta; aut potius alius, qui initio Prophetæ apparuit. EGO OSTENDAM TIBI. Hebr. *videre te faciam*: sed *videre* pro audire: faciam ut audias & intelligas: sic Hebr. Ergo hi missi sunt,

V. 10. UT PERAMBULARENT TERRAM. Quisque missus est a Deo, ut lustret Provinciam & Gentem sibi commissam.

V. 11. ET RESPONDERUNT. Quid respondent rogante nemine? Ergo *responderunt*, id est locuti sunt primo Angelo, qui Principatum videtur tenuisse. OMNIS TERRA HABITATUR, ET QUIESCIT, nulla est deserta, nulla bella. Darii tempore magna pax fuit.

V. 12. ET RESPONDIT. Locutus est Angelus Synagogæ. *Respondere* Hebræis *loqui* est. Loquitur autem & conqueritur, quod ceteris Provinciis quietis soli Iudæi conflictarentur. ISTE IAM. Hebr. non est *iam*, neque in Goth. neque in Sept. Sed sane anno secundo Darii, anni septuaginta captivitatis, aut desolationis prædicti a Ieremia expleti sunt. Deinde vides Angelos orare pro nobis, quin & nostras preces in Tobia & Apocalypsi Deo offerunt. Quid ergo prohibeat eos invocare, & sollicitare ut id faciant?

V. 13. QUI LOQUEBATUR IN ME, id est mihi. Illi Angelo locutus est Deus.

V. 14. ZELATUS SUM, &c. id est amavi Ierusalem, & iratus sum eius hostibus. Chald. *ulciscar Ierusalem & Sion zelo magno*.

V. 15. SUPER GENTES, contra gentes. OPULENTAS, seu *pacatas*; scilicet de quibus Angeli loquuntur vers. 12. *Omnis terra habitatur, & quiescit*. In eas irascitur Deus, quia ab illis oppressi sunt Iudæi. EGO IRATUS SUM PARUM, scilicet contra Iudæos; modico supplicio eram contentus: illi, apud quos Iudæi erant, peiora quam ego vellem fecerunt.

V. 16. PERPENDICULUM EXTENDETUR. Denuo ædificabitur Ierusalem.

V. 17. ADHUC AFFLUENT, sive *diffundent se*, sive *spargentur*. Chald. *implebuntur bono*. ADHUC, id est rursus implebuntur bonis, sublata præsenti egestate. ELIGET, &c. Chald. *complacebit adhuc sibi in Ierusalem Deus*.

V. 19. HAEC SUNT CORNUA, scilicet quatuor cornua quæ vidisti, significant quatuor Gentes, quæ oppresserunt prius decem tribus, deinde Iudam & Ierusalem. Quæ illæ Gentes essent, non explicat, neque divinare est opus; & per *cornua* ventilabra cornuta intelligo.

V. 20. QUATUOR FABROS vidi, id est quatuor Angelos, qui fabrorum specie & forma apparuerunt cum suis ferramentis; quasi ad diruenda illa quatuor Regna.

V. 21. QUAE VENTILAVERUNT IUDAM PER SINGULOS VIROS. Hebr. *ventilaverunt Iudam adeo, ut vir* (id est nemo) *levaret caput suum*. Nullum innoxium & immunem reliquerunt. Hieronymus sententiam expressit. UT DEIICIANT in terram, scilicet solo adæquent illa Regna, quæ oppresserunt Iudæos, & LEVAVERUNT CORNU SUPER TERRAM IUDA, contra hanc Gentem. UT DISPERGERENT EAM, seu *ventilarent eam*, in captivitatem scilicet agerent Gentem Iudæorum. Hi quatuor fabri diruent illa Regna.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN MENSE OCTAVO : qui Octobri noſtro fere reſpondet. ANNO SECUNDO DARII Hyſtaſpis regis Perſarum, ex quo apparet Zachariam coævum fuiſſe Aggæo, & utrumque cœpiſſe prophetare poſt captivitatem Babylonicam, anno ſecundo Darii. AD ZACHARIAM FILIUM BARACHIAE. Aliqui cenſent hunc eſſe Zachariam illum, de quo ait Chriſtus Matth. XXIII. 35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel iuſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare*. Alii contra putant eum cuius meminit Chriſtus fuiſſe Zachariam patrem ſancti Ioannis Baptiſtæ. Utraque ſententia graves habet auctores patronos, & ſuis nititur coniecturis, quas referre non eſt huius brevitatis, quam profitemur.

V. 2. IRATUS EST DOMINUS SUPER PATRES VESTROS IRACUNDIA; id eſt, contra patres veſtros Dei exarſit iracundia, eorum peccatis provocatus, adeo ut eos duci voluerit captivos in Babylonem. Quare cavete ne illorum impietatem, & ſcelera imitemini.

V. 3. CONVERTIMINI AD ME, ſcilicet per veram pœnitentiam. CONVERTAR AD VOS; id eſt, propitius vobis ero, & benefaciam vobis ſemper.

V. 5. PATRES VESTRI UBI SUNT, &c. quaſi dicat: Patres illi veſtri perierunt, ſed & prophetæ mei, qui illos monebant mortui ſunt, homines enim erant, nec ſemper vivere poterant, ſed licet illi omnes perierint, verba tamen mea non perierunt, nec irrita fuerunt, ſed ita facta ſunt omnia, ut a me prædicta ſunt. Itaque cave te ne contemnatis me modo per prophetas loquentem, ne pari pœna involvamini. Vel ſenſus eſt, Nonne falſi prophetæ, qui patribus veſtris proſpera pollicebantur, & ipſi miſere mortui ſunt, vel gaudio, vel ærumnis captivitatis abſumpti?

V. 6. VERBA MEA ET LEGITIMA MEA, &c. præcepta, & mandata mea, quæ adiunctam habebant comminationem, niſi illis pareret. Vel ſi non expreſſam, certe tacitam habebant, cum notum ſit Dei iuſſa facere negligentes impune abire non poſſe. COMPREHENDERUNT, id eſt ad eos pervenerunt, illiſque malis per minas intentatis affecti ſunt. ET CONVERSI SUNT, ET DIXERUNT: caſtigati, & ad ſe reverſi, viderunt ſe iuſte a me puniri, ſic dicebant Daniel. IX. *Peccavimus, iniquitatem fecimus*, &c. FACERE NOBIS: pœnam ſcilicet infligendo.

V. 7. MENSIS SABATH: qui noſtro reſpondet Ianuario. DICENS, id eſt oſtendens id quod ſequitur.

V. 8. ET ECCE VIR, id eſt Angelus humana forma. Angelum fuiſſe patet ex n. 11. & creditur fuiſſe Michael præſes populi Iſraelitici. ASCENDENS SUPER EQUUM RUFUM: inſidet equo quaſi celer, & feſtinus ad auxilium populi ſui; eoque rufo, quaſi ſanguinarius, & vindex acer, in hoſtes Iudæorum. STABAT INTER MYRTETA, id eſt loca myrtis conſita. Notat Babylonem, in qua Iudæi fuerant captivi; myrtus enim ob ſiccitatem amat loca demiſſa, profunda, & irrigua, qualis eſt Babylon, quæ vicina eſt Euphrati, & Tygri. IN PROFUNDO: ſignificat convallem humilem prope flumen. POST EUM EQUI: in equis intelliguntur etiam eorum ſeſſores, ut patet ex ſequentibus. Per hos equites ſignificantur Angeli cuſtodes variarum nationum, & gentium, qui ut dicitur num. 10. perambulabant terram, id eſt unuſquiſque ſuam luſtrabat provinciam, & hominum qui in illo erant, curam gerebat. EQUI RUFI: quo colore ſignificabatur vindictam eſſe a Deo ſumendam de illis nationibus, quæ alias iniuria affecerant. VARII, ALBI, &c. quibus ſignificabantur varii ſtatus, & fortunæ populorum illorum, quibus præerant, vel ad quos deſtinabantur, partim lætæ, partim triſtes, partim ex utroque mixtæ.

V. 9. ANGELUS. Hic Angelus videtur cuſtos prophetæ, & alius fuit a Michaele, cuſtode & præſide totius populi, qui apparebat Zachariæ ſtans inter myrteta. QUI LOQUEBATUR IN ME, id eſt quem ego non oculis corporis, ſed imaginarie videbar videre mecum loquentem & cum Michaele. EGO OSTENDAM TIBI. Hebr. *Videre te faciam*, ſcilicet ſuperiore Angelo revelante.

V. 10. ISTI SUNT, &c. hi ſunt Angeli præſides regionum, quos Deus miſit luſtrare eaſdem.

V. 11.

V. 11. OMNIS TERRA: ſcilicet, vicina Iudææ. HABITATUR, ET QUIESCIT; id eſt, nulla provincia deſerta eſt, omnes habent habitatores ſuos, nec bellis turbantur, fuit enim pax ſub Dario.

V. 12. RESPONDIT, id eſt locutus eſt. ANGELUS DOMINI: Michael, vel Angelus cuſtos Zachariæ. USQUEQUO NON MISEREBERIS: Ieruſalem, & urbium Iuda, ut Iudæi omnes in ſuam patriam reſtituantur, & habitetur hæc provincia, ut ceteræ. ISTE IAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST: quo tempore ſtatuiſti populum tuum a tam diuturnis ærumnis liberare.

V. 13. RESPONDIT DOMINUS ANGELO. Angelum docet Deus, ut per eum propheta doceatur, ut poſcit aptus ordo divinæ providentiæ. VERBA BONA, id eſt conſolatoria, ut ſtatim explicat. Chald. *recta*.

V. 14. ZELATUS SUM IERUSALEM, &c. id eſt doleo multum, & iraſcor, quod ita Ieruſalem ab hoſtibus afflicta ſit.

V. 15. SUPER GENTES OPULENTAS: contra potentes populos, qui hactenus Iudæos vexarunt, cuiuſmodi ſunt Chaldæi. QUIA EGO IRATUS SUM PARUM: moderate vindicari volebam ſcelera Iudæorum, illi vero modum exceſſerunt, & plus iuſto ſævierunt. ADIUVERUNT IN MALUM: gravius afflixerunt quam debuerint, aut quam ego volebam.

V. 16. REVERTAR AD IERUSALEM IN MISERICORDIIS; id eſt, deinceps propitius ero Ieruſalem, & eam magnis beneficiis proſequar. DOMUS MEA, templum. PERPENDICULUM EXTENDETUR, id eſt iterum ædificabitur.

V. 17. ELIGET ADHUC IERUSALEM: beneficiis eam afficiet ut electam, licet hactenus reprobata viſa ſit.

V. 18. QUATUOR CORNUA. Per quatuor cornua intelligit regna, quæ a quatuor mundi plagis in Iudæos, & Ieruſalem, & Iſrael variis, temporibus inſurrexerunt, & malis affecerunt, ut ſtatim explicatur.

V. 20. QUATUOR FABROS; id eſt, quatuor Angelos, fabrorum habitu, & fabrilibus inſtrumentis inſtructos.

V. 21. PER SINGULOS VIROS. In Hebræo eſt, *ſecundum os viri*, hoc eſt, quantum quiſque illorum voluit, tanta enim erat eorum potentia, ut Iudæi reſiſtere non valerent. ET NEMO EORUM LEVAVIT CAPUT; id eſt, non ſinebant Iudæos caput attollere, ſed illos premebant, & demiſſo capite iugum ſervitutis portare cogebant. VENERUNT DETERRERE EA. Pagninus, *ad terrendum eos;* id eſt, ut hos principes, & reges per cornua ſignificatos terreant, & eorum potentiam deiiciant, & comminuant. QUAE LEVAVERUNT CORNU: quæ gentes hoſtiliter inſurrexerunt contra Iudæos, & Ieruſalem.

TIRINI.

Verſ. 1. ADDO. Si fuit hic ille Addo, qui ſcripſit Chronica regum Iuda II. Paralip. XII. 15. & Ieroboano ob erectos vitulos aureos interitum prædixit III. Reg. XIII. 1. ut cenſet Remigius, Albertus, Haymo, Hugo & Dionyſius; non potuit eſſe avus noſtri *Zachariæ*, ſed ſextus ut minimum vel ſeptimus atavus illius. Probabilius tamen putarim non fuiſſe eumdem, ſed alium illi cognominem, ut ibi *a* dixi.

V. 5. PATRES VESTI, idololatræ, raptores, pauperum oppreſſores, Dei contemptores, UBI nunc SUNT? nonne vel occiſi a Chaldæis, vel in ſervitutem abrepti, & miſeriis confecti ſunt, ut comminatus fueram per meos Prophetas? Pari modo ſcitote certo complendas minas, quas nunc quoque vobis, niſi convertamini, intento per meum Zachariam. Et *pſeudoprophetæ* patrum veſtrorum, qui perpetuam illis, etſi peccantibus, proſperitatem & pacem promittebant, an VIVENT IN SEMPITERNUM? Minime, nam omnes vel gladio, vel ærumnis exſtincti iacent. Interitu igitur ſuo, ſuorumque quibus longam felicemque vitam promiſerant, aperte teſtantur, ſe mendaces & fallaces fuiſſe.

V. 6. VERUM mei Prophetæ, *qui* MEA VERBA ET LEGITIMA; id eſt, minas & pœnas lege mea decretas in prævaricatores legis, intentarunt patribus veſtris, non fefellerunt illos: nam quæcumque illis intentarant, reipſa illos COMPREHENDERUNT. Qui proinde flagellis iſtis eruditi, iuſtum meum iudicium, ſuam vero culpam tandem agnoverunt, inquit S. Hieronymus, Albertus, Hugo, Lyranus, Arias, Clarius & Vatablus.

V. 7. VERBUM, id eſt viſio, DICENS, id

id est, ostendens mihi: Deus enim non solis verbis, sed & symbolis loquitur.

V. 8. ECCE VIR, id est angelus specie viri, ut dicitur vers. 11. ASCENDENS SUPER EQUUM, quasi accelerans suppetias ferre populo Dei: & quidem *equum* RUFUM; quasi vindex sanguinarius futurus in omnes hostes. S. Hieronymus, Theodoretus & alii passim censent fuisse S. Michaelem, Ecclesiæ Dei primarium custodem ac ducem *b*. Idem Theodoretus equum illum *rufum* vocat *spadicem*, id est punicei coloris, qui iuxta Virgilium *c* maxime commendatur in equis. Ex equi vero generositate, equitis animos, vires & iras metire. STABAT INTER MYRTETA; id est, in loco myrtis consito. IN PROFUNDO, id est demisso & humili loco, qualis est ad ripas fluminum; myrtus enim, sicca & calida herba, amat loca demissa, profunda & irrigua. Ad litteram designat Babyloniam adiacentem Euphrati & Tigri, inquit Chaldæus, Vatablus & Arias. Inde enim S. Michael Iudæorum partem aliquam eduxerat nuper sub Cyro, & partem aliam paulo post deducturus iam venit. Symbolice vero significabat familias Iudæorum adhuc in Babylonia & Perside degentes, ac præ omnibus familiam Mardochæi & Estheræ, quæ Hebraice *hadissa*, latine *Edissa*, id est *myrtus* vel *myrtea* vocabatur, inquit S. Hieron. Remigius, Albertus & Hugo. In huius familia, virtutum omnium fragrantia, pulchritudine, soliditate tunc celeberrima stabat cum assecliis suis præses Ecclesiæ Michael, novum de cælo beneficium portendens isti familiæ, & per familiam istam toti reliquiæ genti Iudæorum, puta connubium Estheræ cum Dario rege, anno sequenti ineundum, ut patet ex dictis Estheræ c. 1. Allegorice, nostra *hadissa*, seu myrtus, est B. Virgo, in cuius medio stat Christus humana carne inde desumpta, cui tamquam equo ruso inequitat natura divina; & quam ipse sanguine tum suo, tum hostili rubricavit, iuxta illud Isaiæ *d*, *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare rubrum est vestimentum tuum:* ita Petrus Abbas Cellensis. ET POST EUM sequebantur multi alii EQUI & equites, quidam RUFI, nempe angeli præsides gentium sanguinolentarum & Iudæis infestarum, puta Chaldæorum, Assyriorum, Samaritanorum, &c. quidam ALBI, præsides gentium pacificarum & Iudæis amicarum, puta Persarum & Medorum: reliqui *varii* coloris, præsides gentium nunc bene, nunc male Iudæis affectarum, quales erant Ægyptii, Tyrii, Sidonii, Syrii & alii similes.

V. 9. ANGELUS quidam, (forte custos Zachariæ) QUI LOQUEBATUR IN ME, (est hebraismus *e*, pro, *ad me*, seu *mecum*, ut vertit Chaldæus:) rogat Michaelem, ut explicet Zachariæ quinam sint, & quid velint hi equites.

V. 10. QUI RESPONDIT: ISTI SUNT angeli præsides regnorum, QUOS DOMINUS MISIT lustrare commissas sibi provincias. Mox ipse tamquam princeps illorum, interrogat singulos, quo in statu repererint regiones sibi creditas. Respondent illi.

V. 11. OMNIS TERRA vicina Iudææ QUIESCIT a bellis, ab odio & ira in Iudæos. Unde nil verendum quod inchoatam templi Ierosolymitani instaurationem impedient, aut noceant Iudæis: ita S. Hieronymus & alii supra citati.

V. 12. ANGELUS Michael, audito quod omnes circum nationes alta pace & prosperitate fruerentur, ad Deum conversus, USQUEQUO, inquit, TU O DOMINE EXERCITUUM, NON MISEREBERIS IERUSALEM, ET URBIUM reliquarum Iudææ, QUIBUS adhuc IRATUS ES, sinens eas huc usque dirutas iacere ac pene desertas? ISTE IAM SEPTUAGESIMUS ANNUS EST: immo octogesimus, & quod excurrit. Vide de hoc calculo Chronicum *f* nostrum. Respondet exemplo Deus.

V. 14. ZELATUS SUM IERUSALEM ZELO MAGNO; id est, vehementissime illam amo, ut maritus zelotypus amat uxorem suam. Ideoque

V. 15. IRA MAGNA IRASCOR Chaldæis aliisque gentibus quæ illam tam crudeliter everterunt, & ex eius spoliis divites & opulentæ evaserunt. QUIA EGO IRATUS SUM PARUM, id est moderatam solum castigationem per illos iubebam infligi Iudæis, uti pater iubet infligi filiis: IPSI VERO non meæ modicæ, sed suæ immodicæ iræ obsecuti, ADIUVERUNT IN MALUM: afflictis addentes totis suis viribus afflictiones quantas possent.

V. 16. PERPENDICULUM EXTENDETUR SUPER & templum & urbem IERUSALEM, id est rursus instaurabitur ab architectis.

V. 18.

V. 18. & 19. Ecce quatuor cornua, verisimiliter ferrea, Chaldæus, *quatuor regna;* quae ventilaverunt *g*, divexarunt, everterunt tam Iudam et Ierusalem, quam Israel & Samariam. Significant autem non quatuor monarchias, ut volunt Hebræi & ex illis S. Hieronymus; sed universim omnes populos ex quatuor orbis plagis, qui tam *duas*, quam *decem* tribus bellis attriverunt; puta Ammonitas & Moabitas ab Oriente: Philisthæos ab Occidente: Idumæos & AEgyptios a Meridie: Assyrios & Chaldæos ab Aquilone: ita Theodoretus, Clarius, Ribera, Sanchez, a Castro, a Lapide.

V. 20. Quatuor fabri ferrarii, sunt quatuor angeli præsides, custodes & tutelares Iudææ. Hi.

V. 21. Venerunt deterrere, tremefacere, deprimere, *deiicere* & resecare prædicta quatuor cornua, quæ ita impetierant Iudæos, ut nemo illorum auderet vel caput *levare*. His symbolis designabatur, sublatum iri hostibus Iudæorum vires omnes ad impediendam instaurationem templi, & Ierosolymæ, & reliquarum urbium Iudææ: unde mox cap. seq videt Propheta apparari instaurationem iam dictam. Symbolice, quatuor cornua quæ Christi Ecclesiam ventilarunt, sunt Iudæi, Gentiles tyrani, hæretici, Saraceni. Fabri hæc resecantes, Apostoli & Apostolici viri, Imperatores, & reges Christiani, Patres & Doctores, Clerici & Religiosi, etiam militares.

(a) IV. Reg. xiii. 1.
(b) Dan. x. 21. & xii. 1.
(c) Virgil. III. Georgic.
(d) Isa. lxiii. 1.
(e) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. xii.
(f) Chronic. cap. xxxv. num. 11. concluf.
(g) III. Reg. xxii. 11.

GORDONI.

Vers. 7. In die vigesima et quarta, &c. Prior prophetia refertur ad mensem sextum seu Augustum; ista ad Ianuarium, numerando a Nisan anni sacri: vide opusc. de anno.

V. 8. Ecce vir, &c. Angelus est sub forma viri ex vers. 11. putatur S. Michael olim Synagogæ protector, nunc vero Ecclesiæ Christianæ: qui vero post Michaelem stabant equi & equites varii coloris, referunt Angelos præsides aliarum gentium, & hi referunt omnia iam esse in regnis pacata: sane ut ex hoc symbolo habeat Zacharias, unde colligat rebus iam pacatis, posse & debere Iudæos cœptum opus promovere.

V. 9. Et dixi qui sunt isti, &c. Videtur nune loqui Zacharias cum proprio Angelo custode, a quo discit quæ hic sequuntur: ita Hier. Lyra. & alii.

V. 12. Et respondet Angelus Domini, &c. Hic Angelus qui nunc respondet, videtur esse Michael: vir, inquam, ille, de quo vers. 8. qui proferens, exactum annum decretæ captivitatis septuagesimum, rogat pro pace in Iudæa, reliquis iam nationibus in pace constitutis, & sola manente Iudæa sub vexatione a vicinis hostibus templum impedientibus.

V. 13. Et respondit Dominus, &c. Responsum datur a Deo fore ut bene eveniat Iudæis, ædificetur templum, & perpendiculum extendatur super Ierusalem: adhibitum *perpendiculum* per metonymiam designat ædificium.

V. 18. Et levavi oculos, &c. Quatuor hæc cornua designant gentes in quatuor mundi plagis degentes, quæ Israelitas & Iudæos hactenus afflixerunt. Sunt vero Moab & Ammon, Philisthiim, Idumæi & Chaldæi. Quatuor porro fabri, sunt quatuor Angeli, qui specie fabrorum apparuerunt instructi suis ferramentis, & velut parati ad quatuor illa cornua diruenda, magna sane potentia Angelorum, præsertim quando ut custodes a Deo mittuntur.



CAPUT II.

Apparet vir mensuraturus Ierusalem, quæ post captivitatem solutam vehementer replenda est habitatoribus: cui Deus pro muro erit; & afflictis Chaldæis ac ceteris qui filios Israel afflixerant, multæ gentes una cum Sion lætæ venient ad serviendum Domino, quas ipse suscipiet in populum.

1. ET levavi oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in ma-
nu eius funiculus mensorum. 2. Et dixi: Quo tu va-
dis? Et dixit ad me: Ut metiar Ierusalem, & videam
quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius. 3.
Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egredieba-
tur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius.
4. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum,
dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem, præ multitudine hominum &
iumentorum in medio eius. 5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis
in circuitu: & in gloria ero in medio eius. 6. O, o fugite de terra A-
quilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos,
dicit Dominus. 7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis: 8.
quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad Gentes,
quæ spoliaverunt vos: * qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei:
9. quia ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui
serviebant sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. 10.
Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio
tui, ait Dominus. 11. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in
die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies
quia Dominus exercituum misit me ad te. 12. Et possidebit Dominus Iu-
dam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem. 13. Si-
leat omnis caro a facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 8. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*. Non facile mutandum est pronomen primæ personæ *mei*, in tertiæ *sui* aut *eius*: qua de re lege Notationes.

NOTATIO.

Vers. 8. QUi *enim tetigerit vos, tangit* (*tanget* I. MS.) *pupillam* (*puellam* O.) *oculi mei*. Pro *mei* pronomen primæ personæ quædam exemplaria scribunt tertiæ personæ pronomen *eius*, unum Hentenii, quatuor nostra, Lob. P. V. C. In manuscripto K littera signato, videtur *eius* pro *mei* substitutum: porro in Brugensi antigrapho omnium præstantissimo e contra *mei* pro *eius*. Complutensis editio legit *sui*. Hebraice, Græce, & Chaldaice tertiæ personæ sunt pronomina, quæ & *sui* verti possint & *eius*. Apud Hieronymum Glossæ ordinariæ auctorem, ut ea nobis est scripta, & Dionysium Richelium legitur *eius*: quod Richelius quidem exponit pro *sui* (*Tanget pupillam oculi eius*, id est, inquit, seipsum le-

tædet) Hieronymus vero, & ex eo Glossematicus ad Deum referunt, si tamen id certo legerint non *mei*, quod & ipsum refertur ad Deum. Qui enim sanctos Domini tetigerit, ait Hieronymus, sic est, quasi vexare cupiat pupillam oculi eius, & illum nitatur clara luce privare. Videri possit *eius*, quod minus intelligeretur, reiecto, *mei* plerisque in libris substitutum: ceterum Epanorthotes ob litteræ consequentiam, *eius* in *mei* mutatum ab Interprete existimat: quamquam mihi minime id exigere litteræ consequentia, aut commoditas videatur.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. VIR, scilicet Angelus specie viri. MENSORUM, scilicet quo solent Architecti metiri ædificia. LXX. *Geometricus*.

V. 2. IERUSALEM, scilicet Ecclesiam, ad eam enim pertinent quæ sequuntur. SIT, scilicet futura: est enim ædificanda, vel quanta nunc sit, quantumque desit.

V. 3. EGREDIEBATUR, scilicet a me. LXX. *stabat*. ALIUS i forte ille qui funiculum gestabat.

V. 4. AD EUM, scilicet qui in me loquebatur antea. PUERUM. Chald. & LXX. *iuvenem*. Apparet Zachariam fuisse iuvenem, certe erat respectu Angeli. Vide tamen Ioan. XXI. ABSQUE MURO, &c. quasi dicat: Tanta erit multitudo, ut circumdari muro non possit, scilicet Ecclesia significatur. IUMENTORUM, scilicet sunt etiam in Ecclesia, qui ut iumenta vivunt; est in area hac cum grano palea, usque ad diem Iudicii, & cum prudentibus virginibus fatuæ.

V. 5. MURUS, id est velut murus, seu pro muro. *Et Dominus in circuitu populi sui*. Psal. CXXIV. Chald. *velut murus*. IN GLORIA. LXX. *in gloriam*, scilicet reddam gloriosam. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*. Vide Isa. LX.

V. 6. AQUILONIS, id est Babylone, scilicet mundo, & vitiis, potestateque diaboli. IN QUATUOR, &c. quasi dicat, O electi, qui per orbem totum dispersi estis. Vide Isa. XLIII. & Ioan. XI. LXX. *de quatuor ventis cæli congregabo vos*.

V. 7. SION, id est electi ex Iudæis. FILIAM BABYLONIS, id est Babylonem; ut sup.

V. 8. EXERCITUUM. LXX. *omnipotens*: sic inf. Aperte Christus hic Deus dicitur, sicut & Psal. XXIII. est enim utrobique יהוה *Iehovi*. GLORIAM, scilicet meæ resurrectionis. Vide Ioan. VII. *Nondum erat glorificatus*, scilicet per resurrectionem. ME, scilicet Christum per Apostolos, qui Gentibus prædicarunt. Vide Isa. XLIX. Act. XIII. SPOLIAVERUNT, scilicet sæpe Iudæi vexati a Gentilibus. Ait ergo, cum per Apostolos ex vobis assumptos sint convertendæ Gentes ad fidem, quanto æquius est vos etiam converti? TANGIT, id est lædit. Vide Ps. CIV. MEI, scilicet Dei; quasi dicat: Valde Deum offendit, quicumque vos persequitur. Vide Deut. XXXII. Psal. XVI. Sensus est, Valde estis Deo chari, ulcisceturque vestras iniurias, subiiciendo vobis populos ad fidem conversos per Apostolos. LXX. *eius*.

V. 9. SUPER, id est contra. Eos, scilicet Gentiles. PRAEDAE HIS, id est subditi Iudæis, scilicet Apostolis eos convertentibus. SERVIEBANT, scilicet Iudæi sæpe Gentilibus servierunt. DOMINUS, scilicet Pater. ME, scilicet Filium: prædicit Iudæorum conversionem post Gentes.

V. 10. LAUDA. Chald. *exulta*. LXX. *gaude*. FILIA SION, id est Ecclesia. VENIO, scilicet per Incarnationem.

V. 11. APPLICABUNTUR. Chald. *adiicientur*. LXX. *confugient*.

V. 12. IUDAM, id est fideles. PARTEM; pro, velut partem, id est hereditatem. SANCTIFICATA. LXX. *sancta*, scilicet Ecclesia. ELIGET, id est amabit. Chald. *gratam habebit*. ADHUC; quasi dicat, Perseverabit amando & favendo.

V. 13. SILEAT, scilicet præ reverentia & timore. LXX. *timeat*. CONSURREXIT. Chald. *apparebit*. HABITACULO, scilicet cælo; quasi dicat, Veniet in mundum: quod quidam ad priorem adventum referunt, alii ad secundum.

ESTII.

Verf. 4. & 5. ABsque muro habitabitur Ierusalem prae multitudine hominum, iumentorum in medio eius. Hebraice: *Inftar villæ habitabitur;* quafi dicat, Ierufalem habitabitur more villarum: quæ funt abfque muris, ita ut femper extendi poffint ulterius. Et fenfus eft, quod tanta erit multitudo confluentium Ierufalem, ut ambitus murorum omnes capere non poffint. Sed aptiffime refertur ad ecclefiam novi teftamenti in omnes gentes propagandam. Interpres Vatabli fic reddidit: *Vicatim habitabitur Ierufalem*, id eft per omnes vivos: ita ut nulla pars eius futura fit habitatore vacua. Sed priorem fenfum confirmat quod fequitur: Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.

MARIANAE.

Verf. 1. ET ecce vir, Angelus fpecie viri. Funiculus mensorum. Hebr. *menfuræ*. Sept. *funiculus Geometricus*. Quid hoc? Chald. *funiculus menforius*, in manu eius.

V. 2. Ut metiar Ierusalem, fcilicet vado. Volebat inftaurare Ierufalem; ideoque metitur prius aream, ut folent facere architecti.

V. 3. Egrediebatur Angelus alius, ut fcilicet mihi loqueretur.

V. 4. Loquere ad puerum istum. Sic Zachariam vocat, quia comparatione Angelorum, homines ut pueri funt: Hieronymus. Absque muro. Hebr. *villæ*, id eft ut villæ habitabitur Ierufalem, quæ fcilicet arcem & murum non habent. Prae multitudine. Tam multi erunt cives, ut propter amplitudinem cingi muro non poffit. Aut fuorum multitudine fe tuebitur, neque alia munitione opus habebit. Quod in Ecclefiæ amplitudinem magis quam in eam urbem convenit. Hominum et iumentorum. Per *iumenta* aut equos intelligo, aut armenta, quæ noctu in oppida referebant, eoque amplas extruebant domos. Hieronymus per *homines* Iudæos, per *iumenta* Gentes intelligit, qui omnes Ecclefiæ amplitudine continentur. Aut eruditos & fimplices.

V. 5. Murus ignis ego ero; etiam fi muro careat, mea protectione quafi muro igneo tuta erit. Et in gloria ero, feu *in gloriam*, ut Hebr. & Sept. id eft mea præfentia eam gloriofam reddam. Regis præfentia urbem nobilitat. Quod in Chrifti adventum & præfentiam in ea urbe bene convenit.

V. 6. O, o. Hebr. *Hoi*, *hoi*. Vocantis particula, feu hortantis. Ideo fic melius per *O*, *o*, Hebraica vertuntur, quafi dicas, *Heu*, *heu*, aut, *Væ*, *væ*, ut alii vertunt. Vox Prophetæ hortantis Iudæos, ut Babylone relicta, redeant in patriam. In quatuor ventos caeli dispersi vos; id eft, in remotas & difiunctas regiones expuli vos, ideo non eft mirum fi ex Babylone vos advoco.

V. 8. Post gloriam. Quam gloriam? De qua verf. 5. *& in gloria ero in medio eius*, poftquam eos reftituit in patriam, & habitavit inter eos. Misit me ad Gentes. Quem? Prophetam, aut Angelum qui loquitur, mifit ad Gentes, fcilicet ut eas puniret. Nec mirum. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Hebr. *oculi eius*, id eft Dei. Loquitur Angelus aut Propheta: fic Gotth. & Hieronymus in Commentar. & Sept. Chald. *qui nocet vobis*, *ac fi extendat manum fuam*, *ut tangat pupillam oculi fui*, id eft fibimet ille nocebit. Vulg. Regia, *oculi fui*.

V. 9. Quia ecce ego levo, feu *moveo*, manum meam. Aut iurantis in modum, aut ut pugnem contra illos. Memento Angelum loqui, aut Prophetam. Super eos, five *contra eos*. Et erunt praedae. Iudæis poft captivitatem Gentes, quibus ferviebant, diripient illi. Et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me. Veritas eorum quæ dico, & eventus, me a Deo miffum effe comprobabit.

V. 10. Et laetare, five *exulta*, iubila filia Sion, ait Dominus.

V. 11. Applicabuntur Gentes multae ad Dominum, feu *adhærebunt multæ Gentes Domino*, illum fequentur, colent eum: quod Chrifti adventu factum eft. Sed & poft reditum e captivitate, rebus profperis, multos e vicinis Gentibus veniffe Ierufalem, fide non caret.

V. 12. Et possidebit Dominus Iu-

DAM, scilicet hereditate possidebit. PARTEM SUAM; pro, quasi partem, id est hereditatem. Quidam ex Hebr. verbum נחל *nahal* volunt esse transitivum, & sic explicant, *Faciet Dominus, ut hereditet Iudas hereditatem suam in terra sancta:* sic Hebr. Schol. & Chald. quasi dicat: Suam hereditatem Deus in Iudam transferet. ET ELIGET ADHUC; id est rursus complacebit sibi in Ierusalem, eam gratam habebit.

V. 13. SILEAT OMNIS CARO. Sept. *timeat*, scilicet revereatur. Silentium ex reverentia est. Hebr. *sile omnis caro*. A FACIE DOMINI, id est coram Domino. QUIA CONSURREXIT, seu *excitatus est* de habitaculo suo. Hactenus indormisse videbatur, nunc evigilare contra hostes, & ut suos tueatur.

MENOCHII.

Vers. 1. ECCE VIR, id est Angelus, specie viri; Archangelus Michael. FUNICULUS MENSORIUS: quo solent architecti metiri longitudinem, & latitudinem aedificiorum.

V. 2. ET DIXI: scilicet, ego Zacharias ad virum habentem funiculum mensorium. UT METIAR IERUSALEM: scilicet, aream in qua reaedificanda erat. UT VIDEAM QUANTA SIT, id est quanta futura sit, aut esse debeat latitudo, & longitudo eius.

V. 3. ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME: angelus custos Zachariae, ut dixi superiori cupite num. 9. ANGELUS ALIUS: tertius quidam alius angelus praeter Michaelem, & custodem Zachariae. IN OCCURSUM EIUS: in occursum Angeli custodis Zachariae, ut per eum doceret Zachariam quanta futura esset Ierusalem. Hunc tertium Angelum multi putant fuisse Gabrielem.

V. 14. ET DIXIT AD EUM: ad angelum custodem Zachariae. AD PUERUM ISTUM. Zachariae puero non aetate, sed conditione, & statu; quia scilicet erat puer, id est cliens, & discipulus angeli sui custodis. Homines enim respectu Angelorum sunt quasi pueri, ut ait S. Hieronymus. ABSQUE MURO HABITABITUR IERUSALEM. Tanta erit hominum, & domorumque frequentia, ut muro ambiri non possit; quasi dicat: Putas Zacharia, quia vides non adeo magnum fili glomum in manu Michaelis parvam futuram Ierusalem. Ne dubita, erit adeo ampla, & frequens, ut illius muris multitudo incolarum contineri non possit. Haec, ut reliqua, quae hoc capite habentur, ad litteram de Ierusalem intelligenda sunt; sensu tamen allegorico, & a spiritu Sancto magis intento, de Ecclesia accipienda sunt; quare etiam quaedam dicuntur angustiora quam ut urbi Ierusalem convenire possint, plene autem quadrant Ecclesiae, quam maxime respicit spiritus Sanctus. Porro absque muro habitatur Ecclesia, quia innumerabilis hominum multitudo ad illam venit. HOMINUM, ET IUMENTORUM: Per homines allegorice significantur viri eruditi; per iumenta simplices, & rudes. Vel, homines sunt Iudaei; iumenta Gentiles, ut explicat D. Hieronymus.

V. 5. ERO EI MURUS IGNIS: etiamsi muros non habeat, non tamen erit exposita hostium incursionibus, ego enim ero ei quasi murus igneus, qui hostes terreat, & propius accedere non sinat. IN GLORIA ERO IN MEDIO EIUS. LXX. *In gloriam*, scilicet, reddam eam gloriosam. Vel sensus est, ero in gloria, id est tibi glorificabor.

V. 6. O, o, id est Heus, heus; est enim hortantis, & invitantis ad celerem fugam. DE TERRA AQUILONIS: de Babylone, quae respectu terrae sanctae erat ad Septentrionem. QUONIAM IN QUATUOR VENTOS CAELI DISPERSI VOS; quasi dicat: Fugite e Babylone, quia ibi dispersi estis, & dissipati; & venite in Iudaeam, ut in unum populum, unamque rempublicam coalescatis.

V. 7. APUD FILIAM BABYLONIS: quae habitas in Babylone; filia enim Babylonis idem est quod Babylon.

V. 8. QUIA HAEC DICIT DOMINUS EXERCITUUM, &c. Sensus versiculi est: Haec dicit Dominus exercituum, quod post gloriam Ierusalem, id est post Ierusalem gloriose restauratam, mittet me Gabrielem ad Gentes, ut eas illi fortiter subiiciam; sensus praecipuus de Christo est. Post exaltationem meam, & Ascensionem in caelos misit me, ut praedicem gentibus per Apostolos meos. AD GENTES QUAE SPOLIAVERUNT VOS: ut illas vobis subiiciam,

quæ prius vos vexaverant, & spoliaverant. Qui enim tetigerit vos, &c. Gravissime offendat, si quis vos pupillam oculi mei læsit. Phrasis est proverbialis, nihil enim charius pupilla oculi, nihilque maiori cura, & solicitudine custoditur.

V. 9. Levo manum meam super eos: ut illos feriam, vobisque prædæ dem, & subiiciam, sensu allegorico factum est hoc cum Christus, per Apostolos e Iudæa ortos, subiecit omnes gentes. Et cognoscetis, &c. Hæc enim visuri erant Iudæi, & inde cognituri ipsum esse verum prophetam, & hæc a Deo accepisse, ut ipse asseverabat; sublimiori vero sensu dicemus, Tunc re ipsa patuisse Christum missum esse a Deo patre, cum ei gentes inimicæ subditæ sunt.

V. 10. Lauda, &c. Excitat Synagogam Babylone redeuntem in Ierusalem ad gratiarum actionem, & iubilum, quod censura sit Dei in se habitantis præsentiam, opem, & gloriam. Maior, & potior lætitiæ causa adventus Christi Domini in carne ad hominum salutem.

V. 11. Applicabuntur gentes multae ad Dominum: convertentes se ad religionem Iudaicam: plures vero postea ad Christum.

V. 12. Iudam: tribum Iuda, & Beniamin. Partem suam: portionem hereditariam, & sibi charam. In terra sanctificata: in terra sancta; in terra promissionis. Eliget adhuc Ierusalem: in qua templum habeat, & colatur. Christus partem suam, id est Apostolos, & primos fideles, ex quibus conflavit Ecclesiam suam, selegit, & possedit in terra sancta, hoc est in Iudæa quam sua præsentia sanctificavit.

V. 13. Sileat: reverenter, & sancte eum colat, & illi subiecta sit. Omnis caro: omne humanum genus. Consurrexit de habitaculo sancto suo: quia de cælo habitaculo sancto suo, quasi consurgens opem nobis tulit, quod maxime verum est per assumptam carnem, & per opus redemptionis nostræ;, quod in cruce consummavit.

TIRINI.

Vers. 1. Ecce vir, id est angelus forma viri, cum *funiculo* mensorum; quo solent architecti longitudinem & latitudinem ædificiorum dimetiri, an iusta sit partium omnium symmetria, seu proportio. Hoc symbolo designabat angelus Michael, se iam accingi ad plene instaurandam Ierosolymam & reliquas civitates Iudææ. Similem architectum vidit etiam Ezechiel cap. xl. 3. & S. Ioannes Apocal. xxi. 15. Porro tertius ille angelus, qui

V. 3. Egrediebatur in occursum angeli custodis Zachariæ, plerique putant fuisse *Gabrielem*, curatorem negotiorum populi Dei, Danielis ix. & x. ubi similes tres angeli, & forsan iidem qui hic, nuntiant similia Danieli.

V. 4. Loquere ad puerum istum: nempe Zachariam, clientem, discipulum, ministrum *a* tuum; quidni & annis adhuc iuvenem ac robustum, ut solent esse ministri? Zacharias viso in manu Michaelis funiculo in glomum convoluto, ac proinde tenui & exiguo, videtur timuisse, exiguam fore Ierosolymæ instaurandæ capacitatem, utpote brevi funiculo comprehensam. Huic timorem istum eximi iubet angelus, spondens, Ierosolymam tanta amplitudine & capacitate instaurandam, ut certis muris terminari non possit, qui incolas omnes complectantur: multos per suburbia & villas vicinas coactum iri habitationem figere. Non igitur negat, Ierusalem cingendam muro (nam id factum constat a Nehemia *b*:) sed tantam ait confluxuram eo hominum frequentiam, ut spatium intra muros etsi capacissimum, non capiat tamen omnes, sed multos cogendos extra muros domicilium quærere *c*. Unde illud, absque muro, quidam exponunt, *extra murum*. Sicut illud Iosue xvii. vers. 5. *Funiculi Manasse ceciderunt absque terra Galaad*, id est extra terram Galaad. Porro Ierosolymis ita rem habuisse testatur oculatus testis Iosephus *d*. Neque est tamen, quod propterea quis metuat, non futuram sat tutam incolarum istic degentium habitationem, utpote ad quam pateat facilis etiam hostibus accessus. Ecce enim promitto, quod,

V. 5.

V. 5. EGO ipse Deus vester], qui IGNIS *consumens e* sum, ERO Ierosolymitanis pro *muro f*, eoque non lapideo, sed *igneo*. Nam instar ignei muri cingam, tutabor, exhilarabo Ierosolymæ cives, hostes vero vel solo aspectu fugabo. Alludit ad flammeum gladium, quo Cherubim custodit paradisum Gens. III. 24. quem Lactantius *g* & plures alii *murum igneum* interpretantur. Allegorice, murus igneus Ecclesiæ & etiam singulorum fidelium est *Spiritus sanctus* (cuius figura fuit olim columna *h* ignis:) sunt & angeli custodes, ut Eliæ *i*, Eliseo k, & tot aliis apparuerunt. ET IN GLORIA; LXX. *in gloriam*, ERO IN MEDIO EIUS; id est, glorificabo Ierusalem, & gloriam ei afferam, inquit S. Cyrillus, Theodoretus, Haymo, Vatablus, Ribera, Sanchez, a Lapide. Deus enim per instauratum templum & in eo sui cultum, per legem, oracula, miracula, tutelam & protectionem cælestem, reddebat eam celebrem & gloriosam apud omnes Gentes, ut Iosephus aiebat, & Regius Propheta David, & Isaias *l*. Quæ in Christi Ecclesiam verissime quadrant, cuius gloria summa est Christus in medio eius, inquit S. Hieronymus, Haymo, Albertus & Remigius.

V. 6. O, O FUGITE Iudæi, DE TERRA AQUILONIS, id est e Babylone, quæ respectu Iudææ est Aquilonaris: QUONIAM si Babylone substiteritis, ex nunc divino decreto meo IN QUATUOR VENTOS CAELI DISPERSI vos, dispersurus & reipsa suo tempore. Expugnata enim per Darium Hystaspis Babylone iam iterum rebelli (quod factum biennio post hanc *m* Zachariæ prophetiam, nempe anno 4. Darii, industria Zopyri seipsum mutilantis & ad obsessos transfugientis, ut narrant Iustinus, Herodotus, Torniellus, Gordonus *n*, & alii) vos quoque istic deprehensi, dispergemini, & quasi socii rebellium mulctabimini, atque ut minimum, in novum exilium deportabimini. Quare præstat, ex nunc inde demigrare in optatam patriam.

V. 8. QUIA HAEC DICIT DOMINUS EXERCITUUM, quod POST redditam Ierosolymæ GLORIAM divinæ suæ præsentiæ in templo, (de qua vers. 5.) MISIT ME Gabrielem AD GENTES pessumdandas, QUAE VOS *ante* SPOLIAVERUNT, id est, ad excidendos Babylonios, Idumæos, Philisthæos, Ammonitas, Moabitas, &c. ita Chaldæus, Hugo, Mariana & a Lapide. Et sensu allegorico principalius intento a Spiritu sancto, *Deus exercituum* Pater cælestis, cæli & terræ monarcha, *post gloriam* plena manu & mensura admensam Synagogæ, *me* Filium suum, Gabrielis antitypum, & *Deum etiam exercituum*, utpote *Deum verum de Deo vero*, *misit* quasi archistrategum suum, *ad gentes* &; nationes omnes totius terræ, ut eas debellem, exspoliem, mihique & Ecclesiæ meæ subiiciam per Apostolos & alios prædicatore Evangelicos, qui animas ereptas tyranni diabolo, mundo, carni, subiiciant Deo legitimo domino & regi totius universi: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Haymo, Remigius, Lyranus, Vatablus, Ribera & alii. Tam enim chari mihi vos estis, ac si *pupilla* o *essetis oculi mei*: unde quicumque vobis molestiam creat, me lædit. Gentes ergo vobis inimicas, in vestri gratiam, ne amplius noceant, omnes debellabo, & vel amicas vobis, immo subditas faciam; vel, si hostiles manserint, perdam & exscindam. Ita Iudeis fecit per Mardochæum & Estherem, per Nehemiam, per Machabæos. Sed plenius Christianis per Apostolos & Apostolicos viros, per Constantinum & alios Imperatores ac Principes Catholicos, inquit Albertus, Hugo & alii iam citati. Unde merito nomen Christo *p*, *Accelera spolia detrahere*, *festina prædari*. Sic notum toti orbi fiet, quod

V. 12. DOMINUS POSSIDEBIT IUDAM, & de Iuda prognatam Ecclesiam, quasi PARTEM SUAM *q*, id est peculium proprium, seu portionem sibi hereditariam, IN TERRA divino cultu suo SANCTIFICATA, & præsentia corporali filii sui, quin & sanguine quoque ipsius nobilitata.

V. 13. QUIA *Dominus* noster, qui tot iam millibus annorum, permittendo mundum universum in dominio & potestate diaboli, mortis & inferni, visus est quasi dormire, tandem excusso somno, CONSURREXIT DE thalamo & HABITACULO SANCTO SUO, vires suas gigantæas *r* & arma cælestia expediens, primo per Mardochæum, ut dixi, & Machabæos prodromos Filii sui, deinde per ipsummet Filium suum e sinu paterno emissum, & in hostes immissum. A cuius FACIE, seu in cuius conspectu, si sapit, SILEAT OMNIS CARO;

caro; id eſt, nemo illi reclamet, nemo rebellet, repugnet, recalcitret, ſed omnes ſummo ſilentio, reverentia, timore, tremore, ſubiectione, & gratitudine, ipſum agnoſcant, ſuſpiciant, amplectantur, celebrent & colant: ita S. Cyrillus, Theodoretus & alii. His verbis olim in Liturgia S. Iacobi, dum ſacerdos ad altare ſacrificaturus accederet, excitabatur populus ad debitum tantis myſteriis præſtandum ſilentium, attentionem & reverentiam, Diacono præeunte & proclamante: *Sileat omnis humana & mortalis caro, ſtetque cum metu ac tremore*. Et ſimilia inclamabunt angeli cum Chriſtus in vallem Ioſaphat ad extremum iudicium deſcendet, inquit S. Hieronymus, Haymo, Vatablus & Lyranus.

(a) Geneſ. xxiv. 52. & Lucæ i. 54. & 69. Act. iv. 27.
(b) II. Eſd. ii. 27.
(d) Iſaiæ xlix. 20. Ierem. xxxi. 38.
(d) Ioſeph. Lib. VI. Belli cap. vi.
(e) Hebr. xii. 29.
(f) Iſaiæ xxvi. 1. Pſal. xxiv. 2.
(g) Lact. Lib. II. Inſtit. cap. xiii.
(h) Exodi xiii. 21. & Sap. x. 17.
(i) IV. Reg. ii. 11.
(k) IV. Reg. vi. 17.
(l) Ioſeph. Lib. XII. Antiq. cap. xxvi. Pſ. lxxxvi. 3. Iſaias cap. ix. 2.
(m) Zachar. 1. 7.
(n) Iuſtin. Lib. I. in fine. Herod. Lib. III. in fine Torniell. anno mundi 2532. Gordonus in Chronol.
(o) Deut. xxxii. 10.
(p) Iſaiæ viii. 3.
(q) Deut. xxxii. 9.
(r) Pſal. xviii. 7.

GORDONI.

Verſ. 1. ET LEVAVI OCULOS, &c. Vir hic Angelus eſt: funiculus menſorius deſignat reædificationem futuram. Hinc verſ. 4. multitudo habitantium deſignatur, & verſ. 5. præſentia Dei, pro muro igneo, quæ omnia commode accommodantur etiam Eccleſiæ Chriſti. Quod eſt verſ. 4. LOQUEBATUR IN ME, hoc eſt, mihi. Hebr. הדבר בי *hadaber bi*.

V. 6. O FUGITE DE TERRA, &c. Hoc loco revocat Propheta ſuæ gentis homines in patriam, relictis Perſis, Medis, Aſſyriis; & præſertim relicta Babylone, ubi adhuc Iudæi plures ſoluta captivitate remanſerant, timentes, ne noviter reverſis ſimile excidium eveniret, ac prius ſub Nabuchodonoſoro.

V. 8. QUIA HAEC DICIT DOMINUS EXERCITUUM, &c. Clarum eſt hæc verba referenda eſſe ad ea quæ inſequuntur verſ. 9. & deinceps. POST GLORIAM MISIT ME DOMINUS, iuxta ſenſum litteræ, intelligere oportet loqui adhuc Angelum protectorem; quaſi dicat: Poſt glorioſum reditum a captivitate miſit me Dominus ut gentes illas Domino ſubiicerem, & ſint præda his quos ſubiugarunt: verum alter etiam ſenſus de Chriſto & allegoricus, valde commode hic locum habet; ipſe enim hic allegorice loquitur, & miſſus eſt a Deo, qui ſpirituali Iſraeli & Eccleſiæ ſuæ gentes ſubiugaret. Cetera hinc clara ſunt.

CA-

CAPUT III.

Iesus sacerdos exutus sordidis, induitur mutatoriis, qui iudicaturus est domum Domini, si in viis ipsius ambulet: adducet Dominus servum suum Orientem: & de lapide agit super quem septem oculi sunt.

1. ET ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & satan stabat a dextris eius ut adversaretur ei. 2. Et Dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem: numquid non iste torris est erutus de igne? 3. Et Iesus erat indutus vestibus sordidis: & stabat ante faciem Angeli. 4. Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis. 5. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus: & Angelus Domini stabat. 6. Et contestabatur Angelus Domini Iesum, dicens: 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris; tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic assistunt. 8. Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego (a). ADDUCAM SERVUM MEUM ORIENTEM. 9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem unum septem oculi sunt: ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terræ illius in die una. 10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.

(a) Luc. 1. 78.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. ANGELO, scilicet Michaele principe Synagogæ, secundum quosdam. SATAN. LXX *diabolus*. A DEXTRIS. Hunc locum capit & qui defendere, & qui opprimere vult, quod dextra potior sit hominis pars & valentior, adeoque ea defensa stat, victa cadit. Vide Ps. XV. & CVIII. ADVERSARETUR, id est accusaret.

V. 2. INCREPET; pro, increpabit, id est reprimet; quasi dicat, Ego te cohibebo. Solet Deus de se loqui tamquam de tertia persona. Vide Gen. XIX. num. 12. IN TE; pro te. Hebr. ET INCREPET; quasi dicat: Et omnino te impediet, ne scilicet quidquam possis contra Iesum, aut templi ædificationem. Nota vero, ter *Dominum*, forte indicare Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. ELEGIT, scilicet ut in ea sit eius templum, vultque ædificari. TORRIS; pro, ut torris, id est titio. IGNE, scilicet captivitate.

V. 3.

V. 3. INDUTUS; scilicet sic apparebat in visione illa. SORDIDIS, significantur eius peccata: forte quod populum non reprehendit, ut debuit, peccantem; cum præsertim eius nepotes etiam duxissent alienigenas. Vide Esd. x. STABAT, scilicet iu dicandus; vel opem expectans.

V. 4. QUI, scilicet Angelus Michael, de quo proxime. EOS, scilicet minores Angelos. ABSTULI; quasi dicat, Per hoc significo ablatam a te iniquitatem tuam. INDUI; pro, induam. MUTATORIIS, id est pretiosis vestibus, talibus enim solent viles mutari. Chald. *iustitiis*. LXX. *veste talari*.

V. 5. CIDARIM, id est tiaram pontificiam. VESTIBUS, scilicet pontificiis. ANGELUS, scilicet qui hæc fieri præceperat.

V. 6. CONTESTABATUR, id est velut coram testibus monebat.

V. 7. EXERCITUUM. LXX. *omnipotens*: sic infr. CUSTODIAM MEAM, id est quod custodiri præcepi. LXX. *præcepta mea*. QUOQUE; quasi dicat, Id est etiam dabo, ut, &c. IUDICABIS DOMUM MEAM, id est populum meum reges, ut solent Pontifices. Chald. *iudicabis templi ministros*. CUSTODIES, scilicet ut præfectus. AMBULANTES, scilicet tecum, id est protegentes. HIS, scilicet Angelis. Chaldæus intelligit promitti ei conversationem inter Angelos post resurrectionem.

V. 8. PORTENDENTES, id est factis suis futura figurantes, scilicet omnia illius populi facta, figura erant futurorum. LXX. *portentorum spectatores*. Chald. *digni quibus fiunt miracula*. ORIENTEM, scilicet Christum. Chald. *Messiam*, scilicet ortus est mundo velut sol: unde, *Oriens nomen eius*, Zachar. vi. &, *Oriens ex alto*, Luc. i. Vel *oriens* dicitur, id est *germen*: id enim significat vox Hebr. quomodo vertitur Ierem. xxiii. & xxxiii. Isa. iv. & etiam Græca ἀνατολὴ, in LXX. & in Luca, ut quidam notant: dicitur autem *germen*, scilicet e radice Iesse surculus.

V. 9. LAPIS, scilicet Christus, qui *lapis angularis & offensionis*, *abscissus de monte*, &c. DEDI, id est promisi me daturum. CORAM IESU, scilicet in revelatione proxima de Oriente. UNUM, scilicet singularem, de quo proxime dictum. OCULI, id est dona Spiritus sancti, vel Angeli, de quibus Apocal. i. & v. Tob. xii. Zachar. iv. Vide etiam Apocal. viii. 15. 16. & 17. scilicet per Angelos plurimos (id enim *septem* significat) mundum gubernat. SCULPTURAM, scilicet passionem, ubi velut cælatus clavis & virgis, vel perfectionem animæ ornatæ donis. ILLIUS, scilicet ubi passus fuerit, nempe Iudææ, vel mundi, quantum est ex parte pretii dati pro redemptione. UNA, scilicet passionis.

V. 10. DE ILLA, scilicet tempore Evangelii. VIR, id est quisque. VITEM; quasi dicat: Pax erit, & convivabuntur secure invicem. Vide Isa. ii. Ose. ii. Mich. iv. Intellige vero fructus spirituales.

ESTII.

Vers. 1. ET OSTENDIT MIHI DOMINUS IESUM SACERDOTEM MAGNUM: ET SATAN STABAT, UT ADVERSARETUR EI. Et vers. 3. ET IESUS INDUTUS ERAT VESTIBUS SORDIDIS: Ecce Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum; qui non tantum nomine, sed & re gesta, quæ hic describitur, aperte prætulit figuram Christi Salvatoris. Primum scilicet, quando satanæ stanti a dextris eius, ut adversaretur ei, adempta est omnis potestas nocendi. Ita enim Christus de se loquitur Ioan. xiv. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam*. Deinde in eo quod dicitur: *Iesus erat indutus vestibus sordidis, & dictum est astantibus: Auferte vestimenta sordida ab eo*. Quid autem per vestimenta sordida intelligatur, exponit ipse Dominus, quando ablatis iis sic Iesum hunc, filium Iosedech alloquitur: *Ecce abstuli a te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis*. Igitur vestimenta sordida iniquitatem significant; non ipsius Christi Domini nostri, qui fuit Agnus sine macula, in cuius ore dolus inventus non est; sed iniquitatem humani generis: sicut Isaias dicit cap. liii. *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*. Hanc iniquitatem Deus pater abstulit ab eo, *& induit eum mutatoriis*, quando post passionem excitavit eum a mortuis, induens eum veste immortalitatis; & sicut Apostolus ait ad Philipp. ii. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen*.

MARIANAE.

Verf. 1. CORAM ANGELO DOMINI. Quasi coram Iudice videt Iesum ftantem. Atque eum Michaelem putant. ET SATAN. Diabolus templi inftaurationem impedire volebat. A DEXTRIS EIUS. Quia vera erat accufatio, ut Hieronymus ait, contra Legem Iudæos duxiffe alienigenas, I. Efdræ x. 2. Malach. II. 11. UT ADVERSARETUR EI, fua fcilicet accufatione. Iuftinus contra Tryphonem ait, accufatum a dæmone Iefum facerdotem, quod duxiffet uxorem meretricem.

V. 2. INCREPET DOMINUS. De fe loquitur Deus in tertia perfona; pro, increpo ego. IN TE, id eft te. QUI ELEGIT IERUSALEM, id eft ei placuit. TORRIS EST ERUTUS DE IGNE? Simili loquendi forma utitur Amos IV. 11. Significat, mirum non effe, fi ex igne Babylonico fordes adhæferunt, ut torris fuligine plenus & fœdus eft, fic & Iefus ille, quiinduitus hac de caufa dicitur

V. 3. VESTIBUS SORDIDIS: ob coniugia illicita, aut ob alia populi peccata: Hieronymus.

V. 4. QUI RESPONDIT, locutus eft is fcilicet Angelus, ante quem Iefus ftabat. AD EOS QUI STABANT CORAM SE, id eft ad minores Angelos. AUFERTE VESTIMENTA SORDIDA, facite ut uxores alienigenas relinquant, aut mores mutent. INDUI TE MUTATORIIS, veftibus novis & mundis; feci ut alias uxores accipiatis, relictis prioribus.

V. 5. CIDARIM MUNDAM, capitis integumentum, facerdotii infigne, admonens munditia, ut eo munere fancte uteretur. ET INDUERUNT EUM; id eft, poftquam induerunt eum veftibus, impofuerunt capiti cidarim. ET ANGELUS DOMINI STABAT. Eo præfente hæc omnia funt facta, quem Michaelem effe volunt.

V. 6. ET CONTESTABATUR ANGELUS, palam & teftato monebat Iefum coram teftibus.

V. 7. TU QUOQUE IUDICABIS, fimul cum Zorobabele iudicabis populum. Non excluduntur facerdotes a magiftratibus profanis & cura populi. ET CUSTODIES ATRIA MEA, fungeris facerdotio. ET DABO TIBI AMBULANTES; id eft, ex hoc Angelorum numero, qui hic adftant dabo cuftodes. Hebr. *dabo tibi vias inter ftantes hos*, fcilicet ut curfu vitæ peracto, inter Angelos verferis. Præfentem & futuram felicitatem.

V. 8. TU ET AMICI TUI. Viri iufti, qui tecum funt, audite. QUI HABITANT CORAM TE, QUIA VIRI PORTENDENTES SUNT, id eft Prophetæ, qui futura nuntiant, atque adeo probi ii funt. Heb. *quia viri portenti*. Viri boni funt quafi portentum, quia rari, aut digni per quos miracula fiant. Hebræi putant hos fuiffe *Ananiam*, *Azariam*, *Mifaelem*, & vocari *viros potenti*, quia ab igne funt liberati. Gotth. *quia viri portentes funt*, id eft portentuofi. Sept. τερατοσκόποι, *portentorum infpectores*. Simul adverte, quales domeftici Pontificum effe debeant. Præterea, Deum arcana fua viris probis aperire, non aliis. SERVUM MEUM ORIENTEM. Sic Sept. Hebr. *fervum meum germen*, id eft cuius nomen eft *Germen*; fic Chriftus vocatur *Oriens*. Luc. I. 78. Græce ἀνατολὴ, *germen*, Ifai. IV. 2. & Ierem. XXXIII. 15. Chald. his locis per *germen*, Meffiam intelligit, tum hic habet: *Ecce ego fervum meum Meffiam adduco*. צמח *Zamah*, *oriri* & *germinare* fignificat: fic alii *orientem* vertunt, alii *germen*.

V. 9. QUIA ECCE LAPIS, QUEM DEDI, fcilicet lapis fundamenti, fuper quo fabrica extruitur. Hebræi hunc putant fuiffe Zorobabel, qui fimul cum Iofue populum rexit: nos Chriftum dicimus, qui eft fundamentum Ecclefiæ, quam fignificat templi ftructura & inftauratio. SUPER LAPIDEM UNUM SEPTEM OCULI SUNT. In lapide fundamenti folent excavari figilla, quibus includuntur ftipes auri & argenti, perpetuitatis argumento. Ea figilla vocantur *oculi*. Aut *feptem oculi* fit Dei cuftodia, qua protegit tum lapidem, tum totam fabricam ab hoftibus, quod cap. IV. verf. 10. continetur: qui *feptem*, id eft multi funt. Aut per *feptem oculos* dona Spiritus fancti intellige, quæ in Chrifto fuerunt. ECCE EGO CAELABO SCULPTURAM EIUS: poliam, ornabo, incifis variis figillis. Hebr. *aperiam aperturam eius*: fic *fculptura* vocatur; aut fortaffe fignificat figilla, quæ excavari in eo lapide diximus. ET AUFERAM INIQUITATEM TERRAE ILLIUS; id eft totius gentis. IN DIE UNA, id

id est simul & uno tempore, per Christi adventum & mortem.

V. 10. SUBTER VITEM, &c. Hebr. & Sept. *subter vitem vocabit quisque amicum*, id est summa pax erit. Convivia instruent vir, id est quisque in suis prædiis, ad eā amicos invitabunt.

MENOCHII.

Vers. 1. IESUM: filium Iosedech, qui eo tempore vivebat, iamque Babylone redierat in Ierusalem, ibique erat summus Pontifex. CORAM ANGELO: Michaele tutore Synagogæ, qui pro eius capite Iesu-Pontifice contra satanam decertat, stat Iesus tamquam reus, Angelus ut advocatus, satanas ut accusator, Deus ut Iudex.

V. 2. INCREPET DOMINUS IN TE. Dominus reprimet, & compescet furorem tuum, ne summo sacerdoti noceas, aut templi ædificationem impedias; loquitur Deus de se in tertia persona, ac si de aliquo alio loqueretur more Scripturæ. Alii putant hic non Deum loqui, sed Angelum Michaelem, eumque invocare Deum, ut satanam increpet, & compescat. QUI ELEGIT IERUSALEM: ut in ea sibi templum ædificaretur. NUMQUID NON ISTE TORRIS EST ERUTUS DE IGNE? id est ut torris; quasi dicat, Liberavit eum Dominus de incendio captivitatis Babylonicæ, quo ambustus est, sed illum Deus eripuit ne penitus absumeretur; quare frustra niteris perdere eum, quem Deus liberare decrevit.

V. 3. INDUTUS VESTIBUS SORDIDIS. *Iesus*, inquit D. Hieronymus, *indutus erat vestibus sordidis tripliciter, vel ob coniugium illicitum; vel ob peccata populi, vel propter squallorem captivitatis*. ANGELI: Michaelis.

V. 4. RESPONDIT, id est locutus est. AD EOS QUI STABANT CORAM SE: ad minores Angelos. INDUI TE MUTATORIIS: vestibus pulchris, & pretiosis, quæ gratiam, & virtutes, & dona significant, ut Lucæ XV. videmus in filio prodigo per pœnitentiam gratiæ restituto. Chald. *Indui te iustitiis*.

V. 5. CIDARIM. Est Cedaris ornamentum capitis Pontificis, Exod. XXVIII. 36. & alibi.

V. 6. CONTESTABATUR, &c. id est gravi oratione palam admonebat, quasi adhibitis testibus, ut remissionem peccatorum, & Pontificiam dignitatem consecutus, mandata Dei diligentius servet, & ab aliis servari curet.

V. 7. CUSTODIAM MEAM. LXX. *Præcepta mea*. TU QUOQUE IUDICABIS DOMUM MEAM: simul cum Zorobabele iudicabis, & gubernabis populum meum. CUSTODIES ATRIA MEA: tuæ curæ concredentur templum, & atria. DABO TIBI AMBULANTEM DE HIS: dabo tibi ex hoc angelorum numero, qui mihi adstant, quorum circumvalleris auxilio, & ab omni hostium fraude securus sis.

V. 8. AUDI IESU: propter magnitudinem rei dicendæ denuo captat attentionem. TU, ET AMICI TUI, id est ceterique prophetæ amici tui, verbi gratia, Aggæus, Zacharias, &c. QUIA VIRI PORTENDENTES SUNT: portenta Israelis, factis, & oraculis admirabiles, & portentosi, portendentisque, & præmonstratis Christum, & eius mysteria. SERVUM MEUM ORIENTEM. In Hebræo est, צמח *tsemach*, id est *Germen oriens* (substantive, est enim in Græco ἀνατολή, non ἀνατέλλων) sive *germen* dicitur Christus, qui ex emortua fere Patriarcharum radice, tamquam novus surculus prodiit, & defossus in terra germinavit, & in magnam arborem crevit, cuius rami sunt filii Ecclesiæ.

V. 9. QUIA ECCE LAPIS, &c. id est, quem Iesu ostendi per revelationem, quem prius vocari *germen*, & *orientem*, & nunc appello *lapidem* propter soliditatem, & fortitudinem, qua omnia regna contriturus est, & potissimum quia futurus est lapis angularis veri templi, id est Ecclesiæ, expressæ typo templi, quod nunc ædificat Zorobabel. SEPTEM OCULI SUPER LAPIDEM UNUM; id est, in uno lapide incisi septem oculi significant plenam, & perfectam Christi providentiam, & vigilantiam circa templi, id est Ecclesiæ suæ fabricam erigendam, augendam, promovendam, & conservandam. Alii de septem spiritus sancti donis intelligunt, quæ animam illuminant, & quodammodo oculatam reddunt. CAELABO SCULPTURAM EIUS: clavis crucis, lancea militis, & flagellis, quibus cæsus est. IN DIE UNA: in die passionis Christi.

V. 10.

V. 10. VIR, id est unusquisque. VOCABIT SUBTER FICUM: pax erit, & convivabuntur secure invicem, communicantes inter se bona spiritualia quibus abundabit Ecclesia.

TIRINI.

Vers. 1. DOMINUS per angelum Gabrielem, OSTENDIT MIHI in visione, IESUM filium Iosedech, nuper in reditu e Babylonia designatum SACERDOTEM MAGNUM, seu summum Iudæorum pontificem: quem Iosephus *a* dicit vixisse toto tempore imperii Darii Hystaspis. Hinc cum pro munere suo Iudæos e longo exilio in patriam reductos, & iam pene oblitos legis cultusque divini, deberet instruere, & ad legis implenda præcepta perurgere, ad templum excitandum provocare *b*, a matrimoniis cum alienigenis uxoribus evertere; segnior in his & iusto remissior erat, sinebatque etiam proprios filios & fratres suos alienigenis copulari, ut dicitur I. Esdræ x. 18. ita Chaldæus, Lyranus, Vatablus, Sa, Mariana & a Lapide. Interim pontificio fungens munere supplicabat Deo pro salute populi, pro urbis & templi restauratione, pro reliquis Iudæorum familiis e Babylonia & Perside in patriam reducendis, inquit Ven. Beda, Vatablus & Arias. Indignum hoc visum *Satanæ*, id est adversario; LXX. *diabolo*, puta *Lucifero*, principi dæmoniorum. Qui si veteris testamenti pontificibus *satan*, id est adversarium, se præbuit, multo magis Pontificibus novi testamenti, a quibus quasi capitibus pendet salus totius Ecclesiæ. Sed iisdem tamquam custos & propugnator assistit Luciferi antagonista Michael Archangelus, qui technas & insidias principis tenebrarum facile dispellet. Ergo ad Iesum Iudæorum pontificem spe & supplicatione sua, quin & pontificatu deturbandum insurgit hic Lucifer. Indignum enim illi videbatur, obnoxium non levibus peccatis audiri a Deo, & vice ipsius fungi in Synagoga. Stat ergo ut actor in iudicio adversus Iesum, CORAM ANGELO DOMINI Michaele, Dei vicario & principe *c* Synagogæ. Iure enim merito victor Luciferi constituitur etiam iudex ipsius. Quin & omnes Ecclesiæ causas, adeoque & animarum iudicium immediate a morte cuiusque hominis, S. Michaeli tamquam iudici delegata esse a Deo, videtur communis Ecclesiæ *d* sensus, & ita piis quibusdam *e* personis revelatum. Licet Bartholomæus Sybilla velit particulare iudicium per angelum cuiusque custodem exerceri. Stat autem Lucifer, utpote *princeps* tunc totius *mundi f*, & actor in hac causa, pontifici reo A DEXTRIS. Sed dum in reo accusando vehementius excandescit, nimisque improba petit, Deoque indigna, imo iniuria; non expectato rei responso,

V. 2. DOMINUS *g*, nempe iudex Michael, vicarius Dei, DIXIT AD SATAN: INCREPET *h* DOMINUS IN TE; id est, Deus increpatione, obiurgatione, imperio suo divino reprimat & compescat audaciam, nequitiam, impudentiam tuam, qua audes, occasione erratorum ab infirmo homine admissorum postulare non solum subversionem ipsius, sed & totius Ierosolymæ ac Synagogæ ruinam: quam tamen probe nosti electam a Deo, ut templo in ea restaurato, colatur ibidem & adoretur a toto mundo. Et ad *Iesum* quod attinet, an nescis, ipsum ex incendio Babylonico, quo & avus *i* eius, & pene reliqua tota familia conflagravit, instar ambusti TORRIS *vix erutum*, & hucusque reductum, ut opera illius templum, urbs & religio, iuxta divina promissa restauretur? aut forte vis morte ipsius, promissa divina aboleri, Deumque mendacem fieri?

V. 3. IESUS autem, utpote reus, INDUTUS VESTIBUS SORDIDIS, nudo capite, intonsa coma, oculis flebilibus in iudicem defixis, STABAT coram tribunali, gratiam orans & opem. Habes hic typum veri *Iesu* cum eodem Lucifero primo *in deserto* k, dein in horto *Gethsemani*, denique & in *cruce* colluctantis, coram divino tribunali vere sordidati tum sceleribus nostris, tum sanguine suo, & sputis, sanie, vulneribus ab hoste inflictis, inquit S. Hieronymus, Ambrosius & Gregorius *l*. Et tamen his ipsis sordidis plagis ac vulneribus Luciferum sternentis, & de toto inferno ac mundo triumphantis.

V. 4. PRO MUTATORIIS, id est speciosis ac pretiosis vestibus, quales die festo cum aliis quotidianis commutari solent, LXX. habent, *podere m*, id est tunica pontificia. Qua, ut & *cidari n*, id est mitra, seu tiara iussu iudicis reddita Iesu,

designabatur, reddi illi liberum usum & continuationem pontificiæ potestatis: ut per illud, ABSTULI A TE INIQUITATEM TUAM, de qua v. 1. pronuntiabatur absolutio ipsius in iudicio, & causa Lucifero adiudicabatur. Quæ omnia Christo recens mortuo ac deinde resurgenti commodissime adaptes, cum Origene, Tertulliano, Eusebio o & aliis iam citatis.

V. 7. SI tu, o Iesu, eum posteris tuis, CUSTODIAM; id est legem, MEAM exacte CUSTODIERIS, & per te, perque tuos subditos observari curaveris; TU QUOQUE, non minus quam Zorobabel, IUDICABIS, id est, instar principis reges DOMUM p MEAM, seu familiam Israeliticam; quasi dicat: Non solum ut pontifex CUSTODIES ATRIA templi mei, custos supremus ac præfectus omnium sacrorum; sed etiam ut princeps sæcularis, reges totum Israelem. Nam post reditum e Babylonia, summa potestas ac regimen Iudæorum, teste Iosepho q penes *pontifices* fuit, regibus Persarum, quibus omnes subditi erant r, ita iubentibus s. ET DE HIS *angelis* QUI NUNC HIC tribunali ASSISTUNT, DABO AMBULANTES TIBI: qui te tuosque comitabuntur ubique, & suo auxilio dirigent, protegent, promovebunt, inquit S. Hieronymus, Hugo & Lyranus: Chaldæus, *in resurrectione mortuorum suscitabo te, pedesque veloces inter Seraphim istos ambulantes tibi donabo.*

V. 8. AUDI NUNC IESU, TU ET AMICI TUI Prophetæ, Zacharias, Aggæus, Malachias, Zorobabel, Esdras, Nehemias, &c. QUIA ut tu, ita & ipsi SUNT VIRI PORTENDENTES futura: nam & factis & oraculis suis portendunt venturum Christum, eiusque vitam, doctrinam, passionem, & alia mysteria. *Audi* ergo nunc, quid portendat illa, quam servo meo Zachariæ per visionem exhibui, accusationis, absolutionis & revestitionis tuæ tragicomœdia. Tu Iesus in scenam inductus reus & sordidatus, contra (sed frustra) nitente Lucifero, a me liberatus es ab omni iniquitate tua, & exauditæ preces tuæ pro communi populi tui salute, pro urbis & templi instauratione, pro reliquorum Iudæorum ab exilio in patriam reductione: quin & tu ipse stabilitus es a me pontifex & principes totius Synagogæ, ut sis in hoc opere primus lapis fundamentalis, tuaque providentia ac vigilantia inchoetur, promoveatur, perficiatur & fabrica, & populi adhuc exulantis reductio, & utraque tuis tuæque familiæ decorata insignibus, æternum tibi tamquam præcipuo ministro meo adscribatur. Hæc portendunt alium quemdam alterius longe nobilioris & fabricæ & reductionis auctorem. ECCE ENIM post quinque t sæcula *ego* in orbis theatrum, ac primo in Iudæam, e cælis ADDUCAM excellentem illud SERVUM, immo Filium MEUM Messiam, *germen*, u seu surculum cælestem simul & terrestrem, & divinum & humanum, secundum divinam suam naturam ex utero meo ORIENTEM ab æterno, secundum humanam exoriturum suo tempore ex utero Virginis. Unde merito nomen illi *Oriens*, tam *ex alto*, utpote sol totum mundum illuminaturus; quam ex imo, seu e terra, instar arboris viræ sanaturus & instauraturus omnia: ita fere S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius & alii SS. Patres ac Doctores.

V. 9. ECCE hic est nobilis ille ac toties a Prophetis x decantatus LAPIS Ecclesiæ fundamentalis & angularis, QUEM iam Zachariæ spectandum DEDI CORAM IESU typo & figura veri *Iesu*, id est salvatoris, veri, summi, æterni Pontificis ac mediatoris inter Deum & homines. Super hoc fundamentali lapide construetur fabrica templi mei spiritualis, nempe Ecclesiæ Catholicæ, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Albertus & Lyranus. SUPER *hunc* UNUM LAPIDEM SEPTEM, id est multiplices, OCULI partim intenti SUNT, partim infixi. Intenti sunt oculi omnium angelorum, & hominum sanctorum, tum ut iussa ipsius, tamquam domini ac principis sui, ad prosecutionem & perfectionem fabricæ excipiant, tum ut gratiam ab eo & media ad complendam fabricam, ad salutem & gloriam propriam & alienam promovendam accipiant: ita Lyranus, Vatablus, Fernandes & Sanchez. Ipse Zacharias infra z sic se explicat, ut & S. Ioannes in Apocalypsi *aa*, ubi *septem oculos* Christi uterque vocat *septem spiritus, qui missi discurrunt in universam terram.* Alludit ad *septem* primates regni Persarum, qui teste Hesychio & Suida *bb* vocabantur *oculi regis*, sicut erant & aliqui

aures

aures regis nominabantur. Infixi simul & inienti sunt primo, oculi divinitatis ipsius Christi, nempe plena, perfecta, perspicacissima providentia & vigilantia divina circa Ecclesiæ inchoationem, promotionem, conservationem & perfectionem. Secundo, oculi humanæ naturæ ipsius inditi, qui & ipsi *septem spiritus* ab Isaia vocantur, pura septem dona Spiritus sancti infusi partim intellectui, partim voluntati Christi; item multiplex ac perfectissima scientia tam naturalis, quam supernaturalis infusa Christo, qua perpetuo circumspicit, lustrat, providet, curat omnia necessaria, & protegit, promovet, perficit, Ecclesiæ suæ fabricam: ita S. Hieron. & alii citati. Porro *lapidem* hunc non committam vulgari cuipiam artifici, seu humano, seu angelico, cædendum, cælandum, sculpendum; sed ego ipse propria manu mea & præcidam de monte, & CAELABO, & po liam, & sculpam. Sculpam autem in eo, o quam nobiles *sculpturas!* stemmata nempe & insignia quibus inclarescere volumus per omnem æternitatem. Sunt autem hæc: primum, unio hactenus invisa, inaudita, substantialis & hypostatica Filii Dei cum humana anima & carne. Secundum, stupenda connexio gaudii beatifici & doloris, tædii, mœroris, tristitiæ lethiferæ *cc* in una eadem illius anima. Tertium, fixuræ clavorum, puncturæ spinarum, flagellorum, crucis & lanceæ; vibices, plagæ, vulnera, quibus totum corpus eius *a planta pedum usque ad verticem* dd *capitis* perfoditur. In Hebræo enim ad verbum hic est, *ecce ego aperiam aperturam eius*, seu quidquid in eo aperiri potest. Sed non frustra finet hic *lapis* tot plagis se incidi & excavari, nec sine fructu sanguineis his stemmatibus decorabitur. Nam per hæc primo, AUFERAM & remittam INIQUITATEM TERRAE ILLIUS, id est totius *ee* universi, idque IN DIE UNA, immo hora una, momento uno, id est semel & simul: nempe ipso momento mortis Christi, *deleto ff quod adversum* vos omnes *est* ferali *chirographo*, remittam ex parte mea peccata omnia toti universo. Secundo, iam nobili fundamento superstruam nobilissimam fabricam Ecclesiæ non ex solis Iudæis, sed & ex Gentibus omnibus, quæ undique ad ampliandam eius familiam ac regnum concurrent. Tertio, ex longa horrendaque captivitate ac servitute principis tenebrarum educam, & filio meo domum reducam non modo reliquias Synagogæ, sed & suo tempore regna omnia totius mundi. Quarto, bonorum omnium tam spiritualium, quam corporalium affluentiam, intuitu meritorum tam chari capitis, impertiam toti illius familiæ. Unde

V. 10. IN DIE ILLA victoriæ, resurrectionis ac triumphi Christi, & ex *die illa* deinceps, VIR quivis Ecclesiæ insertus, VOCABIT & invitabit ad lætas epulas & sympofia AMICUM quem volet suum, SUBTER VITEM ET FICUM suam. Qua phrasi & parœmia significant Hebræi plenam pacem, opulentiam & securitatem. Sicut sub Salomone *gg*, cum quisque dicitur *habitasse sub vite & ficu sua*, significatur, ipso imperante plenam fuisse pacem, & copiam omnium bonorum.

(a) Ioseph. Lib. XI. Antiquit. v.
(b) Aggæi I. I. & 2.
(c) Dan. x. 21. & XII. I.
(d) In Officio Eccles. de S. Michaele.
(e) B. Ioannæ de la Crux Religiosa tertii ordinis de Pœnitentia. S. Francisci. Lib. III. Vitæ B. Ioannæ cap. XII. Barth. Sybilla in Speculo peregrinarum quæst. decad. I. cap. II. quæst. VI.
(f) Ioan. XII. 31. 31. XIV. 30. XVI. II.
(g) Exodi xx. 2. Galat. III. 19. Iudic. VI. 12. Epist. Iudæ vers. 9.
(h) Psal. cv. 9.
(i) Psal. lxvii. 31. Lucæ viii. 25. Mar. iv. 39.
(k) Matt. IV. I.
(l) Ambros. in Psal. cvii. 33. Greg. Lib. XX. Mor. cap. XVIII.
(m) Sap. XVIII. 24. Eccli. XXVII. 9. Apoc. I. 13.
(n) Exodi XXVIII. 36. & 40.
(o) Orig. hom. XIV. in Luc. Tertull. Lib. III. cont. Marcion. cap. VII. Euseb. Lib. IV. Demonst. ult
(p) Num. XII. 7.
(q) Ioseph. Lib. XI. Antiq. cap. IV.
(r) II. Esdr. IX. 36.
(s) I. Esd VII 25. & 26.
(t) Chronici XXXXI. & seqq.
(u) Isaiæ IV. 2. II. I. & Ierem. XXXIII. 15.
(x) Isaiæ XXVIII. 16. Zachar. VI. 12.
(y) Matt. XVI. 18.
(z) Zach. IV. 10.
(aa) Apoc. v. 6.
(bb) Hesych. & Suidas in voce ὀφθαλμὸς βασιλέως.
(cc) Matth. XXVI. 38.
(dd) Isaiæ I. 6.
(ee) Psal. II. 8. Matth. ult. 18.
(ff) Coloss. II. 14.
(gg) III. Reg. IV. 25.

GORDONI.

Verſ. 1. HAEc uſque ad verſ. 8. per viſionem apparuerunt, & revelata ſunt Zachariæ. Erat hoc tempore ſummus ſacerdos Ieſus filius Ioſedec, quod male aliqui negant, aſſerentes tunc fuiſſe mortuum, & Ieſum hic ſumi pro poſteris. Sane huic nominatim fit promiſſio verſ. 8. & clare conſtabit ex cap. vi. 11. & apertiſſime Eccleſ. cap. xlix. 13. ita cum aliis multis Hiero. & Aug. Lib. XII. contra Fauſtum cap. xxxvi. Satan hoc loco eſt adverſarius & dæmon hoſtis Eccleſiæ & bonorum. Hunc Deus reprimit verſ. 2. impeditque ne noceat oranti Pontifici. Loquitur Deus (ut notat Mariana) in tertia perſona, INCREPET TE DOMINUS, hoc eſt, ego te increpo: NUMQUID NON ISTE EST TORRIS, &c. tropologice quivis peccator opera concionatoris revocatus a peccato ad ſaniorem mentem poteſt dici torris erutus de igne; in præſentia vero intelligitur populus iſte rediens ex igne vexationis Babylonicæ, velut torris adhuc fuligine plenus: cui ſcilicet adhæſerunt ſordes; ſed mutabit veſtem Pontifex & Deo protegente erunt nitidiora omnia.

V. 7. En cuſtodientibus mandata Dei promiſſionem apertam, & ſpeciatim factam Pontifici, nec defuturos, ait Deus, aſſiſtentes Angelos. DABO, inquit, TIBI AMBULANTES, certe ex hoc Angelorum numero, & qui nunc aſſiſtunt ut cuſtodes ſint. Hebr. *dabo tibi vias inter ſtantes hos*. Sept. *ἀναμέσον τῶν ἑστηκότων τούτων*.

V. 8. AUDI IESU SACERDOS MAGNE, &c. Clara prophetia de Meſſia: loquitur Deus, ECCE EGO ADDUCAM SERVUM MEUM MESSIAM. Noſter & Sept. *τὸν δοῦλόν μου ἀνατολὼ*, orientem. Sic Luc. 1. 78. Chriſtus vocatur oriens: vocatur etiam germen, Iſa. iv. 2. Hinc vocem Hebraicam צמח *tſemach*, aliqui orientem, alii germen vertunt: revelatio etiam fit his qui habitant cum Pontifice, & vocantur viri portenti, viri prodigiorum. Sept. *τερατόσκοποι*, *portentorum ſpectatores*, quæ facturus eſt Deus per Apoſtolos, vel etiam ſpeculatores myſteriorum Dei: & tales ſecum habere debent magni Pontifices.

V. 9. QUIA ECCE LAPIS, &c. Iam alia metaphora Chriſtus vocatur lapis angularis, & appoſite ſane, ad lapides quibus extruebatur templum ubi Chriſtus fundamentum eſt & angularis lapis, ut clare etiam habetur Iſai. xxviii. 16. ut ibidem notavi. Hic lapis eſt coram Ieſu, hoc eſt, illi revelatus. At quid eſt eſſe ſuper lapidem 7. oculos; an 7. dona Spiritus S. in Chriſto, Iſa. xi. ſed hoc tropologicum eſt; an vero 7. ſigilla pro more inſculpta lapidi fundamentali ad rei memoriam; an vero deſignentur 7. oculi in lapide angulari primario, qui ſolet poni in culmine: de qua re cap. iv. 7. & 10. denotantes perfectam providentiam Chriſti erga Eccleſiam, quam exercet per 7. Angelos primarios. Hoc ſane habetur infra cap. iv. 10. unde Apoc. v. 6. ubi 7. oculi dicuntur eſſe 7. Spiritus, &c. Ceterum lapis hic cælatus eſt, ubi cælaturæ ſunt oculi illi 7. cælati in lapide deſignantes ex hac ſculptura acerbam Chriſti paſſionem, quando clavis & virgis cælatus eſt pro humano genere. ET AUFERAM INIQUITATES, &c. Sic Chriſtus pro omni iniquitate ſatisfecit Deo, immo etiam abolevit quantum in ipſo erat, ac demum pacem attulit mundo & hominibus bonæ voluntatis.

CA.



CAPUT IV.

De candelabro aureo cum duabus olivis, lapide primario & stanneo, ac septem oculis Domini, & horum interpretatio: quodque templum a Zorobabel fundatum, ab ipso consummabitur.

1. ET reversus est Angelus, qui loquebatur in me, & suscitavit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.
2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud: † & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput
eius. 3. Et duæ olivæ super illud; una a dextris lampadis, & una a sinistris eius. 4. Et respondi, & aio ad Angelum, qui
loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi? 5. Et respondit
Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Numquid nescis quid
sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 6. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu,
nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum. 7. Quis
tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius. 8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: 9. Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad
vos. 10. Quis enim despexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram. 11. Et respondi, & dixi ad eum: Quid
sunt duæ olivæ istæ, ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? 12. Et
respondi secundo, & dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ olivarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro? 13. Et
ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi. 14. Et dixi: * Isti sunt duo filii olei, qui assistunt Dominatori universæ terræ.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 14. *Isti sunt duo filii olei*. sequitur in multis libris *splendoris*, sed superflue: id unde irrepserit, docent nostræ Notationes.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 2. *Et septem infusoria lucernis*. Multa manuscripta repetunt numerum *septem*, & *septem*, & *septem infusoria*, consentanee Hebræo.

NOTATIO.

Vers. 2. ET *septem infusoria* (*fusoria* o.) *lucernis quæ erant super caput eius*. Sic Latini plerique codices Græcis plerisque suffragantibus legunt. Porro unum Parisiensium Latinum manuscriptum Ge. p., unum

unum nostrum O, & quinque Hentenii, insuper Hieronymi commentariis adiunctus textus addunt alterum *septem & septem infusoria lucernis*, conformiter Hebræo, ac Chaldeo. Coniunctio quam repetunt Parisienses, & Hentenius, *Et septem & septem infusoria*, ut non est Hebraice, nec Chaldaice, ita neque in his quæ nos vidimus Latinis exemplaribus, O, & Hieronymiano textu, nec in Cardinalis Bessarionis libro, qui posteriori hoc modo est castigatus. Hieronymianus commentarius non indicat certo quid legerit: " Septem autem infusoria, inquit, " in quibus oleum sit, quod mittatur in lucernas, quæ super candelabro luceant, hoc " intelligi volunt (Hebræi) septem istas " gratias (Spiritus sancti) de cælo ad homines per Legem descendere: ac rursus: " Lucernas septem, & effusoria earum, & " ipsi (ecclesiastici viri) gratias Spiritus " sancti intelligunt: per quas oleum misericordiæ Dei & cunctarumque virtutum Ecclesia suscipit. " Quidam intelligunt lucernis singulis fuisse singula infusoria: ex quibus Scholiastes Hebraicus est, cuius hæc est versio: *Septem inquam sunt* (scilicet lucernæ) *& septem infusoria lucernis ipsis quæ sunt super caput illius*. Alii intelligunt singulis lucernis septem infusoria fuisse ad olei ministerium destinata. Græca Complutensis editio scribit: *Et septem infusoria septem lucernis quæ super illud*.

V. 14. Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori universæ terræ. Unum Parisiensium exemplar (Compl.) quatuor Hentenii, undecim nostra (Brug. Lob. Leod. L. H. &c.) ac nonnulla Epanorthotæ demunt *splendoris*: id quod apud Tractatores fere non legitur. Porro annotavit Hieronymus Hebræam vocem יצהר, quam ipse Symmachum sequutus vertit *olei*, Aquilam interpretatum esse *στιλπνοτητος fplencoris*, 70. duos *πιοτητος pinguedinis* Theodotionem, *λαμπροτητος claritatis*; hinc igitur quidam ad interpretationis varietatem indicandam iuxta textum scripsere *splendoris*, ut est in Haymonis commentario, & nostra Glossa ordinaria scripta: quod in textum tandem relatum est, & maiorem nunc librorum partem occupavit. Parisienses textu expulere; recte nostra sane sententia.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. REVERSUS EST, scilicet fuerat egressus, ut dictum cap. II. SUSCITAVIT, scilicet attonitus fuerat ad visionem præcedentem.

V. 2. CANDELABRUM, scilicet Ecclesia. AUREUM, scilicet Christus. SUPER CAPUT, id est in summitate. ET SEPTEM scilicet præterea, vel pro, id est septem, ut sit explicatio lampadis, ita enim quidam accipiunt, & *candelabrum* Christum dicunt. LUCENAE, scilicet iusti omnes, vel Ecclesiæ magistri, vel septem dona Spiritus sancti. INFUSORIA. Pars erat hæc lucernarum, per quam in eas oleum influebat. Quidam septem Sacramenta intelligunt, per quæ oleum gratiæ infunditur in homines.

V. 3. SUPER, id est iuxta. Putant autem quidam intelligi Eliam & Enoch. Vide Apocal. XI.

V. 4. SUNT, id est significant.

V. 6. IN SPIRITU MEO, id est per virtutem spiritus, quem dabo meis, scilicet fient in Ecclesia, quæ per ista, quæ hic apparent, significantur.

V. 7. QUIS TU, scilicet ut possis impedire Zorobabelem in ædificio templi, & Christum per illum significatum, in Ecclesiæ dedicatione? MONS MAGNE, id est diabole. IN PLANUM, scilicet deiicieris, seu deprimeris. LXX. *ut corrigas*. ET EDUCET, &c. quasi dicat, Mittet Pater Filium. Chald. *Et emerget Christus, cuius ab æterno nomen dictum est, qui omnium Regnorum imperio potietur*. PRIMARIUM, scilicet fundamentalem. EXAEQUABIT, &c. quasi dicat: Faciet respondere gratiam Christianorum gratiæ Christi, scilicet similes ei esse vita per gratiam, tamquam membra capiti, in quo summa gratia, iuxta illud, *Conformes fieri imagini filii sui*.

V. 9. MANUS, &c. quasi dicat: Ut Zorobabel istam domum cœpit & perfecit, ita Christus, qui ex eo nascetur, & per eum significatur, Ecclesiam ædificabit. ME, scilicet Christum.

V. 10. DESPEXIT; pro despiciat, vel despiciet. DIES PARVOS, id est paucos prædicationis Christi: vel *parvi* dicuntur, ob Christi vitæ totius humilitatem. STANNEUM, scilicet qui solet alligari in per-

pen-

pendiculo; quasi dicat: Magna erit lætitia cum Christus Ecclesiam ædificabit. SEPTEM, &c. explicat quid significent oculi, de quibus supra. DISCURRUNT. Angeli significantur, quorum ministerio Deus utitur in mundi gubernatione.

V. 11. RESPONDI, id est locutus sum.

V. 12. SPICAE. LXX. *rami*, scilicet pleni olivis, instar spicæ plenæ granis. ROSTRA, scilicet lucernarum, in quibus illud est, per quod infunditur oleum, quod hic *suffusorium* vocatur. At supra dixit esse *septem*; septem quidem omnia, sed duo extrema erant in candelabro iuxta quæ assurgebant olivæ.

V. 12. OLEI. LXX. *pinguedinis*; quasi dicat, Pingues gratia. ASSISTUNT, scilicet orantes pro populo Iudæorum, vel parati ad iussa: mittendi enim suo tempore Elias & Enoch in mundum, e loco ubi nunc vivunt, sive is paradisus est terrestris, sive alius locus.

ESTH.

Vers. 6. HOC EST VERBUM DOMINI AD ZOROBABEL, DICENS: NON IN EXERCITU, NEC IN ROBORE, SED IN SPIRITU MEO, DICIT DOMINUS EXERCITUUM. Post ostensam prophetæ visionem de candelabro aureo & lampade in eo posita, & duabus olivis, altera a dextris, altera a sinistris, dicitur tandem hoc esse factum verbum Domini ad Zorobabel; *Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus*. Per aureum candelabrum intelligitur ecclesia; per lampadem Christus, qui super caput candelabri positus est, quia *ipse caput corporis sui quod est ecclesia*, ad Ephes. v. eamque velut e sublimi universam illuminat. Duas autem olivas intelligunt Moysem & Heliam; qui cum Domino loquebantur in monte Matth. XVII. ut in Moyse, lex; in Elia prophetia intelligatur; quia Christus ab utroque testimonium accepit. Et responsum est Zorobabel: *Non in exercitu, nec in robore*, quibus verbis significatur verus Zorobabel, id est Christus, qui de semine Zorobabel nasciturus erat, non exercitu armato, aut humanis viribus redempturus genus humanum, aut subacturus adversas potestates, sed *in spiritu Dei*, tum quia de Spiritu sancto conceptus est, tum quia cuncta redemptionis nostræ mysteria in Spiritu Sancto peregit. Sententia quoque ista apte accommodari poterit ad principes Christianos, qui tametsi exercitum parent ad bellum, in Deo tamen præcipuum fiduciæ robur collocare debent.

MARIANAE.

Vers. 1. ET REVERSUS EST. Alio Angeli forma & spectrum recesserat; nunc novam revelationem affert.

V. 2. ET ECCE CANDELABRUM. Id Deum significat ex vers. 14. seu Christum. ET LAMPAS. Sic Sept. Alii, *lenticula*; alii, *phiala*, quæ erat in capite, id est in summo candelabro, fortassis oleo plena, ut inde lucernis alimentum esset. ET SEPTEM INFUSORIA. Hebr. *septem & septem*: sic Gotth. id est septena infusoria. *Infusorium* vas erat, unde oleum infundebatur lucernis, fortasse e phiala sumptum. QUAE ERANT, quæ lucernæ. SUPER CAPUT EIUS; hoc est, in summo candelabro eminebant illæ lucernæ.

V. 3. ET DUAE OLIVAE SUPER ILLUD, id est iuxta illud candelabrum, ex utroque phialæ & candelabri latere, quasi ex olivis oleum in phialam distillaret: ideo dixit, olivas esse ex utroque phialæ latere. Adverte, visionem esse, non rem gestam.

V. 4. ET RESPONDI; pro, & locutus sum. AD ANGELUM, QUI LOQUEBATUR IN ME, id est mihi. Quid sunt hæc? Respondet Angelus.

V. 6. HOC EST VERBUM DOMINI AD ZOROBABEL; id est, tota hæc visio ad Zorobabelem spectat, eius actiones significat: nam ut candelabrum sine ulla vi lucet, solum infuso oleo; sic ille non viribus suis & armis, sed ope mea templum extruet. SED IN SPIRITU MEO: supple, complebit opus. Oratio est defectiva.

V. 7. QUIS TU MONS MAGNE CORAM ZOROBABEL? Loquitur Angelus ad Sanaballat, qui templi fabricam impedivit, & vocat eum *montem magnum*, quod esset iis regionibus præfectus. Quis ergo es tu cum Zorobabele comparatus? IN PLANUM, seu *planitiem*, scilicet eris. Ibi punctus. Heb. accentus *Athnach*, hoc est, te ille superior erit, tuam arrogantiam deprimet. ET EDUCET LAPIDEM PRIMARIUM. Hebr. *& eduxit lapidem primarium*, cum scilicet ie-

iecit templi fundamentum, mensis noni die vigesima quarta, Aggæi II. 11. Chald. *& emerget Christus, cuius ab æterno nomen est*. Sane per *Zorobabelem* & *lapidem fundamenti* recte Christum, per *templum* Ecclesiam intelligimus. ET EXAEQUABIT GRATIAM GRATIAE EIUS; id est, Deus meritis Zorobabelis parem dabit gratiam. Hebr. *clamoribus* (id est cum clamoribus & iubilo posuit lapidem) *gratia gratia ei*, id est cum gratiarum actione totius populi, ob cœptum opus. Geminatio auget significationem; quasi dicat: Cum magna gratulatione cæptum est opus.

V. 9. MANUS ZOROBABEL. Qui cœpit fabricam, ipse complebit: & in eo, ait Propheta de se, cognoscetis, me a Deo missum esse.

V. 10. QUIS ENIM DESPEXIT DIES PARVOS? Heb. *diem parvarum*, scilicet acclamationum. Plausus, cum iacta sunt fundamenta templi, exiguus fuit propter populi infrequentiam, & quoniam continuo hostes opus impedierunt; sic hostes diem illum despexere. ET LAETABUNTUR, scilicet populus, cum viderit opus repeti. LAPIDEM STANNEUM, id est perpendiculum, *la plomada*. IN MANU ZOROBABEL, id est eo auctore & duce opus repeti vehementer lætabitur & plaudet. SEPTEM ISTI OCULI SUNT. Hi sunt septem oculi, de quibus capite superiori vers. 9. Dei protectio, qua fit ne opus impediatur.

V. 11. ET RESPONDI; pro, locutus sum. Quid sunt duæ olivæ? dicito.

V. 12. RESPONDI SECUNDO, id est dixi etiam. QUID SUNT DUAE SPICAE OLIVARUM? In olivis baccæ erant iunctæ inter se, quasi botrus, eas vocat *spicas*. QUAE SUNT IUXTA. Hebr. *in manu*, id est *iuxta*. DUO ROSTRA AUREA, id est uncinos. Rostra avium incurva sunt. Alii *ampullas* vertunt, quæ scilicet oleum continebant. Alii *fistulas*, scilicet per quas ex infusoriis oleum mittebatur in lucernas. Denique Hebr. vocis *zantheroth* vis & significatio est ignota. IN QUIBUS SUNT SUFFUSORIA, scilicet ex quibus uncinis pendent. Heb. *quæ* (fistulæ aut spicæ olivarum) *fundunt ex ipsis aurum*, id est oleum purum, quod ob colorem flavum, aurum vocat.

V. 14. ISTI SUNT DUO FILII OLEI, id est duo vincti, Zorobabel, ob potestatem regiam quam habuit, & Iesus sacerdos magnus; id significant duæ spicæ. QUI ASSISTUNT DOMINATORI: Deo scilicet quem scilicet candelabrum significat. Illi adhærebunt, eum sequentur.

MENOCHII.

Vers. 1. ANGELUS QUI LOQUEBATUR IN ME: vide dicta cap. 1. n. 9. SUSCITAVIT ME: qui visionem, quam capite præcedenti videram, ruminans, & admirans, hærebam quasi stupefactus & attonitus.

V. 2. ET ECCE CANDELABRUM AUREUM. Alludit ad candelabrum tabernaculi, quod fabricatus est Moses Exodi XXV. 31. Non tamen est idem plane cum illo, nam Mosaicum non habebat septem infusoria, nec duas olivas, ut hoc Zachariæ. Candelabrum hoc significat templum per Synecdochen; pars enim ponitur pro toto. Rursus candelabrum, & templum Ecclesiam significant, sensu sublimiori. LAMPAS. In Hebræo est גלה *gulla*, vas concavum, & sphæricum ad capiendum oleum. SUPER CAPUT, id est in summo stipite, sive hastili candelabri. ET SEPTEM LUCERNAE EIUS SUPER ILLUD: ex vase illo concavo, & sphærico prodibant septem rostra, sive canaliculi, aut tubuli, in orbem dispositi cum suis ellychniis ardentibus. ET SEPTEM INFUSORIA LUCERNIS. Quos canaliculos, sive tubulos vocavimus, eosdem appellat infusoria, quia per eos suggerebatur oleum ellychniis.

V. 3. ET DUAE OLIVAE SUPER ILLUD: hinc, & inde a latere candelabri duæ erant arbores olivarum.

V. 5. NUMQUID NESCIS? quasi dicat: Propheta es, & hæc non intelligis?

V. 6. Hoc EST VERBUM DOMINI AD ZOROBABEL; id est, hæc visio pertinet ad Zorobabel. NON IN EXERCITU, NEC IN ROBORE, &c. Est explicatio visionis; quasi dicat: Fabrica templi tam magni, & tam magnifici non perficietur industria vestra, sed Dei virtute, & spiritu vos adiuvante, & impedimenta tollente.

V. 7. QUIS TU MONS MAGNE, &c. Monte hoc significantur omnes æmuli, & potentes adversarii Iudæorum, qui conabantur impedire fabricam templi, quales erant Sanaballat, & Samaritæ, qui se opponebant Zorobabeli in restauranda urbe, & tem-

& templo. CORAM ZOROBABEL: ut audeas, te Zorobabel opponere. IN PLANUM, scilicet deducam te, complanabo, & humiliabo te. ET EDUCET LAPIDEM PRIMARIUM. Fabricam Zorobabel vobis invitis promovebit, & educet primarios lapides, quales illi sunt, qui post fundamenta statim ponuntur in fabricis, & plus ceteris eminent, & procurrunt aliquantulum extra ordinem aliorum. ET EXAEQUABIT GRATIAM GRATIAE EIUS; id est, templum Zorobabel æquabit templum Salomonis, splendore, & gloria non auri, ornamentorum, aut structuræ, sed præsentia Messiæ, qui in illo conversabitur.

V. 9. SCIETIS QUIA DOMINUS EXERCITUUM MISIT ME AD VOS: cum scilicet videritis me veracem esse prophetam, & omnia ad unguem impleri, quæ ego prædico.

V. 10. QUIS ENIM DESPEXIT DIES PARVOS? Aliqui ex Hebræo vertunt, *Dies exiguitatis*; quasi dicat: Quis despexit structuram hanc fabricæ templi, quod cito fieri videretur, indiligenter, & quasi tumultuarie? ET LAETABUNTUR, &c. Chaldæus ita habet: *Nonne convertetur, & lætabitur, cum viderit lapidem perpendiculi in manu Zorobabel?* LAPIDEM STANNEUM: globulum stanneum intelligit, quem alligant architecti funiculo mensorio, ut illum distendat ad parietes mensurandos. SEPTEM ISTI OCULI SUNT DOMINI. Aliqui putant septem hos oculos in stanneo perpendiculi globo fuisse insculptos. Alii in lapide primario, de quo num. 7. Alii septem hos oculos esse septem tubulos, vel canaliculos, aut fistulas lucernæ accensæ, de quibus dictum est numero 2. quibus etiam significabatur divina providentia omnia circumlustrans, quam nihil latet, & cuius nutu omnia gubernantur.

V. 11. RESPONDI. Respondere ponitur pro loqui, ut sæpe in Scriptura.

V. 12. ET RESPONDI SECUNDO, &c. Angelus, ut prophetæ desiderium acueret, tacebat, ideoque idem iterum, licet aliis verbis, interrogat. DUAE SPICAE OLIVARUM: Duo rami olivarum. IUXTA DUO ROSTRA AUREA: duos tubos, seu fistulas intelligit ex septem, duos inquam viciniores duabus olivis, quæ stabant hinc, & inde. IN QUIBUS SUNT SUFFUSORIA EX AURO: qui tubi sunt suffusoria, sive, ut vocavit num. 2. infusoria ad suggerendum oleum ellychniis.

V. 14. DUO FILII OLEI, &c. Iesus sacerdos summus & Zorobabel, qui vocantur filii olei, id est uncti oleo, sive Christi Domini, quia nimirum Iesus inunctus, & consecratus erat Pontifex; Zorobabel vero constitutus princeps populi: & assistunt Deo tamquam eius administri in gubernatione reipublicæ.

TIRINI.

Vers. 2. ECCE ingens CANDELABRUM AUREUM simile candelabro Mosaico *a*, in cuius vertice LAMPAS, id est vas concavum & sphæricum instar magnæ lampadis, intus plenum oleo, & superne patens, maximaque flamma ardens & collucens, ut vult Fernandez *b*, Ribera, Sanchez & a Lapide. Hanc lampadem maiorem circumdabant SEPTEM LUCERNAE, seu lampades minores, quæ per totidem calamos, arcuatim ex fundo maioris lampadis prodibant. Calami isti erant concavi instar fistularum: nam per eos derivabatur oleum ex maiori lampade ad lucernas calamis insistentes. Unde & calami isti vocantur hic INFUSORIA, scilicet olei in lucernas. Utrimque ad latus candelabri erat *oliva* seu olea plena olivis.

V. 6. HOC EST VERBUM, seu mysterium a *Domino* revelatum de *c* ZOROBABEL, principe politico Iudæorum. Quod nimirum Zorobabel & Iesus, iste ut pontifex, ille ut princeps, singulari studio adstabunt & subservient divinæ sapientiæ ac providentiæ per candelabrum hoc undequaque ardens & lucens designatæ. Quæ per *septem infusoria, calamos & lucernas*, id est per multiplices & varias vias, partim angelicas *d*, partim humanas, uti gubernat & dirigit totum universum, ita speciatim designat nunc instaurare templum & urbem Ierosolymitanam, id est religionem & rempubl. Iudæorum. Allegorice, Ecclesiam *e* Christi, inquit S. Hieron. Vatabl. Fernand. & alii. Perficient autem hoc opus NON IN EXERCITU vel ROBORE humano, SED SPIRITU MEO divino, *suaviter* simul ac *fortiter* omnia dispositurо, & humana consilia, industrias ac labores prosperaturos.

V. 7. QUIS TU MONS MAGNE, Lucifer

ser *f*, qui per te, per Cambysen, per Sanaballat, per alios emissarios tuos, millena CORAM ZOROBABEL obiicis impedimenta; quibus quasi vastissimis montibus vis conatus ipsius præpedire? ita Hebræi, & ex illis S. Hieron. Remigius, Lyran. & Sa. IN PLANUM descende & complanare; quasi dicat: Apage cum omnibus impedimentis & remoris tuis, quia vel invito te, in altum EDUCET iactum iam PRIMARIUM LAPIDEM, id est fabricam inchoatam attollet usque ad fastigium: ET GRATIAM, seu beneficium perfectionis fabricæ, EXAEQUABIT GRATIAE inchoationis EIUS; id est, gratia, favore, prosperitate perficiet, quanta cœpit: ita enim sese explicat angelus vers. 9. sequenti: ita S. Hieron. Theod. Remig. Ruper. Lyran. Arias, Vatabl. & a Lapide.

V. 10. QUIS ENIM *despiciat* DIES hos PARVOS, id est, dies in quibus parva patrantur? sicut Osee 1. 11. *magnus* vocatur *dies Iezrahel*, eo quod magna in eo gererentur. Occurrit enim hic tacitæ obiectioni, qua quidam forte conabantur elevare & extenuare opus Zorobabelis, dicentes, Egregia certe initia, magno operi superstruendo, & Salomonico templo instaurando. Quibus respondet: non attendenda parva initia *g*, exilem materiam, tenuia media. Coniiciant oculos in progressum fabricæ: videant quantis incrementis exiguo tempore illa exsurgat. Certo enim maxima lætitia LAETABUNTUR quicumque oculos coniicient in nobilem illam & excelsam fabricam, quæ quotidie magnis passibus promovetur, Deo adspirante, & *Zorobabele* principe LAPIDEM STANNEUM MANU dirigente, quo iubet ad perpendiculum *h* assurgentes parietes exædificari: ita Chaldæus & plerique interpretes. Neque est cur de hoc celeri incremento, adeoque & de felici fabricæ perfectione dubites vel ambigas: nam illi promovendæ ac complendæ invigilant SEPTEM ISTI OCULI DOMINI, *discurrentes* IN UNIVERSAM TERRAM, media tanto operi necessaria undique conquirentes, & omnia impedimenta propulsantes. Sunt autem hi (præter oculatissimam divinæ Sapientiæ providentiam quæ per candelabrum totum adumbratur *i*,) *septem primarii spiritus* angelici, ut S. Ioannes huc alludens explicat k: & Prælati Ecclesiæ ac reipublicæ, qui per minores istas lucernas, seu potius lucernarum orificia, quæ oculi speciem habent, hic designantur, lumen quod cælitus a Deo hauriunt, toti populo impertientes. Talia *mille millena lumina fulgurant ante thronum divinitatis a primo diluculo*, inquit S. Bernardus *l*.

V. 11. RESPONDI, id est sermonem inieci interrogando. Cumque non statim acciperem responsum, iterato interrogavi: QUID SUNT DUAE OLIVAE, vel potius vers. 12. DUAE SPICAE, seu rami, OLIVARUM pleni olivis (sicut spicæ sunt plenæ granis frumenti,) QUAE SUNT IUXTA DUO ROSTRA? LXX. *iuxta duas nares*; Marinus & alii Hebræi, *iuxta duos canales*. Extuberantia enim bina brachia e trunco candelabri, e quibus sursum erumpebant ab utroque latere suffusoria, seu infusoria supradicta, *nares* vocabantur, quod instar naris sublimatorii sursum essent elata: ROSTRA vero, quod adunca essent.

V. 14. ISTI per duas oleas designati, SUNT DUO FILII OLEAE; id est, sunt duo Synagogæ supremi principes uncti oleo, seu duo *Christi* Domini, nempe Iesus unctus pontifex, & Zorobabel unctus princeps politicus, qui primarii ministri in excitanda fabrica & republica Iudæorum ASSISTUNT DOMINATORI UNIVERSAE TERRAE: & Deus vicissim divina sua providentia assistit ipsis illuminandis, dirigendis, adiuvandis, ut inchoatum opus ad perfectionem deducant: ita Hebræi, Theodor. Lyran. Vatabl. Clar. Mariana & a Lapide. Alludit ad duos Cherubinos, quos ex ligno olivarum, quasi filios oleæ, fabricavit Salomon *m*. Sicut enim illi propitiatorium & arcam, ita hi Ecclesiam & rempublicam sustentabant. Allegorice, *duo filii olei* sunt Moyses & Elias assistentes Christo in monte transfigurato, inquit Tertul. sed melius, ut S. Hieron. immo & Ioan. Apostolus *n*, erunt Henoch & Elias, hic ex circumcisione, ille ex præputio. Quod enim fecit Iesus & Zorobabel in populo e Babylonia in Ierusalem revocando, in templo Domini instaurando; idipsum facient Elias & Henoch in ultima sæculi ruina, ut tam Iudæos, quam Gentes ab Antichristo revocant ad Christum, & Ecclesiæ collabentis fabricam instaurant. Arias per *duas oleas* accipit duplicem in Christo dignitatem, regiam scilicet

licet & facerdotalem: Ribera duas in Christo naturas, divinam & humanam: alii duos principes Ecclesiæ Petrum Iudæorum, Paulum Gentium Apostolum.

(a) Exod. xxv. 31.
(b) Fernand. vis. xxxii. sect. 1.
(c) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 12.
(d) Hoc cap. vers. 10.
(e) Apoc. 1. ult.
(f) Zach. iii. 1.
(g) Aggæus ii. 4.
(h) Zach. a. 16.
(i) Hoc cap. vers. 3. & iii. 9.
(k) Apoc. Iv. 5. & v. 6.
(l) Bernard. in lament. B. Virginis.
(m) III. Reg. vi. 23.
(n) Apoc. xi. 4.

GORDONI.

Vers. 1. ET REVERSUS EST ANGELUS. Hic angelus a quibusdam putatur Michael. Ceterum visio hæc est, & non res gesta: in hoc candelabro est allusio ad illud Mosaicum, Exodi xxv. 31. sicut ad hoc Zacharianum allusit Ioan. Apoc. 1. 13. lampas, Hebr. גלה *gulla*, qualis nunc in templis appendi solet: accipiebat concha hæc, oleum infusum (quæ erat in summo hastili candelabri) distribuendum inde in 7. lucernas utrinque positas: erant septem lucernæ laterales insistentes septem calamis. Ceterum hi calami erant concavi, ae proinde vocantur hic *infusoria*, seu fistulæ per quas lucernæ attrahebant ad se oleum: ex lampade illa quam dixi concham sphæricam: prodibant hæ fistulæ, aut calami ex fundo lampadis.

V. 6. ET RESPONDIT, &c. Hæc est redditio allegoriæ ad litteralem sensum, nempe de Zorobabele & templo. Sed quod additur, NON IN EXERCITU, hoc dici videtur, non armis perficiet templum Zorobabel, sed in spiritu & auxilio Dei, & providentia per 7. angulos: mystice vero candelabrum Ecclesiam Christi designat, & Zorobabel mystice Christum, qui Ecclesiam suam iactis fundamentis plene perficiet.

V 7. QUIS TU MONS MAGNE, &c. Quis ille mons? quis diabolus aut hostis qui poterit Deo protegente impedire conatum Zorobabelis? Deus hos in planum faciet, & ut vallem humiliabit, & inducet lapidem primarium; hoc est, ponet lapidem in culmine, & perficiet cum non minori gratia, quam quando iaciendo fundamento positus est lapis fundamentalis: huic supremo lapidi mox dabuntur 7. oculi.

V. 7. Primi quidem dies parvi sunt, & parva initia, sive in Zorobabele, sive mystice in Christo; hoc est parva sunt initia; tamen erunt magna inerementa, & in progressu operis lætabuntur omnes videntes in manu Zorobabelis lapidem stanneum. Septuag. λίθον κασσιτέρινον: ita etiam Vulgatus. Hebr. בדיל *bedil*, *separationis*: rad. בדל, ergo stanneus lapillus est, qui solet alligari perpendiculo; vel lapis eximius, inquit Arias, qui solet poni in culmine velut loco & materia separatus a reliquis.

At qui sunt illi septem oculi Domini? an forte illi de quibus cap. iii. 9. qui erant in lapide angulari: hoc sane in re obscura satis probabiliter asseritur, an in lapide primario, qui in culmine eminet, & extra aliorum lapidum ordinem est. Hic lapis positus a Zorobabele significat eum impositurum finem operi. Et hic sensus litteræ est: mystiee vero designat Christum lapidem primarium, sed insignitum 7. oculis ad eius singularem providentiam denotandam circa Ecclesiam.

V. 11. ET RESPONDI, &c. Hoc est, locutus sum, seu dixi. Duo interrogat Zacharias, vers. 11. & 12. de duabus olivis & spicis olivarum; & respondetur vers. 14. esse duos filios qui assistunt dominatori terræ; hoc est, sunt duo uncti, nempe Zorobabel ob potestatem magnam in Repub. & Iesus sacerdos magnus. Hos designant duæ spicæ quæ adhærebunt Deo, ut spicæ candelabro: vide cap. vi. vers. 12.

CA-



CAPUT V.

Volumen volans, quo iniqui iudicabuntur: mulier in amphora sedens cum massa plumbi, designat impietatem: & duae mulieres alatae levant illam in aera.

1. ET conversus sum, & lævavi oculos meos: & vidi, &
ecce volumen volans. 2. Et dixit ad me: Quid tu
vides? Et dixi: * Ego video volumen volans: longi-
tudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem
cubitorum. 3. Et dixit ad me: Hæc est maledictio,
quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis
fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iu-
rans, ex hoc similiter iudicabitur. 4. Educam illud, dicit Dominus exer-
cituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo
mendaciter: & commorabitur in medio domus, * & consumet eam, & li-
gna eius, & lapides eius. 5. Et egressus est Angelus, qui loquebatur in
me: & dixit ad me: Leva oculos tuos, & vide quid est hoc, quod egre-
ditur. 6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et
dixit: * Hæc est oculus eorum in universa terra. 7. Et ecce talentum
plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ. 8. Et
dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit
massam plumbeam in os eius. 9. Et levavi oculos meos, & vidi: & ecce
duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi
alas milvi: & levaverunt amphoram inter terram & cælum. 10. Et dixi
ad Angelum, qui loquebatur in me: Quo istæ deferunt amphoram? 11.
Et dixit ad me: Ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur,
& ponatur ibi super basem suam.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. *Ego vido v lumen volans*. Non præponas adverbium *ecce* pronomini *ego*.
Vers. 4. *Et consumet eam*. Non mutes pronomen femininum *eam* in masculinum *eum*.
Vers. 6. *Hæc est oculus eorum*. Nec hic femininum *hæc*, in masculinum *hic*.

NOTATIO.

Vers. 4. ET *commorabitur*)(*comminabitur* o.) *in medio domus eius*, & *consumet eum*, & *ligna eius*, & *lapides eius*. Multi libri scribunt & *consumet eam* feminino genere, tres Parisiensium [Compl. Di. l. B.] quinque Hentenii, duodecim nostri [Lob. E. Q. Pl. m. Pl. ang. Ven. &c.] Plures masculinum genus servant *eum*, tres & viginti nostri Leod. O. L. P. Mog. Nuren. Colo. &c. In Brugensi manuscripto ex *eum* factum conspicitur *eam*. Ex Hebræo, & Græco utrumque ad modum verti potest: quamquam enim masculina sint pronomina Hebræis, & Græcis [non enim omittunt emendatiores Græcorum librorum Regius; & Vaticanus αὐτὸν] tamen referri possunt ad *domum*, quandoquidem masculino genere

ab

ab utrisque *domus* efferatur. Quin textus circumstantiæ id potius videntur exigere, ut *eam* Latine transferatur, atque ad domum respiciatur: consumi namque domui rectius videtur quam homini tribui; & ligna lapidesque aptissime, ex quibus domus constructa est, intelligi. Itaque tum ex Græco, tum ex Hebræo Latini Interpretes fere *eam* transferunt. D. Hieronymi textus legit *eum*; commentarius multum vult alteri *eam* „ Et commoretur in ea [domo] & omni „ eius ligna lapidesque consumat. Epanorthotes legendum censet *eam* his verbis „ Item d. Et consumet eam, id est domum, „ secundum Hebræorum & antiquos ". Parisienses quoque eumdem legendi modum amplexi sunt.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. VOLUMEN, scilicet oblonga membrana: in tali enim olim scribebatur. LXX. *falx*. VOLANS: significat id celeritatem supplicii pro peccatis illic notatis.

V. 2. LONGITUDO, &c. scilicet maior supplicii longitudo seu diuturnitas quam intensio: illa enim sempiterna, scilicet sine fine, hæc finita.

V. 3. MALEDICTIO, id est supplicii sententia. TERRAE, scilicet Iudææ. FUR, &c. Per *furtum* intelliguntur etiam reliqua peccata in proximum; per *periurium* reliqua etiam in Deum. IUDICABITUR. Chald. *percutietur*. LXX. *punietur*. IURANS, scilicet falso, ut infra dicitur. EX HOC, scilicet volumine, id est iuxta sententiam scriptam in volumine.

V. 4. ILLUD, scilicet volumen, seu scriptum in eo decretum, aut maledictum. ET LIGNA, &c. quasi dicat Prorsus totam.

V. 5. EGRESSUS, scilicet ut acciperet ab Angelis superioribus novam revelationem. DIXIT, scilicet ubi fuisset reversus. EGREDITUR, scilicet repræsentabatur tamquam alicunde egrediens: forte velut a Deo, e templo; vel ex urbe, velut e populo.

V. 6. AMPHORA. Hebr. *epha*, quæ est certum genus mensuræ; sed hic pro mensura absolute sumitur. LXX. *mensura*, scilicet peccatorum Iudæorum, quæ cum est impleta, excæcari meruerunt; unde Matth. XXIII. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*. OCULUS, id est aspectus; quasi dicat: Hic apparet quales sint, qualiaque eorum facta, scilicet implent indies mensuram hanc. LXX. *iniquitas*. TERRA, scilicet in qua habitant.

V. 7. TALENTUM, scilicet massa quædam, ut dicitur inf. PORTABATUR, scilicet in amphora, ut quidam aiunt.

V. 8. IMPIETAS. LXX. *impietas eorum*. EIUS, scilicet amphoræ: significatur mensura plena iniquitate, & graviter occlusa, scilicet indurati Iudæi.

V. 9. MULIERES, scilicet Israel & Iuda, vel Iudæorum cæcitas & obstinatio. SPIRITUS, id est ventus. MILVI, scilicet rapacitas indicatur, vel fortis volatus. INTER TERRAM, &c. id est per aerem.

V. 11. EI, scilicet amphoræ, adeoque impietati. SENNAAR. LXX. *Babylonis*; scilicet ibi dicuntur Iudæi tandem recepturi Antichristum; nam in Babylonia regnare incipiet. PONATUR, &c. quasi dicat. Alto & firmo loco statuatur, ut solent idola.

E S T I I.

Vers. 2. EGO VIDEO VOLUMEN VOLANS. Et vers. 4. QUIA OMNIS FUR, SICUT TIBI SCRIPTUM EST, IUDICABITUR, ET OMNIS IURANS SIMILITER EX HOC IUDICABITUR. Quod de fure dicitur, difficultatem non habet, sed id quod dicitur de iurante, immo de omni iurante, cum alibi quidam dicantur laudabiliter iurare; ut Psal. LXII. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, & prius Psal. XXIII. dicitur habitaturus in tabernaculo Domini, *qui iurat proximo suo, & non decipit*. Auget præsentem difficultatem, quod Euseb. Lib. VI. hist. eccl. cap. v. narrat Basilidem ex milite Christianum factum, cum ab eo iusiurandum exigeretur, constanter affirmasse sibi omnino non licere iurare, eo quod Christianus. Et huiusmodi argumenta adferunt Anabaptistæ. Ad locum prophetæ prompta est responsio: nam per eum qui iurat, intelligit peierantem: quod manifestum

ſtum eſt ex verbis ſubiunctis, quibus ait, de volumine loquens: *Et veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter*. Et capite VIII. ſimiliter dicitur: *Iuramentum mendax ne diligatis*. De Baſilide varie reſponderi poteſt. Primo; forte nondum erat plene inſtitutus in præceptis Chriſtianis; & ſic quia Chriſtiani ſollicite abſtinebant, ne temere iurarent, putavit ille apud Chriſtianos prorſus vetitum eſſe iuſiurandum. Vel etiam, quod cauſa ob quam exigebatur iuſiurandum, parvi erat momenti. Erat enim ei controverſia cum ſociis ſatellitibus. Vel denique quod iuramentum exigebatur ab eo, non qualecumque, ſed quale illis in uſu erat, ut per Deos, per Iovem, per Herculem, per fortunam Cæſaris iuraret. Eo modo autem iurare omnino Chriſtiano non licet.

MARIANAE.

Verſ. 1. ET CONVERSUS SUM, verti faciem in aliam partem, & oculos levavi. ET ECCE VOLUMEN VOLANS. Varias verſiones affert hoc loco Hieronymus, ſed e duabus altera placet: *volumen volans*, id eſt charta volans, quæ vocatur *volumen*, quia voluminis inſtar erat in ſeipſa complicata, & *volans*, ob celerem executionem eorum quæ continebat. Aut ſic, *volumen volans*, id eſt charta complicata; nam עפף *haphaph*, quod *volare* ſignificat, Chald. ſignificat etiam *complicare*, *duplicare*.

V. 2. LONGITUDO EIUS VIGINTI CUBITORUM. Ea longitudine & latitudine indicat, multa & magna eſſe populi peccata in ea charta deſcripta. Notat diſſimulanter impietatem Iudæorum, qui contempta patria, Babylone manſerunt, quæ in Deum & in homines fuit magna, neque exigua charta comprehendi poterat. Contra illos totum hoc Caput eſt.

V. 3. HAEC EST MALEDICTIO; id eſt, hoc volumine continentur ſupplicia, quæ ſumentur de univerſa terra, ſcilicet Iſrael, gente Iudæorum. SUPER FACIEM OMNIS TERRAE, id eſt ſuper terram, ſcilicet hanc, propter ה *He* demonſtrativum *terræ* præfixum. QUIA OMNIS FUR, SICUT IBI SCRIPTUM EST. Hebr. *quia omnis fur ex hoc ſicut ipſa*; id eſt, ſicut ipſa charta ex altera parte continet. Erat enim a fronte & a tergo ſcripta. IUDICABITUR. Hebr. *excidetur*. Sept. *uſque ad mortem punietur*. ET OMNIS IURANS, EX HOC SIMILITER. Hebr. *omnis iurans ex hoc ſicut ipſa*, id eſt ſicut charta continet ex altera parte. In furto & periurio comprehendit peccata in homines & in Deum.

V. 4. EDUCAM ILLUD; ſcilicet volumen proferam, & mittam in ſceleratos, neque deſiſtam, donec eos & eorum ſubſtantiam conſumam. Quod Deus facit, tribuit volumini, quaſi animatum ſit & vindex ſcelerum.

V. 5. ET EGRESSUS EST ANGELUS, in locum alium me detulit.

V. 6. AMPHORA EGREDIENS. Hebr. *ephi*. Continet *ephi* tres modios, tantumdem *amphora*, ſive *bathus* menſura liquorum eſt, *ephi* aridorum. Porro *ephi* pro menſura in genere ſumi poteſt, uti hoc loco Sept. & Chald. ſumunt, qui pro *ephi*, *menſuram* ſubſtituunt. HAEC EST OCULUS EORUM, id eſt Dei oculus eſt, quo ipſi homines videntur. Pronomen *eorum* paſſive ſumi debet. Ergo per hanc menſuram, quaſi per oculum hominum, videntur & examinantur ſcelera.

V. 7. TALENTUM PLUMBI. *Amphora* & *talentum* hic afferuntur ad menſurandum & ponderandum peccata, ut quiſque non temere, ſed prout geſſit, puniatur. Itaque per *volumen* peccata puniri, per *talentum* & *amphoram* puniri cum ratione & menſura ſignificat. Porro *talentum* antiquum Moyſis tempore drachmas duodecim millia continebat, Exod. XXXVIII. 25. In amphora ſedebat mulier.

V. 8. HAEC EST IMPIETAS, ſcilicet quæ puniri debet; ideo ſedet prius ſupra amphoram, deinde intra eam includitur, ne ſupplicia decreta fugiat, tum amphoræ os clauditur talento plumbi. MISIT MASSAM PLUMBEAM. Hebr. *lapidem plumbi*; ſed per *lapidem* & *maſſam*, *talentum* intellige, quod ככר *chichar* Hebr. id eſt *torta*, ſeu *maſſa* vocatur.

V. 9. ET ECCE DUAE MULIERES EGREDIENTES, ſcilicet ex urbe Ieruſalem, aut e domibus ſuis. Hæ mulieres duo præcipua ſunt vitia, quibus gens illa erat dedita; quæ illa eſſent, non explicatur. ET SPIRITUS, id eſt ventus IN ALIS EARUM: velociter volabant. ALAS MILVI, aut *ciconiæ*, quæ *haſidach*, id eſt *miſericors* vocatur,

tur, quod parentes in senectute alat. INTER TERRAM ET CAELUM, id est per aerem, sublimem ferebant amphoram. Quo defertur?

V. 11. UT AEDIFICETUR EI DOMUS IN TERRA SENNAAR, id est Babylone, ubi domicilium iniquitas habebit, diu ibi mansura. ET STABILIATUR, seu *præparetur*. Hebr. *disponatur*. ET PONATUR IBI SUPER BASEM SUAM, sine spe aut mentione reditus eius gentis in patriam; nam eos impietas & scelera, quibus sunt deditі, detinebunt. Sic increpat eos, qui obliti Ierusalem hæserunt Babylone, e numero & gente Iudæorum.

MENOCHII.

Vers. 1. OCULOS MEOS: non corporis, sed phantasiæ, & mentis.

V. 2. VOLUMEN VOLANS. In Hebræo est מגלה *meghillah*, id est chartam, membranam, vel librum convolubilem, qui in seipsum complicatur in orbem super Cylindrum, quem fortasse intellexit Symmachus, qui vertit κεφαλὴν, *caput*. Cylindrus enim ad caput pergameni assuitur, ut super illum convolvi possit. Aquila & Theodotio verterunt διφθέραν, est autem diphthera membrana e pelle capræ. Huic simile volumen viderunt Ezechiel cap. XXIX. & S. Ioan. Apocal. X. 10. VOLANS: volans dicitur, ut celerrimam ultionem fore significet. Suspicor etiam *volans* idem esse quod expansum, & apertum, membrana enim in aere posita, si complicata non sit, vento movetur, & extremitates suas quasi alas commovet. LONGITUDO EIUS VIGINTI CUBITORUM, &c. Hæc mensura notatur universa Iudæa, quæ duplo erat longior, quam latior. In hanc enim, ut pote ubique rapinis, & pauperum oppressionibus contaminatam, volabat hoc pœnarum volumen. Vel hac mensurarum diversitate significatur maior æterni supplicii longitudo, seu diuturnitas, quam intentio: illa enim sempiterna est, & fine caret, hæc autem est finita.

V. 3. MALEDICTIO, id est supplicii sententia, & imminens punitio. QUIA OMNIS FUR: per furtum intelliguntur etiam reliqua peccata in proximum; per periurium, etiam reliqua in Deum. SICUT IBI SCRIPTUM EST: in volumine volante. IUDICABITUR. Chald. *Percutietur*. LXX. *Punietur*. IURANS; scilicet, falso. EX HOC; scilicet, volumine.

V. 4. EDUCAM ILLUD; scilicet, volumen; id est, pœnas illo volumine contentas, educam, inquam, illud; id est, efficiam, ut quod tu modo per visionem cognoscis, illi re ipsa experiantur: VENIET; scilicet, maledictio, & punitio. ET LIGNA, ET LAPIDES EIUS; Quasi dicat, Prorsus totam.

V. 5. EGRESSUS EST ANGELUS, id est a superiore visione, ad hanc amphoræ exhibendam, quod est dicere, illum egressum, ut novam prophetæ revelationem afferret. Vel, ut interpretantur Em. Sa, Egressus est, ut ab Angelis superioribus novam revelationem acciperet. QUOD EGREDITUR: repræsentabatur enim tamquam aliunde egrediens; quasi dicat, Quod in aspectum tuum venit.

V. 6. HAEC EST AMPHORA. Heb. אפה *epha*, quæ est certa mensura, capiens tres modios frumenti, sed hic, ut etiam alibi, pro mensura in genere accipitur. Amphora hæc significat certum numerum peccatorum, quem Deus præstituere solet, ut cum ad eum ventum sit, supplicium sumatur. HAEC EST OCULUS EORUM: intellige passive & obiective; quasi dicat: Huc tantum aspiciunt, nam adeo effrenate ruunt in peccata, ut nihil aliud spectare videantur, quam ut hanc mensuram celerrime impleant.

V. 7. TALENTUM PLUMBI, scilicet massa quædam ut vocatur num. sequenti. PORTABATUR. *Massa*, inquit Divus Hieronymus *instar lapidis ferebatur*, *vel suo impetu*, *vel domini iussione*, *vel ferebatur ab alio*, *cuius nomen tacitum est*.

V. 8. HAEC EST IMPIETAS; scilicet, populi huius. Impietatem vocat quicquid sanctitati, & iustitiæ opponitur. PROIECIT EAM IN MEDIO AMPHORAE; id est, fecit ut tota esset intra amphoram, & nulla eius pars extra maneret, ut ita amphora, sive mensura impleretur. MISIT MASSAM PLUMBEAM IN OS EIUS; id est, os amphoræ talento illo plumbi obstruxit, ne exiret mulier. Hae massa plumbea significatur completa mensura peccatorum, & Iudæos diu mansuros in sua impietate, & damnatione: plumbum enim significat pondus damnationis, quam propter scelera sua incurrebant.

V. 9. DUAE MULIERES EGREDIENTES: venientes in aspectum Zachariæ. Duas has mulieres Ribera interpretatur fuisse *excæcationem, & indurationem*. Corn. duos dæmones, vel Nabuchodonosor, & Nabuzardan, qui vastarunt Ierusalem, & Iudæos impios, in Babylonem transtulerunt. ET SPIRITUS ERAT IN ALIS EARUM, id est ventum collegerunt ad volandum, & magno impetu ferebantur. HABEBANT ALAS QUASI MILVI. Apte, nam milvus habet magnas alas, & labori pares diuturni volatus. Præterea naturæ instinctu cognoscit, quandonam migrandum illi sit in aliam regionem (nam ut habemus Ierem. VIII. 7. *Milvus in cælo cognovit tempus suum*) nec desistit a volatu, donec ad destinatum locum pervenerit: ita ergo duæ hæ mulieres celeri volatu, tempore suo, Iudæos deferunt in certam perditionem. INTER CAELUM ET TERRAM, id est per aerem.

V. 11. UT AEDIFICETUR EI DOMUS IN TERRA SENNAAR, id est *in Babylone*, ut vertunt LXX. nam in terra Sennaar est Babylon, ut patet Genes. XI. 2. significat Zacharias impios Iudæos a Chaldæis abductos fuisse in captivitatem Babyloniecam; ibique multis annis, hoc est septuaginta fuisse. Rursus Ierusalem per Titum eversa abducendos in captivitatem, & exilium universale, & totum orbem illis fore terram Sennaar, id est *terram excussionis* (hoc enim significat Sennaar) ad quam, scilicet terra sancta excussi, vagi, & profugi delati sunt. STABILIATUR, ET PONATUR, &c. quasi dicat, Alto, & firmo loco statuatur, ut solent idola. Significatur ergo tam impietatis culpam, quam pœnam in Babylone, sive terra Sennaar locatam, ut cum in ea impietas steterit per definitam a Deo mensuram, tum peccatorum, tum temporum, puniatur, & plectatur, primo per Cyrum; secundo per Darium; tertio per Christum, qui Babylonem, & Babylonios Antichristi asseclas, disperdet in fine mundi.

TIRINI.

Vers. 1. ECCE VOLUMEN. Pro Hebræo *meghilla*, id est membrana vel charta convolvilis, ut etiam Syrus & Arabicus Antioch. Chaldæus ac Rabbini vertunt; LXX. & Arabicus Alexandr. legisse videntur *maggal*, id est *falcem* & sic legunt S. Cyrillus, Theodoretus & passim Græci. Et forte huc alludit S. Ioannes, cum dicit *a*, vidisse se in manu Christi *falcem* acutam. Sed in idem redit: nam & falx demetens ac succidens, & membrana continens sententiam damnationis, pro symbolo usurpari solent punitionis, stragis & exeidii. Aquila & Theodotion eleganter verterunt διφθέραν, id est membranam a pelle caprina: alludentes ad *diphtheram* Iovis e pelle *Amalthea* capræ a qua nutritum fabulabantur, confectam, in qua descripta habet omnia omnium hominum peccata, & pœnas peccatis decretas. Vidit autem seu membranam, seu falcem, *volantem*: quo significabatur, properare vindictam cælestem, & iam capiti imminere, & quasi involare, & quidem improvisam atque inevitabilem, inquit S. Chrysostomus *b*, Cyrillus, Rupertus, Albertus, Hugo, Clarius, & a Castro.

V. 2. LONGITUDO EIUS VIGINTI CUBITORUM, LATITUDO DECEM. Quia, ut inquiunt Rabbini, & ex iis Lyranus ac Pineda *c*, porta templi, e quo volumen exilire videbatur, erat tantæ altitudinis & latitudinis. Et ut idem Lyranus, cum Theodoreto & Vatablo, longitudo terræ sanctæ, in quam primo volumen involabat, duplo longior erat quam lata. Sed in genere significabatur multitudo & copia scelerum & suppliciorum in volumine tam amplo descriptorum, inquit S. Chrysost *d*. Mariana & Fernandez.

V. 3. HAEC EST MALEDICTIO; id est, hoc volumine continetur sententia condemnationis & supplicii, QUAE EGREDITUR e templo ut volunt Rabbini, vel certe e throno & tribunali Dei, inquit S. Chrysostomus. OMNIS FUR, ET OMNIS IURANS, seu peierans *e*, sententia volumine isto contenta IUDICABITUR, id est condemnabitur & punietur. Quia enim ædificando templo magna vis pecuniarum collecta erat, verisimile est multos Iudæorum aliquid ex iis in proprios usus avertisse, & iuramentum quo spoponderant se fideliter illas administraturos, fefellisse, hinc contra *fures* & *periuros* maxime intonat Propheta, inquit S. Cyrillus. Sed verisimilius est, per furta & periuria, forte tunc frequentiora, designari omne genus scelerum; per *furta*, nempe omnem iniuriam adver-

fus

ſus proximum contra ſecundam tabulam decalogi: per *falſa iuramenta*, omnem impietatem in Deum contra primam tabulam, ut ait S. Hieron. & Thodoret. Simile volumen vidit etiam Ezechiel, & S. Ioannes in Apocalypſi *f*. Et ſunt hæc ſymbola divinæ memoriæ, voluntatis atque ordinationis, qua cuique ſceleri ſuæ decretæ ac ſignatæ ſunt pœnæ, inquiunt iidem Patres & idem ſignificabat virga, ſeu baculus *vigilans* Ieremiæ *g*, item *olla ſuccenſa*, &c.

V. 4. EDUCAM ILLUD volumen, ſeu ſupplicium in volumine deſcriptum, proferam in publicum, in theatrum orbis: & inducam *in* DOMUM, in familiam, in caput, FURIS ET IURANTIS, id eſt in ſingulos peccatores: & incubabit illis, & familiæ illorum inſtar latronis, vel iuſtar cancri, ipſa quoque tigna, immo fundamenta, paulatim exedentis, atque ita familias quantumvis ampliſſima evertentis.

V. 6. AMPHORA *h*; Hebraice, *epha*, vulgaris Iudæorum menſura, capiens tres modios, ſymbolum eſt, primo, menſuræ, ſeu cumuli paccatorum a Iudæis aliiſque gentibus partim patratorum, partim patrandorum. Secundo, menſuræ punitionis & ſupplicii peccatis proportione commenſurati. Simulatque enim impleta eſt menſura ſcelerum cuique genti, cuique familiæ, cuique homini præfixa, tum ſequitur infallibiliter proportionata punitio & quaſi expurgatio eorumdem, inquit S. Hieronymus & alii ſupra citati, & nos alibi *i* diximus. Hanc menſuram tam *impietatis*, ſeu culpæ, quam *plumbi*, id eſt pœnæ, videt Propheta *egredi* & efferri e Iudæa, ubi ante dominata fuerat, *in terram Sennaar* k, id eſt in Babyloniam, ut iſtic domicilium exinceps figat. Quo ſignificabatur, Iudæam partim excidio urbium ſuarum, partim deportatione impiorum incolarum in Babylonicum exilium, iam ab impietate expurgatam, & a pœnis ei reſpondentibus immunem eſſe: Babylonem vero ſedem & cloacam, ut impietatis ita & pœnarum factam. Quo monentur Iudæi in Babylonia adhuc hærentes, ut relicta illa cloaca, redeant in ſanctam terram & urbem Ieroſolymam: ita Mariana, Sanchez, a Lapide & alii. Notat maxime profuſam Babyloniorum idololatriam & tyrannidem, & ob hæc ſcelera imminens illi excidium per Darium Hyſtaſpis, de quo ſupra *l*. Allegorice, horrenda Synagogæ Iudaicæ ſcelera ſub Chriſto & in Chriſtum, expurgata per Veſpaſianum & Titum; ac rurſus ſub Antichriſto vere ac proprie *in terra Sennaar*, id eſt Babylone *m*, tamquam loco ſtabili & firma regia ſua a Iudæis colendo, inquit Rupertus, Sa, Ribera & Fernandez; quando igne & ultione cæleſti tota amphora exhaurietur. HAEC amphora EST OCULUS EORUM, id eſt obiectum oculi ſeu viſus impiorum, IN UNIVERSA TERRA. Neque enim ad aliud reſpiciunt, aut alteri rei intendunt, quam ut continuatis ſceleribus ſuam amphoram impleant: ſed ſaxo viciſſim ut & menſura pœnarum tot tantiſque ſceleribus reſpondentium, fiat obiectum *oculi*, id eſt conſpicua ſit univerſæ terræ, ut Chaldæus vertit. Omnes enim videbunt enormes ſceleratorum pœnas, ſicut viderunt enormia illorum ſcelera, inquit S. Hieronymus.

V. 7. TALENTUM, ſeu maſſa, PLUMBI quo os AMPHORAE occluditur, notat gravem rigidamque Dei ſententiam, ſimul & ſupplicii diuturnitatem, inquit Ribera, qua tamdiu manet quaſi obſignata & concluſa impietas & reatus impietatis in amphora, donec prorſus exhauſta & exſoluta fuerint ſupplicia illi præfixa. Tropologice, ſignificat obſtinationem maxime Iudæorum, in ſuo ſcelere & perfidia: Anagogice, perpetuitatem tum culpæ, tum pœnæ ſceleratorum in inferno, ubi infami ore concluſo *n*, ad æternum ſilentium, carcerem & tormentum damnati degunt, quaſi in ignita amphora conſtipati. Sic *angelus* in Apocal. *miſit draconem in abyſſum, & clauſit & ſignavit* os abyſſi *ſuper illum*.

V. 9. DUAE MULIERES ALATAE ALIS MILVI (Hebræum *chaſida* ſignificat enim, ut LXX. vertunt, *upupam*, & ut recentiores, *ciconiam* o,) quæ rapidiſſimo volatu amphoram Iudæorum deportaverunt in Babyloniam, poſſunt dici Ioakim & Sedecias reges Iuda, qui fœdifragi cauſa fuerint exilii & excidii Iudaici: vel, ſi mavis, bini exercitus, binæ expeditionis Nabuchodonoſoris: unde Chaldæus vertit; *populos leves & expeditos*. Amphoram ve-

ro pænarum, Chaldæis ipsis advexerunt Cyrus & Darius, inquiunt Hebræi apud S. Hieronymum & Theodoretus. Item Darius Hystaspis & Zopyrus, de quibus supra *p*. In genere pœnas omnibus peccatoribus debitas, tum in hac, tum in altera vita advehunt dæmones quasi lictores ad id destinati a Deo.

(a) Apoc. xiv. 14.
(b) Chrysost. homil. xv. & xxvii. ad populum.
(c) Pineda in Iob xxiv. v.
(d) Chrys. sup.
(e) Hic vers. 4.
(f) Ezech. ii. 9. Apoc. x. 10.
(g) Ierem. i. 11. & 13.
(h) Proleg. de mensuris, & de Idiotismis Hebr. d. 16.
(i) Genes. xv. 16. Matth. xxiii. 32.
(k) Genes. xi. 2.
(l) Zach. ii. 6.
(m) Apoc. xvi. 12. & xviii. 2. seqq.
(n) Psal. cvi. 42. Apoc. xx. 3.
(o) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 15. & 16.
(p) Zachar. ii. 6.

GORDONI.

Vers. 1. Nova hæc visio est menti, non oculis oblata: vices non obscuræ sunt. Observo volumen illud quod continet maledictum contra peccatores, quamvis tantum explicet unum peccatum primæ tabulæ, & aliud secundæ; tamen intelligi contra omnia peccata, quod etiam magnitudo libri satis indicat.

V. 8. Et egressus est angelus, &c. Deus expectans peccatores ad pœnitentiam non statim punit, sed expectat donec impleta fuerit iusta mensura peccatorum. Hanc mensuram & iustum cumulum peccatorum recte hic designat per amphoram continentem hunc cumulum, quem divinum decretum definit expectandum, & limitat. Ceterum hæc amphora Iudæorum per excidium & captivitatem evacuata est; & proinde Propheta hoc designans, ait hanc amphoram deportatam in Babylonem, seu in Sennar: postea tamen aliquoties Iudæi impleverunt hanc iniquitatis amphoram & cumulatissime in morte Christi. Hinc intelligitur quod est vers. *6. de oculo;* hæc enim amphora continens peccata, est id quod omnium oculi respiciunt, seu obiectum oculi. Nam quotus quisque est qui non peccat? tota hæc res usque ad finem multa suggerit ad sensus morales, quæ cuivis pervia sunt; præsertim de cumulo peccati, de muliere & iniquitate sedente, de occlusa amphora, & spiritu, seu vento in alis mulierum properantium in Babylonem.

CAPUT VI.

Quatuor quadrigæ visæ de medio duorum montium æreorum, quatuor venti sunt, egredientes in terram: de coronis in capite Iesu sacerdotis imponendis: de viro cuius nomen Oriens, qui templum ædificabit Domino, & dominabitur in solio suo.

1. ET conversus sum, & levavi oculos meos, & vidi: &
ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum
montium: & montes, montes ærei. 2. In quadriga
prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri, 3.
& in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta
equi varii, & fortes. 4. Et respondi, & dixi ad An-
gelum, qui loquebatur in me. Quid sunt hæc, domi-
ne mi? 5. Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti
cæli, qui egrediuntur, ut stent coram Dominatore omnis terræ. 6. In qua
erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt
post eos: & varii egressi sunt ad terram Austri. 7. Qui autem erant ro-
bustissimi, exierunt, & quærebant ire & discurrere per omnem terram.
Et dixit: Ite, & perambulate terram: & perambulaverunt terram. 8. Et
vocavit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram
Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis. 9. Et
factum est verbum Domini ad me, dicens: 10. Sume a transmigratione,
ab Holdai, & a Tobia, & ab Idaia; & venies tu in die illa, & intrabis
domum Iosiæ, filii Sophoniæ, qui venerunt de Babylone. 11. Et sumes
aurum & argentum: & facies coronas, & pones in capite Iesu filii Iose-
dec sacerdotis magni, 12. & loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus
exercituum, dicens: (a) ECCE VIR ORIENS NOMEN EIUS: & subter
eum orietur, & ædificabit templum Domino. 13. Et ipse extruet templum
Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio
suo: & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos
duos. 14. Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio
Sophoniæ, memoriale in templo Domini. 15. Et qui procul sunt, ve-
nient, & ædificabunt in templo Domini: & scietis quia Dominus exerci-
tuum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Do-
mini Dei vestri.

(a) Luc. 1. 78.

COMMENTARIA.

S A.

Vers. 1. QUADRIGAE. LXX. *currus*. MONTIUM, scilicet Dei potentiæ, & sapientiæ. AEREI, id est fortissimi.

V. 2. PRIMA, scilicet Imperio Chaldæorum. RUFI, scilicet ob cædes & crudelitatem. SECUNDA, scilicet Persarum. NIGRI, scilicet ob terrorem.

V. 3. TERTIA, scilicet Græcorum. AL-

BI,

at, scilicet ob clementiam. QUARTA, scilicet Romanorum. VARII, scilicet respersi albis maculis. Varium fuit Romanorum Imperium. FORTES. LXX. *multicolores*.

V. 5. QUATUOR; pro, ut quatuor; quasi dicat, Violenter subvertentes omnia, quocumque irruant. STENT, scilicet parati ad iussa: nam per eos Deus punit quos vult. Vide Isa. x. Ierem. xxv. Matth. xxii. Chald. *ne stent*.

V. 6. AQUILONIS, scilicet Chaldæorum, quos vicerunt. Ideo omissa illorum quadrigæ mentio hic, quia superati a Persis. POST EOS, scilicet & Persas vicit Alexander. AUSTRI, scilicet AEgyptum subiugavit Augustus tandem, & sic potitus omni Græcorum Imperio.

V. 7. ROBUSTISSIMI, scilicet quos supra vocavit *fortes*, erantque in quarta quadriga, a qua hinc videntur separari. Quidam Gothos intelligunt, qui per orbem discurrentes cuncta vastarunt.

V. 8. SPIRITUM MEUM. LXX. *furorem meum*; quasi dicat, Satisfecerunt mihi in Chaldæos irato, dum eos vastarunt.

V. 10. SUME, scilicet quod infra dicitur. TRANSMIGRATIONE. LXX. *captivitate*, id est captivis, qui e Babylone redierant. Chald. *filiis transmigrationis*. IOSIAE: iste forte custodiebat Templi thesaurum.

V. 11. AURUM ET ARGENTUM. Significantur vel duæ in Christo naturæ, vel Gentiles & Iudæi Christo subiecti. CORONAS, scilicet significantes Christi summum Imperium, & sacerdotium. Chald. *coronam magnam*.

V. 12. VIR, scilicet cuius tu in hoc figura es. ORIENS, &c. Chald *ecce vir, Christus nomen eius, qui revelandus est, & magnificandus, & ædificaturus templum Domini*. SUBTER EUM, id est loco suo, vel sua virtute. TEMPLUM, scilicet Ecclesiam.

V. 13. GLORIAM, id est coronam; quasi dicat, Regnabit, ut statim explicat. SOLIO. Vide Luc. I. SACERDOS. Chald. *Sacerdos summus*. CONSILIUM PACIS, id est concordiæ. DUOS, scilicet Regem, & Sacerdotem: quia utrumque Christus, vel populum Iudaicum & Gentilem, scilicet in Ecclesia.

V. 14. HELEM. Hic supra dictus *Holdai*. Forte binomius erat. HEM. Hic supra dictus *Iosias*. MEMORIALE; quasi dicat, In memoriam, quod eas Domino obtulerint, & id figura eorum, qui offerunt sua Christo.

V. 15. PROCUL, scilicet Gentiles. ME, scilicet Prophetam, vel Christum. Hoc, scilicet quod dixi, scietis, &c. DOMINI, scilicet Christi, quam quia Iudæi non audierunt, excæcati.

ESTII.

Vers. 12. ECCE VIR, ORIENS NOMEN EIUS. Ad litteram Zorobabel hoc nomine significatur, idem qui supra cap. III. ubi de eo scribitur: *Ecce enim ego adducam servum meum Orientem*. Mystice vero non est dubium, nomen hoc, & utrumque locum ad Christum pertinere, qui est verus Oriens; unde lumen & vita nobis funditur, de quo canit alter Zacharias pater Baptistæ Lucæ I. *Visitavit nos Oriens ex alto*, &c. Vide etiam, si placet, quod scribit Ribera de hoc prolixe in cap. v. huius eiusdem prophetiæ. Notandum enim quod tam hoc loco, quam cap. III. צמח Hebræa est, quæ magis proprie videtur significare *germen*, quam etiam Hier. alibi latine *germen* reddidit, ut Ierem. XXIII. *Et suscitabo David germen iustum*, tametsi etiam illic Septuaginta verterint ἀνατολὴ, id est Orientem, sicut hoc utroque loco.

MARIANAE.

Vers. I. ET CONVERSUS SUM, verti me in aliam partem. ET ECCE QUATUOR QUADRIGAE, quatuor Imperia significant. EGREDIENTES DE MEDIO DUORUM MONTIUM, ubi scilicet in fauces angustas coeunt. MONTES AEREI, id est munitissimi. In monte Tauro, seu Caucaso, ubi iuga montis duo in fauces coeunt, sunt portæ ferreæ, de quibus Hegesippus Lib. V. cap. L. Locus sic dictus, non quod ibi sint portæ, sed ob munitionem: sic hoc loco divina voluntas & providentia comparatur duobus montibus æreis, inter se coeuntibus, quia in hoc mundo sine ea nihil egreditur, ac præsertim Imperia constituuntur, & cadunt ex Dei voluntate.

V. 3.

V. 3. EQUI VARII]. Hebr. *grandinati*, id est maculas parvas habentes instar grandinis. FORTES. Sept. *multicolores*. Chald. *coloris cinerei*. Hebr. & Vatabl. *rufi*. אמצים *amuzim*, pro, חמצים *hamuzim*. Itaque volunt colorem fuisse rufum, sed inspersum maculis instar grandinis, & in eo differre ab equis primæ quadrigæ, qui rufi penitus erant.

V. 5. QUATUOR VENTI CAELI. Chald. *quatuor Regna, quæ sunt in quatuor ventis*, id est ad quatuor orbis plagas. Id significant illæ quatuor quadrigæ. QUI EGREDIUNTUR, UT STENT, ut scilicet Dei iussa faciant. Hebr. *egrediuntur, ab stando iuxta Dominum;* id est, prius clausi continebantur a Deo, deinde eo volente sunt egressi venti quatuor. Hæ clausuræ sunt duo montes ærei, de quibus vers. 1. UT STENT CORAM DOMINATORE OMNIS TERRAE. Quia ipse ut Dominus mutat Imperia, destituit quos vult. Ergo illis venti stant coram Deo parati iussa facere.

V. 6. IN QUA ERANT EQUI NIGRI, scilicet quadriga. De rufis equis non facit modo mentionem, faciet mox; neque de Assyriorum aut Chaldæorum Imperiis meminit, quia iam perierant. Sed per *Aquilonem*, Persas intelligit, equis nigris vectos, ob terrorem quem Cyrus & successores orbi incusserant. ALBI EGRESSI SUNT POST EOS. Hi sunt Græci, ob morum candorem & mansuetudinem candidi, qui ductore Alexandro Magno insecuti Persas, Babylonem occuparunt. VARII eunt ad Austrum. Per hos AEgyptum intelligo, quæ ad Austrum, & aliquando ii Reges late dominati sunt in Africa atque in Syria. Alii aliter explicant.

V. 7. ROBUSTISSIMI. Chald. *cinerei*. Sept. *multicolores*. Vatabl. *cinerei* seu *rufi*, de quo vers. 3. Ita redit ad primam quadrigam, quam omiserat, per quam aut Romanum Imperium intelligo, quod fuit latissimum, & multo effuso sanguine constitutum, quod equi rufi significant. Aut fit Christi Imperium multo latius, eius sanguine partum. ET DISCURRERE PER OMNEM TERRAM volebant. Vox *omnem* Hebr. non est, sed bene suppletur. ITE, PERAMBULATE TERRAM. Ecce Imperii latitudinem; quod fuit postremum tempore, dignitate primum. Ideo initio equos rufos primo loco posuit.

V. 8. ET VOCAVIT ME. Hebr. *clamavit ad me*. Chald. sic, & Sept. *clamavit, & locutus est ad me*, id est vocavit me magna voce, scilicet Angelus. REQUIESCERE FECERUNT SPIRITUM MEUM; hoc est, iram meam. *Spiritus* pro *ira*. Sept. *furorem meum*. Male tum Babylonios, tum Assyrios, & diu mulctavit Deus, ob afflictos multis modis Iudæos & pios: sic eius ira quievit.

V. 10. SUME A TRANSMIGRATIONE, a viris, qui e captivitate venerunt, scilicet iis quos mox nominat. Sume scilicet aurum & argentum. Erant divites. INTRABIS IN DOMUM IOSIAE, quoniam ibi erant Holdai & socii, a quibus aurum & argentum debebat accipere.

V. 11. ET PONES IN CAPITE IESU, scilicet unam coronam e multis quas fecisti, aut facere iuberis.

V. 12. ECCE VIR ORIENS, seu *germen*; quia ut germen sensim crescit & augetur, sic erit Zorobabel, sic Christus per eum significatus. Chald. *ecce vir Messias nomen eius*. ET SUBTER EUM ORIETUR, aut *germinabit*. *Subter eum*, in suo loco, in Ierusalem augebitur & crescet auctoritate instar germinis in terra. AEDIFICABIT TEMPLUM Zorobabel Iudaicum, Christus Ecclesiam.

V. 13. ET IPSE EXTRUET TEMPLUM. Repetit ob maiorem certitudinem. PORTABIT GLORIAM. Chald. *splendorem*, scilicet regiam auctoritatem habebit. ET ERIT SACERDOS SUPER SOLIO SUO: si de Christo intelligimus, erit Rex & sacerdos; si de Zorobabele, sacerdos stabit coram eo quasi coram maiore super solio, id est iuxta solium. Aut potius sacerdos suam auctoritatem obtinebit, non invadet Zorobabel in eius iura. Quod magis sequentia confirmant. ET CONSILIUM PACIS, id est erunt unanimes, neque alter ab altero discrepabit. Quod ipsum in Ecclesia fieri debet. Reges & sacerdotes sint concordes.

V. 14. ET CORONAE ERUNT. Eorum nomine suspendentur in templo, ut sit monimentum eorum liberalitatis, qui aurum dederunt. HELEM. Hic est *Holdai* vers. 10. HEM. Hic est *Iosias*. Fuere binomii.

V. 15. ET QUI PROCUL SUNT, VENIENT. Gentes deferent munera ad templi con-

constructionem. Quod cum accideris, ait de se Propheta, SCIETIS QUIA DOMINUS EXERCITUUM MISIT ME AD VOS.

MENOCHII.

Vers. I. CONVERSUS SUM, id est iterum vidi aliam visionem. ECCE QUATUOR QUADRIGAE: sicut Danieli cap. II. ita nunc Zachariæ proponuntur quatuor imperia, quæ sibi ordine successerunt, & sese mutuo everterunt: & post illa imperium Christi Domini, omnibus illis diuturnius, & potentius, ut norint omnes non casu, sed Dei voluntate hæc imperia floruisse, & concidisse, regnum vero Christi semper mansurum. EGREDIENTES DE MEDIO DUORUM MONTIUM. Hi duo montes symbolum sunt potentiæ, & providentiæ Dei, cuius duæ partes, & quasi montes, sunt mens, & voluntas, puta sapientia, & decretum, sive dispositio, & definitio, vel præordinatio, & executio. Hæc igitur quadrigæ montibus illis æneis, antequam exirent, continebantur, ne alias nationes bello infestarent, proinde ac si septæ essent montibus validissimis, & insuperabilibus: cum autem adfuit tempus a Deo præstitutum, ut imperio potirentur, tunc egressæ sunt.

V. 2. IN QUADRIGA PRIMA EQUI RUFI: hoc est imperium Chaldæorum sanguinarium, & crudele præsertim in Iudæos. Bene etiam colore rufo designantur Chaldæi, qui hoc colore delectabantur in vestibus, quare Nahum II. 3. dicitur: *Clypeus eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis*. Porro cum legis *Quadrigas*, intellige etiam ascensores earum, more Scripturæ. IN QUADRIGA SECUNDA EQUI NIGRI; hoc est imperium Medorum, & Persarum: equi sunt nigri, quia his regnantibus Iudæi gravi metu, atque luctu afflicti sunt per edictum Assueri, Esther. III. Adde etiam his imperantibus luxisse Iudæos propter impeditam ædificationem templi.

V. 3. IN QUADRIGA TERTIA EQUI ALBI, regnum Græcorum, quod cœpit ab Alexandro, qui clemens fuit in Iudæos. Præterea tempore huius Monarchiæ insignes victorias reportarunt Iudæi Machabæis ducibus. IN QUADRIGA QUARTA EQUI VARII, ET FORTES: imperium Romanorum forte ob bellicam virtutem; varium, quia non semel mutata reipublicæ forma, & Principum voluntas in gentem Iudæorum.

V. 5. ISTI SUNT QUATUOR VENTI CAELI; quasi dicat: Hæ quatuor Monarchiæ inter se confligent, ut venti contrarii, ac violenter, & celeriter quasi venti, subvertent omnia, quocumque irruent: denique velociter transibunt, & desinent, ut solent venti. UT STENT: quasi parati ad excipienda eius iussa, & perficienda.

V. 6. IN QUA ERANT EQUI NIGRI. De equis rufis nihil dicit, quia iam transierat imperium Chaldæorum. EGREDIEBANTUR IN TERRAM AQUILONIS: Persæ enim, & Medi debellarunt Babylonem, quæ respectu Ierusalem est Aquilonaris. AD TERRAM AUSTRI. Romanos dicit exiisse in AEgyptum, quæ respectu Ierusalem, erat Australis; quoniam memorat tantum bella horum regnorum, quibus priora regna deleta sunt. Augustus autem victis Antonio, & Cleopatra, Græcorum regnum, id est Ptolomæorum in AEgypto extinxit, illudque ad se, & ad Romanos transtulit. QUI AUTEM ROBUSTISSIMI ERANT. Fortissimi quique Romanorum duces, quales Scipio, Marius, Sylla, Pompeius, Iulius Cæsar, Augustus, &c. de his enim loquitur propheta, qui fuerunt ante Christum, nam in Christum, & Christi regnum desinere visi sunt, n. 12. ET DIXIT ITE, &c. scilicet Deus, qui illis potestatem fecit egrediendi. ET VOCAVIT ME. Narrat Angelus Zachariæ se vocatum a Deo, & quæ sequuntur ab illo audivisse.

V. 8. REQUIESCERE FECERUNT SPIRITUM MEUM: ἔπαυσαν τὸν θυμόν μου, *Requiescere fecerunt iram meam*, ut habent LXX. quasi dicat, Satisfecerunt mihi irato in Chaldæos, dum eos vastarunt.

V. 10. SUME: scilicet, quod infra dicitur. A TRANSMIGRATIONE, id est a transmigrantibus, hoc est, ab iis viris, qui venerunt Babylone, quos invenies in domo Iosiæ. Verba, & sensum ita ordina; quasi dicat: Venito, o Zacharia, in domum Iosiæ filii Sophoniæ, in die qua munera oblaturi sunt Holdai, Tobias, & Idaias, qui iam recenter venerunt de Babylone, atque ab eis accipies aurum, & argentum, quæ quasi donum per eos transmittunt, & templo offerunt Iudæi, qui olim in Babylonem transmigrarunt, ibique adhuc

adhuc degunt, ut ex eo facias coronas, ponendas in capite Iesu Pontificis.

V. 11. FACIES CORONAS. Chal. vertit, *Facies coronam magnam*. LXX. etiam n. 14. vocant *coronam*, *non coronas*: fortasse fuit similis tiaræ Romani Pontificis, quæ una quidem est, sed tribus coronis redimita.

V. 12. ECCE VIR ORIENS NOMEN EIUS; quasi dicat: Non tibi propter te imponitur corona, sed ut figura Christi sis, & eius typum geras. Christum vocari orientem, & cur diximus cap. III. 8. SUBTER EUM ORIETUR, &c. ex illo, id est Christo, germinabit novus populus, hoc est filii Ecclesiæ. AEDIFICAVIT TEMPLUM DOMINO: illud nimirum, de quo ait Christus, Matth. XVI. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

V. 13. ET IPSE EXTRUET TEMPLUM DOMINO: ipse, inquam, non alius ædificabit Ecclesiam; quod addit ad maiorem amplificationem veritatis, & firmitatis. PORTABIT GLORIAM: coronam gloriæ gloriosi Pontificatus, & regni, iuxta illud Psal. XX. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*. ET SEDEBIT, ET DOMINABITUR: ut verus rex totius populi Dei, Luc. 1. *Et regnabit in domo David in æternum*. ET ERIT SACERDOS: De quo dicitur, *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*: Psal. CIX. 4. ET CONSILIUM PACIS ERIT INTER ILLOS DUOS: scilicet, thronos, id est, illæ dignitates, & potestates, regia scilicet & sacerdotalis, inter quas non satis convenire solebat, nunc valde concordes erunt in uno Christo.

V. 14. ET CORONAE ERUNT HELEM, &c. id est, postquam coronas capiti Iesu imposueris, detrahes, & in templo servabis, ut sint in memoriam eorum, qui dederunt, ideoque incides in eis nomina quatuor virorum illorum, qui ad eas aurum, & argentum obtulerunt, scilicet Helem, Tobiæ, Idaiæ, & Hem. Notandum autem est eum, qui vers. 10. dictus est *Holdai*, hic vocari *Helem*: & qui ibidem dictus est *Iosias*, hic vocari *Hem*; erant enim binomii, & hæc nomina breviora potius quam prima illa longiora electa sunt, ut coronis inciderentur.

V. 14. QUI PROCUL SUNT: qui in remotis locis habitant, horum exemplo excitati, aliquid conferent ad fabricam templi: sublimiori sensu, *Qui procul sunt*. Gentiles significant: sic habemus ad Ephes. II. *Vos, qui aliquando eratis longe*. AEDIFICABUNT IN TEMPLO DOMINI: multum iuvabunt, & promovebunt hoc ædificium Ecclesiæ: sic legimus Isai. LX. *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos*. ET SCIETIS, &c. cum scilicet videbitis oracula mea impleta. SI AUDITU AUDIERITIS, &c. hæc vobis contingent, si divinæ legi, & eius voci fueritis obedientes. Hac enim conditione vobis promittuntur.

TIRINI.

Vers. 1. DE MEDIO DUORUM MONTIUM AEREORUM, id est e septis divinæ potentiæ ac providentiæ, instar æreorum montium impenetrabilibus, ECCE tibi EGREDIENTES QUATUOR *quadrigas*, id est quatuor monarchias, quas Deus divina sua providentia ac potentia successive in lucem eduxit ad impiam Babylonem occupandam, puniendam, vastandam: ita Chaldæus, S. Hieronymus, Cyrillus & alii passim. Addit Mariana, Prophetam alludere ad montem Taurum, seu Caucasum, ubi duo montis iuga in fauces coeunt, sicut portæ ferreæ, de quibus Hegesippus Lib. V. cap. 1. *Porta*, inquam, non proprie dictæ, sed ob loci munitionem sic vocitatæ. Et vero ex hisce montibus egressi sunt eorum accolæ Persæ, qui in vastando Babylonicæ impietatis regno primi fuerunt ac præcipui. De iisdem quatuor monarchiis dicitur,

V. 5. ISTI SUNT QUATUOR VENTI; id est, velut *a* quatuor venti primo inter se confligentes, deinde obvia quæve violenter ac celeriter subvertentes, denique instar turbinis cito transeuntes ac desinentes. Alludit ad Danielis VII. 2. ubi eædem quatuor monarchiæ inducuntur quasi quatuor venti confligentes in mari: ita Theodoretus, Vatablus, Pererius & Sanchez. Porro hæ quadrigæ, hi venti *stant* CORAM Deo parati continuo ad omnia ipsius iussa excipienda; quibus exceptis EGREDIUNTUR ad eadem exequenda. Quid egerint *equi rufi*, id est Assyrii & Chaldæi, (: sic dicti, quia sanguinarii, & quia rufis vestibus, id est purpureis, seu coccineis, ornati *b*,) hic non explicatur, quia ipsi Ba-

bylonem non everterunt, sed evexerunt, & iam esse desierant. De secundis *equis nigris*, id est Persis & Medis, qui primi Babyloniis lethalem horrorem, mœrorem & luctum invexerunt, dicit.

V. 6. & 8. QUOD EGRESSI IN TERRAM AQUILONIS, id est in Chaldæam, quæ Iudæis est ad Aquilonem, sic rem ibi gesserunt, ut SPIRITUM; LXX. *furorem*, MEUM exsatiarint, atque ita QUIESCERE *fecerint* ab ulteriori appetitu vindictæ. Cogita Babylonem armis Persicis bis divictam, bis spoliatam, bis excisam, primo per Cyrum, deinde per Darium *c* Hystaspis. Per tertios, *quos albos* intelligit Græcos, Alexandrum Magnum & socios eius Macedones, qui apud Arbellam *d*, haud procul Babylone, profligatis Darii Codomanni *e*, ultimi Persarum monarchæ, copiis, Babyloniam, immo totam Asiam victores obtinuerunt: ceterum subditis, ac præsertim Iudæis, sat benigni ac benevoli, quod albo colore repræsentabatur. De uique per quartos *equos varios & fortes* per excellentiam, Romanos designat, qui ut robore omnibus superiores, ita regimine, seu politia valde varii fuerint; primo, sub regibus; secundo, sub consulibus; tertio, sub tribunisplebis; quarto, sub Imperatoribus. Et his ex varia gente, cum alii essent Itali, alii Hispani, alii Galli, alii Græci, &c. & in Iudæos affectu valde vario; tempore Machabæorum benevoli, quales etiam Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius & Claudius se illis exhibuerunt: alii, ut Pompeius, Caligula, Nero, Vespasianus, Titus & Adrianus, valde ipsis infensi & infesti fuerunt: ita S. Hieron. Ex his quadricoloribus Zachariæ quadrigis putant aliqui originem sumpsisse quatuor Circensium aurigarum factiones totidem coloribus distinctas, quæ graves sæpe tumultus apud Græcos & Romanos concitarunt, de quibus Dio, Svetonius & alii in Anthologia. *Albati* enim Circenses respondebant albis Zachariæ, *russati* rufis, *prasini* seu subvirides nigris, *veneti*, cærulei, seu marini, variis. Iisdem repræsentantur quatuor elementa, rubro *ignis*, albo *aer*, prasino *terra*, veneto *aqua*. Allegorice, sunt quatuor Evangelistæ, vel quadruplices Evangelii præcones: primi, Apostoli ac Martyres: secundi, Virgines; tertii, Prophetæ ac SS. Patres; quarti, Doctores Scholastici cum Religiosis tam variis: ita fere Clarius & Burgensis, ut veteres *f* taceam.

V. 10. A TRANSMIGRATIONE, id est ab iis qui sub Nabuchodonosore olim transmigrarunt e Iudæa in Babyloniam, & iam recens DE BABYLONE VENERUNT Ierosolymam, puta AB HOLDAI, qui infra *g Helem* vocatur, ET A TOBIA, ET AB IDAIA, & a *Iosia*, seu *Hem h*, in cuius *domo* reliqui tres hospitantur. (Hos quatuor tradunt Hebræi fuisse Danielem, eiusque socios Ananiam, Azariam & Misaelem, qui munerum Deo offerendorum, simulque & patriæ & amicorum revisendorum causa huc excurrerint.)

V. 11. SUMES, o Zacharia, AURUM ET ARGENTUM quod in donaria templo afferunt, ET EX EO FACIES CORONAS. Hebræum *ataroth* non est dualis, sed pluralis numeri, unde tres ut minimum coronas designat, vel certe unam *coronam*, ut LXX. vertunt, eamque *magnam*, ut Chaldæus, seu multiplicem, e tribus partialibus coronis contextam, qualis etiamnum capiti summi Pontificis Romani imponitur. Hanc triplicem coronam PONES IN CAPITE IESU SACERDOTIS MAGNI, id est summi pontificis Iudæorum, quo designes, illum, fore triplici nomine maxime illustrem, primo, dignitate pontificia; secundo, potestate politica *i*; tertio, gloria restaurati templi Domini. Et quia in his typum geret veri *Iesu* Messiæ pontificis k, regis *l* & instauratoris *m* & universi.

V. 12. ECCE hic est VIR toties orbi promissus, & tandem aliquando exhibendus, ORIENS; Hebraice, *tsemach*, id est germen, NOMEN EIUS, ut supra *n* dixi: ita S. Hieronymus, Haymo, Albertus, Rupertus, Vatablus, Lyranus, & etiam veteres Rabbini apud Galatinum *o*. Unde Chaldæus clare vertit, *ecce vir cuius nomen est Messias*; quasi dicat: Hanc coronam tibi, o Iesu fili Iosedec, impono, ut ea repræsentes triplicem iam dictam dignitatem Messiæ, ut cuius tu typum geris. SUBTER ipsum enim; Hebraice, *de sub ipso*, brevi ORIETUR & germinabit innumera multitudo ramorum, puta Christianorum eius sequacium, per quos hic *Oriens*, seu hoc *germen*, propagabitur per totum universum. Et ex his conflabitur nobile illud TEMPLUM quod ipse AEDIFICA-

BIT

BIT DOMINO; nempe *Ecclesiam*, seu fidelium congregationem, primo militantem in terris, deinde & triumphantem in cælis. Hanc ædificabit non tam manibus, quam sanguine suo & morte, cum nullus alius ex toto universo tantum opus vel inchoare possit, multo minus perficere. Unde iure merito ipsi uni laus & gloria hæc omnis debetur *p*.

V. 13. & 14. IPSE PORTABIT hanc GLORIAM æternum, quæ per primam & maximam coronam tiaræ tuæ præfiguratur. Per secundam autem potestas eius *regia*, qua princeps absolute summus SEDEBIT ET DOMINABITUR SUPER SOLIO *q* SUO regali. Per tertiam coronam dignitas eiusdem pontificia, qua *super* eodem *solio suo* gloriosius effulgebit. Neque enim dissensionem, ut in aliis solent, ita & in Christo parient duo isti supremi throni, regalis & pontificalis, sed CONSILIUM summæ PACIS ac concordiæ, & optima conspiratio atque unio maxima ERIT INTER ILLOS DUOS thronos, seu duos illos principatus. Sicut in tiara tua binæ illæ coronæ, quæ istorum principatuum duorum symbola sunt, optime & pulcherrime uniuntur: ita S. Hieronym. Clarius, Arias & alii supra citati. Et si autem prædictæ CORONAE primario, ut audisti o Zacharia, deserviant ornando capiti summi pontificis, ac proinde asservandæ sint IN TEMPLO DOMINI in MEMORIALE mysterii iam expositi; volo nihilominus serviant etiam pro *memoriali* perpetuo munificentiæ quatuor istorum virorum, quia ad sacrum hoc munus opes suas contulerunt: quare iubeo nomina ipsorum in iisdem coronis ab aurifabro incidi, e quibus posteri colligent, qui fuerint sacri istius monilis auctores. Simulque excitamento erunt iisdem exemplo suo aliis plurimis tam Gentilibus, quam Iudæis.

V. 15. QUI PROCUL SUNT, id est locis a Iudæa remotis habitant toto orbe dispersi, qui simili modo Ierosolymam AEDIFICABUNT varias partes IN TEMPLO DOMINI. Et ex hoc advenarum & donariorum affluxu, tamquam ex certo, quod nunc do vobis, signo SCIETIS, me Zachariam non ex me hæc confinxisse, sed *missum* & inspiratum *a Deo* omnia prædixisse. Simulque ex eodem signo colligere poteritis, vera esse quæcumque Dei nomine vobis hucusque de Christo, deque Ecclesia per ipsum instauranda, bonisque omnibus per ipsum vobis olim obventuris prædixi, certissimoque complenda suo tempore, si tamen AUDITU AUDIERITIS VOCEM DOMINI, eiusque legibus obedieritis. Nam si rebelles ei evadatis, nolo falsitatis argui, si hæc sua meaque promissa revocet Deus: ita Theodoretus.

(a) Proleg. sup. num. IX.
(b) Nahum II. 3.
(c) Zach. II. 6.
(d) Curtius L b. V.
(e) Chronici cap. XXXVII.
(f) Apud S. Hieron. hic.
(g) Vers. 14.
(h) Ibid.
(i) Cap. v. 7.
(k) Psal. CIX. 4.
(l) Psal. II. 6. Lucæ I. 32.
(m) Ephes. I. 10.
(n) Hic vers. 5. 8.
(o) Galatin. Lib. III. cap. XIII.
(p) Apoc. v. 12.
(q) Lucæ I. 32.

GORDONI.

Vers. 1. HOc de quatuor his regnis ante Zachariam proposuit, & prophetavit Daniel cap. II. 32. ut rem ibidem explicatam dedi: ad utrumque Prophetam in hac visione alludit visio Ioannis Apoc. cap. VI. de quatuor regnis post Christum futuris: per equos quatuor colore varios. Ceterum in hac visione Zachariæ equi rufi designant imperium Assyriorum & Chaldæorum: nigri Persarum, albi Græcorum, & varii Romanam monarchiam: egrediuntur e faucibus duorum montium, sed æreorum. Sane Dei potentia robustissima, & providentia est unde egrediuntur, stant, & cadunt imperia.

V. 5. & 6. ISTI SUNT QUATUOR VENTI, &c. Daniel quoque cap. VII. 2. quatuor posuit ventos conflictu inter se pugnantes: sic certatum est inter has monarchias: nota historia est. Iam vero equi nigri Persici vastarunt Babylonem, quæ est Iudæis ad Aquilonem: albi Græcorum occuparunt Babylonem & Persidem. Varii Romanorum ad Austrum pergunt sub Augusto. Sane AEgyptus est australis terræ sanctæ, nec abstinuerunt a Carthaginensibus AEgypto vicinis, & qui australes quoque sicut Romanis.

Dd 2 *V.* 8.

V. 8. Ecce qui egrediuntur, &c. Hi egrediuntur e Perside contra Babylonem Iudæis aquilonarem; non tantum sub Cyro, sed etiam tempore huius Zachariæ sub Dario Hystaspis, iterum vastata Babylon est a Persis ob rebellionem: hi vero requiescere fecerunt spiritum meum; hoc est, satisfecerunt mihi irato Chaldæis; sic enim pœnas dederunt iterum ob iniquitatem, & amphoram eo translatam, de qua supra.

V. 9. Et factum est, &c. Sume a transmigratione (abstractum pro concreto) hoc est ab his qui a transmigratione redierunt (hi sunt Holdai, Tobias, Isaias, & Sophonias. Sume, inquit, aurum & argentum, ut inde facias coronam imponendam capiti Pontificis Iesu. At cur ab his sumendum aurum? certe vel quia ditiores erant, vel quia missis putantur a Iudæis remanentibus in Babylone, ut deferrent munera auri & argenti oblata ad fabricam templi.

V. 12. Loqueris ad eum, ecce vir oriens, &c. Vide supra cap. III. 8. ubi Christus vir oriens promittitur, & sicut ibi, ita etiam hic fit sermo ad Iesum Pontificem. Immo hoc loco imponitur corona Pontifici, ut uncto & typo Christi. Et conveniunt Christo quæ insequuntur: ipse enim ædificabit templum & Ecclesiam, dominabitur in solio suo, & consilium pacis erit inter duos hos magistratus, sacerdotalem & regalem. Nam Christus utrumque in se habebit; quasi diceretur, Quamvis duæ hæ potestates sint in duobus, Zorobabele & Iesu Pontifice, tamen tunc erant in uno, & absque dissensionis periculo.

V. 14. Et coronae erunt, &c. Una erat sed magna satis corona, & assurgens triplici forma; dum una imponitur alteri instar tiaræ Romani Pontificis: erunt vero hæ coronæ memoriale offerentium. Quorum nomina coronis insculpta manebunt in templo Domini. Interim apparet hic satis nullam coronam dari Zorobabeli. Sane Ioseph. Lib. XI. Antiq. cap. IV. scribit omnem potestatem laicam & sacram post reditum a captivitate pertinuisse ad summum Pontificem, & ita fuisse constat sub Machabæis. Verum nos in opere chronologico ad ann. 3445. notavimus ex aliorum sententias duces aliquos. Quid si tantum progressu temporis tota res devoluta est ad Pontifices.



CAPUT VII.

Ieiunia quibus Iudæi per 70. annos captivitatis ieiunaverunt, non placebant Domino, quia in iniquitatibus suis permanebant: proinde hortatur eos ad resipiscentiam; nam quia Prophetas olim non audierant dispersit eos Dominus in Gentes, terraque desolata facta est propter ipsorum iniquitates.

1. ET factum est in anno quarto Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu. 2. Et miserunt ad domum Dei, Sarasar, & Rogommelech, & viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini: 3. ut dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, & Prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis? 4. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: 5. Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens: (*a*) Cum ieiunaretis, & plangeretis

in

in quinto & septimo per hos septuaginta annos: numquid ieiunium ieiunastis mihi? 6. & cum comedistis, & bibistis, numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? 7. Numquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu Prophetarum priorum, cum adhuc Ierusalem habitaretur, & esset opulenta, ipsa & urbes in circuitu eius, & ad Austrum, & in campestribus habitaretur? 8. Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens: 9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verum iudicate, & misericordiam & miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. 10. (b) Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. 11. Et noluerunt attendere, * & averterunt scapulam recedentem, & aures suas aggravaverunt ne audierent. 12. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem, & * verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum Prophetarum priorum: & facta est indignatio magna a Domino exercituum. 13. Et factum est * sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum. 14. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt: & terra desolata est ab eis, eo quod non esset transiens & revertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.

(a) Isa. lviii. 5. (b) Exod. xxii. 22. Isa. i. 23. Ierem. v. 28.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 11. *Et averterunt scapulam recedentem.* Retinendus est accusativus singularis *recedentem*, non substituendus nominativus pluralis *recedentes*.

Vers. 12. *Verba quæ misit Dominus exercituum.* Pro *Dominus* non scribas *Deus*.

Vers. 13. *Sicut locutus est, non audierunt.* Non repetas adverbium *sicut* ante *non*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. NONI, id est Novembris.

Vers. 2. ET MISERUNT; pro, miserant enim. SARASAR, &c. nomina Iudæorum qui remanserant in Babylonia.

V. 3. FLENDUM, id est ieiunandum. QUINTO, scilicet ieiunabant mense quinto quo urbs incensa; & septimo, quo interfectus Godolias, adeoque dispersi Iudæi qui sub eo erant. SANCTIFICARE. Chald. *abstinere a deliciis*.

V. 4 ET FACTUM EST, &c. Redit ad id quod dixerat supra.

V. 5. MIHI, id est quod mihi gratum esset. Vide Isa. LVIII.

V. 6. VOBIS, scilicet & non ad Dei gloriam.

V. 7. IN MANU, id est opera seu ministerio; quasi dicat: Nonne sæpe vos monui, non esse mihi grata vestra ieiunia, quod deesset eis meorum præceptorum observatio?

V. 9. VERUM. LXX. *iustum*. ET MISERICORDIAM, &c. Hæc geminatio significat, sæpe & multum misericordia utendum.

V. 10. CALUMNIARI. Chald. & LXX. *opprimere*. ET MALUM, &c. LXX. *& malitiæ quisque fratris sui ne memineritis in cordibus vestris*.

V. 11. AVERTERUNT SCAPULAM, id est terga verterunt. RECEDENTEM. Sic est Hebr. & Chald. quasi dicat, Rebellem, seu onus detrectantem. LXX. *tergum contem-*

temnens. AGGRAVAVERUNT, scilicet velut pondere aliquo obturarunt.

V. 12. SPIRITU, scilicet fidem posuit in Prophetis. INDIGNATIO, scilicet qua illos punivit.

V. 13. LOCUTUS EST, scilicet se puniturum. DICIT; pro, dixit etiam tunc.

V. 14. NESCIUNT, id est nesciebant antea. TERRA, scilicet Iudæa. DESOLATA, id est sola relicta. AB EIS, id est ob ipsorum peccata, vel ipsis discedentibus. TRANSIENS ET REVERTENS, id est ultro citroque commeans. DESIDERABILEM, id est optimam. DESERTUM. Chald. & LXX. *desolationem*.

E S T H.

Vers. 5. CUM IEIUNARETIS ET PLANGERETIS IN QUINTO ET SEPTIMO (mense) PER HOS SEPTUAGINTA ANNOS: NUMQUID IEIUNIUM IEIUNASTIS MIHI? Et similia habentur capite sequenti. Nec tamen illa eo sensu accipienda sunt, ad quem ea detorquent hæretici nostri sæculi, quasi iis significetur Deum non placari ieiuniis, aut non exhiberi per ea cultum Deo gratum, aut non satisfieri pro peccatis, cum testetur Lucas cap. II. Annam prophetissam *ieiuniis servisse*, scilicet Deo, id est cultum Deo exhibuisse. Id enim plane significat vox Græca ibi posita λατρεύειν. Sed scilicet corrigit propheta inutilem ieiunandi modum, immo superstitionem Iudæorum, existimantium ieiunio Deum placari, etiamsi a peccatis non abstinerent. Propterea itaque ante omnia monet, ut opera iustitiæ & misericordiæ diligenter exerceant, ita demum futurum, ut Deo gratum & placabile sit eorum ieiunium; & sic videlicet causam ieiunii convertendam in occasionem gaudii, & festivæ solemnitatis. Deinde loquitur propheta non tam de ieiuniis lege præscriptis, quam a populo post eversionem civitatis voluntarie assumptis. Nam ieiunium quarti mensis servabant, quod eo mense capta esset civitas, quinti mensis, quod in eo templum exustum esset, septimi quod in eo Godolias occisus, decimi quod in eo Nabuchodonosor cœperit obsidere Ierusalem. Hæc ergo ieiunia promittit in gaudium convertenda; dum in tam felicem statum civitatem restituendam dicit, ut prioris luctus memoria, quodammodo oblitteretur.

M A R I A N AE.

Vers. 1. IN QUARTA, scilicet die. CASLEU: mensis nonus, respondet Novembri. Tunc factum est verbum ad Zachariam occasione legationis, de qua mox

V. 2. ET MISERUNT; pro, miserant, postquam miserunt. Hæc Prophetia extitit occasione eius legationis. Hebr. *misit*: sic Sept. & Chald. Quis misit, aut qui miserunt? mox dicetur. SARASAR, ET ROGOMMELECH. Nomen proprium viri. ET VIRI QUI ERANT CUM EO, scilicet *cum Sarasar*: sic Sept. Iuxta hanc versionem qui misere legationem, fuerunt Sarasar & socii. Chald. *misit viros eius*. Itaque populus misit, qui in Babylone manserat, scilicet misit, inquam, aut miserunt (perinde enim est) Sarasar & socios. AD DEPRECANDAM FACIEM DOMINI, id est orandum coram altari, quod iam erat extructum; & per orationem intellige etiam sacrificia quæ obtulerunt.

V. 3. ET PROPHETIS dicerent. Chald. *& Scribis*. Per *Prophetas* sane peritos legis intelligit, aut vere Prophetas, quando Zacharias respondet: NUMQUID FLENDUM EST MIHI. Carmen lugubre intelligit, quod ut nos in funere concinebant. IN QUINTO MENSE. Is mensis est *Ab*, Iulio respondens. Eo mense die septimo capta est Ierusalem, IV. Reg. XXV. 8. ideo quotannis fletum Iudæi & ieiunium celebrabant. In Kalend. Hebr. nonus dies ieiunio designatur, fortassis eo die templum est incensum. VEL SANCTIFICARE ME DEBEO, id est ieiunare. Hebr. *separando me*, scilicet a cibis & voluptatibus, id est ieiunando. SICUT IAM FECI MULTIS ANNIS? toto scilicet captivitatis tempore, uti vers. 5. dicitur. Sed quoniam templum extruebatur, & tempus lætitiam ostentabat, rogant an cessare debeant ab eo ritu, quem forte ex voto susceperant. Respondet Deus:

V. 5. IN QUINTO ET SEPTIMO, scilicet *mense*, ut supplet Chald. & Gotth. De quinti mensis ieiunio dictum est. Septimi mensis, id est *Tizri*, tertio die ieiunium adnotat Kalend. Hebr. quod Godoliæ vocat, quia eo die occisus est Godolias, & Iudæi, qui post captam Ierusalem in Iudæa

dæa manserant, penitus dispersi sunt, uti IV. Reg. XXV. 25. dicitur. IEIUNASTIS MIHI? id est propter me, in meum obsequium. In Hebr. additur *ego*, sed redundat, & ab Interpretibus omittitur. Aut supple. Ego præcepi? numquid ex meo præcepto id fecistis? Itaque ieiunium vestrum, neque comestio mihi placuit.

V. 6. VOBIS COMEDISTIS, id est ex vestro libito. Hebr. & Sept. *an non vos comeditis, & vos bibitis?* id est ex vestra voluntate, non me præcipiente.

V. 7. NUMQUID NON SUNT VERBA; scilicet talia sunt verba per antiquos Prophetas dicta, vestra ieiunia esse præpostera. IN MANU PROPHETARUM, id est per Prophetas priores. Id dixi de ieiuniis vestris, cum Ierusalem staret & quieta esset. IERUSALEM HABITARETUR, scilicet secure, sine metu. OPULENTA, seu *quieta*. ET AD AUSTRUM. Ad Austrum Ierusalem deserta sunt, ubi nullæ urbes munitæ, & tamen eo tempore secure ea loca habitabantur.

V. 9. HAEC AIT. Hebr. *Sic dixit Dominus*, scilicet per Prophetas priores. Repetit hic quæ illi dixerunt populo, ut similia in præsenti facerent. MISERICORDIAM ET MISERATIONES. *Misericordiam* in animo, *miserationes* in opere: Cyrillus. Aut geminatio ad exaggerationem.

V. 10. NOLITE CALUMNIARI, seu *opprimere*. NON COGITET. Non solum opera prava prohibet, sed & cogitationes. Quale ieiunium Deus velit, Isaias describit cap. LVIII. vers. 6. iis quæ hic dicuntur similia.

V. 11. SCAPULAM RECEDENTEM. Sic Goth. non *recedentes*, ut legunt Biblia Regia & Lovan. Hebr. *& dederunt scapulam rebellem*, id est tergum Deo verterunt, sicut qui loquentem deserit. Itaque noluerunt obedire quæ Deus præcepit.

V. 12. IN SPIRITU SUO, scilicet Prophetiæ spiritu. Chald. *in verbo suo*. PER MANUM PROPHETARUM, id est per Prophetas. Ea non audierunt maiores vestri.

V. 13. ET FACTUM EST SICUT LOCUTUS EST, scilicet Deus per Prophetas. Deus est indignatus, non obedierunt tamen. SIC CLAMABUNT; pro, itaque clamaverunt. ET NON EXAUDIAM; pro, non exaudivi. Loquitur de præterito tempore. Ideo futura pro præteritis sumuntur.

V. 14. ET DISPERSI EOS. Hebr. *dispergam ut turbo*, sed bene Hieronymus vertit in præteritum. Verbum Hebr. ואסערם *Æsaharem* propter puncta videtur esse passivum & intransitivum; ideo D. Kimhi in Dictionario explicat, *& dispergam cum eis*. Quasi Deus captivitate suorum esset captivus: quo modo Isa. LXIII. vers. 9. iuxta Gotthicam lectionem dicitur de Deo, *In omni tribulatione eorum est tribulatus*. Loquitur humano more. ET TERRA DESOLATA EST AB EIS. Hebr. *post eos*, id est postquam iverunt in captivitatem. EO QUOD NON ESSET TRANSIENS. Hebr. *a transeunte & a revertente*, id est quod nemo versaretur in ea regione. ET POSUERUNT. Heb. *ponent*; sed pro *posuerunt*. TERRAM DESIDERABILEM, fertilem regionem, Iudææ scilicet. IN DESERTUM, seu *in desolationem*. Ita his verbis Zacharias monet Deum parum eorum Iudæorum, qui Babylone erant, ieiunium curare, sed pietatem animi in primis exigere, prout antiquis temporibus fecit.

MENOCHII.

Vers. 1. DARII: Hystaspis regis Persarum. MENSIS NONI: qui respondet nostro Novembri, hic enim mensis est nonus a Nisan, sive Martio, qui primus erat anni apud Hebræos.

V. 2. MISERUNT, &c. id est miserant: qui miserunt videntur fuisse Iudæi in Iudæa, sed extra Ierusalem habitantes, quod indicare videtur responsio Domini vers. 5. *Loquere ad omnem populum terræ*, &c. AD DOMUM DEI, id est ad templum; hic enim erat locus orationis, æque ac oraculi, quo omnes Iudæi adire, & consulere solebant. SARASAR, &c. sunt nomina eorum, qui nuncios miserunt in Ierusalem. AD DEPRECANDAM FACIEM DOMINI: ut pro ipsis orarent, & quæstionis solutionem reportarent.

V. 3. NUMQUID FLENDUM EST MIHI, &c. cum iam templi fabrica cresceret, quærunt an adhuc templi præteriti incendium flere debeant; an vero ob novi surgentis fabricam lætari, & exultare. Hæc est quæstionis summa, cui directe respondet infra cap. VIII. 19. IN QUINTO MENSE: qui Hebræis *Ab* dicitur, cuius die decima templum combustum fuit a Chaldæis. VEL

SAN-

SANCTIFICARE. Hebr. הנזר *hinnazer*, id est *nazaraeare*, hoc est, agere nazaraeum, instar nazaraeorum abstinendo a vino, & & deliciis, & ieiunando iuxta legem eis praescriptam, Num. 6. SICUT IAM FECI MULTIS ANNIS: tempore captivitatis.

V. 5. NUMQUID IEIUNIUM IEIUNASTIS MIHI? id est quod mihi gratum esset. Vide Isaiam LVIII. 3. & deinceps. VOBIS COMEDISTIS: scilicet ad voluptatem vestram, non ad honorem meum. NUMQUID NON SUNT VERBA, &c. quasi dicat; Numquid haec eadem verba, nimirum quod ieiunia vestra operibus bonis destituta, & malis inquinata mihi displiceant, olim vobis per prophetas locutus sum? vide Isaiam loco cit & Ierem. XIV. 12. ET AD AUSTRUM, ET IN CAMPESTRIBUS, &c. eum tam pars illa Iudaeae, quae est ad Austrum, & est montana, quam planities habitatorum magna frequentia celebraretur.

V. 6. IUDICIUM VERUM IUDICATE. Si mihi placere vultis recte iudicate, nullo habito respectu personarum, nec corrumpendo iustitiam acceptione munerum. MISERICORDIAM, ET MISERATIONES FACITE. Haec geminatio significat crebram, & omnis generis misericordiam faciendam esse. CUM FRATRE SUO: cum proximo suo.

V. 10. NOLITE CALUMNIARI: opprimere per potentiam, bona eorum usurpando. LXX. habent καταδυναστεύειν, id est per potentiam opprimere; impotenter, & tyrannice dominari. NON COGITET: non machinetur.

V. 11. AVERTERUNT SCAPULUM RECEDENTEM: averterunt scapulas, & recesserunt. Italice dicimus, *Mi voltarono le spalle*, id est reliquerunt me, nec parere voluerunt praeceptis, aut consiliis meis. AURES SUAS AGGRAVAVERUNT. Scilicet, velut plumbo, aut alia huiusmodi densa, & gravi materia iniecta obturaverunt.

V. 12. UT ADAMANTEM: qui lapis durissimus est, ideoque a Graecis dictus est ἀδάμας, id est *indomabilis*. IN SPIRITU SUO: Per spiritum suum sanctum, quem dedit Prophetis. PER MANUM PROPHETARUM: Per ministerium Prophetarum. ET FACTA EST INDIGNATIO MAGNA, id est punivit eos atrociter per Chaldaeos.

V. 13. SICUT LOCUTUS EST: sicut fuerat minitatus se punituram eos. SIC CLAMABUNT, ET NON EXAUDIAM: ut ego olim clamans ab iis auditus non sum; sic vicissim ipsis clamantibus non exaudiam.

V. 14. PER OMNIA REGNA QUAE NESCIUNT: per Syriam, AEgyptum, Mesopotamiam, Persidem, Mediam, & alia regna prius illis ignota. TERRA DESOLATA EST AB EIS; id est, ipsis recedentibus, vel abductis in captivitatem, regio relicta est solitaria, & infrequens. TRANSIENS, ET REVERTENS, id est ultro citroque commeans. Ital. dicimus, *Non c'è chi vada avanti, e in dietro*. DESIDERABILEM: optimam, & omnis generis fruegibus abundantem. IN DESERTUM: nam terra Iudaeae habitatore caruit toto tempore captivitatis II. Paral. ultimo.

TIRINI.

Vers. 2. & 3. SARASAR; Hebraice, *seretzer*, id est praefectum thesauri, seu quaestorem: & ROGOMMELECH, id est ducem, seu officialem regis, miserant Iudaei Babylone adhuc degentes Ierosolymam AD DOMUM DEI, seu ad templum; primo, AD DEPRECANDAM FACIEM DOMINI, eumdemque placandum sacrificiis publico nomine oblatis; secundo, ad inquirendum ex SACERDOTIBUS templi ET PROPHETIS; an, sicut durante captivitate Babylonica *fleverant*, ieiunarant, seseque *sanctificarant*, id est separarant a cibis & voluptatibus corporis; Hebraice, *nazaraearant*, id est instar Nazaraeorum *a* abstinuerant a vino ac deliciis, QUINTO MENSE *Ab*, die decima *b*, qua exustum fuerat templum a Chaldaeis, deberent id continuare etiam nunc cum novum templum instauratur? ita Rupertus, Lyranus, Vatablus & Arias. Pia favore laudataque consuetudine solebant Iudaei, cum maior aliqua publica clades incumberet, ieiunio *c* placare iratum Deum, ipso per Prophetas sic suadente *d*. Sed cum putarent, sufficere ad id ieiuuium solum corporale a cibis, nec interim abstinerent a consuetis sceleribus, voluit Deus hac de re prius illos moneri per Zachariam, quam responderetur ad quaestionem de novo propositam.

V. 5. CUM IEIUNARETIS mense QUINTO, ut iam dictum, item mense SEPTIMO, ob caesum tunc *Godoliam e* ducem

& spem

& ſpem populi reliqui in Iudæa; *an ieiunando* IEIUNASTIS MIHI ? mihi, inquam, placando vel demerendo? quaſi dicat, Minime: nam ſi hoc vobis propoſitum fuiſſet, utique non a ſolis cibis corporalibus abſtinuiſſetis, ſed inſuper etiam a peccatis, quibus ſciebatis me graviter offendi ac lædi. Vobis ergo ſolis ieiunaſtis, nempe ut concepto ex tantis cladibus dolori ſatisfaceretis ex parte ſaltem: ſicut quando dies feſtos agitis & epulamini, non ad me laudandum vel colendum, vel gratias agendum id facitis, ſed ſolum ut genio veſtro obſequamini.

V. 7. NUMQUID hæc de ieiunio ſpirituali a peccatis, iungendo corporali ieiunio a cibis, NON SUNT illa VERBA QUAE toties patribus veſtris olim LOCUTUS *ſum* per Iſaiam, VIII. Ieremiam XIV. 12. & alios *Prophetas*, ſtante adhuc & florente IERUSALEM? Et vero ſtetiſſet hucuſque ſi bene monenti obſequi voluiſſent: ita Theodoretus, Lyranus & alii interpretes.

V. 11. Sed AVERTERUNT a me SCAPULAM RECEDENTEM inſtar refractariorum famulorum vel rebellium filiorum, faciem a me avertentes, & dorſum obvertentes, & ſic proterve me fugientes ac ſpernentes.

V. 12. COR SUUM POSUERUNT (Chaldæus, *induraverunt*) UT ADAMANTEM *f*, nullis ſcalpris, nullis malleis domabilem.

V. 13. Unde FACTUM EST illis a Chaldæis SICUT LOCUTUS & minatus fuerat Dominus. SIC CLAMABUNT. Eſt enallage *g* temporis, pro *clamarunt*, ſeu etſi clamarint poſtea ad me pro pœnis avertendis, nolui viciſſim clamantes exaudire; ſed traditos arbitrio Chaldæorum.

V. 14. DISPERSI iam in mancipia venditos PER OMNIA terrarum REGNA; propria illorum *terra*, id eſt Iudæa, ita AB EIS DESOLATA, immo incolis etiam aliis deſtituta, ut comparatione *h* priorum temporum NON ESSET TRANSIENS quiſpiam aut REVERTENS per eam. Nam Chaldæi *terram* illam omnem, etſi ob amœnitatem & fertilitatem ſumme DESIDERABILEM; LXX. *electam*, POSUERUNT tamen IN DESERTUM, vel, ut alii vertunt, *in ſtuporem*, ut qui viderit terram prius lacte & melle manantem, iam incolis exhauſtam, & rudentibus ac ſpinis coopertam, ſtupeat, horreat, expaveſcat: ita Albertus & Hugo.

(a) Num. VI.
(b) Ierem. III. 12.
(c) I. Reg. VII. 6. & 13. & II. Par. XX. 3. Iudith. IV. 8. Eſther IV. 16. & I. Eſdræ VIII. 21.
(d) Ioel I. 14. 2. 12. &c.
(e) Ierem. XLI. 1. & ſeqq.
(f) Ezech. III. 9.
(g) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 44.
(h) IV. Reg. XXV. 12.

GORDONI.

Verſ. 1. DArius Hyſtaſpis eſt, qui Cyro annos tres tantum dant, colligunt hunc quartum annum Darii eſſe duodecimum a ſoluta captivitate, ſed peccant in Cyri chronologia, uti ſuo loco oſtenſum eſt. At quæ eſt hæc domus Dei, nondum extructo templo? In Hebr. eſt *Bethel*, בית אל; idem nomen retinent Septuag. recte vulgatus vertit *domum Dei*; miſſi enim ſunt qui de re propoſita interrogarent per Sacerdotes & Prophetas in Ieruſalem, orantes ad altare, quod iam extructum erat; ſed unde miſſi? an a populo Iudaico toto? ab his qui adhuc remanſerant in Babylone? Scriptura hoc non explicat.

V. 5. LOQUERE, &c. Carpit Dominus pravum ieiunandi modum antea ctum. Et deſignatur ingratum fuiſſe ieiunium illud Deo, utpote non coniunctum cum ſolida pietate & religione.

V. 8. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI, &c. Iubetur ergo populus, ut vere ieiunet, abſtinere ab iniuſtitia, calumniis, & omni iniquitate; propter hæc enim mala venit indignatio.



CAPUT VIII.

Sicut Dominus propter peccata populi sui afflixit eum, & desolatam fecit Ierusalem; sic nunc facit illam plurimum habitari, omniaque dabit prospera, modo ei serviant: quibus adiungentur & aliae gentes: de fimbria Iudaei a decem viris ethnicis apprehensa.

1. ET factum est verbum Domini exercituum, dicens: 2.
Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam. 3.
Hæc dicit Dominus exercituum: Reversus sum ad
Sion, & habitabo in medio Ierusalem: & vocabitur
Ierusalem Civitas veritatis & Mons Domini exercituum
mons sanctificatus. 4. Hæc dicit Dominus exercituum:
Adhuc habitabunt senes & anus in plateis Ierusalem: * & viri baculus in
manu eius præ multitudine dierum. 5. Et plateæ civitatis complebuntur
infantibus & puellis, ludentibus in plateis eius. 6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?
7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego salvabo populum meum de
terra Orientis, & de terra Occasus solis. 8. Et adducam eos, & habitabunt in medio Ierusalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in
Deum, in veritate & in iustitia. 9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os
Prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, ut templum ædificaretur. 10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat; neque introeunti, neque exeunti erat
pax præ tribulatione: & dimisi omnes homines, unumquemque contra proximum suum. 11. Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquiis
populi huius, dicit Dominus exercituum, 12. semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem
suum: & possidere faciam reliquias populi huius universa hæc. 13. Et erit: sicut eratis maledictio in Gentibus, domus Iuda, & domus Israel: sic
salvabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestræ. 14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitavi ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocassent patres vestri me, dicit Dominus, 15. & non sum misertus: sic conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam domui Iuda, & Ierusalem: nolite timere. 16. Hæc sunt ergo
verba, quæ facietis: (*a*) Loquimini veritatem unusquisque cum proximo
suo: veritatem: & iudicium pacis iudicate in portis vestris. 17. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: &
iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit
Dominus. 18. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens:

cens: 19. Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in sollemnitates præclaras: veritatem tantum, & pacem diligite. 20. Hæc dicit Dominus exercituum: Usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis, 21. & vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum: vadam etiam ego. 22. Et venient populi multi, & Gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini. 23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.

(a) Ephes. iv. 25.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 4. *Et viri baculus in manu eius.* Non omittas nomen *viri*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 2. ZELATUS, &c. quasi dicat: Zelotypia prosecutus sum, eoque indignatus quod me tantopere se amantem deseruerit; vel, iratus eius hostibus. SION, id est Iudæos, seu Synagogam, quæ Ecclesiæ figura & pars. Cœpit enim Ecclesia a mundi principio, sed figura etiam fuit Ecclesiæ Christianæ.

V. 3. REVERSUS SUM. Chald. *revertar*, scilicet in gratiam recipiam. IERUSALEM, scilicet Christi Ecclesia. VERITATIS: I. Timoth. III, vocantur *columna & firmamentum veritatis*; scilicet in ea vera est doctrina, & firmissima. MONS: etiam *mons* dicitur Ecclesia, ob altitudinem dogmatum, & firmitatem. SANCTIFICATUS. Hebr. & Chald. *sanctitatis*. LXX. *sanctus*, scilicet sancta Ecclesia doctrina & moribus; nec extra eam ulla est sanctitas, aut vera virtus.

V. 4. SENES, &c. quasi dicat: Diu vivent habitatores, scilicet sancti; quasi dicat: Per totam vitam studebunt sanctitati, vel numquam deerunt in Ecclesia Magistri, qui prudentia & doctrina ceteros regant; est autem in senibus prudentia. *Væ terræ, cuius rex puer est*. VIRI, id est cuiusque, scilicet senum; quasi dicat, Erunt prudentissimi, ut solent grandævi. BACULUS. Chald. *opera recta*, scilicet quibus ætas sustentatur.

V. 5. INFANTIBUS, &c. quasi dicat: Erunt & in Ecclesia multi in Christo parvuli, seu recens baptizati, & hilariter viventes: quamquam & in Ierusalem, quæ tunc ædificabatur, fuerunt ista ad litteram, sed in figura spiritualium.

V. 6. RELIQUIARUM, id est relictorum ex captivitate, in qua multi perierant. ILLIS, scilicet posse fieri. IN OCULIS MEIS, id est coram me.

V. 7. ORIENTIS, &c. per hæc duo, intellige etiam Aquilonem & Austrum; quasi dicat: De omnibus mundi partibus vocabo electos ad salutem. Vide similem phrasim Matth. VIII.

V. 8. IERUSALEM, id est Ecclesiæ. IN VERITATE ET IN IUSTITIA; scilicet colent me vera fide, & rectis moribus.

V. 9. PROPHETARUM, scilicet Aggæi, & Zachariæ. IN DIE. LXX. *ex die*.

V. 10. MERCES, id est laborum fructus.

TRIBULATIONE, id est hostium vicinorum persecutione. DIMISI, id est permisi scilicet insurgere.

V. 12. SEMEN PACIS, id est prosperitatis; quasi dicat, Provenient seminata fertiliter. GERMEN, id est fructum.

V. 13. MALEDICTIO, id est maledicti, scilicet vexati, vel male audientes. BENEDICTIO, id est benedicti, scilicet cum ad fidem Christi conversi eritis.

V. 15. MISERTUS, scilicet hactenus, ut benefacerem. CONVERSUS, scilicet ad misericordiam, qui secundum iustitiam feceram. COGITAVI. Loquitur more humano; alioquin Deus nihil de novo cogitat. DIEBUS ISTIS, potest coniungi cum sequentibus.

V. 16. VERBA, id est res, seu opera. PACIS. LXX· *pacificum & iustum*, scilicet quo pax alatur & iustitia, non discordia, aut iniquitas. PORTIS, scilicet urbium: ibi enim fiebant iudicia.

V. 17. AMICUM. Chald. & LXX. *proximum*.

V. 19. IEIUNIUM. Redit ad id, de quo quæsitum cap. VII. QUARTI. Id observabant, quia eo mense rupti a Chaldæis muri Ierusalem. DECIMI, scilicet ob obsessam eo mense urbem. Vide Ierem. XXXIX. & LII. Ezech. XXIV. IV. Reg. ult. IN GAUDIUM; quasi dicat, Cessabit: atque ita respondetur quæsito. PRAECLARAS. Hebr. & LXX. *bonas*, id est lætas. Chald. *iucundas*. VERITATEM TANTUM; pro, veritatem modo, seu interim. Chald. *propterea veritatem*. LXX. *& veritatem*; quasi dicat: Id præcipue a vobis requiro, ut veritati studeatis, & paci.

V. 20. USQUEQUO; pro, in tantum ut; quasi dicat: In tantum festa celebrabitis, ut veniant ad vos multi, &c. Chald. & LXX. *adhuc venient*, &c. VENIANT, scilicet tempore Evangelii.

V. 21. UNUS AD ALTERUM; pro, *unius civitatis ad alteram*, ut indicant Heb. DOMINI, scilicet Christi. VADAM, scilicet respondebit alter.

V. 22. ROBUSTAE. LXX. *multa*. Chald. *regna magna*. IERUSALEM, id est Ecclesia.

V. 23. ILLIS, scilicet hæc accident, quæ dixi. ET APPREHENDENT; pro, apprehendent inquam. FIMBRIAM, id est oram vestis. IUDAEI, scilicet spiritualis, id est Christiani.

ESTII.

Vers. 1. HAEC DICIT DOMINUS EXERCITUUM: IEIUNIUM QUARTI, ET IEIUNIUM QUINTI, ET IEIUNIUM SEPTIMI, ET IEIUNIUM DECIMI ERIT DOMUI IUDA IN GAUDIUM ET LAETITIAM. Quid hæc sibi velint, cap. præced. utcumque explicatum est: qui tamen volet ipsum Hieron. adeat, late explicantem, quæ ieiunia hic intelligantur. Nota tamen rationes ieiunii allatas ex calamitatibus, quæ post Zachariæ tempora acciderunt, ad præsentem locum non posse pertinere. Quærendum etiam, an omnia hæc ieiunia fuerint humanæ institutionis, an aliquod eorum etiam divinæ, ut ieiunium septimi mensis.

MARIANAE.

Vers. 1. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI, scilicet *ad me*, ut supplet Chald. & Goth. Quod est verbum? Dixit Deus:

V. 2. ZELATUS SUM. *Zelum* est amor, sed cum indignatione in alios.

V. 3. REVERSUS SUM. Discesseram offensus, nunc placatus revertar. Præteritum pro futuro. CIVITAS VERITATIS vocabitur, in qua veritas scilicet & iustitia erit. MONS SANCTIFICATUS. Hebr. *mons sanctitatis*, id est sanctus vocabitur, in quo Deus colitur.

V. 4. ADHUC HABITABUNT SENES, id est adhuc veniet tempus, cum senes & anus in ea urbe erunt. Signum pacis & hilaritatis, cum senes ad ultimam procedunt ætatem. ET VIRI BACULUS, &c. Hebr. *& vir*, id est quisque *baculum suum* (habebit) *in manu sua*. Hoc est, senes ad eam ætatem pervenient, ut sine baculo ingredi non possint.

V. 5. COMPLEBUNTUR INFANTIBUS, multa proles generabitur. Præcipua felicitatis pars, cum prole augetur civitas.

V. 6. SI VIDEBITUR DIFFICILE. Hebr. *si erit mirum in oculis residui populi*, quod scilicet promitto. NUMQUID IN OCULIS MEIS ERIT? Hebr. *etiam* (pro, nunc etiam) *in oculis meis mirum erit?* id est difficile. Aven Ezra, sine interrogatione; *etiam*

etiam in oculis meis mirum erit. Si illis hoc videtur mirum, ego decrevi mira facere maiora quam ab ulla memoria.

V. 7. DE TERRA ORIENTIS. Per eas duas plagas, Ortus & Occasus, alias duas intelligit; quasi dicat, Undique salvabo populum meum, & convocabo.

V. 8. ET EGO ERO EIS IN DEUM, IN VERITATE. Oseæ II. vers. 20. *Desponsabo te mihi in veritate*, id est in fide: non te amplius deseram, aut expellam: in veritate & iustitia tuus Deus ero, tuus sponsus.

V. 9. IN DIE QUA FUNDATA EST DOMUS: supple, qui estis in die, qua fundatur templum, confortamini. UT TEMPLUM AEDIFICARETUR. Hebr. (qua die cœpit) *templum ædificari*, Hieronymus sententiam expressit.

V. 10 MERCES HOMINUM NON ERAT, ante hoc tempus nulli mercenarii, nullæ operæ; quia non erat hostium metu qui terram coleret: neque iumenta onera portabant. NEQUE INTROEUNTI, NEQUE EXEUNTI ERAT PAX. Non erat tuum versari his locis. ET DIMISI OMNES HOMINES; pro, immisi. Non solum externi hostes grassabantur, sed inter cives ipsos erant dissidia civilia; alii in alios irruebant.

V. 12. SED SEMEN PACIS nunc erit: pacifice seminabitis sine terrore, & semen uberes fructus feret; lætæ segetes erunt. *Pacis* nomine copiam & ubertatem intelligit. ET TERRA DABIT GERMEN SUUM, seu *fructum*, seu *proventum*. ET CAELI DABUNT ROREM SUUM. In Palæstina pluviæ sunt raræ, sic cæli rore egent: aut per *rorem* pluvias etiam intelligit. ET POSSIDERE FACIAM, scilicet *hereditate*, Chald. hæc bona quæ dixi.

V. 13. SICUT ERATIS MALEDICTIO. Quibus male imprecabantur, dicebant: *Sis Iudæis similis*; *quod illis, tibi contingat*. Deinde versa ratione, quibus bene precabuntur, iis dicent: *Sis felix ut Iudæi*: sic maledictio in benedictionem mutabitur.

V. 15. ET NON SUM MISERTUS. Sept. & Chald. *non me pœnituit*; id est, non mutavi, quod supplicium tunc decreveram contra patres vestros.

V. 16. HAEC SUNT ERGO VERBA; quasi dicat: Hac conditione & lege quæ dixi, vobis promitto, ut veritatem loquamini, neminem decipiatis, & quæ sequuntur. ET IUDICIUM PACIS, id est rectum, sine fraude. IN PORTIS VESTRIS. Ad urbis portas erat forum & tribunalia. Ibi sint iudicia recta.

V. 19. IEIUNIUM QUARTI, scilicet mensis. Hic respondet ad id quod quæsitum erat cap. VII. vers. 2. Quarto mense murus Ierusalem ruptus est, Ierem. LII. vers. 6. ideo Iudæi ieiunabant. In Kalend. Hebr. dicitur, ob tabulas legis fractas, & quia iuge sacrificium desiit, idolo in templo collocato: Iosephus Lib. VI. de Bello, cap. VIII. ET IEIUNIUM QUINTI. De hoc ieiunio dictum est cap. VII. vers. 3. & de ieiunio septimi mensis, ibi vers. 5. ET IEIUNIUM DECIMI, scilicet mense *Tevet*, qui Ianuario respondet. Eo mense die decimo ieiunabant; quod eo die a Chaldæis Ierusalem fuit obsessa: Kalend. Heb. Ierem. LII. vers. 4. ERIT DOMUI IUDA GAUDIUM. Et ieiunia cessabunt, & in festos dies mutabuntur. IN SOLLEMNITATES PRAECLARAS. Hebr. *In sollemnitates bonas*, id est lætas, ea ieiunia mutabuntur. VERITATEM TANTUM. Hebr. *Et veritatem et pacem diligite*. *Et* pro *dummodo*, seu *tantum*, ut posuit Hieronymus. Ea lege id concedo.

V. 20. USQUEQUO VENIANT POPULI. Hebr. *adhuc*, seu deinde (veniet tempus, quo) *veniant populi*. ET HABITENT. Heb. *Et habitatores magnarum urbium*. Quo venient? Ierusalem ad eas sollemnitates, quas dixit vers. 19. Quando? tempore Messiæ: sic Hebræi, & Hebr. Schol. Tunc ad eum, & in Ecclesiam omnes Gentes confluent.

V. 21. ET VADANT HABITATORES, scilicet earum urbium. UNUS AD ALTERUM: sic codices omnes Vulgatæ, & Hieronymus in Comment. Hebr. *unius ad unam*, id est alteram: se mutuo cives urbium multarum inter se alii alios provocabunt ad eundum. QUAERAMUS, id est consulamus, petamus a Deo responsa. VADAM ETIAM EGO. Qui alios hortatur ad eundum, dicit, Ego etiam ibo, meum exemplum sequimini.

V. 22. GENTES ROBUSTAE, id est Gentes magnis opibus, potentia & imperio, venient ad quærendum Dominum, se Christo subiicient.

V. 23. IN DIEBUS ILLIS: scilicet contingent quæ dico illis diebus, quibus DECEM HOMINES, id est multi, Iudæo uni

se

se comites adiungent: cum ex fama & multorum dictis cognoscant, Deum cum Iudæis esse, illis profecto favere, illos tueri.

MENOCHII.

Vers. 2. ZELATUS SUM; quasi dicat: Zelotypia prosecutus sum, eoque indignatus quod me tantopere se amantem deseruerit synagoga. Verum quia ipsa malis vexata resipuit, iam zelum, cupiditatemque vindictæ contra illius hostes convertam.

V. 3. REVERSUS SUM AD SION; id est, placatus sum Ierusalem, & genti Iudæorum, habitabo in ea, non eam deseram: Ecclesiæ meæ semper adero. CIVITAS VERITATIS: civitas fidelis Deo suo. Talis est Ecclesia, quæ etiam est civitas veritatis, quia in ea traditur veritas de credendis, & agendis, nulla falsitate adulterata. D. Paulus I ad Tim. III vocat Ecclesiam columnam, & firmamentum veritatis. MONS DOMINI EXERCITUUM. Mons hic est Sion, & Moria in quo ædificatum est templum, qui fuit typus Ecclesiæ, quæ est mons Domini, in quo solo salvi fiunt homines, Genes. XIX. 17. *In monte salvum te fac.* Ex hoc monte propius cælestia contemplamur, & in eo est altitudo, & firmitas doctrinæ. MONS SANCTIFICATUS: sacrificio Abrahæ, Genes. XXII. 14. Crucifixione Christi, nam Calvariæ mons est pars, sive iugum quoddam montis Moria: templo Salomonis, quod in eodem monte excitatum fuerat: Prædicatione Christi, qui in eodem cœpit congregare, docere, & instituere Ecclesiam suam, quæ est etiam ipse mons sanctificatus a Christo suis meritis, doctrina, gratia, sacramentis, &c.

V. 4. ADHUC HABITABUNT SENES. Significat Ierusalem fore pacatam, & felicem, ita ut abundet civibus omnis ætatis, & sexus, pueris, & puellis ludentibus in plateis, civibusque longævis. Id ita contigisse patet II. Machab. III. I. sensu sublimiori significatur Ecclesiæ, & fidelium pax, multitudo, & longævitas.

V. 6. SI VIDEBITUR DIFFICILE, &c. id est, si iis, qui reliqui sunt ab exilio, & captivitate hoc difficile videtur, falluntur, nam potentiæ meæ facillimum est.

V. 7. DE TERRA ORIENTIS, &c. Per hæc duo intellige etiam Aquilonem, & Austrum; quasi dicat, Quocumque Iudæi fuerint dispersi per captivitatem Babylonicam, inde salvabo eos, & reducam in Ierusalem: significatur gentium omnium ex omnibus mundi plagis concursus ad Christum, & Ecclesiam. IN VERITATE ET IUSTITIA: vere, & fideliter præstans eis curam, custodiam, pacem, & prosperitatem, quam promisi; vicissim vero ab iis colar fideliter, constanter, & sancte.

V. 9. CONFORTENTUR MANUS NOSTRAE, &c. qui nunc hæc auditis ex Aggæo, & Zacharia, prosequimini quod cœpistis, ut sitis Deo obsequentes, templi fabricam promoveatis, & a peccatis abstineatis. Quemadmodum enim antequam inciperetis templum ædificare, adversæ vobis erant res, iam vero post inchoatam fabricam prosperæ sunt; ita si pietatem colatis, non desistam vos magna bonorum copia, quæ polliceor, afficere. IN DIE QUA FUNDATA EST. LXX. *Ex quo die fundata est*, &c.

V. 10. MERCES HOMINUM NON ERAT; id est, labor omnis vester, & iumentorum vestrorum, sive in agricultura, sive in mercimoniis, atque aliis operibus irritus erat, & inanis, nullamque ex eo mercedem aut fructum percipiebatis. NE INTROEUNTI, &c. cum enim introire, aut ex urbe prodire volebatis, armis, & insidiis externorum premebamini. TRIBULATIONE: hostium circumiectorum, qui vos affligebant. DIMISI HOMINES; quasi dicat: Permisi non solum foris prælia, quibus ab externis vexabamini, sed etiam seditiones intus, unoquoque contra proximum suum insurgente.

V. 11. NUNC AUTEM: cum domus meæ fabricam curæ, & cordi habetis. IUXTA DIES PRIORES: longe aliter me geram, quam olim gesserim.

V. 12. SEMEN PACIS ERIT, id est prosperitatis; quasi dicat, Sata læta erunt, & uberem frugum suarum proventum afferent. GERMEN SUUM: fructum suum, ex illa germinantem. CAELI DABUNT RO-REM SUUM: apte hoc promittitur, nam in Iudæa propter raritatem pluviarum, magna est roris utilitas, & necessitas.

V. 13. SICUT ERATIS MALEDICTIO: quemadmodum omnes gentes prius vos execrabantur; ita e converso nunc laudabunt, & magnificabunt.

V. 15.

V. 15. SIC CONVERSUS, &c. more humano loquitur, quia conversi estis ad me, decrevi multis bonis vos afficere, modo legem meam servetis.

V. 16. VERBA: res, sive opera. IUDICIUM PACIS, id est pacificum, de quo nemo merito conqueri possit. IN PORTIS VESTRIS: in curiis, & prætoriis vestris. Notum est Hebræos in portis civitatum prætoria habuisse, & ibi iudicia exercuisse.

V. 19. IEIUNIUM QUARTI: respondet quæstioni de ieiuniis a Iudæis propositæ capite superiori num. 1. Quod dicitur *quarti*, subintellige mensis. Quartus ergo mensis, qui respondebat partim Iulio, dicebatur ab illis *Tammuz*, & huius mensis die nona ieiunabant, eo quod illo die fractus esset murus civitatis Ierusalem in obsidione Chaldæorum, ut patet Ieremiæ LII. 6. IEIUNIUM QUINTI. Quintus mensis dicebatur *Ab*, qui respondet partim Iulio, partim Augusto. Huius diei decima ieiunabant Iudæi, quod illa die combustum esset templum a Chaldæis, Ierem. LII. 12. IEIUNIUM SEPTIMI. Septimus mensis vocabatur *Tisri*, qui partim Septembri, partim Octobri respondet. Huius die tertia ieiunabant, quod illa die Godolias occisus esset ab Ismaele, Ierem. XLI. 2. IEIUNIUM DECIMI: Decimus mensis appellabatur *Tebet*, qui partim Decembri, partim Ianuario respondet. Huius decimo die ieiunabant, quod eo die obsideri cœpta sit Ierusalem a Chaldæis: IV. Reg. XXV. 1. ERIT DOMUI IUDA IN GAUDIUM, &c. non solum omitti possunt hæc ieiunia, sed vertenda sunt IN SOLEMNITATES PRAECLARAS, in quibus ieiunandum non est, sed dies festus hilariter agitandus. VERITATEM TANTUM, ET PACEM DILIGITE; quasi dicat: Id præcipue a vobis requiro, ut veritati studeatis, & paci.

V. 20. USQUEQUO, &c. Hæc verba pendent a præcedentibus; quasi dicat, Mœstitia ieiuniorum convertetur in lætas solemnitates, *usquequo*, id est adeo, vel in tantum, ut populi eorum fama illecti veniant, & confluant, ut iis intersint, & se oblectent.

V. 21. UT VADANT HABITATORES, &c. Chaldæus sic habet: *Et ibunt unius incolæ cum alterius urbis habitatoribus, dicentes: Euntes eamus oratum faciem Domini*. VADAM ETIAM EGO. Est vox unius civitatis, & populi, vel hominis ad alterum dicentis. Ego etiam vobiscum venire volo. APPREHENDENT DECEM HOMINES, &c. quasi dicat, Plurimi ex omnibus gentibus fient proselyti, & sacra Iudæorum suscipient. Verius hoc factum est in Christi Ecclesia, ad quam gentes innumeræ confluxerunt. FIMBRIAM: oram vestis.

TIRINI.

Vers. 1. SION, id est Synagogam Iudæorum sponsam meam, sed fugitivam, sed adulteram, ZELATUS sum ZELO ET INDIGNATIONE MAGNA: quod me sponsum suum tam sui amantem iam fœde dereliquerit, & ad idola confugerit. Unde & coactus sum tradere illam Chaldæis puniendam, inquit Theodoret. Remigius, Haymo, Lyranus & Vatablus. Sed illa iam resipiscente,

V. 3. REVERSUS SUM AD illam eodem quo antea amore & affectu, supplicemque recepi in gratiam & in thorum meum: ET HABITABO deinceps cum illa, ut cum electa sponsa mea, IN *urbe* IERUSALEM, quæ est CIVITAS VERITATIS; Hebraice, *emeth*, id est stabilitatis, constantiæ, fidelitatis, quæ non amplius ad idola & falsos deos deflectet, sed fidem mihi sponso suo iam datam perpetuo deinceps conservatura est. Et vero post reditum e Babylonia numquam amplius ad idola deflexit. En typum Ecclesiæ Christi, quæ *columna a est & firmamentum veritatis*. Est eadem MONS *b* etiam DOMINI EXERCITUUM; Syrus & Arabicus, *mons Domini fortis*, utpote quem stipant tot exercitus angelici. Est & MONS SANCTIFICATUS. Primo, sacrificio Isaaci, eiusque antitypi *Messiæ*, istic immolati *c*. Secundo, templo istic erecto, in quo tot sacrificiis, votis, hymnis, precibus, psalmis quotidie colebatur Deus. Tertio, doctrina, miraculis, sanguine Christi, & institutis ibi Sacramentis, inchoata Ecclesia, effusis Spiritus sancti donis, præ omnibus terræ locis sanctificatus: ita S. Hieronymus & alii iam citati.

V. 7. ECCE DE TERRA ORIENTIS ET OCCASUS SOLIS, subaudi, & e Meridie ac Septemtrione, SALVABO, dispersum POPULUM MEUM, & reducam Ierosolymam. Neque enim hæserant captivi omnes in Babylonia, sed inde distracti atque in mancipia

cipia divenditi fuerant per universum *d* orbem: multi etiam ante excisam per Chaldæos Iudæam, inde profugerant *e* ad Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Syros & AEgyptios; qui instaurato rursus templo & urbe Ierosolyma, proculdubio redierunt in patriam: Allegorice, Gentiles in Christi Ecclesiam, ut ait Isaias *f*, immo ipsemet Christus *g*.

V. 8. ERUNT MIHI IN POPULUM, IN VERITATE ET IUSTITIA; id est, fideliter & iuste colent me ut Dominum & Deum suum: ET EGO vicissim fideliter ac iuste ERO EIS IN DEUM, tutando, promovendo, ditando illos, ut promisi: ita Vatablus, Arias & a Lapide.

V. 9. CONFORTENTUR MANUS VESTRAE. Ad inchoatam iussu Aggæi & Zachariæ Prophetarum fabricam templi strenue prosequendam & perficiendam. Ad quod sanctum opus vos etiam extimulet cælestis benedictio vobis hoc nomine a Deo concessa.

V. 10. SIQUIDEM ANTE DIES ILLOS cum fabrica iaceret adhuc neglecta, NON ERAT MERCES *h*, id est fructus aut lucrum operæ, seu HOMINUM, seu IUMENTORUM: tam enim agri, villæ, prata, vineæ, quam iumenta, post omnem culturam & saginam manebant sterilia, inquit Cyrillus. NEQUE ERAT PAX Samaritis, Moabitis, aliisque vicinis hostibus undique vos infestantibus. Sed & domi, permissu meo, seditiones erant, unoquoque CONTRA PROXIMUM SUUM insurgente, rixante, pugnante, inquit idem Cyrillus & S. Hieronymus.

V. 11. NUNC AUTEM, cum domus meæ fabrica cordi vobis & curæ est,

V. 12. SEMEN PACIS ERIT *vobis*; id est, semen fœcundum, fruges copiosas & fructus uberes proferet, quales solent proferri tempore plenæ pacis, quando libere coluntur agri, nec est hostis qui sementem impediat, vel messem avehat, inquit Vatablus & a Castro. Addit S. Cyprianus, *habenti Deum nihil defuturum, si ipse non desit Deo*. Et etiam Cicero felicitatem, imperium, triumphos omnes Romanorum adscribit eorumdem religioni (ut ipse vocat) ac pietati.

V. 13. SICUT ERATIS MALEDICTIO, *i* id est exemplum, parabola, formula maledictionis, quam exteri usurpabant cum vellent alicui maledicere, dicentes, Sis maledictus ut sunt Iudæi, vel ut sunt Israelitæ; ita nunc faciam ute converso sitis omnibus exemplum & formula benedictionis: ita Vatablus. Meminit autem hic Israelitarum perinde ac Iudæorum, quia plurimi Israelitarum, avitæ fidæi ac religionis sectatores transierant ad tribum Iuda, & illi inserti erant, ut alibi k dixi.

V. 16. IN PORTIS, id est in curiis, in tribunalibus VESTRIS, quæ sunt in portis urbium vestrarum, IUDICATE VERITATEM ET IUDICIUM PACIS, id est verum, iustum & pacificum iudicium, ut vertunt LXX. & Chaldæus.

V. 19. IEIUNIUM, de quo cap. præcedenti quærebatis, nolo vos amplius obliget, sed ERIT *deinceps* DOMUI IUDA IN GAUDIUM ET SOLEMNITATES PRAECLARAS: quibus festo lætoque convivio vos mutuo recreabitis, & hilares agetis dies, menses & annos.

Nota. Non omnia mensium quorum hic meminit ieiunia relaxat Deus, sed ea solummodo quæ occasione ultimi excidii instituta fuerant, quæ iubet in hilares dies & epulas commutari. Abolet ergo mense quarto *Tammuz*, qui fere Iunio nostro respondet, ieiunium diei nonæ, ob perfractum *l* ea die murum Ierosolymæ per Chaldæos: non abolet ieiunium diei 17. ob extortos ab Aarone vitulos *m* aureos. Quinto mense *Ab* remittit ieiunium diei decimæ, ob exustum *n* ea die templum & urbem: non remittit ieiunium primæ diei, qua mortuus fuit Aaron *o*: neque nonæ, qua murmurantes occasione exploratorum *p* repulsi olim fuerant ab ingressu terræ sanctæ. Septimo mense *Tisri* relaxat ieiunium tertiæ diei, ob cæsum tunc Godoliam *q*: non relaxat ieiunium decimæ diei in expiationem *r* publicam olim institutum a Deo. Mense decimo *Thebeth* solvit ieiunium decimæ diei, qua cœpit *s* obsideri Ierosolyma a Nabuchodonosore. Sed eodem mense die octava ducentis post annis decretum novum ieiunium, ob legem ex Hæbræa in Græcam linguam per 72. interpretes translatam tempore Ptolemæi *t* Philadelphi: ita ex Calendario Hebræorum Genebrardus *u*. Porro ad huius tam antiquæ abstinentiæ & pietatis imitationem docent S. Leo & Calixtus Papa *x* institutum in Ecclesia Christi, iam inde ab illius initio ieiunium quatuor fere

co-

torumdem temporum anni, quasi gratissimam Deo præparationem ad præcipuas anni solemnitates mox subsequentes. Extendent autem se festivitates vestræ & gaudia publica

V. 20. USQUEQUO, seu usque eo, ut VENIANT illecti fama illa & rumore, POPULI undique, etiam e longinquo, ut iisdem sese oblectent & pascant, inquit S. Hieronymus.

V. 23. IN DIEBUS ILLIS fient hæc iam dicta, IN QUIBUS DECEM *y*, id est plurimi, HOMINES EX OMNIBUS LINGUIS & nationibus, APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI IUDAEI inter ipsos commorantis, ut bona illius pace possint una cum ipso statis festis ascendere Ierosolymam, eumdemque ibi Deum colere & sacrificiis honorare. Loquitur de proselytis magno numero ad iudaismum conversis sub Esthere, Esdra, Machabæis *z*: sed præcipue de Gentilibus per Apostolos & discipulos Christi ad Ecclesiam conversis, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius, & alii passim.

(a) I. ad Timoth. III. 15. & Matth. XVI. 16.
(b) Isaiæ II. 3.
(c) Gen. XXII. 14.
(d) Zachar. 7. 14.
(e) Isaiæ XVI. 4.
(f) Isaiæ xlix. 12. lxvi. 19.
(g) Matth. VIII. 11. 14. 31.
(h) Aggæi 1. 6.
(i) Ierem. XXIV. 9. & Ezech. XIV. 8.
(k) Osee 1. 6.
(l) Ierem. III. 6.
(m) Exodi XXXII. 2.
(n) Ierem. III. 12.
(o) Num. XX. 28.
(p) Num. XIII. & 14.
(q) Ierem. xli. 2.
(r) Levit. XXIII. 27.
(s) IV. Reg. ult. 1.
(t) Chron. cap. XXXIX.
(u) Genebr. ante Comment. in Psalmos.
(x) Leo Serm. VII. de ieiunio 7. mensis & Ser. IV. & VI. de ieiunio 10. mensis. Calixt. ep. ad Benedictum.
(y) Levit. XXVI. 26.
(z) Esther. VIII. 17. III. Esdr. v. 50. Abdiæ XVIII.

GORDONI.

Vers. 2. PRopheta usque ad vers. 18. occasione sumpta ex ieiunio indicto ob præterita mala hortatur suos, ne iterum redeant ad priora peccata, a quibus si abstinuerint, omnia promittit prospera.

V. 19. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Solvitur quæstio proposita cap. VII. ut advertit Hieronymus: menses hic recensiti sunt anni sacri, qui incipiunt a Nisan, quibus dixi in chrono. qq. cap. XVII. erant hæc quatuor ieiunia, ob mala quæ obvenerunt tempore excidii, commutantur in solemnitates. Ceterum quæ alias ob causas erant instituta ieiunia his mensibus, & præsertim a Deo olim præscripta, hic non revocantur. Horum meminit Genebr. in Calend. Hebræorum quod præfixit libro Psalmorum.

V. 22. ET VENIENT POPULI MULTI, &c. Hæc de adventu nationum in Ierusalem, & gentium ad populum Dei, nunc quidem inchoata sunt: sed longe illustrius completa sub Christo crescente Ecclesia in vocatione gentium.



CAPUT IX.

Vaticinatur adversus civitates Syriæ, & superbos Philisthæos: rex Christus venturus est ad Sion insidens pullo asini, & ablato bello imperabit mundo in magna pace, qui etiam emisit vinctos de lacu in sanguine testamenti sui: omnia dicuntur futura populo Dei prospera, quoniam ipse eum proteget.

1. ONus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requiei eius: quia Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israel. 2. Emath quoque in terminis, & Tyrus, & Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. 3. Et ædificavit Tyrus munitionem suam, & coacervavit argentum quasi humum, & aurum ut lutum platearum. 4. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni devorabitur. 5. Videbit Ascalon, & timebit; & Gaza, & dolebit nimis; & Accaron, quoniam confusa est spes eius: & peribit rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur. 6. Et sedebit separator in Azoto, & disperdam superbiam Philisthinorum. 7. Et auferam sanguinem eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius, & relinquetur etiam ipse Deo nostro, & erit quasi dux in Iuda, & Accaron quasi Iebusæus. 8. Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & revertentes, & non transibit super eos ultra exactor: quia nunc vidi in oculis meis. 9. (a) Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ECCE REX TUUS veniet tibi iustus, & salvator: ipse pauper, * & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. 10. * Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas eius a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad fines terræ. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 12. Convertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi. 13. Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, implevi Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia: & ponam te quasi gladium fortium. 14. Et Dominus Deus super eos videbitur; & exibit ut fulgur, iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri. 15. Dominus exercituum proteget eos: & devorabunt, & subiicient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi a vino, & replebuntur ut phialæ, & quasi cornua altaris. 16. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram eius. 17. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.

(a) Isai. lxii. 11. Matth. xxi. 5.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 9. Et ascendens super asinam. Correctores prætulerunt femininum *asinam* masculino *asinum*. Lege Notationes.

Vers. 10. Et disperdam quadrigam ex Ephraim. Cave legas *dispergam* a spargo, pro *disperdam*, quod est, destruam, a perdo.

Notatio.

Vers. 9. I*Pse pauper & ascendens super Asinum, & super pullum filium asinæ*. Multi codices legunt *Ascendens super asinam* feminino genere: quibus B. Hieronymi textus adstipulatur, ac commentarius satis convenit: „ Et ascendens habet super „ asinam subiugalem, sive super pullum no„ vum, utrumque videlicet populum, cir„ cumcisionis, & præputii. " Porro quatuor Parisiensium, & quinque nostra lectissima manuscrita Ge. o. p. Di. l. o. Brug. Lob. Leod. O. E. cum tribus aliis vulgaribus, insuper antiqui Epanorthotæ libri scribunt: *Ascendens super Asinum*. Hebræa vox חמור quæ Chaldaice eadem est חמרא *asinum* plerumque significat. Asina אתון dicitur, quæ vox est in fine huius versiculi, ubi dicitur *filium asinæ*. Græci ex חמור hic ὑποζύγιον *subiugale* transtulerunt, id quod & asinum & asinam admittit. Castigatores Hentenius, & Parisienses *asinum* textu donarunt; quibus suffragatur Epanorthotes. „ Item d. Ascendens super „ Asinum & super pullum. Hebræus, & an„ tiqui habent asinum. Require Iudicum v. 10. & I. Paralip. xxvii. 30., ubi Ia„ dias dicitur esse super asinos regis; He„ bræus habet super asinas; quia aliquando „ pro utroque sexu accipitur asinus etiam in „ vulgari. " Quibus verbis id insuper docere videtur, tametsi legatur *Ascendens super asinum*, asinam posse intelligi, quemadmodum illis in locis quibus *asinos* legitur, quamvis in Hebræo diserte sit asinas, אתונות.

Euthymius Matthæi enarrans evangelium eumdem intelligit asinum, quem pullum filium asinæ; ita ut sensus sit: Ascendens super asinum, qui ætate pullus est. Cui sensui multum vult ista D. Ioannis citatio: cap. xii. 15. *Sedens super pullum asinæ*. Matthæi xxi. 5. ubi hæc prophetia etiam citatur; Latine legitur *asinam*, narraturque cum pullo asinam fuisse adductam: cuius loci occasione possit hic *asinum* cum *asinam* esse mutatum.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. ONus, id est Prophetia tristis mundo, qui Evangelio resistet, sed superabitur tandem. Hadrach. Locus est prope Damascum; per quæ duo, Mundi urbes significantur. Requiei eius, scilicet Domini; quasi dicat: Requiescet in Gentibus ad fidem conversis. LXX. *sacrificium eius*, scilicet erit; quasi dicat: Christo sacrificabitur a Gentilibus conversis. Oculis, id est intuitus. Hominis, &c. quasi dicat: Respicit Deus omnes homines, & non solum Israelitas: *An Iudæorum Deus tantum?* LXX. *quia Dominus respicit homines*. Chald. *quia videt Dominus opera hominum*.

V. 2. Emath, scilicet Antiochia. Eius, scilicet requiei Domini, vel Ecclesiæ; quasi dicat: Et ipsa Emath convertetur ad fidem per has urbes Gentilium, reliquæ etiam intelliguntur. Sapientiam, scilicet fidei, seu Ecclesiæ.

V. 3. Et aedificavit, &c. quasi dicat: Quamvis munitissima sit, & ditissima, tamen a Christo expugnabitur, nec poterit Evangelio resistere: idemque de aliis civitatibus intelligendum. Humum. Chald. & LXX. *pulverem*.

V. 4. In mari, scilicet erat in mari sita. Haec, Hebr. Chald. & LXX. *ipsa*. Igni, scilicet verbi Dei. Devorabitur, scilicet destructis erroribus & vitiis.

V. 5. Ascalon, &c. id est qui in Gentibus oderant Evangelium. Spes, scilicet qua se putabat posse resistere. Rex; pro, Regum, vel diabolus; quasi dicat, Christus solus in ea regnabit. Habitabitur, scilicet ab infidelibus.

V. 6. Separator, scilicet Christus, qui se-

segregat oves ab hœdis, vel quicumque se separavit, scilicet ab infidelibus ad fidem conversus. LXX. *alienigena*, scilicet alienus ante a fide. SUPERBIAM, per quam etiam alia vitia intelliguntur.

V. 7. SANGUINEM, id est peccata, præsertim blasphemiam. EIUS. LXX. *eorum*. ABOMINATIONES: repetitio, vel significatur idololatria. DENTIUM, id est oris; quasi dicat, Ut ne de eis quidem loquatur amplius. RELINQUETUR, &c. quasi dicat: Erit in numero reliquiarum, quæ salvantur a Domino. DEO NOSTRO. Chald. *adiectus populo Dei nostri*. QUASI DUX; quasi dicat, Honoratus, & in pretio. IEBUSAEUS, id est habitator vetus Ierusalem; quasi dicat, Sicut illi, qui semper fuerunt in Ecclesia.

V. 8. CIRCUMDABO, id est muniam. DOMUM, id est Ecclesiam. EUNTES, &c. quasi dicat, Discurrentes huc illuc pro salute animarum. EXACTOR, scilicet tributi. Chald. *Tyrannus*, scilicet diabolus. VIDI, scilicet respexi oculis misericordiæ populum meum, ut ei benefaciam.

V. 9. SATIS, id est valde. FILIA. Chald. *cœtus*, scilicet fidelium congregatio. FILIA IERUSALEM: repetitio. REX, scilicet Christus. TIBI, id est ad salutem tuam. IUSTUS, scilicet & te iustificans. Vide Roman. III. PAUPER. Chald. & LXX. *mansuetus*: & sic citatur Matth. XXI. ET SUPER PULLUM. Hinc apparet, super utrumque sedisse Christum. Intelliguntur vero per *asinam*, seu *subiugalem*, ut vertunt LXX. Iudæi, qui sub iugo Legis; per *pullum* Gentiles. Utrosque sibi Christus subiecit per fidem, &c.

V. 10. DISPERDAM, &c. quasi dicat: Auferam arma quibus Evangelium impugnabant; seu victor tandem evadam, mihique per fidem subiiciam. LOQUETUR, scilicet Christus; quasi dicat, Salvabit etiam Gentes. Chald. *iudicabit in pace regna*. A MARI, &c. quasi dicat, per totum orbem. *Data est mihi potestas in cælo, & in terra*. FLUMINIBUS. Hebr. *flumine*: sed est singulare pro plurali, sic etiam intellige Psal. LXXI.

V. 11. TESTAMENTI, scilicet novi confirmatoris, unde, *Hic sanguis novi testamenti*. LACU, id est limbo, seu purgatorio. Vide August. epist. XCIX. & XII. de Gen. cap. XXIII. quamquam idem XVIII. Civit. humanæ profunditatis miseriam & sterilitatem intelligit. NON EST AQUA; quasi dicat, Qui carcer est.

V. 12. MUNITIONEM, id est Ecclesiam, seu Christum. VINCTI SPEI. Chald. *o vincti, qui redemptionem speratis*. ANNUNTIANT; pro annuntio tibi, scilicet quod sequitur. DUPLICIA, id est magna. Chald. *duplicia bona*. REDDAM, scilicet pro laboribus. TIBI. Alloquitur quemque fidelium.

V. 13. EXTENDI: præterita pro futuris. IUDAM, &c. quasi dicat: Assumam ex Iuda & Israel ministros prædicationis, per quos mundum convertam. IMPLEVI, scilicet quasi arcum. Impleri arcus dicitur, cum valde tenditur: Chald. *implevi fortitudine*. SUSCITABO. Chald. *prævalere faciam*. GRAECIAE, id est Gentiles; quasi dicat: Per tuos filios, scilicet Apostolos, convertam Gentes. GLADIUM, scilicet ad perdendos errores, & vitia.

V. 14. VIDEBITUR. Chald. *revelabitur*. LXX. *apparebit*. IACULUM, scilicet verbum. Chald. *verba*. LXX. *sagitta*. TUBA, scilicet Evangelica. TURBINE; pro, velut turbine. AUSTRI. Chald. *venti Australis*; quasi dicat, Prosternet hostes fidei.

V. 15. DEVORABUNT, id est consument, scilicet hostes. LAPIDIBUS, scilicet testimoniis Scripturæ. Chald. *velut lapidibus*. INEBRIABUNTUR, scilicet sanguine. Metaphora a victoribus, qui multo hostium sanguine asperguntur. PHIALAE, scilicet excipientes sanguinem hostiarum. CORNUA, scilicet quæ abunde sanguine aspergi solent.

V. 16. POPULI SUI. LXX. *populum suum*. LAPIDES, scilicet fideles, seu prædicatores. ELEVABUNTUR, scilicet in ædificio Ecclesiæ. LXX. *volvuntur*. EIUS, scilicet Christi.

V. 17. QUID ENIM, &c quasi dicat: Quid habet Christus optimum, quo suos alat, nisi corpus suum sub specie panis, & sanguinem sub specie vini? GERMINANS, id est producens; quasi dicat, Faciens castos & puros eos, qui digne communicant.

ESTII.

E S T I I.

Verf. 9. EXULTA SATIS FILIA SION, IUBILA FILIA IERUSALEM: ECCE REX TUUS VENIET TIBI IUSTUS ET SALVATOR ASCENDENS SUPER ASINAM ET SUPER PULLUM FILIUM ASINAE. Pridem codices & expofitores variabant, dum alii in mafculino afinum, alii in feminino afinam legerent. Sed Sixtina correctio prætulit femininum. Ceterum quando hæc prophetia completa fit, evangelium Matth. XXI. nobis declarat; quando videlicet Chriftus infidens afinæ, & pullo afinæ, ingreffus eft Ierofolymam, occurrente ei puerorum turba, & acclamante ex Pfal. CXVII. *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Neque ulla certior eft prophetarum expofitio, quam quæ novæ legis teftimonio confirmatur; velut cum dicitur hoc vel fimili modo: *Hoc autem factum eft, ut impleretur quod dictum eft per prophetam*. Quod autem Hieron. ex Hebræo vertit, *pauper afcendens*, Septuaginta vertunt, *manfuetus*, quomodo a Matthæo citatur: ut hic etiam intelligi poffit auctoritas Septuaginta interpretum ab Evangeliftis confirmata. Utrumque autem in Chriftum optime competit: qui *pauper* quidem dicitur, quia cum dives effet, pro nobis pauper factus eft; & tam pauper, ut non haberet ubi caput reclinaret; *Manfuetus* autem, quia nobis omnibus manfuetudinis exemplum factus. Unde & dicit Matth. XI. *Difcite a me, quia mitis fum, & humilis corde*.

M A R I A N AE.

Verf. 1. ONus, id eft dura Prophetia contra Damafcum & Syriam. IN TERRA HADRACH; pro, in terram Hadrach, quod oppidum erat vicinum Damafco, atque in eius agro: Hieronymus de Locis Hebr. ET DAMASCI REQUIEI EIUS, fcilicet Dei, ubi habitabit, ea urbe Ifraelitis fubiecta. QUIA DOMINI EST OCULUS HOMINIS. Heb. *quia ad Dominum oculus hominis*; id eft, omnes in eum fperant, quia poteft regna mutare. ET OMNIUM TRIBUUM ISRAEL, fcilicet tribus Ifrael fperant in Deo. Præmium fpei erit imperium in urbes finitimas.

V. 2. EMATH QUOQUE IN TERMINIS EIUS, fcilicet Ifrael. Hebr. *Hemath terminabitur in ea*, id eft finibus Ifrael comprehendetur. *Hemath*, *Antiochia* eft, urbs Cœlefyriæ vicina Damafco. ET TYRUS, ET SIDON. Illæ etiam Ifraelitis fubiicientur. ASSUMPSERUNT QUIPPE SIBI SAPIENTIAM VALDE. *Sapientia* pro aftutia aut fuperbia: ob eam fuperbiam illas fubiiciam Ifraeli. Hebr. *quia* (pro, quantumvis) *fapiens valde*. De Tyri copiis multi in Ezech. a cap. XXVI. & de fapientia proprie cap. XXVIII. verf. 3. quafi dicat: Non profuit aftutia Tyro, quominus fubiiceretur. Hæc felicitas ad Chrifti tempus referri debet; fed & Ariftobulus Tyrum & Sidonem expugnavit: Iofeph. Gorion. Lib. IV. cap. VII.

V. 3. ET AEDIFICAVIT TYRUS MUNITIONEM SUAM; quafi dicat: Nihil ei artes & copiæ, aurum & argentum profuere.

V 4. ECCE DOMINUS POSSIDEBIT EAM. ירש *iaras* & *hereditare* fignificat, & *eiicere*. Priorem fignificationem Hieronymus & fept. fequuntur, pofteriorem Chald. *eiiciet eam*, fcilicet a fua gloria. PERCUTIET IN MARI, id eft *proiiciet in mare*, fcilicet Tyrum, ut Chald. FORTITUDINEM EIUS. Chald. *divitias*, feu *exercitum eius*: vox Hebr. חיל *hail* hæc omnia fignificat, *fortitudinem*, *divitias*, *exercitum*. ET HAEC; pro, & ipfa, fcilicet urbs igne comburetur.

V. 5. VIDEBIT ASCALON. Agit de Philifthæorum urbibus, quæ & ipfæ clade Tyri commotæ, Ifraeli fubiicientur. Quod factum effe Sophoniæ II. 4. dicitur: & Iofephus XIII. Antiquit. cap. XXI. ET ACCARON, QUONIAM CONFUSA EST SPES EIUS, id eft periit: fortaffe fuis viribus aut externis auxiliis confidebat Accaron urbs Philifthinorum.

V. 6. ET SEDEBIT SEPARATOR IN AZOTO; pro, victor Iudæus. Hebr. *& habitabit fpurius in Azoto*, id eft alienigenæ; quafi dicat: Afcalon deferta manebit, non habitabitur; at Azotus habitabitur quidem, fed ab externis. Quidam putat, Azotios ipfos quafi fpurios & externos fore, quia non amplius fui iuris, fed fubditi Iudæis: fic Hebræus.

V. 7. ET AUFERAM SANGUINEM EIUS DE ORE EIUS. Domita fuperbia non amplius loquetur cædes & victorias; aut per

fan-

ſanguinem intellige eſum ſanguinis in Lege vetitum. EIUS; pro, eorum, quia loquitur de Philiſthæis in genere; aut *eius*, id eſt Azoti. ET ABOMINATIONES EIUS DE MEDIO DENTIUM, id eſt de dentibus: non comedent amplius illicita, quia converſi ad fidem. ET ERIT QUASI DUX IN IUDA. Sequentur Azotii caſtra Iudæorum, duce eorum ex eorum gente. ET ACCARON QUASI IEBUSAEUS. Aquam & ligna comportabunt ut illi, & aliis miniſteriis vilibus addicti erunt.

V. 8. ET CIRCUMDABO DOMUM MEAM. Angelorum cuſtodia protegam meos. Hebr. *caſtrametabor domui meæ* (id eſt quaſi caſtris poſitis protegam *ab exercitu* (ſcilicet hoſtium) *a tranſeunte & revertente* (ſcilicet hoſte.) ULTRA EXACTOR. Non erunt ſubiecti externis, qui eos tributis opprimant. QUIA NUNC VIDI, id eſt faveo meo populo. *Videre* pro *favere*.

V. 9. EXULTA SATIS. Hebr. *valde*. Ex his conſtat, quæ ſuperius dicta ſunt, ad Chriſti tempora præcipue eſſe referenda. Hunc locum Matth. XXI. 5. affert de Chriſto, cum vectus aſino Ieruſalem eſt ingreſſus. IPSE PAUPER. Matth. *manſuetus*: ſic Sept. nempe ענו *hanau*, id eſt *manſuetus* legerunt, ubi nunc eſt עני *hani*, id eſt *pauper*. SUPER ASINAM: ſic Matth. & Hieronymus in Comment. at Hebr. & Chal. *ſuper aſinum*; ſed חמור *hamor* communis generis eſt, ut colligitur ex II. Reg. XIX. 26. atque ita bene verti potuit, *ſuper aſinam*. Ex Rab. Selomo Exod. IV. conſtat ab Hebræis hunc locum de Meſſia intelligi; idem hic tum ipſe, tum D. Kimhi dicunt.

V. 10. ET DISPERDAM QUADRIGAM. Pax erit adventu Chriſti, ideo omnia bellica inſtrumenta erunt ſupervacanea, quadrigæ, equi, arcus. ET LOQUETUR PACEM; pro, conſtituet, ſtabiliet. A MARI USQUE AD MARE. Aven Ezra, *a Mari rubro ad Oceanum*. A FLUMINIBUS. Heb. *a flumine*, ſcilicet *Euphrate*, ut Chald. nam eum *flumen* abſolute ponitur, *Euphrates* intelligitur. USQUE AD FINES TERRAE; hoc eſt, extremum Occaſum. Denique ſignificat fore eum, ſcilicet Chriſtum, Regem univerſi orbis Dominum.

V. 11. TU QUOQUE. Propheta vertit ad eum Regem ſermonem. IN SANGUINE TESTAMENTI TUI, ſeu *pacti tui*. Chald. *vos quoque, quibuſcum in ſanguine ſanctum eſt pactum*. Tangit ritum ſanciendi fœdera ſanguine pecudis, quam mactabant. Ergo tu quoque ex fœdere, quod ſanguine ſanxiſti, cum ſcilicet datum eſt tibi regnum, vinctos omnes liberaſti. Quod fieri ſolet in magna lætitia. EMISISTI. Hebr. *emiſi*; ſed ſane pro שלחתי *ſillahthi*, id eſt *emiſi*, Hieronymus & Sept. legerunt שלחת *ſillahtha*, *emiſiſti*: quæ lectio multo commodior eſt, pro, emittes. DE LACU, IN QUO NON EST AQUA. Hebr. *de puteo, in quo non eſt aqua*. Talis erat carcer, ciſterna ſine aqua. Ideo ſæpe סחר *ſchar* a rotunditate vocatur. Plerique de limbo intelligunt hoc, unde Chriſtus Patres liberavit, cum ſancto Thoma III. Part. quæſt. LII. art. 1. qui carcer erat. Idque *in ſanguine teſtamenti*, id eſt ſuo ſanguine eos emiſit.

V. 12. CONVERTIMINI AD MUNITIONEM, id eſt arcem, per quam Deum intelligit, in quo eſt commune præſidium. VINCTI SPEI. Qui quamvis vincti, ſpem tamen libertatis habetis. HODIE QUOQUE ANNUNTIANS. Regis Chriſti reſponſio eſt. *O annuntians*, id eſt Propheta, ego *hodie*, id eſt brevi, DUPLICIA REDDAM TIBI, id eſt non ſolum e carcere vinctos educam, ſed & multis bonis cumulabo eos.

V. 13. QUONIAM EXTENDI MIHI IUDAM QUASI ARCUM. Hebr. *extendi mihi Iudæ arcum*; hoc eſt, feci ut Iudas pro me extenderet arcum. IMPLEVI EPHRAIM, ſcilicet arcu: nam IV. Reg. IX. 24. ubi nos, *Iehu tetendit arcum*. Hebr. *Iehu implevit manum ſuam in arcu*. Ego faciam, ut Ephraim pro me pugnet. ET SUSCITABO FILIOS TUOS SION, id eſt faciam ut ſumant arma. SUPER FILIOS TUOS. Contra filios tuos, o Græcia, ſuſcitabo filios Sion. GRAECIA. Per *Græciam*, Gentes & populos intelligit Chald. QUASI GLADIUM FORTIUM: ſuggeram tibi vires. Hoc in Apoſtolis eſt impletum, qui erant e Iudæis, & ſubiugarunt Gentes.

V. 14. SUPER EOS VIDEBITUR, id eſt cum eis quaſi dux erit Deus. IACULUM EIUS. Hebr. *ſagittas eius*, id eſt ſagittæ erunt ut fulgur. TUBA CANET, aut *clanget*, ut ſcilicet ſuos congreget, & immittat in hoſtes. ET VADET IN TURBINE AUSTRI, id eſt ut turbo Auſtri. Suſpicor

pro

pro *Beth* olim *Caph* fuisse: ergo *ut turbo Austri*, id est a vento Australi excitatus concitandis turbinibus infami. Itaque Deus magno impetu in hostes irruet.

V. 15. PROTEGET, EOS, suos milites. ET SUBIICIENT LAPIDIBUS FUNDAE. Funditores olim in prima acie constituebantur. ET BIBENTES INEBRIABUNTUR. Heb. *& bibent, tumultuabuntur quasi vinum*. Constructio inversa. *Bibent sanguinem quasi vinum, postquam in hostes fuerint tumultuati:* sic Hebr. ET REPLEBUNTUR UT PHIALAE. Sanguis hostiæ excipiebatur phiala, & fundebatur ad CORNUA ALTARIS, ad *angulos altaris*. Hebr. sed perinde est. Itaque sanguine hostium replebuntur Christi milites.

V. 16. UT GREGEM POPULI SUI, salvabit Deus gregem, *salvabit quasi oves populum suum*, ut Sept. servabit scilicet ut pastor gregem. QUIA LAPIDES SANCTI, quasi lapides sancti elevabuntur milites. Hebr. *quia lapides* (id est ut lapides) *coronæ*, id est lapides pretiosi, qui in corona ponuntur, duces & Principes Iudæ *elevabuntur*, erunt in pretio in terra Israel. *Elevabuntur ut vexillum*, ad quod scilicet milites confugiunt. Id significat verbum Hebr. מתנוססות *mithnosesoth*.

V. 17. Nisi Hebr. non est, sed sic, *quod bonum eius, & quod pulchrum eius? frumentum iuvenes, & vinum germinabit virgines*, scilicet pulchros & pulchras faciet optimum alimentum; quasi dicat: Præter alia, quod maxime pulchrum erit, annonæ copia suppetet, qua robusti iuvenes & puellæ pulchræ erunt. David Kimhi in Dictionario sic explicat, *frumentum iuvenes* (scilicet lætificabit) *& vinum loqui faciet* (seu *cantare*) *virgines*: nam נוב *nob* non solum *germinare* significat, sed *loqui*, ex Isai. LVII. 19. ubi nos, *Creavi fructum labiorum;* Heb. *loquelam labiorum*. Atque adeo sensus erit, Quod maxime pulchrum existet in hac victoria, erit finis eius, scilicet convivia, quæ iuvenes & virgines instruent; & cantica, quibus lætitiam celebrabunt. Hieronymus pro *iuvenibus*, *electos* posuit, & vox Hebr. utrumque significat; sed alii omnes, etiam Sept. *iuvenes* ponunt. Aliqui per *frumentum & vinum* Eucharistiam intelligunt, an ἱστορικῶς?

MENOCHII.

Vers. 1. ONus, id est onerosa, molesta, & tristis prophetia. HADRACH, id est contra Hadrach, qui vicus sive oppidum est iuxta Damascum. DAMASCI REQUIEI EIUS; quasi dicat, Hadrach, & Damascus erunt requies oneris huius, quod vaticinor; nam Hadrach, & Damasco incumbet, in eisque requiescet hoc calamitatum pondus. DOMINI EST OCULUS HOMINIS, &c. quasi dicat: Domini oculus videt, curat, & regit omnes homines, æque ac tribus Israel, ut scilicet impios puniat, pios vero tueatur, & protegat. Vel, quasi dicat, Domini, id est ad Dominum respicit oculus hominis. Vel, Domini est convertere ad se oculos omnium hominum; quanto ergo magis Israelitarum, ut illos defendat, & eorum hostes perdat?

V. 2. EMATH QUOQUE IN TERMINIS EIUS. Particula *eius*, referenda est ad *onus* Domini; quasi dicat: Onus Domini requiescens in Damasco, pertinget quoque ad Emath, Tyrum, & Sidonem, ita ut hæ urbes intra terminos huius oneris Domini contineantur, & eius participes sint futuræ. Emath, vel est Antiochia, vel Epiphania, quam multi putant esse Alapiam, vulgo *Aleppo*. ASSUMPSERUNT QUIPPE SIBI SAPIENTIAM VALDE; quasi dicat: Quia Tyrii, & Sidonii sibi arrogarunt sapientiam (fuerunt enim Phœnices inventores litterarum) quasi per eam essent insuperabiles, hinc Deus eos insipientes esse ostendet, eosque per Alexandrum Macedonem, & per Machabæos debellabit.

V. 3. ET AEDIFICABIT, &c. quasi dicat, Quasi munitissima sit, & ditissima, tamen expugnabitur. QUASI HUMUM: magna copia; similis phrasis habetur supra Sophon. cap. I. 17. Vide ibi dicta.

V. 4. DOMINUS POSSIDEBIT EAM: per duces, & exercitus, quos mittet ad expugnandam eam. PERCUTIET IN MARI FORTITUDINEM EIUS, id est licet in mari sita sit, adeoque munitissima. Vide Ezech. XXVIII. 2. ET HAEC IGNI DEVORABITUR: *& ipsa igni devorabitur*, ut vertit Pagninus.

V. 5. VIDEBIT ASCALON: sunt civitates Philisthinorum Tyro vicinæ. QUONIAM

NIAM CONFUSA EST SPES EIUS: scilicet qua se putabat posse resistere.

V. 6. SEDEBIT SEPARATOR IN AZOTO. Vox *separator*, in Hebræo est ממזר *mamzer*, id est *spurius*, quod aliqui de Alexandro Macedone intelligunt, qui spurius habitus est; alii de alienigenis, & externis, qui non erant ex genere Philisthæorum; hos enim Philisthæi mamzeres, id est alienos, & spurios vocabant. Significatur ergo Alexandrum, sive Iudæos, sive alias gentes peregrinas sessuras tamquam dominas in Azoto; iuxta vulgatam nostram, *separator* est quilibet victor, qui dividit prædam, & si velit, viros ab uxoribus, fratres a fratribus, &c. separat, & diducit.

V. 7. AUFERAM SANGUINEM EIUS DE ORE EIUS, id est minas eius sanguinis effundendi, & patrandarum cædium. Chald. vertit, *& disperdam comedentes sanguinem*, quod intelligi potest de victimis, quas Deo suo Dagon offerebant, ex quarum sanguine, & carnibus epulum deinde instruebant. ABOMINATIONES: intelligit carnes idolis sacrificatas. RELINQUETUR ETIAM IPSE DEO NOSTRO; quasi dicat, Populus Azoti subactus Iudæis relinquet idola, & veram religionem suscipiet. ET ERIT QUASI DUX IN IUDA: non solum admittet veram religionem, sed aliis etiam præibit, & auctor erit, ut eam suscipiant. Videtur hoc factum ex parte tempore Machabæorum, plenius tamen tempore legis gratiæ, cum tota illa ora ad Christum conversa est. ET ACCARON QUASI IEBUSAEUS; quasi dicat: Sicut olim Iebusæi habitarunt in Ierusalem, ita pariter Accaronitæ sociabuntur Iudæis, & habitabunt in Ierusalem, ac vicissim Iudæi pacifice degenten in Accaron.

V. 8. DOMUM MEAM: templum. ET HIS QUI MILITANT MIHI, &c. quasi dicat, Tutabor templum meum per Machabæos fortissimos milites meos. EXACTOR: scilicet tributi, tyrannus qui exactione iniusta avare populum expilet. QUIA NUNC VIDI IN OCULIS MEIS. Est Hebraismus, pro, *oculis meis*. Vidi oculis meis ærumnas, & vexationes, quas ab hostibus passi estis, atque ideo vicem vestram miseratus, non patiar vos imposterum similia pati. Factum cum populus fidelis in Christum credens a tyrannide diaboli, & vitiorum liberatus est.

V. 9. EXULTA SATIS: vehementer lætare. FILIA SION: Ierusalem. IUBILA, &c. est repetitio eiusdem sententiæ. REX TUUS: Christus Dominus. VENIET TIBI, id est ad salutem tuam. IUSTUS: iustus, & iustificans te suo sanguine. SALVATOR: ut te ab hostibus liberet. PAUPER, id est *Mansuetus*, ut habet Chald. & LXX. & sic citatur Matth. XXI. ET SUPER PULLUM: Christus enim successive super utrumque sedit; nec sine mysterio, nam per asinam sive subiugalem, ut vertunt LXX. intelliguntur Iudæi iugum passi veteris legis; per pullum vero Gentiles: utrosque per Evangelium sibi subiecit Christus.

V. 10. DISPERGAM QUADRIGAM EX EPHRAIM: non erunt bella, sed summa pax tempore Evangelii, non solum in Iudæa, sed etiam in decem tribubus ad Christum conversis. LOQUETUR PACEM GENTIBUS: pacifice, & amice eis loquetur: hortabitur eos per Evangelii prædicationem, ut secum, & cum proximis pacem ineant, & colant. A MARI, &c. id est per totum orbem.

V. 11. TU QUOQUE: o Christe Rex Sionis. IN SANGUINE TESTAMENTI TUI: virtute sanguinis fœderis novi testamenti, per quem reconciliasti Deo genus humanum, & veteres inimicitias dissolvisti. DE LACU, id est limbo, seu purgatorio. Vide August. epist. XCIX. & XII. Genes. ca. XXXIII.

V. 12. CONVERTIMINI AD MUNITIONEM, id est ad Christum, & Ecclesiam. Vel ad legem Evangelicam, quæ est arx Christi munitissima. VINCTI SPEI: vos, quos spes Christo devincit, & spe cum illo ita estis colligati, ut ab eo omnino pendeatis. Tales erant Iudæi fideles expectantes redemptionem Israel. Tales etiam erant Gentiles habentes fidem Dei, & Messiæ ante Christi adventum. ANNUNCIANS, id est annuncio. DUPLICIA, id est multiplicia, & magna bona. REDDAM; scilicet pro laboribus. TIBI. Est enallage personæ, nam cum prius alloqueretur vinctos spei universim, nunc unumquemque appellat nominatim, ut intelligant non tam omnibus, quam singulis hæc promitti.

V. 13. QUONIAM EXTENDI, &c. Hebr. *calcavi*, id est calcando, extendi; solent enim arcus balistarum pedibus nitendo extendi, & aptari ad excutiendam sagittam.

IMPLEVI EPHRAIM: quasi arcum. Impletur autem arcus balistæ, cum attracto nervo, sagitta, quæ emittenda est in hostes, illi imponitur. Ital. diceremus, *Ho caricata la balestra d'Ephraim:* intelligit Apostolos, qui partim ex Iuda, partim ex reliquis tribubus fuerant, quæ per Ephraim designantur; hos ergo tamquam arcum tetendit Christus, & sagittis verbi Dei instruxit, ut contra Idololatriam gentium ad earum salutem pugnarent. FILIOS TUOS SION: filios Ecclesiæ intelligit, ac nominatim Apostolos. SUPER FILIOS TUOS GRAECIA: quæ licet sapientia glorieris, resistere non poteris Apostolorum prædicationi, ac præsertim Pauli doctoris gentium, & tui. PONAM TE: o Sion. QUASI GLADIUM FORTIUM: ut vincas, occidas, & subiicias tibi *omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*, II. Cor. x. 5.

V. 4. SUPER EOS VIDEBITUR: pugnans pro illis. IACULUM EIUS: scilicet Dei pro illis pugnantis, & suis illustrationibus, & inspirationibus mentes tam audientium, quam docentium Apostolorum, quasi cælestibus iaculis ferientis. IN TURA CANET: prædicationis Evangelii. VADET IN TURBINE AUSTRI, id est instar turbinis venientis ab Austro, omnes convolvet, & secum abripiet. Hisce bellicis metaphoris significatur vis, & energia prædicationis Evangelicæ.

V. 15. DEVORABUNT, scilicet hostes suos. SUBIICIENT EOS LAPIDIBUS FUNDAE. LXX. *& obruent eos lapidibus fundæ*. Lapides fundæ sunt verba Scripturæ, quæ sacri fundibularii concionatores, & doctores in hostes Ecclesiæ, & veritatis, & in via contorquent. ET BIBENTES INEBRIABUNTUR QUASI A VINO. LXX. habent, *Bibent eos sicut vinum:* sanguinem hostium suorum copiose fundent, & illo perfundentur, & quodammodo inebriabuntur. REPLEBUNTUR UT PHIALAE: replebuntur sanguine sicut phialæ, quibus excipitur sanguis victimarum. ET QUASI CORNUA ALTARIS: super quæ sanguis fundebatur, Lev. IV. & XVI. significatur illustres triumphos reportaturos Evangelicos hosce præcones, innumeros spiritualiter debellaturos, & subiecturos Ecclesiæ.

V. 16. ET SALVABIT EOS DOMINUS DEUS EORUM UT GREGEM. Maxima cura liberabit eos a periculis, ut pastor oves. Cum eos oves appellat, tacite docet eos non pugnaturos armis corporalibus, sed verbo Dei, & mansuetudine. LAPIDES SANCTI ELEVABUNTUR SUPER TERRAM EIUS: eos lapides intelligit, qui in titulum, & monumentum victoriæ eriguntur; quasi dicat: Duodecim Apostoli in Ecclesia in titulum victoriæ, & possessionis adeptæ a Christo, erigentur, ut olim totidem Iosue erexit in Galaad Iosue v. 19. qui Apostolorum symbolum fuerunt. BONUM EIUS. Vox, *eius*, tam in Græco, quam in Hebræo est masculini generis, itaque non refertur ad terram, sed ad Deum, & consequenter eius populum; sicut enim Deus nihil melius, aut pulchrius hoc dono Eucharistiæ dare, sic nec populus accipere potest. FRUMENTUM ELECTORUM. In Hebr. & LXX. est, *iuvenum*, Eucharistia enim est frumentum electorum, quia facit selectos iuvenes, hoc est validos, alacres, & expeditos ad omne bonum, & ad quodlibet prælium tentationum sustinendum. GERMINANS VIRGINES, id est faciens castos, & puros eos, qui digne hæc sacra mysteria percipiunt.

TIRINI.

Vers. 1. ONUS, id est onerosa & minax prophetia, qua clades intentatur *terræ* HADRACH ET DAMASCI: metropoles sunt, illa Cœlesyriæ, hæc Syriæ Damascenæ: ita ex S. Hieronymo, Ptolemæo, Guilielmo Tyrio Adrichomius *a*. In duobus his locis *requiescet*, incumbet, insidebit hoc onus iam dictum, hoc calamitatum pondus, inquit Albertus, Clarius & Arias. QUIA OCULUS DOMINI tam inspicit, curat & tangit reliquos omnes *homines*, quam *tribus omnes Israelis*: ita LXX. Chaldæus, Syrus & Arabicus cum S. Hieron. & Theodoreto. Quin &

V. 2. EMATH QUOQUE, seu Antiochia *b*, reliquæ Syriæ caput, erit IN TERMINIS, seu intra limites eiusdem oneris, uti ET TYRUS ET SIDON primariæ urbes Phœniciæ: quia ASSUMPSERUNT, id est arrogant, SIBI SAPIENTIAM *c* incomparabilem, & *munitiones* insuperabiles, & opes infinitas, quibus putant se prorsus invictas fore. Sed ego primo per Alexandrum Macedonem, deinde per Machabæos, denique per Christum meum orbi notum faciam,

ciam, *non esse sapientiam*, non esse potentiam, *non esse consilium contra Dominum d*: & *quod stultum e est Dei, sapientius esse hominibus*. Quidquid enim contra moliatur Tyrus,

V. 4. ECCE DOMINUS victor POSSIDEBIT EAM: quo modo Alexander Magnus post septimestrem obsidionem expugnarit Tyrum, vide apud Plutarchum & Curtium *f*. Quo modo & Aristobulus, Iudæ Machabæi nepos, eamdem obtinuerit, describit Iosippus filius Gorionis. Quo modo denique Christus eam sibi vindicarit, patet ex tanta hominum turba quæ ex finibus Tyri & Sidonis *g* ad ipsum confluebat; & ex innumeris Martyribus quos cum Episcopo suo Tyrannione cælo dedit sub Diocletiano atque aliis Imperatoribus, ut narrat oculatus testis Eusebius, & Theodoretus *h* & alii Historici. Porro de excidenda Tyro eadem prædixerunt etiam Isaias *i* & Ezechiel.

V. 5. VIDEBIT hoc Tyri excidium vicina & ipsi confœderata ACCARON, reliquaque Philisthæa, & extreme dolebit; quia excisa Tyro, CONFUSA & sublata EST omnis eius spes resistendi hostibus. Unde & mox PERIBIT DE GAZA REX, id est regulus vel satrapa illius. Huic nomen erat *Betis*, quem Alexander capta post bimestrem obsidionem Gaza, iussit circum urbem probrose captari, inquit Curtius k. Eamdem postea expugnavit Simon *l* Machabæus, eiusque nepos Alexander Iannæus, ut Iosephus *m* enarrat. Sed *nostris* maxime *temporibus*, inquit S. Hieronymus *n*, *videmus hæc esse completum*, quando ut *Serapium* (seu Serapidis delubrum) *Alexandriæ*, ita *Marnæ templum Gazæ*, *in ecclesias Domini surrexerunt*, instinctu S. Porphyrii & Ioannis Chrysostomi, sic iubente Arcadio Imperatore, ut ex Marco Gazensi, Theodoreto & aliis docet Baronius *o*. ASCALON usque eo destruetur, ut NON amplius *inhabitanda* sit ab hominibus, sed solis pecorum pascuis deservitura, ut Sophonias prædixit. Post Alexandrum Magnum expugnavit & excidit Ascalonem, ut & Accaronem & Azotum, Ionathas *p* Machabæus. Sed rursus instaurata fuit, & ex ea prodiit Herodes *q* infanticida *r*, inde *Ascalonita* dictus. Et etiamnum hodie fortissimum propugnaculum est Saracenorum ad mare. Muros eius diruit Saladinus, sed instauravit Richardus Anglorum rex, inquit ex Tyrio Adrichomius.

V. 6. IN AZOTO quoque devicta & subacta SEDEBIT SEPARATOR, id est dominus vel iudex idem qui victor, separabitque reos ab innocentibus, morti destinatos a vita donatis, servos a liberis. Hebraice est *mamzer*, quod etiam *spurium* significat, ut vertit Vatablus & recentiores cum Alberto, Hugone & Lyrano. Qui volunt notari hic Alexandrum Magnum, non ex Philippo, sed ex Nectabano magno, Iovem se fingente, conceptum, ut mater eius Olympias confessa, ac proinde a Philippo quasi repudiata fuit. Significat & *alienigenam*, seu *externum vel extraneum*, ut vertit Chaldæus, LXX. Pagninus & alii: & sic designat Ionatham Machabæum, Philisthæis vere extraneum, qui octo Azotiorum millia *s* gladio & igni separavit a reliquis devictis.

V. 7. ET SANGUINEM EIUS, seu victimarum in ea oblatarum idolo *Dagon*, AUFERAM DE ORE EIUS; id est, impia & sacrilega Azotiorum sacrificia, succenso templo *t* ipsorum, impediam & tollam, & illorum loco inducam sacra mea, primum Iudaica per Machabæos *u*, dein & Christiana per Philippum diaconum *x*, & alios discipulos Christi: ita Arias ex Chaldæo. ET *ita* RELINQUETUR aggregatus DEO NOSTRO ETIAM IPSE populus Azoti: immo ERIT QUASI DUX IN IUDA; LXX. *quasi chiliarchus*: nempe zelo & fervore præcellet Philisthæis ad veram fidem ac religionem capessendam: præcedet & Iudæos instar *y* ducis ad Christum & Evangelium amplexandum: ACCARON etiam QUASI IEBUSÆUS olim a Davide *z* subactus, subigetur a Machabæis, & a discipulis Christi.

V. 8. EX HIS aliisque gentibus antea MIHI, Hebraice, Græce, Chaldaice, *contra me*, *militantibus*, sed iam subactis, iam ad me conversis, CIRCUMDABO quasi fidis præsidiariis DOMUM, id est Ecclesiam, MEAM: ET NON TRANSIBIT ULTRA EXACTOR pœnarum, seu tyrannus, super Ecclesiam meam, neque etiam SUPER *illos* præsidiarios iam aggregatos Ecclesiæ meæ; quasi dicat: Nemo exinceps vim illis vel molestiam inferet, QUIA NUNC *vidi*, id est aspexi, tam illos, quam vos Iudæos, OCULIS MEIS benevolis ac benignis: ita se-

re

re Theodoretus, Albertus & Lyranus.

V. 9. EXULTA SATIS, seu valde & *vehementer*, ut Chaldæus vertit, & LXX. Tigurini, Pagninus, Vatablus & alii. S. Ioannes *aa* paraphrastice legit, *noli timere*, potius gaudio plena exulta o SION: quia non iam rigidus aliquis *exactor bb*, aut crudelis tyrannus, sed mitis, clemens ac suavis Dominus & REX TUUS Messias VENIET TIBI ET SALVATOR, ut te iustificet & salvet: ita LXX. S. Hieronymus, Tigurini & alii. Hunc enim locum de Christo Ierosolymam Dominica Palmarum gloriose invecto interpretantur etiam S. Mattheus & Ioannes Evangelista *cc*, & Orthodoxi omnes: quin & Rabbi Salomon & alii veteres Hebræi citati a Galatino *dd* id Messiæ suo adaptant. Et ita definit Vigilius Papa in Concilio Romano, contra Theodorum Mopsuestenum, qui Zorobabeli, & alios qui Alexandro Macedoni, vel Iudæ Machabæo adaptabant. Veniet autem non regio fastu tumescens, aureis invectus quadrigis, sed PAUPER IPSE. Chaldæus & LXX. quos sequitur S. Matthæus, vertunt *mansuetus* (qualis esse solet *pauper* spiritu) vectus *asina*, deinde etiam *pullo* eius dem ASINAE: nam successive utrique insedisse Christum, expresse docent S. Chrisostomus, Theophylactus, Lyranus, Caietanus, Ribera, a Castro, a Lapide. Volebat enim Christus in triumphali suo Ierosolymam ingressu palam omnibus facere, se non soli Iudæorum populo, qui instar *asinæ subiugalis* iugo legis assueverat, sed etiam Gentilibus, exlegibus & indomitis Messiam & salvatorem advenisse, inquit S. Iustinus, Cyrillus & Origenes. Ubi vero advenerit, opera illius

V. 10. DISPERDAM EX EPHRAIM ET IUDA, id est ex Ecclesia mea promiscue collecta e duodecim tribubus, adeoque & ex Gentibus, QUADRIGAM, EQUUM ET *arcum ee* id est bellica dissidia & pugnas quæ inter illos esse solent. Ipse enim omnibus præcipiet colere iustitiam, concordiam & pacem, quibus lites & bella excludentur: ita S. Hieronymus, Hugo, Arias & alii. POTESTAS EIUS regia extendetur A MARI Mediterraneo USQUE AD MARE *ff* magnum, seu Oceanum, & ab Euphrate & Tigri aliisque FLUMINIBUS USQUE AD FINES TERRAE, id est toto orbe dominabitur, ita Rupertus, Remigius, & alii iam citati.

V. 11. TU QUOQUE, o Messia, IN SANGUINE, id est per sanguinem, seu merito & pretio sanguinis tui, quinto post triumphalem ingressum die, in cruce effusi, quo *testamentum gg*, seu fœdus *tuum* inter Deum & homines de novo initum sancivisti & confirmasti, & quasi lytrum pro captis & vinctis filiis tuis dependisti. Huius, inquam, sanguinis tui merito, mox ut victor ad devictum infernum descendisti, perruptis carceribus, inde liberos EMISISTI VINCTOS *omnes* TUOS *hh*, & DE *arido* LACU infernali, id est e limbo patrum, in quo nulla refrigerii vel solatii inerat aqua, tecum eduxisti in optatam tot sæculis libertatem, gaudium & gloriam; ita SS. Patres Græci & Latini inhærentes versioni LXX. & expositioni Origenis, S. Hieronymi, S. Augustini *ii* & aliorum antiquorum. Rabbini recentiores cum Chaldæo, mutatis, ut opinor, librariorum vitio punctis, pro *scillachta*, id est emisisti, iam legunt *scillachti*, id est misi. Sed in idem redit, ut Bellarminus kk & a Lapide clare demonstrant. Hoc ergo tam illustri salvatore donati, o Iudæi, o Gentiles,

V. 12. VINCTI hucusque SPEI, id est qui ita spe astricti estis Messiæ, ut ab illo uno toti pendeatis, CONVERTIMINI iam & adcurrite AD MUNITIONEM, ad arcem Sion, ad Ecclesiam, ad sinum Messiæ vobis transmissi: ita Clarius, Arias & alii. Potest & eum S. Hieronymo & Hugone applicari Patribus in limbo, de quibus immediate ante. Neque est necessum præstolari realem Messiæ adventum, HODIE QUOQUE, id est ex nunc, si in sinum venturi Messiæ quispiam per fidem, per spem, per amorem in ipsum, se coniecerit, *annuntio tibi* quisque is es, quod REDDAM TIBI DUPLICIA *ll*, id est multiplicia illa bona quæ a venturo Messia præstolaris.

V. 13. QUONIAM EXTENDI MIHI IUDAM QUASI ARCUM; id est, delegi mihi tribum Iuda, ut sit mihi pro arcu, quem valide distendam in hostes. Et quotquot ex EPHRAIM, id est ex aliis decem tribubus, se illi coniunxerint, *implebo* & illos *quasi arcum* meum, id est etiam illis utar quasi valide tensis arcubus in hostes & suos & meos. *Arcus* enim teste S. Cyrillo, Vegetio & Sidonio *mm*, *impleri* censetur, cum nervus & ferrum arcus quanta possunt vi attrahuntur, ut tota concavitas arcus telo repleatur, & fortior sit eiaculatio. ET SUSCITA-

ZO FILIOS TUOS, o SION, ut victores fiant SUPER FILIOS TUOS, o GRAECIA, maxime sub Machabæis, ut constat ex ipsorum historia. ET PONAM TE, o Sion, instar herois invicti, qui gladio suo sternit omnia adversa.

V. 14. ET DEUS SUPER EOS VIDEBITUR; id est, manifeste illis aderit ex alto, vibrans tela quasi fulgura in hostes: excitatione interna, quasi clangore tubali, suos excitans, animans, roborans, & instar turbinis ab Austro immissi convolvens adversarios & secum abripiens. His bellicis metaphoris designatur bellica Machabæorum fortitudo: sed Allegorice ac præcipue, vis & energia prædicationis Evangelicæ.

V. 15. LAPIDIBUS *funda* excussis DEVORABUNT hostes suos; quasi dicat: Primo congressu deiicient & sternent illos: nam solent velites & fundibularii in prima acie constitui, & prælium inchoare. Et sternent tantam hostium copiam, ut, si sanguinem cæsorum bibere *nn* vellent (quod nonnulli efferati olim fecerunt) prorsus *inebriarentur*, & collo tenus *replerentur*, UT repleri solent PHIALAE ET CORNUA ALTARIS sanguine victimarum. Iidem principes Machabæi, & Allegor. Apostoli Christi & viri Apostolici.

V. 16. ELEVABUNTUR, honore, dignitate, gloria extollentur, SUPER TERRAM EIUS, id est in Ecclesia Dei; sicut LAPIDES SANCTI, qui rationale pontificis, vel coronam eius decorabant, inquit Vatablus, Mariana Sanchez. Vel qui fabricam templi attollunt, ut S. Hieron. Theodor. Remigius & Lyranus: vel, ut Sanchez, lapides terminales: vel denique, ut a Lapide & alii exponunt, lapides qui in titulum victoriæ, triumphi, vel alterius rei illustris memoriam eriguntur. Quales erant duodecim illi lapides a Iosue *oo* erecti, in signum obtentæ possessionis terræ toties optatæ. Qui typus erant duodecim Apostolorum, pari modo a Christo erectorum in titulum obtentæ possessionis Ecclesiæ & orbis universi. Et hæc quidem obvenient cælitus filiis Sion in ordine ad hostes suos repellendos, sternendos ac subiugandos: ut vero penes seipsos, & inter se mutuo etiam delicientur, deerit prorsus nihil.

V. 17. QUID ENIM in omnibus cælestibus thesauris BONUM aut PULCHRUM magis habet Deus, quam quod illis quotidie largitur, FRUMENTUM, seu panem, ELECTORUM? Hebr. *bathurim*, LXX. Syrus, Arabicus, Vatabl. Pagn. vertunt, *iuvenum*: nempe panis hic facit selectos iuvenes, validos, alacres, florentes, vividos, ad omnia etiam ardua expeditos. ET VINUM; Hebraice, *tiros*, id est mustum, quod simul est suave, potens, fervens, ebulliens, & GERMINANS VIRGINES: nempe facit castos, nitentes, speciosos, succulentos, vivido roseoque colore insignes, verbo uno incorruptos & immortales: virginalis enim iuventa typus est incorruptionis, & immortalitatis, inquit Hier. Pradees. Per hoc *frumentum* ac *vinum* Hebr. Theodor. Sanchez & Mariana intelligunt uberem alimoniam temporalem Iudæis concessam: Albertus & Hugo alimoniam spiritualem legis Mosaicæ iisdem cælitus submissam: Clarius, Vatablus & Arias legem & doctrinam Evangelii. Sed omnium aptissime S. Hieron. Remigius, Paschasius *pp*, Haymo, Lyranus, Ribera, a Castro, a Lapide, & alii passim, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia accipiunt velatum speciebus panis & vini. Hoc enim alimento nihil pulchrius; nihil nobilius, nihil melius habet Deus, nihil etiam efficacius ad pravos animi motus passionesque compescendas, ad castitatem, alacritatem, vigorem, robur, pulchritudinem, utriusque hominis vivacitatem, & incorruptionem, adeoque & immortalitatem inducendam. *Qui enim manducat hunc panem, vivet in æternum, & resuscitabitur in novissimo die qq*.

(a) Adrich. in Descript. terræ sanctæ. pag. lxxvii.
(b) Amos vi. 3. (b) Ezech. xxviii. 3.
(d) Prov. xxi. 30. (e) 1. Cor. 1. 15.
(f) Plutarch. & Curt. in Vita Alex. Iosipp. Gorion. Lib. IV. cap. vii. (g) Matth. xv. 21. Marc. vii. 24.
(h) Eus. Cæsar. Lib. VIII. hist. cap. vii. & xiv. alias xxv. Theod. Lib. III. histor. cap. vi.
(i) Isaiæ xxiii. & Ezech. xxviii.
(k) Curtius Lib. IV. Vitæ Alexandr.
(l) 1. Mach. xiii. 43. & Chronici cap. xlii.
(m) Ioseph. XIII. Antiq. cap. xxi.
(n) Hieron. Lib. VII. in Isaiam.
(o) Marc. Diac. Gaz. in actis S. Porphyrii. Theod. Lib. V. hist. cap. xxiv. Baron. anno Christi 398. & 401. Soph. ii. 4 & 6. (p) 1. Mach. x. 84.
(q) Chronici xlv. (r) Matth. ii. 10.
(s) 1. Mach. x. 84. (t) Ibid. (u) Abdiæ xix.
(x) Actor. viii. 40. (y) Ibid. (z) II. Reg. v. 6.
(aa) Ioan. xii. 15. (bb) Hic vers. præced.
(cc) Matth. xxi. 4. Ioan. sup. (dd) Galatin. Lib. VIII. cap. ix. (ee) Isaiæ xxvi. 4. (ff) Ps. lxxi. 2.
(gg) Exodi xxiv. 8. & 1. Cor. xi. 25. Hebr. ix. 15.
(hh) Isaiæ lxi. 1. (ii) Origen. tract. xiv. in Matth. August. Lib. XVIII Civit. cap. xxxv. (kk) Bellarm. Lib. IV. de anima Christi cap. xi. (ll) Isaiæ xl. 2. &c.
(mm) Veget. Lib. 1. de Re milit. cap. xv. Sidon. Lib. I. epist. 22. (nn) Ps. cix. 7. (oo) Iosue iv. 20.
(pp) Paschas. de corpore Domini cap. xxi.
(qq) Ioan. vi. 55. & 59.

GQR.

G O R D O N I.

Verf. I. HADRACH locus est Damasco Syriæ vicinus. Ergo onus Domini & minax hæc prophetia est Syris, Tyriis, & Philisthiim; in eisque requiescet onus hoc & pondus calamitatum: ita fiet ut Deus decrevit. Nam Domini est oculus, & quidquid videt aut possidet homo, ipse regit, fovet & castigat quos vult, etiam Israelitas. Hinc verf. 2. EMATH (est Antiochia) TYRUS ET SIDON sapient sibi valde; sed vapulabunt. Totam hanc fortitudinem percutiet Dominus. Idem de aliis urbibus quæ hic adduntur: de harum gentium vastatione lege Curtium de rebus gestis Alexandri Lib. III. & IV. & Plutarchum in Alexandro: mystice hæc ad Christum spectant.

V. 6. 7. & 8. ET SEDEBIT SEPARATOR, &c. Separator, Hebr. ממזר *mamzer*, *alienus*, *extraneus*, nempe Alexander, aut Machabæus: nam hi Azotum sub iugo tenuerunt. ET AUFERAM SANGUINEM DE ORE EIUS: quia domita superbia, inquit Mariana, non amplius loquetur cædes, ET ABOMINATIONES, DE MEDIO DENTIUM: auferentur eorum idola & idolothyta, quæ comedebant; ET RELINQUETUR ETIAM IPSE DEO NOSTRO. Azotii subacti a Ionatha sequentur fidem Iudæorum; & ex illis erunt duces populi in bello: idem de Accaronitis subactis, ut contigit Iebusæis sub Davide. Hæc mystice de Christo & Apostolis suum habent locum. ET CIRCUMDABO DOMUM MEAM, nempe templum vallabo & muniam: hæc etiam sub Machabæo; sed mystice longe illustrius in domo Christi & Ecclesia.

V. 9. EXULTA SATIS FILIA SION, &c. Quod solemne est Prophetis veteris testamenti, ut passim concludant sermonem in Christo, id hic præstat etiam Zacharias, & velut unus Evangelista illustre vaticinium hic edit de Christo. En ex verf. 9. descriptum Christum ut regem, iustum, *salvatorem*, pauperem, super pullum asinæ. Immo utroque iumento usus est Christus successive, ut habent Zacharias & Matthæus: mystice sunt Iudæi & Gentiles subdendi Christo. En etiam verf. 10. vocantem gentes, & dilatantem fines Ecclesiæ. En verf. 11. fuso sanguine redimentem omnes, & e limbo patres liberantem: non moror in re clara: plura ad Math. cap. XXI. verf. 1. Quod est hic, SALVATOR, apud Septuag. σώζων, corrupte in Heb. est נושע *novahh*, *salvatus*.

V. 12. CONVERTIMINI, &c. Adhuc sermo est de Christo & Ecclesia; quo loco, VINCTI SPEI sunt qui spe & fiducia tenebantur de adventu Messiæ; hos hortatur Deus per Prophetam ad conversionem, promittens duplicia per Messiam, ut explicat Propheta, verf. 13. 14. 15. & 16. abundantiam bonorum testantur hæc voces, DUPLICIA (verf. 12.) CORNUA ALTARIS (verf. 15.) & LAPIDES SANCTI (verf. 16.) Apostoli & Sancti pastores.

V. 17. QUID ENIM BONUM EIUS EST, &c. טובו, habet affixum masculinum; Deum seu Christum refert, non terram: sensus ergo est: Quid habet Christus optimum (sic brevi epiphonemate concludit tot dona Messiæ) quo Ecclesiam suam alat & foveat, NISI FRUMENTUM ELECTORUM (corpus est sub specie panis) ET VINUM GERMINANS VIRGINES (sanguis est sub specie vini) video aliquos hæc verba explicare de lege Christi & evangelica: nec forte male. Alios lego qui hic intelligunt nescio quæ convivia, quibus instruuntur iuvenes & virgines, sed humile, hoc est & terram sapit. Sane post tam amplam de Christo prophetiam, non putandum, hanc proxime insequentem exclamationem, alio ad litteram spectare, quam ad summum illud & admirabile Eucharistiæ beneficium, ita cum Hieronymo, Lyrano, & Remigio recentiores & graves interpretes. Sic Psalm. LXXVII. verf. 25. *panem angelorum manducavit homo*, & August. Serm. L. de verbis Domini. Idem pastor & pascua.

CA-



CAPUT X.

Solus Dominus potest petita præstare, qui confortabit Iudæos: & misertus ipsorum congregabit eos de variis locis captivitatis in terram pristinam, humiliatis ipsorum inimicis.

1. PEtite a Domino pluviam in tempore serotino, & Do-
minus faciet nives, & pluviam imbris dabit eis, sin-
gulis herbam in agro. 2. Quia simulacra locuta sunt
inutile, & divini viderunt mendacium, & somniatores
locuti sunt frustra: vane consolabantur: idcirco abdu-
cti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pa-
stor. 3. Super pastores iratus est furor meus, & super
hircos visitabo: quia visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum
Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. 4. * Ex ipso angu-
lus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælii, ex ipso egredietur omnis exa-
ctor simul. 5. Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio:
& bellabunt, quia Dominus cum eis: & confundentur ascensores equo-
rum. 6. Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph salvabo: & con-
vertam eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non
proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos. 7.
Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi a vino: &
filii eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.
8. Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos
sicut ante fuerant multiplicati. 9. Et seminabo eos in populis, & de lon-
ge recordabuntur mei: & vivent cum filiis suis, & revertentur. 10. Et
reducam eos de Terra Ægypti, & de Assyriis congregabo eos, & ad
Terram Galaad & Libani adducam eos, & non invenietur eis locus: 11.
& transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur
omnia profunda fluminis, & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum
Ægypti recedet. 12. Confortabo eos in Domino, & in nomine eius am-
bulabunt, dicit Dominus.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 4. *Ex ipso angulus*. Cave pro *angulus*, scribas *angelus*, id est, vocalem secundam pro quinta.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verf. 1. SEROTINO, fcilicet vere, velut enim matutinum eft tempus fementis. Eft autem pluvia doctrina, temporanea quidem, qua femina germinant, vetus Teftamentum; ferotina vero, qua fructus maturefcunt, novum; quafi dicat, Petite adventum Chrifti & Evangelii. NIVES; quafi dicat: Dabit nivem, fi opus fit, nedum pluviam. Quidam dicunt legendum *nubes*: id enim fignificari voce Hebræa, & fic Hieron. vertiffe. Chald. *ventos*, fcilicet deferentes nubes. LXX. *apparentias*, fcilicet copiam nubium. Intellige vero Apoftolos & prædicatores, *pluviam* vero doctrinam. IMBRIS, id eft vehementem, feu copiofam. LXX. *hiemalem*, id eft copiofam, ut folet effe hiemalis. EIS, fcilicet petentibus. HERBAM, &c. quafi dicat, Germina falutis in cordibus.

V. 2. SOMNIATORES. Chald. *pfeudoprophetæ*. FRUSTRA. LXX. *falfa*. CONSOLABANTUR, fcilicet fe confulentes. ABDUCTI, fcilicet in varios errores, fcilicet qui talibus fidem adhibebant. AFFLIGENTUR, fcilicet ab hoftibus animæ. PASTOR, fcilicet bonus; quafi dicat, Interim, dum Chrifto carent. Chald. *Rex*. LXX. *fanitas*.

V. 3. PASTORES. Chald. *Reges*. HIRCOS, id eft reprobos. Vide Matth. XXV. Chald. *Principes*, fcilicet malos. VISITABO, id eft puniam. VISITAVIT. LXX. *vifitabit*, fcilicet ut provideat. GLORIAE SUAE, id eft gloriofum. Chald. *fortem & fplendentem*, fcilicet bene ornatum. LXX. *decorum fuum*.

V. 4. EX IPSO, fcilicet Iuda. ANGULUS, fcilicet Chriftus lapis angularis. Chald. *Rex*. PAXILLUS, fcilicet Chriftus, e quo pendent electi. Chald. *Chriftus*. ARCUS, id eft arma fpiritualia. Chald. *fortitudo*. EXACTOR, fcilicet tributi; quafi dicat, Victor. Chald. *gubernator*, fcilicet qui exigat obedientiam. SIMUL; quafi dicat, Ex ipfo hæc omnia.

V. 5. CONCULCANTES, fcilicet hoftes fidei. LUTUM; pro, ut lutum. ASCENSORES, fcilicet hoftes videntes fe non poffe refiftere.

V. 6. CONFORTABO. Chald. *roborabo*. IOSEPH, id eft Ephraim, fcilicet decem tribus. MISEREBOR EORUM. LXX. *dilexi eos*.

V. 7. FORTES. LXX. *pugnatores*. EPHRAIM. Chald. *domos Ephraim*. VINO, fcilicet divinæ gratiæ & confolationis, FILII, id eft difcipuli.

V. 8. SIBILABO, id eft vocabo, fcilicet prædicatione. Chald. *clamabo*. LXX. *fignificabo*. CONGREGABO, fcilicet in Ecclefia. LXX. *fufcipiam*. REDEMI. LXX. *redimam*. ANTE, fcilicet quam eos per hoftes vaftarem.

V. 9. EOS, fcilicet fideles, vel prædicatores. LONGE, id eft remotis locis. REVERTENTUR, fcilicet ad me corde fuo.

V. 10. DE TERRA, &c. id eft ex omnibus locis, ubi vitiis ferviunt. AD TERRAM, &c. quafi dicat, Ecclefiam fertilem, & altam, pulchramque. LOCUS, fcilicet præ multitudine. Hyperbole eft, qua fignificatur fidelium maxima copia: vel fignificatur, omnes effe reducendos, nullumque locum ipforum apud Affyrios aut AEgyptios inventum iri. LXX. *& non relinquetur ex eis ullus*. Chald. *& non fufficiet eis*, fcilicet locus.

V. 11. TRANSIBIT, fcilicet populus meus. IN MARIS, &c. id eft ut olim eum tranfirent Mare rubrum; quafi dicat: Omnes vincet difficultates, nihilque eius ad me reditum poterit impedire, ut nihil impediit eum educerem olim ex AEgypto; atque hunc fenfum faciunt etiam Chaldaica. PERCUTIET, fcilicet Dominus, vel populus. LXX. *percutient*. CONFUNDENTUR, fcilicet non valentia impedire tranfitum. LXX. *ficcabuntur*. PROFUNDA FLUMINIS. Chald. *Reges populorum*. HUMILIABITUR. Chald. *ceffabit*. ASSUR, id eft dæmonum, vel hoftium fidei. SCEPTRUM, id eft dominium. RECEDET, id eft definet. Chald. & LXX. *tolletur*. Intellige per *AEgyptum* vitia.

V. 12. EOS, fcilicet fideles. IN DOMINO, id eft in me. NOMINE, id eft, virtute. AMBULABUNT. Chald. *ambulabunt redempti*. LXX. *gloriabuntur*.

ESTII.

ESTII.

Verſ. 3. & 4. VIsitavit Dominus exercituum gregem suum domum Iuda, et posuit eos, quasi equum gloriae suae in bello. Et ſequitur, Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus. Hebræi hæc referunt ad Iudam Machabæum, & fratres eius, & eorum poſteritatem, quæ multo tempore viriliter & feciliter hoſtibus Iudaicæ gentis ſeſe oppoſuit. Sed hæc expoſitio congruere huic loco non videtur: nam de domo Iuda hæc dicuntur, Iudas autem Machabæus non ex tribu Iuda fuit, ſed ex tribu Levi, ut patet I. Machab. II. Quare non in alium verius, quam in Chriſtum, & Chriſti regnum competunt verba prophetiæ: Chriſtus enim, ex ipſo videlicet Iuda ſecundum carnem genitus, ipſe eſt *angulus*. Non *angelus* (per ſecundam vocalem) ut quidam perperam pridem legerunt & expoſuerunt; ſed *angulus*, per vocalem ultimam, id eſt lapis angularis, faciens utraque unum. Idem & *paxillus* dicitur, quia ab eo dependet univerſa lex & prophetæ. Unde in typo Chriſti apud Iſaiam, Eliachim ſacerdos in templo Dei quaſi paxillus figitur. *Arcus autem prælii* intelligitur ipſum verbum Dei, quod ab Apoſtolo etiam gladius ſpiritus dicitur. Deni que ex ipſo *Exactor* egreditur, non qui opprimat populum, ſed qui operum exactor conſtitutus, urgeat operarios ad inſtaurationem ædificii ſpiritualis. Sunt tamen qui *Exactorem* in malam partem interpretantur, & intelligunt diabolum, vel Antichriſtum, quem egredi dicunt ex ipſo; hoc eſt, eiici ac deturbari de ſocietate fidelium, quorum caput eſt Chriſtus; qui & eum interficiet ſpiritu oris ſui.

MARIANAE.

Verſ. 1. PEtite a Domino pluviam; ut ſcilicet ſit annonæ copia, de qua poſtremo erat locutus. Tempore serotino. Sic vocatur pluvia menſis Aprilis quæ maxime neceſſaria eſt. Faciet nives. Menſe Aprili nullæ ſunt nives, præſertim in ea regione. Plerique *nubes* legendum putant. Hebræi id ſignificare חזיזים *hazizim* dicunt. Alii *fulgura*, ſeu *coruſcationes*, quæ initio pluviæ exiſtunt. Et pluviam imbris, id eſt copioſam, qualis poſt fulgura ſequitur. Singulis herbam dabit. Hebr. *viro* (id eſt cuique) *fœnum*. Quid ſi per *fœnum* ſegetes intelligas, ut Pſal. CIII. 14. eſt dictum?

V. 2. Simulachra. Hebr. *Teraphim*. Locuta sunt inutile. Heb. *vanitatem*. Et somniatores. Hebr. *ſomnia*, pro, *ſomniatores*. Locuti sunt frustra. Heb. *vanum*; quaſi dicat: Erratis, cum ab illis pluviam & bona expectatis. Idcirco abducti, ſcilicet in captivitatem iverunt, quia idola conſuluerunt. Quasi grex: affligentur. Hebr. *humiliabuntur*; pro, humiliati ſunt: poſt captivitatem hæc vaticinatur. Quia non est eis pastor; hoc eſt, cum non eſt eis paſtor, ſcilicet ovibus & gregibus: tunc enim iniuriæ opportunæ ſunt, & a lupis lacerantur.

V. 3. Super pastores. *Paſtores* & *hircos* vocat populi capita. Visitabo, id eſt puniam. Quia visitavit, in bonum: recordatus eſt gregis & populi ſui, ut illis benefaceret. Aut ſic, quia poſtquam viſitavit & punivit delicta ſui gregis, poſuit eos ut equum. Atque ita & redundabit ibi, Et posuit eos quasi equum gloriae suae in bello, id eſt ornavi eum multis donis, ut equum gloriæ, id eſt generoſum, cuius robur & præſtantia in bello maxime apparet.

V. 4 Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, id eſt ex ipſo grege paxillus angulis, ex paxillo qui ad angulum erat, pendebant pretioſa quæque: & ſignificat, Principem illis non fore ex alia gente, ſed ex ſua. Ex ipso arcus, id eſt robur contra hoſtes non quæret aliunde, ſed ex ſe habebit. Exactor, externi Principes, qui tributis populum opprimunt, procul abſcedent, egredientur.

V. 5. Quasi fortes, ut milites fortes erunt Iſraelitæ. Conculcantes lutum, id eſt ut lutum hoſtes & eorum ſanguinem conculcabunt. Et confundentur ascensores, pudefient hoſtes, quamvis equis vecti vincentur.

V. 7. Et erunt quasi fortes Ephraim. Tribus Ephraim fortitudine bellica excellebat. Faciam ergo ut omnes tribus illi fortitudine exæquentur. Quasi a vino. Hebr. *quaſi vinum*; id eſt, quaſi cor bibentis vinum lætabuntur milites.

V. 8.

V. 8. Sibilabo eis, ut sibilo eos convocem; quasi dicat, Ero eis dux & pastor. Et multiplicabo eos. Hebr. *& multiplicabuntur sicut multiplicati sunt*, scilicet olim: non erunt ut modo, exiguo numero. Hieronymus aliis verbis bene sententiam expressit.

V. 9. Et seminabo; pro, seminavi, dispersi. Et de longe recordabuntur, in longinquis regionibus mei sunt, recordati. Et vivent. Hebr. *vixerunt cum filiis suis*: non occidebant infantes, uti in AEgypto est factum a Pharaone. Et revertentur. Hebr. *reversi sunt*, scilicet in patriam, Cyri indulgentia.

V. 10. Et reducam. Hebr. *reduxi*. Omnia hæc futura, *congregabo*, *adducam*, & quæ sequuntur, vertantur in præterita: narrat enim quæ iam erant facta. Et Libani adducam eos. Usque ad eum montem extendebatur Terra promissa, ad quam ex AEgypto prius, deinde ex Assyria, seu Babylone adduxit Iudæos Dominus. Et non invenietur eis locus, hoc est, tota regio non sufficiet eis ob multitudinem. Sic Hebræi.

V. 11. Et transibit, transivit. In maris freto. Sept. *in mari angusto*, id est per mare angustum transivit, cum per illud traduxit Israelitas. Sic mare Rubrum vocat, quia angustum est. Et percutiet in mari fluctus, cum undas ab utraque parte dimovit. Et confundentur. Hebr. *siccabuntur*; pro, siccatæ sunt voragines fluminis, scilicet Iordanis, ut sicco pede is populus transiret. Vocem אבישו *hobisu*, Hieronymus a בוש *bus*, id est *pudefieri* deduxit. Alii a יבש *iabas*, quod est *siccare*, seu *arescere*. Et humiliabitur. Hebr. *deiecta est* superbia Assur, qua scilicet superbe imperabant Babylonii populo Iudæorum. Et sceptrum AEgypti recedet, recessit, amotum est Imperium AEgypti in Iudæos.

V. 12. Confortabo, confortavi eos, scilicet Iudæos. Relativum sive antecedenti. In Domino. De se loquitur Deus in tertia persona, ut eum Moysi dixit: *Ascende ad Deum*, id est ad me. Exod. xxiv. 1. In nomine eius ambulabunt, ambulaverunt Dei virtute nixi; ideo tot miracula sunt facta.

MENOCHII.

Vers. 1. In tempore serotino. Duplex pluvia frequenter memoratur in Scriptura, Temporanea, & Serotina. Temporanea est quæ tempestive, id est tempore sementis decidit mense Octobri. Serotina quæ sero, id est adultis iam segetibus ad illas incrassandas, & ad maturitatem perducendas mense Aprili. Has monet ut petant non ab Idolis, sed a Domino. Et Dominus faciet nives; quasi dicat: Post sementem petite a Dono ut tempore suo det vestris satis pluviam serotinam, & ipse, quippe benignus, votis vestris annuet, & non modo pluviam dabit, sed etiam nives in hieme, ut illis tegantur semina, & firmiores agant radices. Quam utiles sint nives in arvis post sementem, vide apud Plin. Lib. XVII. cap. 11. Pluviam imbris, id est pluviam copiosam, & uberem. LXX. vertunt, *Pluviam hiemalem dabit eis*: hiemalis enim est copiosa æque, ac refrigerans. Dabit eis; pro, dabit vobis, est enallage personæ. Singulis herbam in agro. Chald. habet: *Ut det eis frumentum ad comedendum, & herbam iumentis in agro*.

V. 2. Quia simulacra locuta sunt inutile; quasi dicat: Petite a Deo imbres, & fertilitatem, quam muta simulacra præstare non possunt. Locuta sunt inutile: Dæmones de rerum copia, vel inopia consulti per simulacra dant responsa inutilia, immo falsa, & noxia. Divini viderunt mendacium. LXX. *Visiones falsas*. Chald. *Divini prophetant falsitatem, & vane consolantur*. Et somniatores, &c. Est repetitio eiusdem sententiæ: ita vocat divinos, qui ex somniis divinabant, vel sua somnia pro oraculis venditabant. Idcirco abducti sunt quasi grex; id est, Iudæi abducti sunt in captivitatem, quia divinatoribus hisce fidem accommodabant. Affligentur, quia non est eis pastor; id est, ibique afflicti sunt, & quasi præda Chaldæis obiecti: quia carebat vero pastore, qui eos doceret, & tutaretur, & ab hisce superstitiosis erroribus abduceret.

V. 3. Super pastores, &c. id est, iratus sum falsis hisce pastoribus, qui gregem perdiderunt. Et super hircos visita-

STABO, & puniam horum pastorum malos mores. Vocat hircos ob fœtidos, & damnatos mores, & quod hœdos sibi similes, verbo, & exemplo gignerent. QUIA VISITAVIT DOMINUS GREGEM SUUM: ut eum tueatur, & ex eo constituat duces, qui eum propugnent; accipitur enim hoc verbum visitandi in bonum, ut patet ex sequentibus. ET POSUIT EOS QUASI EQUOS GLORIAE SUAE; quasi dicat: Hi autem propugnatores duces erunt, quasi equi generosi Dei, ad bella pro populo strenue prodentes, & illius hostes profligantes. Tales fuerunt Machabæi, de quibus videtur hic esse sermo.

V. 4. EX IPSO ANGULUS: ex ipso Iuda, id est ex gente Iudæorum, prodibit angulus. Porro angulus metaphorice vocatur Princeps, qui rempublicam fulcit. PAXILLUS: idem est quod angulus, sed alia dictum metaphora: princeps enim in republica idem est quod paxillus, aut clavus fixus in pariete, ex quo arma, vasa, vel supellex suspenditur: sic ex voluntate Principis omnia pendent. ARCUS PRAELII: prodibit fortitudo bellica, fortes milites, & duces. EXACTOR. Pagnin. vertit, *Præfectus*, qui scilicet a subditis militarem exigit disciplinam, aut a civibus vectigalia Principi debita, quibus onera reipublicæ sustinentur.

V. 5. CONCULCANTES LUTUM VIARUM IN PRAELIO, id est conculcantes hostium cadavera in prælio, ut lutum platearum. ASCENSORES EQUORUM: hostes eorum, viribus suis & suo equitatui præfidentes.

V. 6. ET CONFORTABO DOMUM IUDA, &c. has reportabunt victorias, quia ego vires eis suggeram ad præliandum, idcirco difficile videri non debet quod polliceor. ET DOMUM IOSEPH SALVABO. Domus Ioseph sunt decem tribus, quarum caput fuit tribus Ephraim, filii Ioseph. Dicit se salvaturum domum Ioseph, quia multi ex decem tribubus se Iudæis adiunxerant, ideoque eiusdem salutis, & felicitatis particeps futuri erant. CONVERTAM EOS: a superstitione idolorum ad veram, & patriam religionem. ET ERUNT; scilicet tam Iudæi, quam reliqui Israelitæ ad decem tribus pertinentes. SICUT FUERUNT QUANDO NON PROIECERAM EOS, id est sicut fuerunt ante captivitatem Babylonicam, & Assyriacam. ET EXAUDIAM EOS; id est, propitius ero eis, quacumque in re opus habuerint auxilio meo.

V. 7. ET ERUNT FORTES EPHRAIM; quasi dicat: Erunt quasi heroes Ephraim fortiter bellantes bella Domini; Tribus Ephraim inter ceteras erat fortissima: hinc illud Psal. LXXVII. 9. *Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli*. ET LAETABITUR COR EORUM: propter frequentes victorias QUASI A VINO: ut illi lætantur, qui hausto generoso vino hilarescunt. ET FILII EORUM; quasi dicat: Filii, nepotes, & posteri eorum cernent, audientque patrum, & avorum suorum trophæa, indeque exultabunt in Domino, & ad eandem gloriam æmulandam accendentur.

V. 8. SIBILABO EIS, &c. id est sibilo eos evocabo, & congregabo velut oves in Ierusalem, & in synagogam, & tempore Christi in Ecclesiam. QUIA REDEMI EOS: quia statui illos ab hostibus liberare, & captivitate dæmonis. ET MULTIPLICABO EOS, &c. adducam eos ad eam multitudinem qua florebant, antequam tot calamitatibus, & cladibus attriti minuerentur.

V. 9. ET SERVABO EOS IN POPULIS: non solum intra suos fines prospere agent, sed ad alias etiam gentes se conferent & regionem veram, patriam, & avitam retinebunt, etiamsi versentur in longinquis regionibus. ET VIVENT CUM FILIIS SUIS: non erit captivitas, aut servitus, quæ filios a parentibus separet. ET REVERTENTUR: & cum volent, patrium solum libere repetent.

V. 10. AD TERRAM GALAAD, ET LIBANI, id est in Iudæam, cuius limites sunt Libanus, & Galaad. NON INVENIETUR EIS LOCUS: qui illos capere possit, tanta erit multitudo.

V. 11. ET TRANSIBIT IN MARIS FRETO: alludit ad transitum maris rubri. Sensus est, & difficultates obstantes superabunt divini auxilii beneficio, quemadmodum olim patres eorum mare rubrum traiecerunt. ET PERCUTIENT IN MARI FLUCTUS: ac si haberent virgam illam Mosis mirabilium effectricem. ET CONFUNDENTUR OMNIA PROFUNDA FLUMINIS; quasi dicat: Erubescet quodammodo Iordanis cum sibi parendum esse videbit, sentietque aquarum suarum cursum inhiberi. HUMILIABITUR SUPERBIA ASSUR: comprimetur

tur Assyriorum, AEgyptiorum, aliarumque inimicarum gentium superbia, & potentia, ue populo meo nocere possint.

V. 12. CONFORTABO EOS IN DOMINO; hoc est, virtute Domini, id est auxilio meo. ET IN NOMINE EIUS, &c. id est, ego illis opem feram, ut possint totum iter suæ peregrinationis perficere, & ad Ierusalem, hoc est ad Ecclesiam militantem, & tandem ad triumphantem in cælis pervenire.

TIRINI.

Vers. 1. A DOMINO cæli & terræ, non ab idolis, PETITE necessariam vobis PLUVIAM IN TEMPORE SEROTINO, *a* id est tempore verno vel exeunte hieme. Tunc enim pluvia egent fruges ut adolescant, inquit Macrobius *b*. Allegorice, matutina Iudæis pluvia fuit doctrina Moysis & Prophetarum, quibus suadet ut iam petant serotinam Christi & Apostolorum, ut adolescant & viros perfectos evadant: ita S. Cyrillus, Hieronymus & Rupertus. ET DOMINUS FACIET NIVES ad terram fœcundandam, & copiam frugum exprimendam. *Nives* enim, ut ait Plinius *c*, *animam terræ evanescentem exhalatione*, *includunt & comprimunt*, *retroque agunt in vires frugum atque in radices*: dein *& liquorum sensim præbent*, *& purum & levissimum*, quia *nix aquarum cælestium spuma est*, qua *tellus fermentescit & succi plena* redditur. Tropologice, nives sunt tribulationes, quæ faciunt ne homo sese in externa nimis effundendo evanescat, sed secum habitet, & animum virtutibus omnigenis fermentet.

V. 2. SIMULACRA & idola LOCUTA SUNT INUTILE, id est non afferunt utilitatem, sed damnum. Ex livore enim & studio nocendi hominibus, suadent seu per se, seu per *divinos*, id est magos & sagas, ut plurimum rapinas & alia scelera: vel si quid boni subindulgeant, mox ingentes clades & damna subinferunt, ut multis exemplis docet Delrio *d*. Et quia eiusmodi divinis & ariolis parentes vestri fidem habuerunt, IDCIRCO in tantam miseriam prolapsi sunt, ut instar *gregis* ovium *abducerentur* a Chaldæis in Babyloniam, & ibi præda fierent lupis, destituti vero *pastore* qui eos tutaretur: ita Chaldæus. Nam

V. 3. PASTORES quos illi sequebantur, puta divini & arioli, non erant veri *pastores*, sed fures & latrones, quos etiam *furore meo* contrivi & pessumdedi. Erant *& hirci* fœdi & fœtidi, populo meo ad omne nefas duces & auctores, sicut hirci præeunt capris & hœdis. Unde cum iam *visitet Deus* GREGEM SUUM DOMUM IUDA, seu gentem Iudaicam, ex omnibus omnium tribuum, qui in Iudæam reverterant, conflatam; separabit & submovebit a grege suo fœtentes hircos istos, & alios substituet veros pastores ac duces, puta nepotes Zorobabelis, & posteros Iesu pontifices, ac tandem etiam principes Machabæos: Allegorice, Apostolos & alios Prælatos Ecclesiæ Christi, qui quasi *equi d* generosi, & strenui equites, ad bella pro populo procedent, hostes illius profligabunt, & regnum ac *gloriam* Dei quaquaversum propagabunt: ita S. Hieronymus & alii supra citati. Porro Prælatis Ecclesiæ modis omnibus curandum, ut Christo *equi* sint GLORIAE, non ruinæ, qualis erat ille Seianus equus, qui quaternos ordine heros suos & sessores, *Seium*, *Dolabellam*, *Cassium* & *Antonium* perdidit; ne & ipsi regnum & gloriam Christi perdant potius quam propagent.

V. 4. EX IPSO Iuda prodibit princeps *Machabæus*, deinde & *Christus Messias*, qui in republica & Ecclesia sua id præstabit quod in domo præstat primo, ANGULUS *e*, illam fulciens, stringens, uniens; secundo, PAXILLUS *f*, qui firmus & immotus alia a se dependentia firmat & sustentat; tertio, ARCUS *g* PRAELII, per quem fugatur & sternitur hostes; quarto, EXACTOR *h*, qui curam disciplinæ, custodiam legum, observantiam debiti cultus, officii & obsequii constanter & exacte deposcit.

V. 5. *Conculcabunt* hostes suos quasi LUTUM VIARUM, ipsi FORTES IN PRAELIO; Hebraice, *ghibborim*, id est prævalidi, prætentes, invicti heroes, gigantes. Quorum virtute & robore CONFUNDENTUR & sternentur ASCENSORES EQUORUM: puta duces & milites Antiochi, qui pollebant & superbiebant equitatu suo, cum Machabæi fere pedites pugnarent.

V. 6. CONVERTAM; id est, ab exilio reducam in patriam, etiam qui de *domo Ioseph*, seu Ephraim, id est ex decem tribubus *i* sunt oriundi, si reverti voluerint.

V. 7. ET ERUNT QUASI FORTES; Hebraice, *ghibborim*, de quo supra, & quidem *quasi fortes* EPHRAIM: quæ tribus inter reliquas decem fuerat fortissima k ac gloriosissima: unde & ceteris tribubus dedit pene continuos reges.

V. 8. SIBILABO EIS; id est, sibilo illos convocabo in patriam, sicut oves in ovile. Sibilus hic erit fama instauratæ reipublicæ & religionis per Zorobabelem, per Machabæos, per Christum.

V. 9. SEMINABO quidem plurimos illorum *in* variis ac remotis POPULIS, ut ad tanto plures notitia mei pertingat: nam ipsi etiam DE LONGE & ex locis istis remotissimis RECORDABUNTUR cultus, MEI, & legis meæ; sed stato tempore REVERTENTUR in patriam.

V. 10. DE TERRA AEGYPTI, in quam vel sponte profugerunt, vel vi pertrahentur sub Ptolemæo Lagi, quorum centum viginti millia reducam in Iudæam sub Ptolemæo Philadelpho, ut alibi *l* dixi, & quidem tanto numero advolabunt, ut LOCUS EIS sufficiens NON *inveniatur*: unde cogentur ampliare pomœria sua.

V. 11. ET TRANSIBIT tribus vel populus Iuda etiam IN FRETO MARIS; quasi dicat: Etiam trans mare & ultra flumina transferet imperium & sedes & colonias suas. Coram eo CONFUNDENTUR OMNIA PROFUNDA, tum *fluminum*, tum marium, quia victoribus cedere, & liberum transitum concedere cogentur. Neque resistendo illis erunt etiam *superbissimi Assyrii*, id est quivis tyranni, aut potentissimi *AEgyptii*, quo minus per illorum regna, adeoque & per universum orbem, populus Dei sese diffundat ac propaget. Quod in Machabæis vix inchoatum, sed in Christo eiusque Apostolis, & Apostolorum successoribus perfecte completum videmus & gaudemus.

(a) Ioel. II. 23.
(b) Macrob. Lib. V. Saturnal. cap. XX.
(c) Plin. Lib. XVII. cap. II.
(d) Delrio in Disquisit. Magicis.
(e) Iob. XXXIX. 20.
(f) Isaiæ XIX. 13. Ephes. II. ult.
(g) Isaiæ XXII. 23.
(h) Zach. IX. 13.
(i) Bernard. Lib. IV. de Considerat. cap. IV.
(k) Osee I. 6.
(l) Psal. LXXVII. 9.
(m) Chronici cap. XXXIX. initio.

GORDONI.

Vers. 3. SUPER PASTORES, &c. Dominus visitabit pseudopastores, quos merito hircos vocat ob turpitudinem. Visitabit etiam (contrario sensu) & fovebit quos daturus est bonos pastores. En iterum ad litteram Machabæos, & mystice Apostolos. Hinc vers. 4. Machabæus ANGULUS, erit & PAXILLUS; nempe princeps belli continens suos, ut lapis angularis coniungit parietes; & ut paxillus, ex quo pendent & suppeditantur arma ad bellum.

V. 6. ET CONFORTABO, &c. Loquitur in hac promissione Deus de duobus regnis unitis iterum sub Machabæis. Iuda hic sunt duæ tribus. Ioseph vero sunt decem tribus, quarum caput fuit tribus Ephraim. Et aliquoties accipitur pro decem tribubus: erat Ephraim alter filius Iosephi. Hi omnes sunt quos promovebit Dominus, & quasi sibilo convocabit sub magnis & promissis ducibus, & hoc maxime sub Christo.

CA-

C A P U T XI.

Iubet Dominus paſci pecora occiſionis, quibus non parcet, quia paſtores eorum non parcebant eis: de duabus virgis tandem abſciſſis, & tribus paſtoribus uno menſe ſuccisis: de appenſa mercede triginta argenteorum proiectorum ad ſtatuarium: de alio malo paſtore a Domino ſuſcitando.

1. APeri Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.
2. Ulula abies: quia cecidit cedrus, quoniam magnifici
vaſtati ſunt: ululate quercus Baſan, quoniam ſuccisus
eſt ſaltus munitus. 3. Vox ululatus paſtorum, quia va-
ſtata eſt magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quo-
niam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis. 4. Hæc dicit Domi-
nus Deus meus: Paſce pecora occiſionis, 5. quæ qui
poſſederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Be-
nedictus Dominus, divites facti ſumus: & paſtores eorum non parcebant
eis. 6. Et ego non parcam ultra ſuper habitantes terram, dicit Dominus:
ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi ſui, & in ma-
nu regis ſui: & concident terram, & non eruam de manu eorum. 7. Et
paſcam pecus occiſionis propter hoc, o pauperes gregis. Et aſſumpſi mihi
duas virgas, unam vocavi Decorem, & alteram vocavi Funiculum: & pavi
gregem. 8. Et ſuccidi tres paſtores in menſe uno, & contracta eſt anima
mea in eis: ſiquidem & anima eorum variavit in me. 9. & dixi: Non
paſcam vos: quod moritur, moriatur: & quod ſucciditur, ſuccidatur: &
reliqui devorent unuſquiſque carnem proximi ſui. 10. * Et tuli virgam
meam, quæ vocabatur Decus; & abſcidi eam, ut irritum facerem fœdus
meum, quod percuſſi cum omnibus populis. 11. Et in irritum deductum
eſt in die illa: & cognoverunt ſic pauperes gregis, qui cuſtodiunt mihi,
quia verbum Domini eſt. 12. Et dixi ad eos: Si bonum eſt in oculis ve-
ſtris, afferte mercedem meam; & ſi non, quieſcite. (a) Et appenderunt
mercedem meam triginta argenteos. 13. Et dixit Dominus ad me: Proii-
ce illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis. Et
tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.
14. Et præcidi virgam meam ſecundam, quæ appellabatur Funiculus, ut
diſſolverem germanitatem inter Iudam & Iſrael. 15. Et dixit Dominus ad
me: Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti. 16. Quia ecce ego ſuſcitabo pa-
ſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & con-
tritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium co-
medet, & ungulas eorum diſſolvet. 17. O paſtor, & idolum, derelinquens
gregem: gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius: brachium
eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.

(a) Matth. xxvii. 9.

BRU-

NOTATIO.

Verſ. 10. ET *tuli virgam meam quæ vocabatur Decus*. Sex noſtri codices pro *Decus* legunt *Decor*; eo nomine quo prius virga hæc appellata eſt, verſu ſeptimo, *unam vocavi decorem*. Ceterum ut plerique ita & emendatiſſimi quique libri cum Tractatorum textibus poſteriori hoc loco *decus* habent, tametſi idem utrobique in Hebræo ſit nomen נעם & quidem etiam נעם *decorem* potius quam *decus* ſignificat: pulchritudinem enim notat; ſed Interpretem pro eodem hæc accepiſſe, ideoque quam prius Decorem vocaverat, poſtea decus appellaſſe Epanorthotes docet.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. APERI LIBANE, id eſt templum, vel Ieruſalem; erant enim loco edito, & inſignes pulchritudine, & civibus, velut arboribus. Chald. *aperite populi*. IGNIS, id eſt bellum Romanorum]. CEDROS, id eſt principes, & nobiles; quaſi dicat: Velis nolis apertis portis tuis vaſtaberis. Chald. *munitiones*.

V. 2. ABIES, id eſt ſecundi dignitate principibus, ſeu minores magiſtratus. LXX. *pinus*. CEDRUS, id eſt ſupremæ dignitates. MAGNIFICI. LXX. *optimates*. Chald. *divites*. QUERCUS, &c. quaſi dicat, Vicini magnates. Chald. *ſatrapæ provinciarum*. SALTUS, ſcilicet Ieruſalem.

V. 3. VOX, ſcilicet auditur: repræſentat tempus calamitatis. PASTORUM. Chald *Regum*. MAGNIFICENTIA, id eſt potentia, ſeu opes. Chald. *provinciæ*. LEONUM, ſcilicet potentium. Chald. *ut leonum*. SUPERBIA IORDANIS, id eſt ſuperba loca, ubi habitabant.

V. 4. PASCE; quaſi dicat: Paſcite ſane oves, o gubernatores, certe occidentur ab hoſtibus. Quidam putant Chriſto dici. OCCISIONIS, id eſt cædi deſtinatæ.

V. 5. POSSEDERANT, ſcilicet mali paſtores. Vide Ierem. XXIII. Ezech. XXXIV. OCCIDEBANT, ſcilicet ſpiritualiter. DOLEBANT. LXX. *pœnitentiam agebant*, ſcilicet de tanto peccato. VENDEBANT; quaſi dicat: Ex eis quæſtum faciebant, more vendentium. PARCEBANT. LXX. *compatiebantur*.

V. 6. TERRAM, ſcilicet Iudæam. PROXIMI, ſcilicet inteſtina fuerunt bella Ieroſolymis tempore obſidionis. REGIS, id eſt ducum, vel Cæſaris, cui ſe ſubiecerant. CONCIDENT, id eſt vaſtabunt, ſcilicet Romani. Chald. *diripient*.

V. 7. PASCAM. Vox Chriſti. OCCISIONIS, id eſt quod a malis paſtoribus occiditur; vel quaſi dicat: Alioqui morte dignum ob peccata. PROPTER HOC, ſcilicet quia deſunt paſtores boni, vel quia miſericors ſum, & ipſi egent. O PAUPERES. Suos alloquitur, quamquam Hebr. non eſt *o*. VIRGAS, id eſt baculos paſtorales. DECOREM: hac gubernabat omnes] homines, decebat enim id Deum. FUNICULUM, hac gubernati Hebræi, quaſi Dei hereditas.

V. 8. TRES, ſcilicet Moyſen, Aaron, Mariam: ſic Hieron. Vide Mich. VI. Alii intelligunt ſacerdotes, Scribas, & ſæcularem poteſtatem. MENSE UNO, id eſt intra paucos dies in deſerto, vel bello Romano. CONTRACTA, id eſt anxietate, ſeu moleſtia preſſa; quaſi dicat: Mihi moleſti fuerunt Hebræi vel cœpi retrahere favorem. IN EIS, id eſt eorum cauſa, vel pro in eos. VARIAVIT, ſcilicet mutati ſunt ab obedientia, & cultu meo. Chald. *deteſtata eſt cultum meum*.

V. 9. NON PASCAM, ſcilicet amplius ut ſolebam. SUCCIDITUR, ſcilicet ab hoſtibus. Chald. *conſumitur*. LXX. *deficit*. CARNEM. Chald. *ſubſtantiam*.

V. 10. ABSCIDI, &c. ſcilicet abiecit Deus populum Gentilem ob idololatriam. LXX. *proiiciam*, pro, proieci. FOEDUS, ſcilicet de quo Geneſ. IX.

V. 11. GREGIS. Chald. *populi*. CUSTODIUNT, ſcilicet quæ eis præcepi. MIHI, ſcilicet obediendo: vel abundat, more Hebræo.

braeo. Chald. *voluntatem meam*. VERBUM, id est decretum; quasi dicat: Agnoverunt Dei gratiam in se factam Dei bonitate, vel approbarunt Dei consilium iuxta illud, *Iustificata est sapientia a filiis suis*.

V. 12. SI BONUM. Chald. *si rectum*; quasi dicat, Si aequum esse iudicatis, ut est revera. MERCEDEM, id est quod a vobis requiro velut debitum meae in vos providentiae, scilicet obedientiam, & honorem, &c. ET SI NON, &c. quasi dicat, Quod si non placet, ne faeite. ET APPENDERUNT, &c. quasi dicat, Loco mercedis me emerunt a Iuda vili pretio. Solebat pecunia ponderari olim, ut nunc scuta aurea, ne quid desit pretio. ARGENTEOS, scilicet siclos.

V. 13. AD ME, scilicet Christum. STATUARIUM. Hebr. *plasmatorem*, seu *formatorem*, scilicet Deum, qui omnia plasmavit, in eius enim templum proiecti argentei, vel *figulum*; in huius enim agri emptionem dati; proiecit autem Christus, quia eo movente proiecti a Iuda. DECORUM; quasi dicat, Egregium vero pretium.

V. 14. PRAECIDI; quasi dicat, Deserui populum meum, ne ut antea regerem. GERMANITATEM. Chald. *pactum*. LXX. *testamentum*; quasi dicat: Foedus, quod initum fuerat inter me & Iudam atque Israel.

V. 15. VASA, id est instrumenta. STULTI. LXX. *imperiti*. Quidam intelligunt stultitiam improbi & impii, qui scilicet officium Pastoris in perniciem ovium vertit, & Pastoris instrumenta in arma.

V. 16. PASTOREM, scilicet Antichristum, quem Iudaei recipient. DISPERSUM. Chald. *errantem*. CONTRITUM. LXX *fractum*. ID QUOD STAT. LXX. *integrum*. ENUTRIET. Chald. *sustentabit*. LXX. *diriget*. CARNES PINGUIUM. Chald. *substantias divitum*. DISSOLVET. Chald. *consumet*. LXX. *pervertet*.

V. 17. IDOLUM, id est specie tantum pastor. GLADIUS, scilicet Dei, id est Dei ultio. BRACHIUM, id est potentiam. OCULUM, id est astutiam. TENEBRESCENS, &c. LXX. *excaecatus excaecabitur*.

ESTII.

Vers. 4. HAEC DICIT DOMINUS DEUS MEUS: PASCE PECORA OCCISIONIS, QUAE QUI POSSEDERANT, OCCIDEBANT, ET NON DOLEBANT. Prophetia est contra malos pastores. Occidunt pecora, & non dolent, qui animas ovium suarum malis exemplis interficiunt, de quibus dieitur generali sententia Matth. XVIII. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris*. *Non dolent*, autem qui eum Apostolo dicere non possunt: *Quis scandalizatur, & ego non uror?* II. Cor. II. Vendunt autem pecora, qui officium pastorale in quaestum vertunt, existimantes quaestum, & velut nundinationem esse pietatem, qui dicunt, ut hic a propheta subditur; *Benedictus Dominus, divites facti sumus*; id est, si lac & lana abundant, sibi gratulantur, ac Deo velut gratias agunt, tamquam de optimo pastoratu, interim parum aut nihil solliciti de salute gregis. Sed longe aliter apostolus Paulus, qui dicebat ad Philipp. IV. *Non quia quaero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra*. Fructus nempe quaerebat ovium, non datum suum, id est ovium salutem, non suum commodum.

V. 15. 16. & 17. ADHUC SUME TIBI VASA PASTORIS STULTI QUI DERELICTA NON VISITABIT, DISPERSUM NON QUAERET, ET CONTRITUM NON SANABIT, &c. Ecce adhuc alias conditiones malorum pastorum recenset, & increpat propheta. Tropologice describitur pastor non residens, & tamen pinguia comedens, fructus percipiens, immo usque ungulas ovium dura exactione dissolvens: sic enim intelligunt id quod hic dicitur: CARNES PINGUIUM COMEDET, ET UNGULAS EORUM DISSOLVET. Et exclamat super hoc propheta: O PASTOR ET IDOLUM DERELINQUENS GREGEM. Et merito idolum dicitur, quia pastoris nomen, honorem, & proventus habet, & officium non exercet; sicut idola dii dicuntur, & pro diis honorantur, & nihil divini operis hominibus praestant, sed muta sunt simulacra.

MARIANAE.

Vers. 1. APERI LIBANE. Per *Libanum* Hieronymus & alii templum intelligunt, quod Libani lignis tectum esset. Putat enim Hieronymus hoc loco de secundi templi excidio agi a Romanis facto.

ctio. Sic etiam pletique alii: Ergo aperi templi pottas Romanis; non enim poteris resistere. ET COMEDAT, seu *comedet* IGNIS CEDROS; hoc est, optimates, qui in populo eminent, ut cedri in silva.

V. 2. ULULA ABIES. Perstat in eadem metaphora, & per *abietes* Hieronymus sacerdotes intelligit, qui post cedros excelsæ sunt. QUONIAM MAGNIFICI. Ii sunt cedri, & optimates. ULULATE QUERCUS BASAN. In regione ea fertili quercus multum crescunt. Per *quercus*, divites intelligit, quos ad planctum invitat. QUONIAM SUCCISUS EST, seu *cecidit*, SALTUS MUNITUS, id est templum, quod instar arcis munitæ erat.

V. 3. VOX ULULATUS PASTORUM, id est gubernatorum, quia capta urbe periit eorum magnificentia, in ordinem sunt redacti sublata potestate. VOX RUGITUS LEONUM. Hi sunt milites, qui rugiunt, quoniam regio universa, quæ Iordane alluitur, vastata est, aut per *superbiam Iordanis* arbores intellige, quibus ripæ vestitæ erant. VASTATA EST SUPERBIA IORDANIS.

V. 4. PASCE PECORA OCCISIONIS, id est occisioni destinata. Pasce verbo, o Propheta, si forte convertantur, & ignoscam eis. Quidam Hebraica vertunt sic; *Pascere*, pro, pascam, *oves*, *morti quamvis destinatas*. *Ego Deus eas non destituam*, *si forte convertam*. Huic expositioni, quæ David Kimhi est, puncta Hebraica non favent, sed vult רעה *rehe* sumi pro רעות *rebotb*, id est *pasce*, pro *pascere*.

V. 5. QUAE QUI POSSEDERANT, id est Principes, qui tueri deberent populum, eos occidebant, diripiebant eorum bona, ut eo adipe saginarentur. ET NON DOLEBANT. Hebr. *non peccabunt*, id est non putabant se in eo peccare; tanta & tam libera laniena ea erat. ET VENDEBANT EA, &c. Hebr. *& vendentes ea dicebant*: *Benedictus Deus*; quasi pro te sancta & licita gratias Deo agebant, quod ea venditione divites essent facti. ET PASTORES EORUM NON PARCEBANT EIS. Heb. *non parcebat*, in singulari, ideo pro *pastores* Pagn. vertit *pastor*, scilicet nec ego qui pastor sum, ipse parcam, sed contra irritatus eorum peccatis, in eos grassabor.

V. 6. ET EGO NON PARCAM. Heb. *quia non parcam amplius habitatoribus terræ*, scilicet huius. Ea causalis indicat recte superius verti, *& pastor non parcebat*, seu *parcet eis*. ECCE EGO TRADAM, committam eos inter se, & cum suis Regibus, intestini tumultus erunt rebelliones in Reges, malorum extremum. NON ERUAM DE MANU EORUM, scilicet terram, aut imbecilliores de manu potentiorum non liberabo.

V. 7. ET PASCAM; pro, & pavi; scilicet olim gubernavi hunc populum, qui nunc cædi est destinatus. PROPTER HOC; ut, si fieri posset, hæc mala vitarem & averterem. O PAUPERES GREGIS. O miseri, quos video morti destinari. ET ASSUMPSI MIHI DUAS VIRGAS, seu *sceptra*, duas gubernandi rationes, unam post alteram. UNAM VOCAVI DECOREM. Hoc Hieronymus refert ad tempora Noe, quia decorum erat, omnes homines unum Deum agnoscere. Ego ad Moysis tempora referrem & Iudicum, cum in eo populo libera & politica gubernandi ratio fuit, quam Deus præ ceteris probavit, ut patet I. Reg. VIII. 7. ET ALTERAM VOCAVI FUNICULUM. Sic Sept. Hieronymus hoc refert ad tempus Abraham, cum Deus Iudæos ut hereditatem peculiarem elegit. Id significat *funiculus*. Deut. XXXII. 9. *Iacob funiculus hereditatis eius*. Hebr. *hobelim*, quam vocem alii *corruptores* vertunt, alii *cœtum*, alii *naucleros*. Sed quocumque modo, Reges intelliguntur, qui Iudicibus successerunt; & *corruptores* vocantur, quia plerique tyrannice gubernant: & *cœtus*, quia capita multitudinis: & *naucleri*, quia ut illi navim, sic Reges subditos regunt. ET PAVI GREGEM; pro, & sic pavi gregem, scilicet his duobus modis.

V. 8. SUCCIDI TRES PASTORES. Qui sunt hi pastores? Hieronymus: Moyses, Aaron, & Maria. Fortassis hi fuerunt Heli, & duo filii eius, I. Reg. IV. vers. 11. & 18. qui in confinio Iudicum & Regum simul perierunt. ET CONTRACTA EST, &c. Hebr. *abbreviata est anima mea in eis*, id est non eis peperci. Quia ANIMA EORUM VARIAVIT. Hebr. *repulit me*. Filiorum Heli peccatum notum est.

V. 9. NON PASCAM VOS, id est non vos protegam. Magna fuit clades, cum capta est arca. ET RELIQUI DEVORENT. Heb. *& reliquæ* (scilicet oves) *devorent*, *quæque sociam suam*. Pars ab hostibus occidatur,

datur, reliqui mutuis diffidiis cadant. Hieronymus mutato genere retinuit sententiam.

V. 10. ET ABSCIDI EAM virgam, seu *fregi*. Abstuli Iudices e populo. FOEDUS MEUM. Volebat Deus ne Gentes ei populo nocerent, dum sub Iudicibus fuit, sub eius protectione. Eam voluntatem fœdus ictum cum Gentibus vocat.

V. 11. PAUPERES GREGIS, id est miser populus, ac probus quisque cognovit experimento, se mea protectione esse destitutos. QUI CUSTODIUNT MIHI. Sept. *qui custodiuntur mihi*. Hebr. *qui custodiunt me*, id est verba mea, mihi obediunt, ii cognoverunt. QUIA VERBUM DOMINI EST. Hoc quod dico esse verum.

V. 12. ET DIXI AD EOS. Ad quos? ad populum quem paveram. AFFERTE MERCEDEM MEAM; pro labore quo vos pavi tam multo tempore. ET SI NON, QUIESCITE; id est, si id non placet, non curo. TRIGINTA ARGENTEOS. Hebr. *triginta argenti*, id est argenteos dederunt scilicet. In quo addere potuisset, *triginta argenti siclos*, ut aliis locis addit Interpres: de quo Lib. de Pond. & mens. cap. VI. extremo.

V. 13. ET DIXIT DOMINUS AD ME, ad Prophetam scilicet. PROIICE ILLUD AD STATUARIUM. Vox יצר *iozer*, id est *fictor*, & *statuarium* significat & *figulum*, ut Matthæus ponit cap. XXVII. 10. *& dederunt eos in agrum figuli*, ubi hunc locum de Iudæ venditione affert. Ea fuit merces, quam homines Christo dederunt. Quidam explicant, *proiice in domum Dei, quia fictor est omnium*. Ergo *proiice illud ad figulum*, ut scilicet eo argento ematur ager figuli. Alii, *proiice illud ad thesaurarium*, quia vox illa, mutato *Iod* in *Aleph*, quæ litteræ sunt permutabiles, significat *thesaurum*. Huc Chald. respexit, cum dixit, *Proiice illud in domo sanctuarii Domini, in manu præpositi magni*. DECORUM PRETIUM, seu *magnificum pretium*, ironice. In Matthæo legitur, *quod dictum est per Ieremiam*, scilicet loco aliquo, qui non extat. Syriacus tantum habet, *quod dictum est per Prophetam*, ut Zachariam possis intelligere. Sane cum *triginta argentei*, *figulus*, & *proiectio in templum* hic exprimantur, plerique putarunt hunc locum a Matthæo citari, simulque de Christo intelligi, & de Zacharia.

V. 14. ET PRAECIDI, seu *fregi*. Sept. *abieci*. VIRGAM MEAM SECUNDAM, scilicet Regiam potestatem sustuli: quando? UT DISSOLVEREM GERMANITATEM; pro, ideo dissolvi germanitatem inter Iudam & Israel. Ex eo enim tempore, debilitato utroque Regno, externis iniuriis opportuni fuerunt, & nihili Reges; sic factum, ut Assyrii prævalerent, deinde Babylonii, postremo Romani.

V. 15. ADHUC SUME TIBI VASA (*instrumenta*) PASTORIS STULTI. Sept. *imperiti*. Chald. *insipientis*. Ea sunt fistula, cithara, pera pertusa, quæ gestat Propheta, ut ostendat, futuros pastores & Reges tales fuisse. Hebr. *vasa pastoris nihili*: sic vocem אויל *evil*, explicat Hebr. seu אליל *elil*.

V. 16. SUSCITABO PASTOREM; pro, pastores. QUI DERELICTA NON VISITABIT. Hebr. *abscissa non visitabit*, id est non numerabit quæ pecudes desunt. DISPERSUM NON QUAERET. Hebr. *puerum non quæret*, id est tenellos agnos. ID QUOD STAT NON ENUTRIET. Hebr. *stantem non sustinebit*, id est quæ retro manet, non feret humeris, solum suæ cutis & gulæ curam habebit. ET UNGULAS EORUM DISSOLVET. Hebr. *rumpet*, scilicet crura pedo rumpet. Id solum faciet.

V. 17. O PASTOR, ET IDOLUM, qui solum pastoris imaginem præfers. Hebr. *o pastor nihili*. GLADIUS SUPER BRACHIUM EIUS, id est cædes & consumptio illi instat. BRACHIUM EIUS ARIDITATE SICCABITUR; id est, neque vires habebit, neque prudentiam ullam; gregi nullam utilitatem afferet. Ita mihi de Regibus loqui videtur, qui post regni divisionem extitere. Hieronymus per *pastorem stultum* Antichristum intelligit, quod multi alii sequuntur.

MENOCHII.

Vers. 1. APERI LIBANE. Per Libanum templum intelligit ex cedris Libani confectum, & candore lapidum candicans, ut Libanus candore nivium. Per Libanum autem & templum totam Ierusalem intelligit, de cuius excidio per Romanos hic loquitur Propheta. COMEDAT IGNIS CEDROS TUAS; id est, principes civitatis (qui inter cives eminent, ut ce-

dri inter reliquas arbores) consumentur extrema hac urbis calamitate, quasi a quodam incendio. Summos Principes, & Pontifices intelligit.

V. 2. ULULA ABIES. Per abietes intelligit Præpositos, Senatores, & præfectos minores; quasi dicat, Ululate senatores, & magistratus minores, quia ceciderunt Principes, qui vos alebant, & protegebant, ac proinde etiam vos manet excidium. Hoc est enim quod subdit. QUONIAM MAGNIFICI, (id est Principes) VASTATI SUNT. QUERCUS BASAN. Per quercus Basan potentes, & divites intelligit. SALTUS MUNITUS: Ierusalem, quam in eadem persistens allegoria arborem vocat saltum, vel silvam SUCCISUS EST, pro succidetur.

V. 3. VOX ULULATUS PASTORUM; quasi dicat: Videor mihi audire vocem gubernatorum populi ululantium. MAGNIFICENTIA EORUM: urbs, & templum magnificum. VOX RUGITUS LEONUM: quos vocavit *pastores*, vocat nunc *leones* ob rapacitatem, & crudelitatem, ut notavit D. Hieron. VASTATA EST SUPERBIA IORDANIS: superba eorum palatia, & villæ, quas iuxta Iordanem possidebant.

V. 4. PASCE PECORA OCCISIONIS: sunt verba Dei ad Zachariam; quasi dicat, Ego te Zacharia constituo pastorem, id est prophetam, ut tuis hisce oraculis pascas, doceas, & moneas Iudæos de futuro excidio, ut mores emendent, atque ita cladem imminentem effugere studeant. PECORA OCCISIONIS: Iudæos intelligit occisioni a Romanis quasi oves, & pecora destinatos. Vel appellat pecora occisionis, quia in eos, quasi in oves, impune grassabantur Principes, & Pontifices; quod bene cohæret sequentibus.

V. 5. QUAE QUI POSSEDERANT, &c. id est, Gubernatores, & Principes occidebant has oves, ut comederent, & vendebant, ut ditiores fierent. Vide Ierem. XXIII. 1. & Ezech. XXXIV. 2. ET NON DOLEBANT: misericordia non tangebantur. Vel, Non putabant se peccasse. LXX. *Non agebant pœnitentiam*. DICENTES, BENEDICTUS DOMINUS: quasi gratias Deo agentes, quod sine peccato ditati essent. ET PASTORES EORUM, &c. id est, cum ipsi essent pastores, tamen eis non ignoscebant.

V. 6. NON PARCAM ULTRA; id est, sed neque ego ignoscam pastoribus, quia subditos devoraverunt, neque illis pepercerunt. IN MANUS PROXIMI SUI. Hoc dicit propter seditiones, quæ fuerunt in Ierusalem obsessa a Romanis, de quibus Ioseph. Lib. V. de bello Iud. cap. II. & Lib. VI. cap. I. & IV. IN MANU REGIS SUI, id est Cæsaris; ipsi enim dixerunt Io. IX. *Non habemus Regem nisi Cæsarem*. CONCIDENT TERRAM: vastabunt, scilicet Romani. Vatablus vertit, *Contererent regionem ipsam*.

V. 7. ET PASCAM PECUS, &c. Sunt verba Zachariæ suscipientis onus pascendi oves occisionis, quod illi num. 4. fuerat impositum. PROPTER HOC, O PAUPERES GREGIS: supple, attendite ad ea, quæ dicturus sum. Arias ita vertit: *Pascam oves occisionis propter vos, o pauperes gregis*, ut sensus sit: Quia oves hæ sunt occisioni destinatæ, & quia a Deo constitutus sum pastor earum, propter hoc pascam eas, præsertim ut vos o pauperes gregis, tum ab occisione imminente, tum e manu improborum pastorum vestrorum liberem. ET ASSUMPSI MIHI DUAS VIRGAS: duos baculos pastorales, ut pastoris habitum, æque ac officium assumerem. UNAM VOCAVI DECOREM. Hebr. נעם *noham*, id est decor, species, iucunditas, gratia, amabilitas, suavitas mansuetudo. Per hanc virgam significatur regimen amoris per consolationes, monitiones, & beneficia, quod post tempora Zachariæ Deus exhibuit Iudæis, per Machabæos, & maxime per Christum. ET ALTERAM VOCAVI FUNICULUM. Per hanc significatur regimen durum per severas leges, & edicta, quibus populus, quasi funibus colligatur, constringitur, & si peccet flagellatur, vincitur, illaqueatur.

V. 8. ET SUCCIDI TRES PASTORES IN MENSE UNO. LXX. *Auferam tres pastores in mense uno*. Videtur intelligere Iudam, Ionatham, & Simonem Machabæos fratres, quos Deus uno mense annorum, id est intra triginta annos sustulit; sed sub his tribus posteros, reliquosque populi principes usque ad Christum intellige. Hi enim populum rexerunt uno mense, id est exiguo tempore virga decoris, & cum ea a Deo ob iniquitatem, & rebellionem populi, præsertim dum Christo restitit, eumque occidit, succisi sunt; sed Zacharias qui hic loquitur, dicit, *succidi*, quia loquitur tamquam propheta, & Dei Vicarius. ET CONTRA-

TRACTA EST ANIMA MEA IN EIS, id est præ molestia, & tristitia coarctata, & quasi contracta. LXX. *Gravata est*.. Alii, *Anima mea nauseat in eis*. ANIMA EORUM, id est ipsi. VARIAVIT IN ME, id est in meo cultu, & in legis meæ obedientia, aliquando me colentes, & mihi parentes; aliquando a meo cultu, & obedientia recedentes. Pagnin. vertit, *& etiam anima eorum nauseavit in me*.

V. 9. QUOD MORITUR, MORIATUR: non erit mihi curæ vestra salus, si qui discrimen mortis adibunt, per me moriantur, non ero solicitus, ut olim, ut liberem eos. SUCCIDITUR: ab hostibus, & cladibus, quibus affligemini. RELIQUI: qui his mortis generibus non consumentur, mutuis suorum vulneribus conficiantur, & cadant.

V. 10. ET TULI VIRGAM MEAM, &c. sustuli regimen hoc amoris, & humanitatis, & huic contrarium induxi, severitatis, & rigoris. UT IRRITUM FACEREM FOEDUS MEUM. Significat fœdus, & regimen amabile, & placidum, quo Iudæos regebat, & recturus erat, ob eorum rebellionem frangendum esse in morte Christi. QUOD PERCUSSI CUM OMNIBUS GENTIBUS. Dicitur hoc fœdus percussum fuisse cum omnibus gentibus, quia omnes eius participes esse poterant, si religionem Iudæorum suscipere voluissent. Vel quia fœdus primo initum cum Noe a quo omnes homines propagati sunt, traductum est ad Abraham, & Iudæos, & in illis permansit.

V. 11. IN DIE ILLA: mortis Christi. ET COGNOVERUNT SIC, id est ex illa mea gubernandi ratione cognoscent. PAUPERES GREGIS, id est humiles, & mansueti, Apostoli scilicet & alii fideles. QUI CUSTODIUNT MIHI: qui Dei voluntatem sequuntur, & præcepta mea servant in mei gratiam. QUIA VERBUM DOMINI EST: cognoscent hoc esse iussum, & opus Domini, qui Iudæos impios impune abire non sinit.

V. 12. ET DIXI AD EOS. Ego, scilicet Zacharias pastor ovium occisionis, de quo munere pastorali diximus num. 4. & sequentibus. Memoria tamen retinendum quod supra monuimus Zachariam typum gerere Christi pastoris, illumque repræsentare. Hæc omnia dixit, & gessit Zacharias non re ipsa: sed mentaliter, & per visionem imaginariam. SI BONUM EST IN OCULIS VESTRIS, id est si vultis; si placet vobis. AFFERTE MERCEDEM MEAM: reddite midi mercedem aliquam pro cura pastorali quam sustineo. ET SI NON, QUIESCITE; quasi dicat: Si mercedem constituere non vultis, non cogo, neque enim vestra mercede, cultu, aut laude indigeo. Bene respondet Ital. phrasis, *se non volete lasciate stare*. ET APPENDERUNT: non solum numerarunt pecuniam, sed appenderunt, ut constaret an iustum pondus haberet. TRIGINTA ARGENTEOS, siclos. Unus autem siclus quatuor Iuliis Romanis æquivalet: dicitur Parisiis esse unus ex illis argenteis nummis quibus venditus est Christus, & esse ponderis tantum duorum Iulior. Credibile est siclos, & semisiclos cudi solitos, & illum nummum qui est Parisiis, esse tantum semisiclum, qui simul cum aliis partim integris siclis, partim semisiclis, summam conficeret triginta argenteorum, hoc est triginta siclorum.

V. 14. PROIICE ILLUD, &c. Zacharias pro munere suo pastorali iustum pretium postulabat, fidem nimirum, & pietatem ex corde; sed pro eo datum est illi vile pretium, quod Deo iussus est proiicere ad statuarium: sic Christus pro suo Evangelizandi ministerio iustum pretium postulavit, ut scilicet sibi crederetur, & ut Messias denique filius haberetur; at illi pretio triginta argenteorum eum æstimaverunt. Quemadmodum autem propheta indignatus proiecit pretium, & eos, qui illud dederant; ita Christus proiecit Iudæos, eosque tradidit Romanis vastandos. AD STATUARIUM. Vox Hebraica יוצר *iotser*, figulum significat, aut eum qui ex metallis conflatis signa format. D. Hieron. statuarium vocavit, ut significationem utramque compleEteretur. Pagninus, Vatablus, & alii *thesaurarium* vertunt, putant enim יצר, *iotser* positum esse pro אוצר *otser*, quæ vox thesaurarium, id est præfectum thesauri templi significat. Iubetur ergo Zacharias proiicere argenteos ad conflatorem, sive thesaurarium, ut illi qui metallum hoc, & ex eo formatas pecunias tractare solent, æstiment pretii huius vilitatem. Id vero iubetur propheta, ut ipso facto repræsentet vilitatem pretii, quo Christus venditus est; quæ etiam pecuniæ summa in templum

proiecta est, & conversa in pretium agri figuli. DECORUM PRETIUM: per ironiam dicitur; quasi dicat: Egregium vero pretium, quo operam meam, & me ipsum dignum putaverunt.

V. 14. ET PRAECIDI VIRGAM MEAM SECUNDAM, &c. Sicut num. 10. conscidit priorem virgam suavis gubernationis, & secundam apprehendit severitatis, ita nunc etiam hanc praeidit, animadvertens se nec humanitate, & blanditiis, nec asperitate, & terroribus proficere, planeque permittit, ut ingenio suo utantur, & in praeceps ruant. UT DISSOLVEREM GERMANITATEM, &c. Dissoluta est germanitas haec a Romanis sub Tito, cum capta est Ierusalem, & Iudaei, aliique Israelitae ex decem tribubus Ierosolymis degentes, huc illueque dispersi, & dissipati sunt, ut germanitatis vinculum quod prius habebant, iam retinere non possent.

V. 15 ADHUC SUME TIBI, &c. Hactenus Zacharias egit pastorem sapientem, & bonum; nunc ex adverso iubet illum Deus agere personam pastoris stulti, & pravi. VASA PASTORIS STULTI. Vasa, sive instrumenta pastoris stulti, id est scelerati, ea sunt quae prorsus eius emolumentis deserviant, ovibus autem nihil prosint, aut etiam noceant. Ut baculus nodosus, & gravis ad percutiendum, gladius aptus ad iugulandum, pera in qua eibum suum pastor reponat; nihil autem quod ovibus, aut ad pastum, aut ad medicamenta utile esse possit.

V. 16. ECCE SUSCITABO PASTOREM, &c. Pastor hic significat omnes perversos Pontifices, & Principes, qui Iudaeos post tempora Zachariae rexerunt, aut Pontificatum, & principatum invaserunt, qualis fuit Iason II. Machab. v. & frater eius Menelaus eod. Lib. cap. IV. & alii huiusmodi. DERELICTA NON VISITABIT: oves nimirum fessas, claudicantes, errantes, dumetis implicitas, &c. non requiret. CONTRITUM NON SANABIT: sauciis, aut contusis ovibus medicamenta non applicabit. QUOD STAT: sanas, & integras oves. LXX. *integrum non diriget*. UNGULAS EORUM DISSOLVET: violento ictu baculi crura percutiet, & ungulas excutiet.

V. 17. O PASTOR, ET IDOLUM: o pastor, qui non es pastor sed idolum, & larva pastoris. GLADIUS SUPER BRACHIUM EIUS, &c. Vindicta Dei veniet super brachium eius, id est super fortitudinem eius. ET SUPER OCULUM DEXTRUM EIUS, &c. id est, amittet omnem providentiam, & omne sanum, atque utile consilium in rebus administrandis, ita ut omnia, quae facere instituerat in nihilum tandem recidant. ARIDITATE SICCABITUR: brachium gladio praecisum arescet, atque ita illi adimet omne robur, & potentiam.

TIRINI.

Vers. I. O Mons LIBANE, qui in finibus Aquilonaribus Iudaeae, adversus Syros & alios hostes quasi pro muro es Iudaeis: vel, ut S. Hieron. & alii communiter exponunt, o Ierosolyma *a*, o templum (ut vertit Chaldaeus) instar montis Libani eminens, nitens, candicans, cedris, id est palatiis cedrinis, vel, si mavis, superbis principibus, lupis, ursis, leonibus, id est raptoribus, praedonibus, tyrannis scatens; adventantibus Romanis APERI PORTAS TUAS, quia potentiae illorum resistendo non es, inquit Vatablus, Ribera, a Castro & alii passim. Narrat Iosephus *b*, Orientalem portam templi aeneam, quae vix a viginti viris claudi poterat, ipso obsidionis Titi initio, in Paschate media nocte, sponte apertam fuisse. Narrant & veteres Hebr. atque ex eis Rabbi David, Lyranus & Galatinus *c*, quadragesimo anno ante excisum templum a Tito, portas templi simili modo sponte sua referatas fuisse. Quod cum videret R. Iohanan filius Zachai, qui inter Rabbinos tunc eminebat, dixisse fertur: *O domus, o sacra domus, quid sibi vult quod tu tibi timeas? Equidem nunc scio interitum tibi ac vastationem imminere, & iam olim vaticinium illud de te editum fuisse; Aperi Libane portas tuas*. Quod si in Paschate contigit? ut illud Iosephi, contigerit profecto eodem die, & verisimiliter eadem hora, qua Christus *exspiravit* in cruce, *& velum templi scissum est a summo usque deorsum*, ut bene notat Ribera. Nam Christum quadragesimo ante excisum a Tito templum cruci affixum fuisse, in confesso est apud omnes, ut in Chronico *d* demonstravi.

V. 2. ULULA ABIES; id est, ululate senatores & magistratus, & minores principes.

pes: QUIA CECIDIT CEDRUS, id est magnifici illi & primi ordinis principes, qui vos tegebant & protegebant. ULULATE & *vos* QUERCUS BASAN, id est divites & potentes cives reliqui. Quia ut nuper vidistis magnifica illa & superba Ierosolymæ palatia cum templo isto augustissimo ignibus absumi per Chaldæos; ita hæc eadem, quæ nunc tantis impensis instauratis, post aliquot centurias annorum posteri vestri videbunt iterum per Romanos similibus ignibus absumi: ita S. Hieronymus, Cyrillus, Eusebius *e*. Quanta tunc

V. 3. VOX ULULATUS, non modo civium & plebis, sed & PASTORUM, tum politicorum, tum Ecclesiasticorum! vere rugient instar LEONUM, quando eorum cubilia in silvis ad radices montium *Sanir f* & *Hermon* iuxta Iordanem, fluvio illo *superbiente* & exundante, aquis obruuntur, & catuli in nidis suis suffocantur; LXX. vertunt, *quia miser factus est*, seu potius miseros fecit, *fremitus Iordanis*.

V. 4. & 5. PASCE o Zacharias, PECORA OCCISIONIS, id est Iudæos occisioni destinatos; quasi dicat: Indue personam pastoris veri & prudentis, & monitis atque oraculis tuis pasce, doce, instrue oviculas meas, quas videbo a stultis & impiis pastoribus non pascendas, sed vel iugulandas & dilaniandas, vel certe alienis dominis *divendendas*. Non enim mihi, vero ac legitimo ovium domino, non commodis meis, non ovium saluti, sed proprio solum lucro student. Nec tamen *dolent* vel minimum de tanto scelere, perinde ac si nil dereliquissent: quin potius quasi re bene gesta gaudent & exultant, & aucti pretio laudant hypocritæ Deum, DICENTES, BENEDICTUS DOMINUS, *quia ditati sumus*. Sed bene habet. Illi oviculis meis non pepercerunt, sed crudeli laniena in eas sævierunt: ego quoque lupis istis

V. 6. NON PARCAM ULTRA, sed ad unum omnes HABITANTES hanc TERRAM vicissim dilaniandos & iugulandos TRADAM, primo civilibus factionibus, UNUMQUEMQUE de medio tollens MANU PROXIMI SUI; deinde aperto bello, destruens illos *manu* & vi proprii REGIS. Theodoret. vult hæc impleta sub Hyrcano & Aristobulo *g* Asmonæis, qui cum de regno contenderent, Iudam in factiones traxerunt, & a Pompeio aliisque Romanis, quos in auxilium evocarant, subacti, expilati, immo iugulati sunt. Alii melius tempore Vespasiani hæc completa dicunt, quando Zelotæ aliique factiosi Iudæi mutuo sese expilarunt & mactarunt, ac tandem MANU proprii regis sui Agrippæ iunioris, itemque Vespasiani & Titi Cæsaris, (qui & ipse rex erat Iudæorum, Iudæis sic volentibus, & coram Pilato protestantibus, *Non habemus regem, nisi Cæsarem;*) stirpitus excisi sunt, ut enarrat Iosephus *h* & alii historici.

V. 7. PROPTER HOC, quia video miseras oviculas a propriis pastoribus tam crudeli tradendas lanienæ, & quia Deus iubet ut assumpta probi primum, dein & improbi pastoris persona, in me futura hæc repræsentem; idcirco scenam nunc ordiar, & PASCAM variis viis PECUS OCCISIONIS, vos, inquam, O PAUPERES GREGIS, vos mansuetos, vos simplices, vos adhuc innocentes Iudæos: ita fere Arias, Vatablus, a Castro, a Lapide. ET ASSUMPSI MIHI DUAS VIRGAS, seu duos baculos pastorales. UNAM *vocat* DECOREM; Syrus, *suavem* vel *iucundam*; Hebræum *noam*, significat iucunditatem, gratiam, decorem, pulchritudinem, suavitatem, mansuetudinem, amabilitatem. Et hæc virga typus erat suavis regiminis divini per amorem & beneficia maxime tempore Machabæorum & Christi. ALTERAM VOCAVI FUNICULUM: ita vertunt etiam LXX. & Aquila & Symmachus & Syrus & Arabicus uterque, qui legerunt *chabalim*, id est funiculos. Pro quibus recentiores Hebræi aliis punctis iam legunt *chobelim*, id est, colligantes. Significat hæc virga durum regimen, quo Deus cervicosos & brutos ac servilis ingenii Iudæos, flagellis, minis, mulctis, pœnis, suppliciis ad officium pertrahere conatus est, maxime post occisum ab illis Christum, ut ait Vatablus & alii iam citati.

V. 8. ET SUCCIDI UNO MENSE TRES PASTORES. Quod S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo & Ribera accipiunt de *Moyse*, *Aarone* & *Maria*, uno eodemque mense primo *Nisan* mortis sententia damnatis a Deo. Nam mortua tunc est de facto *Maria* quæ feminis præfuerat, Num. xx. 1. Moyses vero & Aaron morti addicti, vers. 12. quam & eodem anno subierunt *i*. Sed Zacharias noster de futuro tempore hic prophetat. Unde per tres pastores Arias accipit *Iudam*, *Ionatham* & *Simonem* fratres

Ma-

Machabæos, quos *uno mense* annorum, id est spatio 30. annorum k, e vivis sustulit Deus. Possent etiam eodem modo intelligi tres ultimi Asmonæorum principes, Hyrcanus, Alexander & Antigonus, qui longe breviori spatio, & morte etiam violenta, & quidem carnificis manu perierunt, ut in Chronico l dixi. Sed malim ego per hos tres intelligere Christum, & Christi cognatos duos, Apostolos Iacobum Zebedæi, & Iacobum Alphæi, primæ notæ pastores Iudæorum, qui omnes tres uno mense annorum, id est intra spatium 30. annorum, & omnes uno eodemque mense Nisan, & quidem uno eodemque mensis die, puta pridie magni festi Paschæ, omnes Ierosolymis, omnes per Iudæos, omnes violenta morte succisi sunt, ut constat ex auctoribus fide dignissimis quos in Chronico m citavi. Erga eosdem Iudæos iam veris pastoribus orbatos CONTRACTA, Hebraice, *angustiata*, EST ANIMA MEA; id est, factus sum illiberalior, nempe sub traxi illis virgam suavem, de qua vers. præced. & corripere illos cœpi variis flagellis, ut vel sic *variantes* & a me dilapsos illorum animos, in viam retrahere. Cum vero ne flagellis quidem fierent meliores,

V. 9. DIXI, decrevi, denuntiavi illis per Christum n, per Apostolos o: NON PASCAM vos ultra, non agnoscam vos exinceps pro ovibus meis, nolo vos vestraque amplius tutari adversus hostes, pereant omnes peste, gladio, inedia, quid ad me? ita fere Vatablus & Clarius. In signum vero plenæ & æternæ desertionis ac reiectionis eorumdem,

V. 10. ABSCIDI & in frusta diffecui VIRGAM MEAM pastoralem, QUAE VOCABATUR DECUS, simulque abolevi, rescidi & IRRITUM FECI FOEDUS MEUM, QUOD olim CUM OMNIBUS duodecim tribubus, quasi totidem POPULIS PERCUSSI in Sinai, Exodi XXIV. Ipsis enim occisione Messiæ sui, & tot pastoricidiis, aliisque horrendis sceleribus, continuaque rebellione fœdus convellentibus, nec ulla via se ad mentem reduci sinentibus; æquum non videtur, ut ego illo, iam convulso ab illis fœdere, diutius obstringar. Ergo disrupi & irritavi etiam ego *fœdus*.

V. 11. Et eheu! COGNOVERUNT, & senserunt id statim etiam PAUPERES ovicula GREGIS Iudaici SIC iam a me deserti, meaque ope ac protectione destituti & lupis obiecti. Nempe senserunt irruentes in Iudæam exercitus Romanorum, & ingruentem famem, pestem, aliasque millenas plagas, quibus etiam ipsi, licet innocentes, & MIHI pristinum fœdus *custodientes*, quia unius reipublicæ membra, simul involvuntur. VERBUM enim, id est decretum, DOMINI EST, ut in pœnam communis perfidiæ tota devastetur Iudæa cum omnibus incolis, etsi hinc inde innocentibus.

V. 12. ET DIXI ego Zacharias, sed in persona Dei, interpellatus in proscenio a Iudæis, cur, cum pastor illorum essem, ipsos desererem; dixi, inquam, seu respondi: SI BONUM EST IN OCULIS VESTRIS, id est si vobis arridet & placet ut pergam vos pascere, AFFERTE mihi MERCEDEM pastori debitam: neque enim par est ut nullo prorsus fructu pascam tam molestas oves. Cumque expectarem, ut pro mercede mea se suaque omnia, iustum affectum & amorem, debitam observantiam, obedientiam, omne obsequium, cultum, honorem mihi, ut æquum erat, æternum adducerent; ecce *appenderunt* pro omni *mercede mea*, TRIGINTA siclos ARGENTEOS p, seu triginta florenos Belgicos, quorum singuli constant quatuor Iuliis, seu regalibus argenteis. Nisi malis per *argenteos* non siclos, ut passim solet, sed abusive *minas* intelligere, ut subinde Ioseph. intellexit; ut dicam Matth. XXVI. 13. Sic 30. argentei essent 750. floreni Belgici: si minus Atticas accipias. *Decorum pretium*. Est ironia; quasi dicat: Egregium certe, dignumque tanti laboris pretium? quo iuxta legem q æstimabatur & redimebatur vita servi seu mancipii occisi. Sed en aliam nequitiam, eamque intolerandam! Appendunt istos 30. argenteos non mihi, sed proditori mei in manus, nulli meo commodo, sed eversioni & exitio.

V. 13. ET DOMINUS AD ME Zachariam, Christi personam in theatro gerentem, sed subinde etiam aliam, ut nunc proditoris Iudæ personam induentem, DIXIT; PROIICE, seu abiice, sanguinarium istud pretium AD STATUARIUM. Hebræum *iotser*, & Latinum *statuarius* generatim significat eum qui statuas effingit sive ex luto, sive ex metallo. Unde LXX. & Symmachus vertunt, *conflatorem*; Aquila, teste Eusebio, Tigurini, Clarius, & Arias, *ad plasten* vel *figulum*. ET PROIECI ILLOS IN DOMUM DOMINI (ex qua illos ad me detulerant,)

ad

ad pedes alicuius sacerdotis, conferendos mox divina providentia ad figulum pro agro eis coemendo *in sepulturam peregrinorum*, ut addit, & explicat S. Matthæus, ex sententia S. Hieronymi, Ruperti, Lyrani, Iansenii, Baronii, Maldonati, Suarez, Francisci Lucæ & plurium aliorum *s*. Desperata igitur causa Iudæorum, cum nec prosperis, nec adversis; nec beneficiis, nec flagellis ad frugem eos reducendi spes ulla superesset, ut nuper *præcidi* iucundam & suavem virgam, ita nunc quoque alteram, sed vers. 14. SECUNDAM VIRGAM MEAM PRAECIDI, nempe *funiculum* flagellorum; hoc typo curam & regimen omne illorum exuens ac deponens, atque hostibus discerpendos relinquens, puta Vespasiano & Tito, qui exciso mox templo & urbe regia, regnum, rempublicam & religionem Iudæorum funditus everterunt: ET GERMANITATEM, id est germanam seu fraternam societatem ac connexionem, qua domus Israel decem tribuum cum domo Iuda, iam inde a soluta captivitate Babylonica perpetuo unita fuerat, penitus *dissolverunt*, Iudæis omnibus patria expulsis, & per universum orbem dispersis, ut constat ex Iosepho *t*, Eusebio & aliis Historicis.

V. 15. ADHUC indue, o Zacharia, personam aliam, nempe PASTORIS STULTI, non tam speculative, quam practice, id est pastoris improbi, scelerati, rapacis, crudelis, qui ut suæ cupidini obsequatur, gregem stultissime perdit, affligit, spoliat, enecat, inquit Theodoretus & Cyrillus. VASA ergo seu instrumenta talis pastoris TIBI *assume*, nimirum pro pedo gladium, pro cupediis laqueum, pro fistula fustem.

V. 16. Talem EGO Iudæis a me declinantibus PASTOREM SUSCITABO, puta Antichristum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius, Hugo, Lyranus Arias, Vatablus & Ribera. Huic enim ambitiosissimo simul atque crudelissimo tyranno servire cogentur Iudæi, non minus quam aliæ gentes, & omnes illorum opes, corpora & animæ. Extendit id Arias etiam ad Herodem *u* Ascalonitam: Theodoretus ad Antiochum *x* Epiphanem typum Antichristi: a Castro ad Titum & Romanos: Sanchez & a Lapide ad Iasonem *y* Menelaum, Caipham *z*, omnesque perversos pontifices, ad Herodem quoque eiusque posteros impios principes, ad Theodam & Iudam *aa* Galilæum, ad Barchocebam *bb* qui tempore Adriani, ad Pseudomoysen *cc* qui tempore Theodosii Imperatoris Iudæos fœdissime deceperunt, ut Eusebius, Socrates & alii describunt. Omnes enim isti fuerunt typi & præcursores Antichristi, in quem per antonomasiam maxime quadrant quæ sequuntur.

V. 17. O PASTOR *dd* ET IDOLUM! LXX. Chaldæus, & Arabicus, & Tigurini vertunt, *ut pastori vano & nihili*, quasi dicat: Væ tibi o pastor, qui non es pastor, sed solum larva pastoris: qui nihil habes veri pastoris, nisi solam umbram & simulacrum. Notatur tamen etiam arrogantia Antichristi, quod volet adorari ut *idolum* & numen, inquit S. Hieronymus: sic crudelitas & tyrannis verbis sequentibus, GLADIUS SUPER BRACHIUM EIUS, ET SUPER OCULUM DEXTRUM EIUS, quia instar *lanionis*, non alio collimat, quam ut iugulet oves. Ita Chaldæus exponit. Sed alii id accipiunt de divina ultione ipsimet tyranno imminente, ut BRACHIUM, id est potentia; ET OCULUS DEXTER, id est caliditas & intentio eius, præcidantur ac destruantur. *ee*

(a) Ezech. XVII. 3.
(b) Ioseph. Lib. VII. Belli cap. XII.
(c) Galatin. Lib. IV. cap. VIII.
(d) Chron. cap. XLVII. & L.
(e) Euseb. Lib. VIII. Demonstrat. cap. IV.
(f) Cant. IV. 8.
(g) Chron. cap. XLII. class. II.
(h) Ioseph. Lib. VI. Belli, &c.
(i) Chronic. cap. XIX.
(k) Chronici cap. XLII. classe II.
(l) Ibid.
(m) Chronici cap. L. ad annum a morte Christi 12. & 30.
(n) Matt. XXI. 43.
(o) Actor. XIII. 46.
(p) Proleg. de monetis.
(q) Exodi XXI. 32.
(r) Matth. XXVII. 27.
(s) Baron. ann. Christi 34. Suarez III. p. to. II. disp. XXXIV. sect. I. Iansen. & alii in Matth. XXVII.
(t) Ioseph. Lib. VII. Belli, &c.
(u) Chronici cap. XLV.
(x) Ibid. cap. XL.
(y) II. Mach. V. 6.
(z) Ibid. cap. IV. 25. Chron. cap. XLII. classe III.
(aa) Actor. V. 36. 37.
(bb) Euseb. Lib. IV. hist. cap. VI.
(cc) Socrat. Lib. VII. XXXVII.
(dd) Ierem. VI, 3. Nahum. III. 18. Isaiæ XLIV. 28.
(ee) II. Tess. II. 8.

GOR-

GORDONI.

Verf. 1. *ufque ad* 7. APERI LIBANE PORTAS TUAS, &c. Hæc funt præludia, & feries malorum quæ merentur excidium. Per Libanum Hieronymus & alii magno confenfu intelligunt templum. Et prolixo fermone fymbolico mala hæc defignantur Iudæorum, quos vocat Deus pecora occifionis.

V. 7. ET PASCAM, &c. Sufcipit hic Zacharias onus paftoris impofitum fibi, verf. 4. hæ virgæ denotant duplicem Dei providentiam; fed brevi funt fuccifi tres paftores, & fracta abiectaque virga quæ ad bonum profpiciebat. Hi tres paftores funt Machabæi principes, qui uno menfe, hoc eft exiguo tempore, fub virga decoris rexerunt populum. Hos Deus fubduxit. Nam cum Hebræi inciperent effe molefti Deo; ipfe quadam amaritudine animi retraxit favorem ab his quorum anima variavit, defecitque a priore cultu & pietate.

V. 12. ET DIXI, &c. Venitur hic ad fecundam virgam: pavit Chriftus populum, & pro petita mercede vendiderunt eum triginta argenteis, & præcifa eft virga fecunda. Sequutumque eft excidium Sub Tito. Quæ hic referuntur, dixit & geffit Zacharias non aliter quam per vifionem imaginariam. Hæc porro videt & agit in perfona non fua, fed Chrifti, velut actor in tragœdia, verus tamen Propheta. Plurimi, hic argenteum intelligunt duos Iulios, feu regales Hifpanicos; ergo ut videtur dimidium ficli, & duplum denarii: ficlus quatuor regales habet. Occupantur hic interpretes in conciliandis Zachariæ verbis de pretio venditi Chrifti, cum Matthæo, cap. XXVII. 9. qui Ieremiam citat; non vero Zachariam. Eft probabile idem fuiffe in Ieremia, licet nunc non extet ibi: nec in fenfu difcrepat Matthæus a duobus his prophetis; nil vero mirum fi typus antitypo in quibufdam adiunctis non refpondeat. Lege Baronium anno Chrifti XXXIV.

V. 15. ET DIXIT DOMINUS, &c. Hactenus Zacharias egit perfonam prudentis paftoris, denotando tum Machabæos fub virga decoris; tum Chriftum, quo occifo fuccifa eft altera virga. Nunc affumit perfonam ftulti paftoris, ut denotet dum nihil proficit, futurum excidium; fane ex hoc ipfo quod Deus permittat præeffe malos paftores, graviter punit populum.



CAPUT XII.

Iuda & Ierufalem a variis Regnis affligentur; fed rurfum reducti filii Ifrael in terram fuam fuperiores erunt his qui fe afflixerant: effufoque a Domino fpiritu gratiæ fuper habitatores Ierufalem, afpicient ad eum quem confixerunt, & fuper eum dolebunt, plangentes, fingulæ familiæ feorfum.

1. ONus verbi Domini fuper Ifrael. Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens fpiritum hominis in eo: 2. Ecce ego ponam Ierufalem fuperliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: fed & Iuda erit in obfidione contra Ierufalem. 3. Et erit: In die illa ponam Ierufalem lapidem oneris cunctis populis: * omnes, qui levabunt eam, concifione lacerabuntur: & colligentur adverfus eam omnia regna terræ. 4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ftuporem, & afcenforem eius in amentiam: & fuper domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum per-

percutiam cæcitate. 5. Et dicent duces Iuda in corde suo: Confortentur
mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum Deo eorum. *6.* In die
illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, * & sicut facem i-
gnis in fœno, & devorabunt ad dexteram, & ad sinistram omnes populos
in circuitu: & habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem. 7.
Et salvabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio: ut non magni-
fice glorietur domus David, & gloria habitantium Ierusalem contra Iu-
dam. 8. In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui
offenderit ex eis in die illa, quasi David; & domus David quasi Dei, *
sicut Angelus Domini in conspectu eorum. *9.* Et erit in die illa: quæram
conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Ierusalem. 10. Et effundam
super domum David, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ &
precum: (*a*) & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum plan-
ctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in mor-
te primogeniti. 11. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, (*b*) si-
cut planctus Adadremmon in campo Mageddon. 12. Et planget terra: fa-
miliæ & familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, & mulieres eo-
rum seorsum: 13. familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seor-
sum: familiæ domus Levi seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ
Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum. 14. Omnes familiæ reliquæ,
familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.

(*a*) Ioan. xix. 37. (*b*) II. Paral. xxxv. 22.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 3. Omnes qui levabunt eam, Pro feminino *eam*, quod ad Ierusalem refertur, alii libri scribunt masculinum *eum*, quod ad lapidem.

Vers. 6. Et sicut faciem ignis in fœno. Mendum hic est typographicum in exemplari Romano, ubi *faciem* trissyllabum nomen, legitur pro dissillabo *facem*, quod est, faculam, lampadem. Porro ut mendose quidam habent *faciem*, ita alii *fascem* quod est fasciculum.

Vers. 8. Sicut Angelus Domini in conspectu eorum. Non mutes plurale *eorum* in singulare *eius*.

NOTATIO.

Vers. 8. ET *domus David quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum*. Multi libri scribunt *in conspectu eorum*; plures *in conspectu eius*; duo Parisiensium (V. Compl.) & sedecim nostri (Lod. Leob. L. P. H. &c. illo modo; duo & viginti nostri Brug. O. E. Q. Pl. m. Mog. Muren. Colon. &c. ac plerique Epanorthotæ hoc. Rupertus, Carensis, & Richelius enarratores exponunt *eorum*; id quod Hebraici, ac Chaldaici codices legunt; Græci etiam integriores, Vaticanus, Regius, Basileensis (anni 1550.) cum Theodoriti textu: nam Aldinus, & Argentoratensis pro *αὐτῶν*, *αὐτοῦ* habent. Quare Hentenius, & Parisienses castigatores in textum id, *eorum* inquam, retulerunt. Porro Epanorthotes pluralem numerum ab Interprete mutatum, atque *eius* scriptum existimat. Atqui Hieronymi & textus legit, & commentarius exponit *eorum*. „ Et qui de domo regia erat, habet com„ mentarius, sit quasi de domo Dei, idest, „ quasi nuncius Domini, & angelicæ digni„ tatis in conspectu eorum, qui eo tempore „ fuerint resalvati. “ Vertit igitur Interpres noster Hieronymus, ut Hebraice est, *eorum*: nisi dicas eum vel Græcæ editionis pronomen *eorum* exposuisse (legit enim *eorum*, non *eius*, & ea quæ D. Hieronymo adscripta est, LXX. virorum editio) vel priusquam commentaria scriberet aliter transtulisse, eorum nempe, quod Hebraice cum *eius* commutasse, ita ut subaudiretur *Domini*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. SUPER, id eſt contra. ISRAEL, ſcilicet Eccleſiam perſequentem. FINGENS, id eſt formans, ſcilicet creando. Chald. *creans*. SPIRITUM, id eſt animam.

V. 2. IERUSALEM, id eſt Eccleſiam. SUPERLIMINARE CRAPULAE, id eſt in quod ebrii impingunt; quaſi dicat: Qui eam impugnabunt, cadent more ebriorum. POPULIS, ſcilicet fidei hoſtibus. IUDA, id eſt Iudæi, ſcilicet etiam ipſi Eccleſiam impugnabant.

V. 3. LAPIDEM; pro, ut lapidem. ONERIS, id eſt gravem. Chald. *offenſionis*. LEVABUNT, id eſt levare loco conabuntur. Chald. *vim ei intulerint*. LXX. *calcabunt*. EAM, ſcilicet Eccleſiam oppugnaturi.

V. 4. IN STUPOREM, id eſt ſtupore; ſcilicet reddam velut ſtupidos, ut nihil poſſint contra fideles. IUDA, id eſt Iudæos, ut eos convertam. OMNEM EQUUM, &c. quaſi dicat: Omnia bellica inſtrumenta parata contra Eccleſiam, reddam inutilia.

V. 5. DUCES, ſcilicet Apoſtoli. MIHI: abundat, more Hebræo.

V. 6. SICUT CAMINUM, &c. quaſi dicat: Dabo virtutem ſuperandi omnia. DEVORABUNT, &c. quaſi dicat: Deſtruent errores & vitia. AD DEXTERAM, &c. quaſi dicat, Per omnes mundi partes. Chald. *ad Auſtrum, & Aquilonem*. ET HABITABITUR, &c. quaſi dicat: Etiam in Ieruſalem terrena erit Chriſti Eccleſia, vel loca Eccleſiæ ab hoſtibus erepta ei reſtituentur.

V. 7. TABERNACULA, ſcilicet Eccleſias particulares. IN PRINCIPIO, id eſt olim, ſcilicet ſervavit tabernacula Iudæorum in deſerto, quæ erant harum figura. MAGNIFICE, id eſt ſuperbe. DOMUS DAVID, &c. id eſt, Iudæi increduli contra credentes, vel mali qui ſunt in Eccleſia contra bonos, ſcilicet ne eos lædant, vel quaſi dicat: Ne quiſquam fidelium potentum inſurgat in pauperes fideles.

V. 8. IERUSALEM, id eſt Eccleſiæ. QUASI DAVID, ſcilicet aget pœnitentiam. DOMUS DAVID, id Eccleſia. SICUT ANGELUS, &c. quaſi dicat: Tamquam ſi Deus Angelus eos ducat & dirigat.

V. 10. PRECUM. Chald. & LXX. *miſericordiæ*. ASPICIENT, ſcilicet die Iudicii. Vide Apoc. I. CONFIXERUNT, ſcilicet in cruce. LXX. *inſultaverunt*. EUM, ſcilicet Chriſtum: mutatio perſonæ; quaſi dicat: Plangent quod eum occiderint, qui ſe ea cauſa videant damnatos. LXX. *ſuper ſe ipſos*. Vide Apoc. I. Matth. XXIV. QUASI, &c. id eſt vehementiſſime.

V. 11. IERUSALEM, ſcilicet ibi fiet iudicium extremum. ADADREMMON: urbs eſt in campo Mageddon, ubi Ioſias occiſus. Vide II. Paral. XXXV.

V. 12. TERRA, ſcilicet reprobi. FAMILIAE, &c. id eſt ſingulæ familiæ. DOMUS DAVID, &c. nominantur præcipue quædam familiæ Iudæorum, quæ præcipue conſpirarunt in Chriſti necem, ut quidam volunt. MULIERES. Chald. *uxores*. SEORSUM, non loco, ſed quaſi dicat, Proprio & ipſæ planctu.

V. 13. NATHAN, ſcilicet filii David. SEMEI. LXX. *Simeon*, dicitur & *Samai*. Vide autem princeps Phariſæorum & Scribarum. Vide Hieron. Iſai. VIII. & q. X. ad Algaſiam.

ESTII.

Verſ. 10. ET EFFUNDAM SUPER DOMUM DAVID, ET SUPER HABITATORES IERUSALEM SPIRITUM GRATIAE, ET PRECUM. Pertinet hæc prophetia ad miſſionem Spiritus ſancti in Apoſtolos & fideles Chriſti factam in die Pentecoſtes; quod & quotidie per univerſam Chriſti eccleſiam in fidelibus completur. Et quidem ſpiritus gratiæ effunditur in nos; quia *Charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum*: Rom. V. Effunditur autem ſpiritus precum; quia nos, *quid oremus, neſcimus, ſed Spiritus adiuvat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ibid. cap. VIII. id eſt poſtulare nos facit. Quod autem ſequitur; ET ASPICIENT AD ME, QUEM CONFIXERUNT, quando impletum ſit, Ioannes Evangeliſta cap. XIX. oſtendit; quando videlicet

delicet perfosso latere Domini, effluxit sanguis & aqua. Ex quo loco manifestum est, non de manuum & pedum affixione ad Crucem, ut quidam interpretantur, sed de transfixione lateris Dominici hanc prophetiam intelligendam esse. Et nihilominus Apoc. I. referunt quoque ad diem iudicii. Sed notandum in hac prophetia duo contineri, & prædici: alterum quod configent, alterum quod aspicient. Confixio impleta est Ioan. XIX. Adspectio autem, sive quod hi qui eum confixerunt, eum cum magno suo dedecore videbunt, implendum ostenditur in Apocalyp. in die iudicii. Et quia formaliter & cum energia illud accipiendum est, (*in quem confixerunt*, hinc recte quoque ex ea sententia colligitur, Christum in die iudicii signa vulnerum suorum ostensurum: quæ quidem videbunt boni ad gloriam, cum magna exultatione; mali vero, ac potissimum illi, qui vulnera inflixerunt, ad extremam suam confusionem & ignominiam.

MARIANAE.

Vers. I. ONus. Prophetia dura. SUPER ISRAEL, contra Israel; & per *Israel* intellige alios etiam Iudæos, quia scilicet Iudæi Gentibus iuncti, Ierusalem vexarunt. FINGENS SPIRITUM, id est creans. Deus hæc dicit.

V. 2. SUPERLIMINARE CRAPULAE ponam. *Crapulæ*, id est ebrietatis; id est, faciam ut qui accesserit ad limen Ierusalem, quasi ebrius cadat. Chald. *ponam Ierusalem vas plenum ebrietate*. סף *Saph* & *limen* & *phialam* seu *scyphum* significat. Hieronymus & Sept. priorem significationem secuti sunt, posteriorem Chald. & Hebræi. Sed & pro *crapula* aut *ebrietate* alii *soporem* vertunt, alii *venenum*. Vocis רעל *rahal* propria significatio non est nota. Sententia una: Faciam ut Ierusalem cupientibus eam capere, fit ut vas veneni mortiferi, aut ebrietatis. SED ET IUDA ERIT IN OBSIDIONE. Hieronymus & alii plerique hoc loco non veram Ierusalem intelligunt, sed mysticam, nempe Ecclesiam, contra quam Iudæi cum primis insurrexere. Ego de Ecclesia hæc dici non nego, sed puto etiam de Ierusalem hæc dici, quæ Machabæorum tempore sæpe obsessa, ut I. Machab. cap. VII. 33. & II. Machab. XI. & XV. semper evasit. De aliqua harum obsidionum agi puto, ut quomodo superiori cap. egit de obsidione per Romanos, ita nunc agat de aliqua alia obsidione. Et alioqui mirum in Prophetis esset de rebus Machabæorum silentium, qua tamen præclaræ in primis extitere. Ergo in iis bellis multos Iudæos hostium castra secutos esse constat ex II. Machab. XV. 2. & Iosephus Lib. XII. cap. XI. Id illa verba significant, *Iuda erit in obsidione contra Ierusalem*.

V. 3. LAPIDEM ONERIS ponam Ierusalem, id est gravem, magni ponderis, non poterunt humeris illam portare, & capere Ierusalem, sed potius qui id tentaverit, lacerabitur, ut qui lapidem graviorem viribus gestare tentat. OMNIA REGNA TERRAE. Hebr. *omnes gentes terræ*, congregabuntur scilicet contra Ierusalem. Et quidem ex locis citatis satis constat, numerosos exercitus ex variis Gentibus conflatos in eam urbem irruisse.

V. 3. EQUUM IN STUPOREM percutiam. Sept. *in stupore*, id est stupore & amentia equos & equites hostium percutiam.

V. 5. DUCES IUDA. Iudæi, qui castra hostium sequentur, intra se optabunt, ut cives Ierusalem meliora ferant, quibus ex voto favebunt, quippe ex sua gente. CONFORTENTUR MIHI, id est contra me. Utinam nos vincant! sic dicent ii Iudæi.

V. 6. PONAM DUCES IUDA. Non loquitur de iis qui in hostium castris erunt, sed de Iudæis aliis & eorum ducibus. SICUT CAMINUM, aut *prunam*, aut *lampadem ignis* inter ligna. ET SICUT FACEM IGNIS IN FOENO. Hebr. *in manipulo*, id est inter manipulos fœni, scilicet aut spicarum in messe, vincent Iudæi hostes suos. ET HABITABITUR IERUSALEM RURSUS IN LOCO SUO. Hebr. *sub se*, id est in suo loco. IN IERUSALEM: in area Ierusalem habitabitur, non vastabitur, neque cives in captivitatem ibunt.

V. 7. ET SALVABIT DOMINUS TABERNACULA IUDA, id est non solum Ierusalem, sed alia oppida regionis tuebitur. SICUT IN PRINCIPIO. Sic Sept. & Chald. Hebr. *in principio*, sed bene suppletur *sicut*; aut quod magis puto, pro *Beth*, id est *in*, olim erat *Caph*, id est *sicut*. Ergo ut olim Deus texit ea oppida, sic modo faciet. UT NON MAGNIFICE GLORIETUR:

ne domus David, arx scilicet Sion, & cives Ierusalem glorientur, quasi eos solos protegat Deus, non alios. ET GLORIA; scilicet & non sit gloriatio habitantium Ierusalem, quasi eos solum Deus protegat.

V. 8. ET ERIT QUI OFFENDERIT EX EIS. Sept. & Chald. *qui infirmus fuerit in eis*, id est inter cives Ierusalem. QUASI DAVID, id est fortissimus, qualis fuit David; ac si dicat, Nemo inter eos erit ignavus. ET DOMUS DAVID QUASI DEI. *Dei* in plurali, id est posteri David erunt *quasi Heroes*, ut Chald. *Fortes creantur fortibus*. Hebræi per *domum David* Messiam intelligunt, qui fuit de domo David: sic Hebr. Schol. & quasi Deus: immo potius verus Deus. IN CONSPECTU EORUM, scilicet hostium, erit quasi Angelus eis superior. Quis? domus David.

V. 9. QUAERAM CONTERERE, id est omnem studium adhibebo ut conteram, disperdam hostes Iudæorum.

V. 10. SPIRITUM GRATIAE ET PRECUM effundam super habitatores Ierusalem, ut scilicet mihi placeant, me deprecentur. Hebr. *spiritum gratiæ & miserationum:* sic Chald. & Sept. id est, faciam ut omnibus sint grati, omnes eorum misereantur, eisque opem ferant. FT ASPICIENT AD ME, QUEM CONFIXERUNT. Ioan. XIX. 37. hic locus citatur de morte Christi. & Hebræi de Messia dici putant, quodam filio Ioseph, qui in bellis occubuit, ut illi delirant. Sed vere de Christo intelligitur, qui Deus est; nam Deus hæc loquitur. Alioqui eum locum volebam intelligere præter Christum, de Iuda etiam Machabæo, qui fuit typus Christi; quasi diceret: Respicient Iudæi ad me, id est me desiderabunt. *Quem confixerunt*, id est occiderunt, non ipsi, sed hostes. ET PLANGENT EUM, id est me: mutat personam, quod in Heb. lingua frequenter fit. QUASI SUPER UNIGENITUM, id est quasi super morte unigeniti. IN MORTE PRIMOGENITI. Hebr. *super primogenito*, id est super morte primogeniti. Qui planctus erit.

V. 11. SICUT PLANCTUS ADADREMMON. Quidam putant esse loci nomen in ipsa valle Mageddon, ubi occisus est Iosias Rex, IV. Reg. XXIII. 29. & ob eius mortem magna lamenta extiterunt, II. Paral. XXXV. 22. Chald. putat esse nomen viri, qui occidit Achab Regem, III. Reg. ult. vers. 34. quem dicit fuisse filium Tabremon. Ergo qualis fuit planctus in morte Achab, & in morte Iosiæ, talis erit in morte Christi, & si placet, etiam in morte Iudæ; de quo I. Machab. IX. 20. Magnum & diuturnum planctum extitisse constat.

V. 12. FAMILIAE ET FAMILIAE SEORSUM, id est singulæ familiæ, quæque per se plangent. FAMILIAE DOMUS DAVID. Hebr. *familia*. Chald. *viri familiæ David*. ET MULIERES EORUM SEORSUM. Ut in planctu, sic in lætitia, cœtus promiscui virorum & feminarum vitari debent. Porro *familiam David* nominat, quia Regia; *Nathan*, quia Propheta; *Levi* familiam, quia sacerdotalis; *Semei*, quia ex eo Scribæ & Pharisæi, quia fuit Princeps inter eos, ut Hieronymus hic ait, & ad Algasiam q. 10. & Isai. cap. VIII. Ergo familias præcipuas nominavit sigillatim, quas ploraturas ait; alias in genere tantum vers. 14.

MENOCHII.

Vers. 1. ONus, id est onerosa, tristis, & funesta prophetia. SUPER ISRAEL: contra Iudæos. EXTENDENS CAELUM: qui tam potens est, ut cælum quasi pellem, aut velum quoddam super terram extenderit verbo suo. FUNDANS TERRAM: stabiliens, & collocans ita ut immobilis sit. FINGENS SPIRITUM, id est formator animarum, ideoque creator, & Dominus tam visibilium, quam invisibilium.

V. 2. PONAM IERUSALEM SUPERLIMINARE CRAPULAE. Ad litteram loquitur de Ierusalem arctata, & afflicta ab Antiocho Epiphane, eiusque asseclis, quos Iudas, & Machabæi ceciderunt, & ita corruerunt. Sensus ergo: Hostes Ierusalem se putabunt illam ingressuros victores, sed faciam ut impingant, & quasi temulenti cadant, sibique noceant potius quam illi, ut ebrii qui in limine, aut postibus ostii impingunt, & cadunt, & ad lapidem aliquem allisi caput frangunt, aut cruentant. OMNIBUS POPULIS: Iudæis infestis. SED ET IUDA, &c. non solum Gentiles Ierusalem impugnabunt, sed etiam Iudæi perfidi, & transfugæ, & veræ religionis desertores, qualis Iason, & Menelaus. Vide II. Machab. cap. IV. & V.

V. 3.

V. 3. PONAM IERUSALEM LAPIDEM ONERIS, &c. Id est, omnes populi volent experiri suas vices in Ierusalem oppugnanda, sicut in urbibus Palæstinæ, & Iudææ, iuvenes immanem lapidem tollunt in altum quisque pro suis viribus, experiendi roboris causa. OMNES QUI LEVABUNT EUM. *Necesse est*, inquit D. Hieronymus, *ut dum levatur, in ipso nisu, & elevatione ponderis, gravissimus lapis scissuram aliquam, vel rasuram in levantium corporibus derelinquat*. Sententia ergo est, Potius sibi quam Ierusalem nocebunt; qui illam oppugnabunt; ut sibi nocent qui pondus subeunt, cui attollendo, & ferendo pares non sunt. ET COLLIGENTUR ADVERSUS EAM OMNIA REGNA TERRAE; id est, cum ita sit, tamen non erit populus, qui aliquando illam non persequatur. Verissime hoc dicitur de Ecclesia, quæ ubique Gentium concussa est, & aliquando persecutionem passa.

V. 4. PERCUTIAM OMNEM EQUUM, scilicet hostilem, puta Antiochi, & Græcorum per Machabæos. IN STUPOREM: ita ut omnes stupeant, qui eos percussos viderint. Vel, ita ut ipsi equites præ stupore, & pavore quasi versi in amentiam, nesciant quo fugere, vel quid agere debeant. APERIAM OCULOS MEOS: ut illam benigne aspiciam, & protegam. ET OMNEM EQUUM, &c. Est repetitio, & inculcatio eiusdem sententiæ. CAECITATE: stupore mentis, pavore, confusione, & quadam amentia.

V. 5. DUCES IUDA: scilicet Machabæi præcabuntur Deum, ut animos, & vires sufficiat Iudæis ad impetum hostium frangendum.

V. 6. SICUT CAMINUM IGNIS: zelo ardentes pro salute populi. SICUT FACEM IGNIS. In Hebræo est לפד *lappis*, quæ vox lampadem, sive facem significat; sed sensus idem est, facies enim ignis est fax. HABITABITUR IERUSALEM: quæ prius fuerat civibus suis viduata. IN IERUSALEM: in eodem situ, & loco ubi prius fuit.

V. 7. SALVABIT DOMINUS TABERNACULA IUDA; quasi dicat: Divina virtute fiet, ut domus, & cives Iuda ab hostibus tuti serventur. SICUT IN PRINCIPIO: ut olim faciebat Deus, cum suavi, & forti sua indulgentia, & providentia populum tuebatur. UT NON MAGNIFICE GLORIETUR DOMUS DAVID: ut Ierosolymitæ, ac præsertim posteri David nequaquam gloriari possint, id eorum opera accidisse; videbunt enim mirabili Dei auxilio factum esse. ET GLORIA HABITANTIUM IERUSALEM. LXX. habent, *& elatio habitatorum Ierusalem*, scilicet, magnifice non glorietur. CONTRA IUDAM, id est contra Iudæos in minoribus oppidis, aut in vicis habitantes.

V. 8. QUI OFFENDERIT. In Hebræo est, *qui infirmus fuerit*. QUASI DAVID: erit fortis quasi David. ET DOMUS DAVID: & principes Iuda, qui erunt ex posteris David, scilicet Machabæi. QUASI DEI: admirabili quadam, & divina fortitudine prædití erunt. SICUT ANGELUS DOMINI. Principes hi Machabæi erunt quodammodo cum Angelis conferendi in fortitudine, & providentia, & regimine populi. IN CONSPECTU EORUM: scilicet Iudæorum civium, & commilitonum suorum, & hostilium etiam copiarum.

V. 9. QUAERAM CONTERERE: semper mihi curæ erit conterere.

V. 10. ET EFFUNDAM, &c. Assurgit ad Christum more prophetarum. Per Christum super Ecclesiam copiam effundam Spiritus sancti, quo grata mihi sit, & ea faciat, quæ mihi placita sunt. ET PRECUM: spiritum orationis, ut numquam sibi confidat, sed in omnibus confugiat ad Dei auxilium, illudque per supplicem orationem obtineat. ET ASPICIENT AD ME QUEM CONFIXERUNT. Est prophetia de Christo in cruce confixo, ut patet ex Evangelio S. Ioan cap. XIX. 33. ubi hoc testimonium citatur. Loquitur autem de Iudæis, qui Christum in cruce aspexerunt, præsertim iis, qui ei compassi sunt, de quibus dicitur Lucæ XXIII. 48. *& omnis turba, &c. percutientes pectora sua revertebantur*. PLANGENT EUM: passionem, & mortem eius. Hucusque locutus est Christus de se in prima persona, nunc vero loquitur propheta de eodem in tertia. QUASI SUPER UNIGENITUM: luctu magno, qualis esse solet cum lugetur unigenitus, aut primogenitus, qui erat columen totius familiæ.

V. 11. SICUT PLANCTUS ADRADEMMON, &c. Adrademmon urbs est iuxta Iezrahel in campo Maggeddon, ibi mortuus est Iosias, sicut planxerunt olim Iudæi Iosiam regem optimum a Pharaone cæsum in campo Mageddon, ita in

die

die illa fideles plorabunt indignam Christi necem.

V. 12. TERRA, scilicet Iuda. FAMILIAE, ET FAMILIAE, id est singulæ familiæ. FAMILIAE DOMUS DAVID SEORSUM. Aliqui ex domo, & gente Davidica, ut B. Virginis & Christi consanguinei, qui erant ex familia David.

V. 13. FAMILIAE DOMUS NATHAN: inter proavos Christi S. Lucas III. 31. Nathan numerat. Vel ergo significat huius Nathan nepotes luxisse, vel posteros Nathan prophetæ significat prophetas, hoc est viros pios, & religiosos, qui orationi, meditationi, & divinis laudibus vacabant; hi enim phrasi Scripturæ filii prophetarum appellantur IV. Reg. II. 3. & alibi. FAMILIAE DOMUS LEVI. Eadem etiam hic quadrat explicatio, nam inter maiores Christi in genealogia eiusdem cap. III. Lucæ vers. 24. Levi numeratur Christi proavus. Vel per Levi significantur pii aliqui Levitæ, & sacerdotes, qui Christi mortem luxerunt, quales fuisse probabile est cognatos Zachariæ patris sancti Ioannis. Baptistæ, & alios, qui vinculo propinquitatis Christum attingebant, aut qui in illum credebant. FAMILAE SEMEI. Loco citato Lucæ III. 26. Semei progenitores Christi numeratur, horum ergo nepotes Christum luxerint. Alii intelligunt per Semei, vel Sammai discipulos, hoc est scribas aliquos, & doctores, qui Sammai magistrum, & doctorem habuerunt, ut tradit Divus Hieronymus in hunc locum, & quæst. X. ad Algaziam, & Isaiæ cap. VIII.

V. 14. OMNES FAMILIAE RELIQUAE, &c. id est, aliæ etiam familiæ luctus huius erunt participes, nam Christus plurimis vivens benefecerat, ideoque par est credere multos illius nece doluisse.

TIRINI.

Vers. 2. PONAM IERUSALEM Allegorice, Ecclesiam Christi, SUPERLIMINARE CRAPULAE. LXX. *Sicut superliminaria quæ moventur*. Est metaphora desumpta a popina, ubi vinum prostat sapidum quidem, sed venenatum, ad quod hauriendum undique certatim accurritur: sed mox ut quis gustarit, ebrius, tremulus, stupens fiat & amens, cui omnia moveri, inverti & corruere videantur; quasi dicat: Quicumque hostis vel limen attigerit Ierosolymæ, mox quasi ebrius & mentæ captus, retroagetur, trepidus & tremulus. Sicut de antro Sibyllæ Cumanæ quod Puteolis haud procul Neapoli ostenditur, scribit Virgilius VI. AEneid, solo liminis ipsius transgressu ipsam extra se rapi & furere consuevisse. Et ipse ibidem in vicinia vidi aliud antrum, in quod si vel carnem, vel aliud animal inieceris, illico incipit emori & exanimari: & vero exanimaretur penitus, nisi e vestigio in vicinum Averni lacum immergeretur, ubi mox redditur sibi ac reviviscit. Pari modo exitiosum ac lethiferum erit vel limen urbis Ierosolymæ hostiliter attigisse, inquit S. Hieronymus, Remigius & Hugo. Experti id sunt non modo Antiochus Ephiphanes, eiusque duces & sequaces Gentiles, sed etiam *Iuda*, id est transfugæ Iudæi Iason, Menelaus, Simon & alii, qui Antiocho in oppugnanda Ierosolyma adiutores fuerunt, ut videbimus in historia Machabæorum, & Iosephus *a* fuse enarrat.

V. 3. PONAM IERUSALEM LAPIDEM ONERIS, id est onerosissimum, quem qui attollere vel auferre voluerit, in ipso nisu & elevatione, gravissima CONCISIONE vulnerabitur, *lacerabitur*, opprimetur. Alludit ad athletas, qui ponderosissimorum lapidum sublevatione vires suas tentare & ostentare solebant, non sine gravissima subinde læsione & exitio suo. Patuit hoc in Heliodoro, in Iasone, in Menelao, in Lysimacho, in Alcimo, in Antiocho Epiphane & Eupatore, in Nicanore, Bacchide, Apollonio Triphone *b*, aliisque Asiaticis tyrannis mala morte ob vim Ierosolymæ illatam mulctatis, ut de M. Crasso, Cn. Pompeio, & Herode *c* taceam, qui post expugnatam Ierosolymam infelices admodum & tristes casus subierunt, ut Iosephus, Plutarchus & alii enarrant: taceam etiam Ammonitas, Moabitas, Philisthæos, Idumæos, Syros, Tyrios, aliosque Iudæorum hostes, ab illis non modo repulsos, sed & subactos non raro, ut alibi dixi. COLLIGENTUR enim ADVERSUS Ierosolymam OMNIA REGNA TERRAE; sed suo potius, quam illius malo, quamdiu illa fida Deo potenti eius dextera protegetur.

V. 4. OMNEM EQUUM & equitem hostilem

ſilem PERCUTIAM CAECITATE. Factum id etiam ad litteram II. Machab. x. 30.

V. 5. DUCES IUDA Machabæi non ſuis præſident viribus, ſed auxilio omnipotentis Dei, quem CORDE SUO, & etiam ore precabuntur, ut de cælo *confortet cives* IERUSALEM, ne hoſtibus ſuccumbant. Semper enim Iudas Machabæus (& idem dici poteſt de Ionatha & Simone) ante aciem oraſſe legitur, & opem divinam imploraſſe, excepto ultimo prælio, in quo ſuccubuit. Iidem

V. 6. DUCES IUDA, SICUT CAMINUS, vel fax IGNIS, omnia circum circa populabuntur, abſument & ad ſe convertent. Quod Allegorice, de Apoſtolis in Pentecoſte exponit S. Hieronymus, Remigius, Albertus & alii. Profugient quidem cives Ieroſol. ſubinde metu Antiochi & ſimilium tyrannorum, ſed virtute & armis Machabeorum reſtituentur priſtinis ſedibus, & ſic urbs evacuata civibus ſuis, RURSUS iiſdem replebitur & *inhabitabitur d* ut ante. Sed hæc omnia

V. 7. DOMINUS faciet, & divinis potius, quam humanis viis, per paucos & imbelles Iudæos ſæpe maximos hoſtium exercitus ſternens *e* & profligans: UT NON ſuis viribus MAGNIFICE GLORIETUR DOMUS DAVID, id eſt familia & poſteri Davidis, inter quos & Machabæi, materna ſtirpe oriundi ex familia Davidis: quoad paternam vero etſi eſſent ex tribu Levi, tamen inſiti ſeu inſerti erant familiæ Davidis, quæ illos ſibi totique reipublicæ delegit in duces, & conſtituit in capita, & ſic ſuccedere fecit in principatu Davidis & in regimine familiæ & regni ipſius, ut alibi *f* dixi. Ne igitur vel hi principes, vel alii cives qui *glorioſe* ac triumphanter *habitant* & incolunt IERUSALEM, *glorientur* CONTRA IUDAM; id eſt præ reliquis Iudæis, qui in aliis urbibus degunt: nam victoriæ quæ illis obtigerunt, non illorum induſtria vel ſtudio, ſed divina ope partæ ſunt.

V. 8. QUI EX EIS OFFENDERINT initio, impingentes, corruent, retroacti potentia & idolis adverſariorum, ut ſub Antiocho accidit pene omnibus Iudæis, (nam plurimi metu tyranni deflectebant ad gentiliſmum;) hi ipſi IN DIE ILLA, excitati victoriis Iudæ & fratrum ipſius, *erunt* QUASI DAVID, id eſt inſtar Davidis reſipiſcent a ſcelere *g*, & fidem reſument, & cum fide tantos animos ac vires, ut bellicoſiſſimo Davidi ſuppares videantur, inquit S. Hieron. Theod. & alii. Allegorice, Matthæus, Magdalena, Petrus, Pelagia, Auguſtinus, & tot alii prolapſi prius in ſcelera, poſtea a Deo tacti, inſtar Davidis fortiores reſurgent, inquit S. Gregorius *h*, Albertus, Hugo & Lyranus. ET DOMUS, ſeu familia, DAVID erit QUASI domus DEI, id eſt SICUT *angeli*: qui ſunt de domo ſeu familia Dei; quaſi dicat: Principes Iuda non tantum cum Davide, ſed & cum angelis comparari poterunt in fortitudine, providentia, regimine, gloria & felicitate. Addit Theodoretus, illos fore *domum Dei*, id eſt tutum refugium & aſylum afflictis omnibus.

V. 9. QUAERAM enim & ſatagam, per illos CONTERERE OMNES GENTES adverſarias Iudæis: Allegorice, Chriſtianis, inquit S. Hieron. Albertus, Remigius & Vatablus. Sed longe magis ſatagam, ut Iudæi qui tempore Chriſti tam miſere impingent & offendent in Meſſiam ſuum, affigentes illum cruci, ſerio inſtar Davidis reſipiſcant a ſuo ſcelere. Mox enim a morte Chriſti, ſed longe magis in Pentecoſte ac deinceps,

V. 10. EFFUNDAM liberaliſſima manu tam in principes, quam in vulgares cives Ieroſolymitanos, SPIRITUM, ſeu donum, GRATIAE, qua cognitum iam ſcelus ſuum deteſtentur, pœnitendo aboleant, atque ita gratioſi *i*, & chari mihi fiant: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, & alii paſſim. Effundam in eoſdem etiam *ſpiritum* PRECUM; LXX. *miſericordiæ*; Chaldæus, *miſerationum*, Clarius, *propitiationis*. Hæc enim omnia ſignificat Hebræum *tachanunim*; quaſi dicat: Spiritum, id eſt vehementem mentis impetum ad preces coram Deo fundendas k, quibus ipſum per merita ſanguinis Chriſti in eum finem recens profuſi, ad miſericordiam, miſerationem & propitiationem inflectant. ASPICIENT enim oculis vivæ fidei ac ſpei, non tam ad ſuam indignitatem ac nequitiam, quam AD ME fontem omnis gratiæ & omnium bonorum, confiſi quod, etſi tam indigne *me* dominum, patrem ac Deum ſuum *confixerint* caput ſpinis, manus & pedes clavis, latus lancea, flagellis & tot iniuriis

totum

totum hominem: nihilominus veniam, gratiam, reconciliationem sint impetraturi. Ita aspexit crucifixum Christum *centurio* eiusque socii, *dicentes*: *Vere filius Dei erat iste*. *Et omnis: turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*. Porro sermonem hic esse de Christo seu Filio Dei incarnato, præterquam quod sit communis interpretatio non modo omnium SS. Patrum, sed & priscorum Iudæorum quos citat Galatinus; evidenter id colligitur ex vocula *me*; quæ significat loqui hic non purum hominem, sed *hominem Deum*. Et ita eumdem hunc locum de Christo crucifixo exponit S. Ioannes XIX. 37. Licet idem Anagogice, hæc eadem exponat de Christo ad extremum iudicium venturo Apoc. I. 7. ut ibi dicam.

V. II. IN DIE ILLA MAGNUS ERIT PLANCTUS IN IERUSALEM, plangentium primo ob indignam Christo *m* illatam necem; secundo, ob sua scelera, quæ causa fuerunt necis *n* ipsius; tertio, ob imminentes tantorum scelerum pœnas *o*, clades publicas ac privatas, & excidium Iudææ totius. Erit hic *planctus* similis, immo maior planctu, quem ob mortem pii regis Iosiæ olim Ieremias & reliqui Iudæi instituerunt in ADADREMMON urbe iuxta Iezrahel, IN CAMPO MAGEDDON *p*, dicta postea Maximianopoli, sed ob copiam malogranatorum iam vocata *Adad*, vel, ut Chaldæus legit, *Hadar-remmon*, id est decor malogranatorum, vel decor ῥοιᾶς, id est *puniceti*, ut vertunt LXX. more suo nomina propria ex etymo interpretantes.

V. 12. PLANGENT autem FAMILIAE ET FAMILIAE; id est, omnes familiæ; sed SEORSUM MULIERES a viris, more recepto non solum apud Hebræos, sed & apud Græcos & alias nationes Orientales, ut sicut in conviviis, ita etiam in oratione, & in aliis actibus publicis, cœtus virorum separentur a conventu mulierum. Porro quatuor familiæ præ aliis dicuntur hic planctum Christo facturæ, nempe FAMILIAE DAVID ex Salomone, *familia* eiusdem David ex filio suo *Nathan* fratre Salomonis, *familia Levi*, id est sacerdotum & Levitarum, denique *familia Semei*, seu *Sammai*, auctoris seu magistri sectæ Pharisæorum inquit S. Hieronym. Theodoretus, Remigius, Albertus, Ribera & alii complures: multos enim ex his familiis (quæ ob arctiorem cum Christo coniunctionem, seu sanguinis, seu officii, sane maiorem præ reliquis plangendi occasionem habuerunt) doluisse de morte Christo illata, immo ad Christum conversos fuisse, constat ex Actis Apostolorum ubi, *ex omni* q *natione* Iudæorum *quæ sub cælo est*, uno die *tria* r *millia*, altero *quinque* s *millia*; *multa* t *etiam turba sacerdotum* conversa narratur, & *omni anima* u *timor* incussus, &c.

(a) I. Mach. I. 44. & 55. & II. Mach. IV. & V. & seqq. Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. VI.
(b) II. Mach. III. 24. Ibid. cap. IV. 26. 29. 41. I. Mach. IX. 28. I. Mach. VI. 62. Ibid. vers. 43. cap. IX. 68. cap. X. vers. 77. Chronic. cap. xl. Ioseph. Lib. XIV. Antiq. cap. XIII. Plutarch. in Pompeio & Crasso.
(c) Chronici cap. xlv.
(d) Mach. XIV. 4. &c.
(e) II. Mach. VIII. 17. &c.
(f) Gen. xlix. 10.
(g) I. Mach. II. & seqq.
(h) Gregor. homil. xx. in Ezech.
(i) Ephes. I. 6.
(k) Rom. VIII. 26.
(l) Matth. XXVII. 55. Lucæ XXIII. 54.
(m) Hic vers. 10.
(n) Thren. IV. 20. & cap. V. 18.
(o) Lucæ XXIII. 28.
(p) II. Par. XXXV. 22.
(q) Act. II. 5.
(r) Vers. 41.
(s) Cap. IV. 4.
(t) Cap. VI. 7.
(u) Cap. II. 43.

GORDONI.

Vers. I. HIc ad litteram agitur de Machabæis, & pendet hoc totum caput ex bellis gestis inter Antiochum Epiphanem, & duces Machabæos: de hac enim Iudæorum partim clade, partim victoria prophetat Zacharias: præfatio est de Dei omnipotentia quam docet ab effectis cælo, terra, & creata hominis anima.

V. 2. En onus verbi Dei: erit illis Antiochi temporibus Ierusalem ut superliminare crapulæ, in quod scilicet ebrii impingunt, vel ex clade Iudæorum: vel quando hostes impugnantes cadent velut ebrii. Hebraice, סף *saph*, significat pelvim, vel calicem soporis; significat etiam limen: vide סףס. Ut ut sit, apparet ex his versiculis varius certaminum eventus: & tandem vers. 5. apparet Machabæus. Referuntur hæc mystice, vel allegorice ad persecutiones Ecclesiæ sub Apostolis.

ſtolis. Quod eſt verſ. 3. LAPIDEM ONERIS, Syrus habet, *lapidem conculcationis*.

V. 6. IN DIE ILLA. Et ad litteram Machabæi, & myſtice Apoſtoli denotantur hic feliciter progredi contra hoſtes. Fuerunt quidem illis temporibus ex domo & familia David non pauci; ſed per ſolos Machabæos, Deo protegente, & myſtice per Apoſtolos facta eſt victoria. Ne ullus ex domo David, aut alius glorietur (ut hic dicitur verſ. 7. & 8.) Dominus eſt qui facit hæc omnia; & ſuos tunc Deus ita fovebit, ut populus alioqui timidus reddatur validus, ut olim David: & populi duces erunt ut angelus. Quod ſi quis offenderit, redibit ad Deum & bellum pro patria, ut olim etiam David pœnitens.

V. 10. ET EFFUNDAM SUPER DOMUM DAVID, &c. Iam prolabitur Propheta apertius ad Chriſtum, promittens ab illo ſalutem credentibus: per Spiritum gratiæ effuſum, Hebr. חן *chen*, gratiam ſignificat, qua aliquis alteri fit gratus: rad. חנן *chanan*, gratiam fecit, gratioſe largitus eſt. ET ASPICIENT AD ME, QUEM CONFIXERUNT, &c. Hunc locum de Chriſto transfixo clavis in cruce interpretatur S. Ioannes cap. XIX. 33. & 37. *Videbunt in quem transfixerunt*, & conſentiunt Hieronymus, & omnes interpretes. Lege Alcazar. Apoc. I. 7. notat. 6.

At quiſnam eſt hic planctus, hoc verſ. 10. & inſequentibus? Sane ad litteram eſt fidelium planctus in morte Chriſti. Immo etiam ad litteram intelligi videtur planctus nunc fidelium in contemplanda morte Chriſti: ita Hieronymus, Albert. Alcazar, & alii. Nam ex contemplatione excitamus in nobis non tantum amorem, imitandi deſiderium & compunctionem, ſed etiam planctum & compaſſionem. Quod vero eſt hic, PLANGENT EUM, habet enallagen perſonæ: ſolent ſæpe Hebræi de ſe loqui nunc in prima perſona, nunc in tertia.

V. 11. SICUT PLANCTUS ADADREMMON, &c. Sicut habetur II. Paral. XXV. cum occiſus eſt Ioſias rex optimus a Pharaone Nechao in campo Mageddon, magnus fuit planctus: deſignatur hic etiam urbs Adadremmon iuxta Iſrael. At Septuag. habent, *ſicut planctus mali punici*, pro Remmon Hebraica voce: ſolent enim interdum pro nomine proprio ponere interpretationem. Sane Adadremmon ſignificat decorem mali granati; erat enim urbs valde amœna.

V. 12. Plangent quidem familiæ multæ, ſed præcipue quatuor, David, Nathan, Levi, & Semei; apud Septuag. pro Semei eſt Simeon: per has familias plerique cum Hieronymo intelligunt viros nobiles in Davide: ſacerdotes in Levi: Doctores & Scribas in Semei: Prophetas & viros religioſos in Nathan, hic eſt planctus magnus, & impii etiam plangent in die iudicii.

CAPUT XIII.

Cum fuerit fons patens domui David in ablutionem peccatoris, tollentur idola; & pseudoprophetæ a sibi charissimis lapidabuntur: quæ sint plagæ in medio manuum: percutiendus pastor, & oves dispergendæ: quæ partes hominum dispergentur in omni terra, & tertia per ignem probabitur.

1. IN die illa erit fons patens domui David, & habitanti-
bus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstrua-
tæ. 2. (*a*) Et erit in die illa, dicit Dominus exerci-
tuum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non
memorabuntur ultra: & pseudoprophetas, & spiritum
immundum auferam de terra. 3. Et erit, cum pro-
phetaverit quispiam ultra, dicent ei pater eius & ma-
ter eius, qui genuerunt eum: Non vives: quia mendacium locutus es in
nomine Domini, & configent eum pater eius & mater eius, genitores e-
ius, cum prophetaverit. 4. Et erit: In die illa confundentur prophetæ,
unusquisque ex visione sua cum prophetaverit: nec operientur pallio sac-
cino, ut mentiantur: 5. sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego
sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. 6. Et di-
cetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His
plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. 7. Framea suscitare su-
per pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus e-
xercituum: (*b*) percute pastorem, & dispergentur oves; & convertam ma-
num meam ad parvulos. 8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: †
partes duæ in ea dispergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in
ea. 9. Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos sicut uritur
argentum, & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen me-
um, & ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es, & ipse dicet: Do-
minus Deus meus.

(a) Ezech. xxxix. 13. (b) Mat. xxvi. 31. Marc. xiv. 27.

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 8. *Partes duæ in ea dispergentur & deficient*. Videtur legendum esse *disperdentur*, quod est succidentur, peribunt, non *dispergentur*, quod est dissipabuntur. Non enim est hic ea vox quæ supra vers. 7. *Et dispergentur oves*.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verf. 1. DIE, scilicet tempore Christi. FONS, scilicet doctrinæ & gratiæ. PATENS, scilicet expositus omnibus. DOMUI DAVID, id est, tribui Iuda. IERUSALEM, scilicet ibi Christus diu conversatus, & prædicavit. MENSTRUATAE, id est animæ inquinatæ peccatis, & abominabilis. Quidam per *peccatorem* Iudæos intelligunt, per *menstruatam*, Gentilitatem.

V. 2. SPIRITUM IMMUNDUM, scilicet dæmone vexatos homines.

V. 3. PROPHETAVERIT, scilicet falsa. CONFIGENT, id est interficiendum curabunt, seu crucigendum. Vide Deut. XIII.

V. 4. PROPHETAE, scilicet falsi. Chald. *pseudoprophetæ*. Ex VISIONE, id est ob visionem; quasi dicat: Punietur ab aliis sic, ut non audeat prophetare. PALLIO SACCINO, scilicet tali solebant uti pseudoprophetæ, præseferentes vitæ austeritatem. LXX. *pelle cilicina*.

V. 5. EXEMPLUM, scilicet agriculturæ; quasi dicat: Imitor Adam, qui terram colebat.

V. 6. ET DICETUR, &c. redit ad id, de quo sup. Ei, scilicet Christo. DILIGEBANT ME, scilicet olim. LXX. *dilecti mei*, scilicet populi.

V. 7. FRAMEA, id est gladio, scilicet mortis sententia, seu instrumenta. MEUM. Vox Patris, qui Filium dedit mundo in pastorem. COHAERENTEM, scilicet Patri consubstantialem quantum ad Deitatem, & quantum ad humanitatem valde coniunctum. PERCUTE, scilicet o framea. OVES, scilicet discipuli, qui fugerunt, & postea sunt per orbem dispersi ad prædicandum. PARVULOS, scilicet Apostolos e fuga reducendos, vel persecutione liberandos. LXX. *pastores*.

V. 8. PARTES DUAE, scilicet plures reprobi quam electi. DISPERGENTUR. Quidam legunt *disperdentur*. LXX. *peribunt*. TERTIA, scilicet electorum.

V. 9. IPSE, scilicet populus electus. Es. Hebr. Chald. & LXX. *est*.

ESTII.

Verf. 2. & 3. ET PSEUDOPROPHETAS ET SPIRITUM IMMUNDUM AUFERAM DE TERRA. ET ERIT CUM PROPHETAVERIT QUISPIAM ULTRA ET CONFIGENT EUM PATER EIUS ET MATER EIUS. De pseudoprophetis his sermo est: Et prædicitur zelus fidelium contra pseudoprophetas, qui in ecclesia non alii sunt quam hæretici. Locus hic conferendus cum Deut. XIII. ubi hæc eadem disertissimis verbis præcipiuntur. Et notandus uterque locus pro iusta hæreticorum punitione per potestates seculares, & pœnas corporales. Quod autem dicitur *configent eum*, non significat eos privata auctoritate occidendos, sed seposito omni carnali affectu, si aliter corrigi non possint, (quandoquidem periculum sit & alios per eos infici) eosdem esse prælatis ecclesiæ deferendos.

V. 6. ET DICETUR EI: QUID SUNT PLAGAE ISTAE IN MEDIO MANUUM TUARUM? ET DICET: HIS PLAGATUS SUM IN DOMO EORUM QUI DILIGEBANT ME. Hieron. Theodoret, & quidam alii hæc intelligunt de pseudopropheta plagis affecto a parentibus seu domesticis suis; eo quod mendacium locutus esset in nomine Domini. Qui sensus præcedentibus convenit. Sed alii potius de Christo interpretantur, qui & ipse plagas in manibus & pedibus tamquam seductor populi accepit, affixus Cruci a Iudæis; qui in gente ac genere propinqui erant; & ob hoc diligere cum merito debebant. Et huic sensui conveniunt, quæ proxime sequuntur: FRAMEA SUSCITARE SUPER PASTOREM MEUM, ET SUPER VIRUM COHAERENTEM MIHI, DICIT DOMINUS EXERCITUUM; PERCUTE PASTOREM, ET DISPERGENTUR OVES. Nam postrema illa verba Christus aperte apud discipulos suos, de se & sua passione iam imminente, interpretatur Matth. XXVI. & Marci XIV.

MARIANAE.

Verf. 1. IN DIE ILLA, scilicet cum planctus erit ob ducem & Domi-

 num

num confixum. ERIT FONS, seu *vena* aperta & patens. DOMUI DAVID. Hieronymus, id est ex domo David, hoc est, e templo, unde Ezechiel cap. XLVII. 1. vidit fontem erumpere, & in fluvium erescere; sed quoniam addit, ET HABITANTIBUS IERUSALEM, melius est, ut per *domum David* Principes, per *habitantes Ierusalem* plebem intelligamus; quasi dicat, Omnibus patens. IN ABLUTIONEM PECCATORIS ET MENSTRUATAE. Hebr. *ad peccatum & menstruatam*, id est pro illis ad expiationem peccati, seu peccatoris, & ablutionem menstruatæ. Per *menstruatam* omnia peccata intelligit, & sordes, quæ eo nomine comprehendit, quia de fonte egit, & menstruata aqua viva opus habet, sic Iudæi observant. Pro *menstruata* Sept. & Chald. dixerunt, *in aspersione*. Unde id? Per *fontem* intelligunt plerique Baptismi fontem, quo post Christi mortem abluuntur peccata. Possumus etiam absolute intelligere ablutionem peccatorum, de quibus mox agit, quæ auferentur, ut fonte sordes menstruatæ. Locutio est metaphorica, eoque variis modis potest explicari.

V. 2. DISPERDAM NOMINA IDOLORUM. Adventu Christi idola sunt ablata, & oracula obmutuerunt. Extat in Plutarcho Disputatio, Cur oracula cessarint. PSEUDOPROPHETAS auferam. Hebr. *prophetas*, scilicet falsos & mendaces. ET SPIRITUM IMMUNDUM: diabolo nocendi & fallendi potestas tunc est ablata.

V. 3. CUM PROPHETAVERIT QUISPIAM ULTRA, id est post Christi adventum, post sublata simulachra. NON VIVES; pro, non vivas. ET CONFIGENT EUM, id est flagellabunt, coercebunt pater eius & mater.

V. 4. CONFUNDENTUR, pudefient; non audebunt vaticinari, quia videbunt male id accipi, aut quia videne falsas esse visiones eas. NEC OPERIENTUR PALLIO SACCINO. Hebr. *pallio pilloso*, sed ex pilis fiebant sacci, quæ erat vestis Prophetarum, ut modo Monachatus austerioris. UT MENTIANTUR, ut mentiri possint, & vulgus credat quæ dicunt: quod apparatu externo capitur. Non ergo prophetabunt, sed dicent: Agricola ego sum.

V. 3. QUONIAM ADAM EXEMPLUM MEUM. Ut ille in sudore vultus victum quæsivit, sic ego a primis annis. Hebr. *quia Adam docuit me*; aut sic, *fecit ut gregem possiderem*. Itaque agriculturam & artem pastoritiam me docuit, eius exemplum sequor; neque religionis simulatione, ignaviæ alimenta quæro, ut falsi prophetæ.

V. 6. ET DICETUR EIS. Sic Chald. Hebr. *& dicet ei*, scilicet aliquis. HIS PLAGATUS SUM. Parentes sic me flagellarunt, quia scilicet prophetare tentavi.

V. 7. FRAMEA SUSCITARE SUPER PASTOREM MEUM, id est contra pastorem. Si prophetæ falsi occiduntur, ea occisione filium meum occident Pharisæi, quasi sit falsus propheta. *Suscitare*, pro, suscitabitur. Pro *framea* Sept. *rhomphaea* posuerunt, Aquila & Symmachus *machæra*, id est *gladius*, ut Hieronymus explicat. Hebr. sane חרב *hereb*, id est *gladius* seu *mucro* est. Isidorus Lib. I. de Differentiis, littera F. has voces sic distinguit, ut *framea* sit ensis utraque parte acutus; *machæra* gladius altera ex parte acutus: præterea *rhompæa* hastile habet. Val. Flaccus Libr. VI. rhomphææ hastile dat: sed & Tacitus de Moribus German. *hastas*, ait, *vel ipsorum vocabulo frameas ferunt angusto brevi & ferro*. ET SUPER VIRUM COHAERENTEM MIHI, id est socium, amicum, qualis Christus Patri fuit. Sept. *civem meum*. Aquila *contribulem meum*, Symmachus *virum populi mei*, Theodot. *proximum eius*. Eadem in omnibus versionibus sententia est. PERCUTE PASTOREM. Matth. XXVI. 31. *percutiam*, id est *percuti permittam*: atque Hebr. sic verti possunt, & Pagn. sic vertit, ut הך *hach* sit pro אך *ach*, *percutiam* Matth. de Christi morte explicat, & fuga discipulorum: neque est cur alias expositiones quæramus. ET CONVERTAM MANUM MEAM, non ut puniam, sed ut protegam. AD PARVULOS. Sic oves vocat, ut cap. XI. 16. eas *pueros* vocavit. Percusso pastore, non permittam tamen ut greges & oves tenellæ pereant.

V. 8. ET ERUNT IN OMNI TERRA, scilicet Israel: *in omni terra hac* propter ה demonstrativum. PARTES DUAE. Hebr. *os duorum*, id est portio duorum: duæ partes ibunt captivæ. DISPERGENTUR. Gotth. *disperdentur*: sic Lovan. sic Hebr. Sept. *peribunt*. Chald. *consumentur*. Itaque ex Iudæis pauci manebunt, quia pauci ad Christum convertentur, aut pauci manebunt

post

post Ierusalem a Tito captam. Ea merces erit occisi Christi.

V. 9. ET DUCAM eos paucos, tertiam partem reliquam variis cladibus affligam, quas per ignem intelligit, donec castigati malis invocent nomen meum, ad me & ad fidem convertantur. Tunc enim exaudiam eos, & liberabo eos. Ipsi vocabuntur Populus Dei, & ego vocabor eorum Deus.

MENOCHII.

Vers. 1. IN DIE ILLA: cum scilicet videbunt Christum in cruce confixum. ERIT FONS PATENS: Christus, qui factus est fons quidam sanguinis ad humani generis peccata abluenda. *Si quis sitit veniat ad me & bibat*, Ioannis cap. VII. PECCATORIS ET MENSTRUATAE: ad abluendas quaslibet peccatorum maculas, & sordes. Alludit ad aquas expiationis Numer. XIX. 11. quibus immunditia ex menstruo, morticino, &c. tollebatur.

V. 2. DISPERDAM NOMINA IDOLORUM, &c. in prædicatione Evangelii cessaverunt oracula, pseudoprophetæ, & spiritus immundi ex corporibus eiecti sunt apud Iudæos, & Gentiles.

V. 3. ET ERIT, &c. id est, tanta religione Deum colent, ut si falsus doctor surrexerit, eum vel sui parentes configant, & de medio tollant.

V. 4. CONFUNDENTUR PROPHETAE: scilicet cum viderint, non recipi suas prophetias, & sua dogmata, sed se potius contumeliis, & plagis affici, etiam a suis. NEC OPERIENTUR PALLIO SACCINO. Pagnin. & Vatabl. *pallio piloso*, id est cilicino, ex pilis contexto. Huiusmodi palliis utebantur prophetæ. Sensus est, non utentur pallio prophetali ad mentiendum, & ad decipiendum populum.

V. 5. ADAM EXEMPLUM MEUM: scilicet, agriculturæ; quasi dicat, Imitor Adam qui terram colebat.

V. 6. ET DICETUR EI, &c. Post digressionem de pseudoprophetis redit Zacharias ad Christum. QUID SUNT PLAGAE ISTAE, &c. quasi dicat, Quomodo cum sis fons benignitatis, & homines instituas ad salutem, video plagas clavorum in manibus tuis? IN DOMO EORUM, QUI DILIGEBANT ME: in populo illo in quo multos habere solebam, aut debebam, qui diligerent me. LXX. *in domo dilecti mei*, scilicet populi mei.

V. 7. FRAMEA SUSCITARE. Alii vertunt, *denudare o gladie*; alii, *excitare, o gladie*. Est imperativus pro futuro. Sensus est, gladius denudabitur; id est, Iudæi Christum ad necem usque persequentur, & tandem occident: significat Dei decretum de Christi morte futura, ex prævisa, & permissa a se Iudæorum malitia. PASTOREM MEUM: Christum Ecclesiæ pastorem. COHAERENTEM MIHI: Coniunctum mihi, & coæqualem, quatenus Deus est. PERCUTE PASTOREM; id est, percutietur pastor; sinam eum comprehendi, & in crucem agi. Locum hunc de se ipso explicat Christus Matth. XXVI. 31. DISPERGENTUR OVES: fugient præ timore discipuli. CONVERTAM MANUM MEAM AD PARVULOS. Non deseram discipulos meos humiles, & pauperes, sed eos iterum ad me vocabo post resurrectionem. Vel sensus est, percusso Christo capite percutiam etiam membra, permittens discipulos, & fideles eius variis modis vexari, ut sub capite spinis horrido, non sint membra delicata.

V. 8. PARTES DUAE: Iudæi, & Gentiles. DISPERGENTUR, ET DEFICIENT: veram salutem non consequentur, vel, numero minuentur deficiente Iudaismo, & Gentilismo. TERTIA PARS RELINQUETUR: populi scilicet Christiani, qui magno numero succrescet.

V. 9. DUCAM TERTIAM PARTEM PER IGNEM; id est, hunc populum salvandum exercebo, & probabo variis tribulationibus, ut fiat quasi aurum mundum. VOCABIT NOMEN MEUM: invocabit me, quia credet in me, & a me solo omnis generis bona expectabit.

TIRINI.

Vers. 1. ILLA DIE qua Christus (ut cap. XII. præcessit) e cruce suspensus aspicietur, *patescet* ex illo & ex illius vulneribus *a* FONS uberrimus, non solum doctrinæ, ut vult Remigius, sed & Sacramentorum & gratiarum omne genus; idque IN ABLUTIONEM PECCATORIS cuiuscumque, ET etiam MENSTRUATAE, id est ad tollendam omnem immunditiam & sordes

des

des ex transgressione, seu legis naturæ, seu legis Mosaicæ contractas. Alludit primo, ad aquas expiationis, Numer. XIX. 11. deinde ad aquas Siloe, Isaiæ VIII. 6. Ioan. IX. 7. denique ad aquas sub limine templi erumpentes, Ezech. XLVII. 1. Quæ omnes erant typi & figuræ vivi fontis nostri Christi, ut etiam Hebræi a Galatino Lib. IV. cap. ult. citati agnoscunt. *Patet* autem perpetuo hic fons non solum DOMUI, id est familiæ & posteris, *Davidis*, id est primatibus & nobilioribus personis, sed promiscue omnibus HABITANTIBUS IERUSALEM, etiam plebeiis, etiam e gentilismo conversis: *Erant enim tunc habitantes in Ierusalem ex omni natione quæ sub cælo est b.*

V. 2. IN DIE ILLA, id est eodem illo tempore, DISPERDAM idola, quin & NOMINA IDOLORUM de *omni* TERRA. Ita factum per Apostolos & discipulos Christi, & horum successores loquuntur omnes historiæ. Neque per SPIRITUM IMMUNDUM hic aliud intelligit quam dæmonem, qui idolis, quasi illorum anima, assistebat, & per illa loquebatur ac responsa dabat, ut ait S. Cyrillus, Remigius & Albertus.

V. 3. CUM QUISPIAM PROPHETAVERIT: scilicet falsa vel impia, ex instinctu maligni spiritus, ut præcessit, tanto zelo compescetur etiam a propriis parentibus, ut mortis supplicio plectendus sit *c* potius quam ab illis tolerandus. QUIA MENDACIUM LOCUTUS ES, nempe hæresin vel idololatriam. Ex quo loco discant Lutherani, non solum in veteri, sed etiam in nova lege hereticos morte plectendos. Nam & proprii parentes; si zelo ardeant honoris divini, sententia & manu iudicum CONFIGENT filium sic apostatantem; Tigurini, *confodient*; Vatablus, *transfigent*, supple gladio, lancea vel telo, vel clavis in cruce; LXX. compedibus eum *constringent*. Hebræum *dakaruhu* & Latinum *configent*, ut & *urent*, *secabunt*, & similia, in Scripturis idem significant, quod, gravem dolorem vel supplicium inferent, ut bene notat Sanchez. Porro metu tantorum suppliciorum territi tales pseudoprophetæ, non audebunt exinceps personam suam agere, vel more Prophetarum.

V. 4. OPERI PALLIO SACCINO; Pagninis, *pilloso*; Tigurini, *villoso*; LXX. *pelle cilicina*. Vestis enim exterior Prophetarum erat saccus cilicinus, ex pilis camelorum, equorum vel similium animalium contextus, ut ipso etiam habitu externo populum provocarent ad luctum & pœnitentiam, ut nostri quoque Capuccini faciunt. Similem vestrem assumebant etiam impostores isti, ut Prophetas se mentirentur:

V. 5. SED veriti plagas DICET quisque illorum. NON SUM PROPHETA amplius, discessi ab illo vivendi genere, iusto manuum labore victum mihi paro: HOMO AGRICOLA SUM: ADAM EXEMPLUM; id est, a puero imitatus sum *Adamum* & alios primos patres meos, qui suo exemplo docuerunt me colere agros, & *sudore &* *vultus* victum mihi meisque parare.

V. 6. ET DICETUR EI. Non pseudoprophetæ, ut S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Lyranus, Albertus, Arias & Vatablus putant: sed Messiæ de quo præcessit *e*, seu de Messia in cruce clavis, flagellis, spinis, lancea transfixo, inquit Rupertus, S. Thomas *f*, Ribera, a Lapide, & alii passim, immo & R. Samuel *g* & plures alii Hebræi a Galatino *h* citati. Et patet ex vers. seq. *Percute pastorem, & dispergentur oves*, quod ipsemet Christus de se explicat Matth. XXVI. 31. & Ecclesia in Officio Missæ de passione, hæc omnia applicat Christo. Vult autem Zacharias prophetia his manuum Christi plagis explicare quo sensu dixerit vers. 1. ipsum esse *fontem* omnibus *patentem*, nimirum patefactione manuum, pedum, lateris, cordis, totiusque corporis per clavos, lanceam, flagella, spinas.

Respondet Christus: HIS PLAGATUS, vulneratus, transfixus, SUM IN DOMO EORUM QUI ante DILIGEBANT ME, id est in Iudæa, in urbe Ierosolyma; quasi dicat: Cives, contibules, cognati, filii mei, tot nominis mihi obstricti, cum tot sæculis ad meum adventum anhelassent, & præsentem summe amare, venerari, colere deberent, extremo acti odio me in hanc crucem tot plagis conscissum egerunt. *Filii matris meæ l pugnaverunt contra me*. Quis cogitet vel possibile esse tam indignum facinus? Sed hoc factum divina mea (inquit Pater cælestis) providentia *m*, ut sic percussa petra (*petra autem n erat Christus*) patesceret clausus antea *fons*, de quo supra *o*. Igitur

V. 7.

V. 7. FRAMEA SUSCITARE; Tigurini, *excitare*; LXX. *consurge*; Chaldæus, *denudare o gladie*, evaginare, distringere: PERCUTE, & occide PASTOREM *meum*, id est quem ego toti orbi pastorem dedi, VIRUM *clarum*, ut vertit Arabicus Antiochenus, & omni exceptione maiorem, utpote arctissime adstrictum & COHAERENTEM MIHI, nempe consubstantialiter secundum divinam eius naturam; hypostatice secundum humanam. Unde Chaldæus & Pagninus vertunt, *socium*; Aquila & Theodotio, *contribulem meum*; Vatablus, *coæqualem mihi*. Porro *percute*, *suscitare*, & similia verba non significant hic imperium, sed permissionem divinam, absque qua nihil eiusmodi potuisset obvenire unigenito Filio Dei *p*. Percusso pastore DISPERGENTUR OVES illius, etiam primariæ, puta Apostoli & discipuli, ut Christus ipsemet exponit *q*. Nec stabit hic tempestas, sed etiam AD PARVULOS eius agnos, nempe recens conversos ad Christum, pari modo percutiendos, *convertam* & extendam MANUM MEAM, per lictores meos tyrannos, non Ierosolymæ tantum, sed & Romæ, & in reliquo toto orbe. Idque ut similes illos reddam pastori suo, suumque in me & in ipsum amorem contestandi, aliasque virtutes exercendi aniam illis obiiciam, gloriamque tum ipsorum, tum meam illustrem & augeam: ita Theodoretus, Lyranus & alii. Sed non solam Ecclesiam Christi infestabunt tyranni. Infestabunt sane, & quidem accerrime, etiam Synagogam. Nam ante ista Messiæ tempora, acerbissimam Iudæis afflictionem ac tribulationem movebunt Asiatici reges, Antiochus Epiphanes, & alii sequaces ipsius, quorum partim minis & edictis crudelissimis *r*, partim tormentis intolerabilibus, facile

V. 8. *&* 9. DUAE PARTES totius *terræ* Iudaicæ DISPERGENTUR, vel potius (ut Lovanienses legunt) *disperdentur* (nam Hebræum *iiccaretu* significat *exscindentur*, vel *consumentur*, ut Chaldæus, vel *peribunt*, ut LXX. verterunt:) vel, si in vivis maneant, DEFICIENT a fide, a religione ad impia *s* Gentilium sacra; ita ut vix TERTIA PARS in vita & in officio mansura sit; & hæc ipsa *pars tertia* millenis adhuc afflictionibus, SICUT AURUM in fornace, excoquetur.

(a) Hic vers. 8.
(b) Actor. II. v.
(c) Deut. XIII. 6.
(d) Genes. III. vers. 19.
(e) Hic cap. XII. 10. & XIII. 4.
(f) S. Thom. in Psal. XXI.
(g) R. Samuel de Adventu Messiæ cap. VII.
(h) Galatin. Lib. VIII. cap. XVII.
(i) Cant. I. vers. 5.
(k) Actor. II. 13.
(l) Cant. I. 5. (m) Actor. XI. 13.
(n) Exodi XVII. 6. & I. Cor. X. 4.
(o) Hic ver. I.
(p) Ioan. XIX. 11.
(q) Matt. XXVI. 31.
(r) Mach. V. 14. 22. 26.
(s) II. Mach. VI. 6. & seq.

GORDONI.

Vers. I. CErtum est ex recte sentientium sententia hic agi de Christo, qui est fons ille (מקור *makor*, *scaturigo*) in domo David, habitantibus in Ecclesia. Ex cuius aqua fiet ut dispergantur idola, pereant pseudoprophetæ: & ita (vers. 3.) ut ipsi parentes puniant hæc delicta in propriis filiis, in quos se amabunt pro causa Dei: vides hic allusionem fieri ad fontem Siloe, de quo alibi dixi: vide Adrich. En etiam allusionem ad aquas expiationis legalis, velut typum veræ ablutionis per baptismum & pœnitentiam. Sequitur vers. 5. ADAM EXEMPLUM MEUM, hoc est, tunc sub Christo & Apostolis, homines impune non profitebunt falso se esse Prophetas, sed pastores potius, exemplo veterum patrum, aut paterna rura colere, aut quid simile.

V. 6. ET DICETUR EI QUID SUNT PLAGAE, &c. Post sermonem de pseudoprophetis Zacharias redit ad Christum, ubi conceptis verbis exprimit plagas manibus ac lateri infixas: & quod sequitur vers. 7. PERCUTE PASTOREM, habetur citatum & approbatum Math. XXVI. & sensum hunc planissime explicant Septuag.

V. 7. FRAMEA SUSCITARE, &c. Hebr. *o gladie suscita te*, חרב *cherab*, quod alii frameam, alii machæram, aut gladium vertunt. His verbis Deus loquitur pronuncians decretum de morte Christi pro salute mortalium, & imperativum hoc, *percute pastorem*, positum videtur pro futuro; ubi etiam decretum supponit præscien-

scientiam malæ voluntatis Iudæorum. Parvuli hic sunt Apostoli, & pusillus grex credentium initio Ecclesiæ. Per virum cohærentem Deo patri (qui hic loquitur) intellige Christum. Nam secundum divinitatem est consubstantialis, & ratione humanitatis est alio titulo cohærens.

V. 8. ET ERUNT IN OMNI TERRA, &c. Verum est & sub lege gratiæ fixum, ex tribus partibus nec Iudæi, nec Gentiles (quæ duæ partes sunt) salvabuntur, tertia quæ est Christianorum electorum salvabitur. Sed per varias tribulationes eo perveniet. Ceterum tertiam partem accipe non æqualem ceteris, aut mathematice, sed unam ex tribus. Nam plures peribunt, ut apparet (ex sua mala voluntate) quam sint salvandi: multi vocati, sed pauci electi, Math. VII. 13.



CAPUT XIV.

Postquam Ierusalem passa fuerit captivitatem aliasque afflictiones a Gentibus, erit dies nota Domino, cum exibunt aquæ vivæ de Ierusalem: & filii Israel revertentur, habitaturi secure in Ierusalem: percutietque Dominus plaga Gentes quæ pugnaverunt adversus Ierusalem, & harum reliquiæ ascendent ut adorent Dominum in Ierusalem, sanctumque erit quod est super frænum equi.

1. Cce venient dies Domini, & dividentur spolia tua in
medio tui. 2. Et congregabo omnes Gentes ad Ierusa-
lem in prælium, & capietur civitas, & vastabuntur do-
mus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars
civitatis in captivitatem, & reliquum populi non aufe-
retur ex urbe. 3. Et egredietur Dominus, & præliabi-
tur contra Gentes illas, sicut præliatus est in die certa-
minis. 4. Et stabunt pedes eius in die illa super Montem olivarum, qui
est contra Ierusalem ad Orientem: & scindetur Mons olivarum ex media
parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, * prærupto grandi valde; & se-
parabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem. 5. †
Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium
usque ad proximum: & fugietis (*a*) sicut fugistis a facie terræmotus in
diebus Oziæ regis Iuda: & veniet Dominus Deus meus, omnesque
sancti cum eo. 6. Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus & gelu.
7. Et erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neque nox: & in
tempore vesperi erit lux. 8. Et erit in die illa: Exibunt aquæ vivæ de
Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare
novissimum: in æstate & in hieme erunt. 9. Et erit Dominus Rex super
omnem terram: in die illa erit Dominus unus, & erit nomen eius unum.
10. Et revertetur omnis terra usque ad desertum, de colle Remmon ad
Austrum Ierusalem: & exaltabitur, * & habitabit in loco suo, a porta
Beniamin usque ad locum portæ prioris, & usque ad portam angulorum:
& a turre Hananeel usque ad torcularia regis. 11. Et habitabunt in ea,

& ana-

& anathema non erit amplius: sed sedebit in Ierusalem secura. 12. Et hæc
erit plaga, quæ percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnaverunt adversus Ierusalem: tabescet caro uniuscuiusque stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo. 13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manum proximi sui.
14. Sed & Iudas pugnabit adversus Ierusalem, & congregabuntur divitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum, & vestes multæ satis. 15. Et
sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc. 16. Et omnes qui reliqui fuerint de universis Gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, ut adorent Regem, Dominum exercituum, & celebrent festivitatem tabernaculorum. 17. Et erit: qui non ascenderit de familiis terræ ad Ierusalem, ut adoret Regem, Dominum exercituum, non erit super eos imber. 18. Quod & si familia AEgypti non ascenderit, & non venerit, nec super eos erit, sed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 19. Hoc erit peccatum AEgypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem tabernaculorum. 20.
In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari. 21. Et erit omnis lebes in Ierusalem & Iuda sanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illo.

(a) Amos 1. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Ver. 4. *Prærupto grandi valde*. Non scribas quarta declinatione *præruptu*, id est vocalem *u* quintam pro *o* quarta.

Ver. 10. *Et habitabit in loco suo*. Alii legunt passive *habitabitur* sed minus recte.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 5. *Et fugietis ad vallem montium eorum*. Coniiciunt probabiliter quidam pro nomine tertiæ personæ *eorum*, scribendum esse primæ *meorum* ut est Hebr. & Græce.

NOTATIO.

Vers. 10. ET *exaltabitur & habitabitur in loco suo*. Quod quidam codices, impressi præsertim post primas illas quas sæpe commemoravimus editiones, legunt *habitabitur*, admittere & hoc possit fons Hebraicus: sed ut pleraque omnia, ita emendatiora manuscripta *habitabit* habent; nec nostra tantum, verum etiam Parisiensium; neque non Hentenii, qui cum Parisiensibus in textum *habitabit* recepit: id quod D. Hieronymi, Altisiodorensis, & Ruperti commentaria probant.

S A.

Verf. 1. DIVIDENTUR[1], fcilicet a Romano milite.

V. 2. MEDIA, id eft altera. EX URBE, fcilicet fed in ea occidetur.

V. 3. PROELIABITUR, fcilicet gladio Evangelico. CERTAMINIS, fcilicet contra AEgyptios in Mari rubro; quafi dicat: Interficiet Gentium errores & vitia in Baptifmo.

V. 4. STABUNT, fcilicet cum in cælum afcendet; vel, cum Gentes ad fe vocaverit, ut *Mons Olivarum* fignificet Ecclefiam Gentium. PRAERUPTO. Chald. *valle*. LXX. *voragine*. MEDIUM, id eft altera illarum duarum partium dictarum; quafi dicat: Ubi fciffus fuerit, altera pars ad Aquilonem inclinabit, altera ad Auftrum, ut indicant Chald. & LXX. Vel fignificat (ut quidam volunt) dividendum in quatuor partes in modum crucis. Eft autem fenfus, magnam fore in Gentibus ad Evangelii prædicationem commotionem, fciffis cordibus, & humiliatis; fed tandem alteram partem falvandam, alteram condemnandam. *Aquilo* enim reprobos fignificat, fcilicet frigidos malitia. *Aufter* electos, fcilicet calidos charitate. Vel fignificat montium concuffiones futuras die iudicii. Exprimit vero unum, per quem reliqui intelligantur.

V. 5. FUGIETIS, fcilicet Iudæi increduli. MONTIUM EORUM, id eft Sion, & Oliveti, feu Moria; quafi dicat, Recurretis ad Legis cærimonias. VALLIS MONTIUM, fcilicet ad quam fugietis. USQUE AD PROXIMUM; quafi dicat, Non longe aberit, fcilicet prope eft Iudæis lex vetus, & ritus antiqui, quocumque eant. VENIET, fcilicet ad iudicium.

V. 6. LUX, fcilicet reprobis. FRIGUS; fcilicet peccati, & fupplicii.

V. 7. NON DIES, &c. quafi dicat: In cælo non erit dierum & noctium viciffitudo. VESPERI, &c. quafi dicat: Semper lux erit, & non, ut nunc, vefpertina obfcuritas.

V. 8. AQUAE, fcilicet doctrinæ Chrifti, & gratiæ. IERUSALEM, id eft Ecclefia. MEDIUM, &c. quafi dicat, Pars ad Orientem, pars ad Occidentem, fcilicet in totum orbem. ORIENTALE, fcilicet Mortuum. NOVISSIMUM, fcilicet Mediterraneum, quod eft in fine Palæftinæ. IN AESTATE, &c. quafi dicat, Perpetuo.

V. 9. DOMINUS, fcilicet Chriftus. ERIT, id eft agnofcetur effe.

V. 10. REVERTETUR, fcilicet ad Chriftum. USQUE AD DESERTUM, &c. per hæc defignatur multitudo credentium[1], & Ecclefiæ amplificatio. REMMON: eft in tribu Beniamin ad Septemtrionem Ierufalem. EXALTABITUR, fcilicet Ierufalem, id eft Ecclefia. A PORTA; pro, velut fi nunc de terrena diceremus, *a porta*, &c. vide Ierem. XXXI.

V. 11. ANATHEMA, id eft excifio, feu vaftatio: id enim eft Hebr. כרם *cherem*. Chald. *occifio*. SECURA, fcilicet a malis. Chald. *confidenter*. LXX. *confidens*, fcilicet Deo protegente.

V. 12. TABESCET, id eft confumetur, feu vigorem amittet.

V. 13. TUMULTUS. Chald. *conturbatio*. LXX. *ftupor*. DOMINI, fcilicet punientis hoftes Ecclefiæ. APPREHENDET, fcilicet præ timore, velut opem petens. CONSERETUR, &c. Explicatio præcedentis.

V. 14. IUDAS, id eft Iudæi, feu falfi improbique Chriftiani. GENTIUM, fcilicet Ecclefiam oppugnantium.

V. 15. ET SIC ERIT, &c. quafi dicat, Vincentur tamen cum omni bellico apparatu. RUINA HAEC, fcilicet hominum, quam fupra diximus; vel forte cum id diceret Propheta, aliquid fregit, aut egit, quo ruinam fignificaret.

V. 16. RELIQUI, fcilicet converfi ad fidem. AB ANNO IN ANNUM, id eft fingulis annis; quafi dicat, Semper. TABERNACULORUM, fcilicet agentes tamquam peregrini in mundo, vel per id intellige Fefta omnia Ecclefiæ.

V. 7. IMBER, fcilicet gratiæ & favoris Dei.

V. 18. AEGYPTI; quafi dicat: Etiam illi qui videntur alieniffimi a cultu veri Dei, vel qui videntur abundare aqua doctrinæ, ut AEgyptus aqua Nili. ERIT, fcili-

scilicet imber: perdit enim Deus sapientiam sapientum, &c.

V. 19. PECCATUM, id est pœna peccati. Chald. *punitio*, scilicet privabuntur doctrina vera, & gratia.

V. 20. QUOD SUPER FRENUM, id est ornamenta. Chald. *phalera*. SANCTUM, &c. quasi dicat, Belli apparatus convertetur in Dei cultum. Quidam id referunt ad clavum sanctum a Constantino positum in equi freno ad bellicos successus, quem ego anno 1550. in Gallia vidi Carpentorati, ubi religiose asservabatur. QUASI PHIALAE, id est magno numero; quasi dicat: Multa erunt instrumenta ad Dei cultum, quia magna populi devotio.

V. 21. OMNIS, scilicet ad Dei cultum necessarius; quasi dicat: Abundabit Ecclesia rebus necessariis, ut nihil cuiquam desit ad Deo serviendum. MERCATOR, scilicet rerum spiritualium, seu simoniacus.

ESTII.

Vers. 21. ET NON ERIT MERCATOR ULTRA IN DOMO DOMINI EXERCITUUM IN DIE ILLA. Non dicit in Israel, aut in populo meo, sed *in domo Domini*, quia Christus eiecit ex domo patris sui ementes & vendentes. Per quos scilicet illi significati sunt, qui gratiam Dei in ecclesia venalem habent. Sed in quies, Tales adhuc multi sunt in ecclesia Dei. Respondeo, Prophetam hoc non velle, quod nulli tales sint futuri, sed ecclesiam contra eos gravissimas leges sancituram, ut quantum in ipsa est, iam non sint: hoc autem synagoga non fecit. Alii pro eo quod habemus *mercator*, vertunt *Chananæus* quod & a Septuaginta factum videtur, non male. Hoc enim vocabulum apud Hebræos ambiguum est ad nomen gentis, & ad mercatorem. Itaque putant interpretem nostrum, mercatorem posuisse, pro Chananæo, quomodo idem vice versa Proverb. ult. Chananæum dixit pro mercatore in illis verbis: *Cingulum fecit & vendidit, & tradidit Chananæo*. Et hæc interpretatio faciliorem habet sensum; quo nimirum significetur, non futurum amplius, ut exteræ, & a cultu Dei alienæ gentes, ac populo Dei inimicæ penetrent usque in domum Domini; quod factum fuerat a Chaldæis, aliisque gentibus in eversione civitatis Ierusalem; quemadmodum in suis lamentationibus deplorat Ieremias. Huius sensus & Hieron. meminit; qui tamen Aquilam secutus, mercatorem vertere maluit.

MARIANAE.

Vers. 1. ECCE VENIENT DIES DOMINI. Hebr. *venit*, aut *veniet*: sic Vulg. Regia. Vocatur *dies Domini*, quoniam in eo ostendit gloriam & potentiam suam. ET DIVIDENTUR SPOLIA TUA IN MEDIO TUI. Sic solent milites captam intra urbem dividere spolia, præsertim cum sibi ab hostibus nihil timent.

V. 2. ET CONGREGABO. Illis eam mentem iniiciam conveniendi contra Ierusalem. OMNES GENTES. Exercitus ex variis Gentibus erit conflatus. ET CAPIETUR CIVITAS. Plerique hoc ad Titi obsidionem referunt. Verum post ea tempora non video Iudæis contigisse felicitatem, quæ hoc Capite continetur. Ergo aut de Ptolemæo Lagi intelligo, qui dolo occupavit Ierusalem; Iosepus. Libro XII. cap. I. aut de Antiocho Epiphane, qui eam urbem aliquanto post cepit: idem eod. Lib. cap. VII. ET EGREDIETUR MEDIA PARS. Multi utroque tempore cives abducti sunt in captivitatem, neque urbs penitus exeisa est, ut a Nabuchodonosore & Tito. Id significat, cum ait, RELIQUUM POPULI NON AUFERETUR. Hebr. *non exscindetur ex urbe*.

V. 3. ET EGREDIETUR DOMINUS, vindicabit eas Gentes. SICUT PRAELIATUS EST IN DIE CERTAMINIS, cum scilicet interfecit AEgyptios ad mare Rubrum, Exod. XIV. 24.

V. 4. SUPER MONTEM OLIVARUM, id est de proximo Deus auxiliabitur. QUI EST CONTRA IERUSALEM. Hebr. *ad facies*. Chald. *e regione*, id est prope Ierusalem. SCINDETUR MONS OLIVARUM, id est Iudæi scindentur; alii a suis stabunt, alii hostibus favebunt. EX MEDIA PARTE SUI, id est per medium. AD ORIENTEM, ET AD OCCIDENTEM, scilicet ruptura ad duas has plagas spectabit. PRAERUPTO GRANDI. Hebr. *valle magna valde*, scilicet ex ea ruptura effecta. ET SEPARABITUR. Hebr. *Recedet pars montis ad Aquilonem, pars ad Austrum*. Significat his verbis, fore illud dissidium inter Iudæos irrecon-

ciliabile. Inimicitiæ inter propinquos graviores quam cum aliis sunt.

V. 5. ET FUGIETIS AD VALLEM MONTIUM EORUM. Lege *meorum*, pro *eorum*. Sic Hieronymus in Comment. & Sept. sic etiam Hebr. הרי *harai*, nisi quod eam vocem Hebræi positam dicunt pro הרים *barim*, nescio quid secuti. Chald. sane *vallis montium* dixit, sine *meorum*. Ergo in ter eos duos montes se condent, quia alii ad hostes confugient, alii cum suis persistent. QUONIAM CONIUNGETUR. Hebr. *pertinget* vallis montium, scilicet eorum. USQUE AD PROXIMUM, scilicet locum. Hebr. *ad Azal*, nomen loci, ad quem ruptura pertingebat: sic Sept. & Chald. & plerique e Græcis Interpretibus eam vocem intactam reliquere, solus Symmachus *proximum* dixit, quem Hieronymus est secutus. Significat vallem longissimam esse, multos capere. Loquitur ænigmatice de civium dissidio. A FACIE TERRAEMOTUS. De hoc terræmotu plura Amos 1. initio. Ergo ut fugam tunc prohibere nemo poterat, ita nec vestrum dissidium & fugam in diversas partes pacare. ET VENIET DOMINUS. Præsto tamen erit Deus sanctis Angelis comitatus ad urbis tutelam & gentis.

V. 6. NON ERIT LUX, SED FRIGUS ET GELU. Sic Sept. Luce frigus temperatur, tenebris crescit. Significat diem, quo veniet Dominus, fore asperum: quibus? hostibus plane. Hebr. *non erit lux claritatum, coagulationis*, pro, sed coagulationis, id est non erit lux clara, sed densa: sic Hebr. Chald. *non erit lux, sed præda & gelu*.

V. 7. ET ERIT DIES UNA, id est singularis, extraordinaria. QUAE NOTA EST DOMINO. Solus Deus scit quam aspera erit illa dies. NON DIES NEQUE NOX. Lux erit aliqua, sed neque qualis per diem, nec tenebræ nocturnæ: sed maligna, qualis in crepusculo. ET IN TEMPORE VESPERI ERIT LUX, id est erit lux ut in tempore vespertino. Hebr. *& erit ad tempus vesperæ, erit lux*, id est qualis illo tempore. Hoc contra hostes: quid pii?

V. 8. EXIBUNT AQUAE VIVAE, id est summa erit felicitas, summa ubertas; tota regio erit irrigua aquis, quæ egredientur de Ierusalem, & ad utrumque mare pertingent. ORIENTALE, id est Mare mortuum, aut mare Tiberiadis. NOVISSIMUM, id est Occiduum, Mediterraneum: neque aquæ illæ deficient, neque in hieme, neque in æstate, ut proxima verba habent.

V. 9. SUPER OMNEM TERRAM illam scilicet Israel: non alius deus coletur in ea. ET ERIT NOMEN EIUS UNUM, seu *unius*, non aliud nomen dei alterius audietur.

V. 10. ET REVERTETUR OMNIS TERRA USQUE AD DESERTUM; id est, omnes Iudæi e deserto & colle Remmon revertentur Ierusalem, ut eam instaurent. Heb. *circumdabitur omnis terra hæc ut planities*, scilicet iis aquis, rivis inde deductis tota irrigabitur, quamvis montuosa, ac si esset plana, ערבה *Herabah* & *desertum* & *planitiem* significat. DE COLLE REMMON AD AUSTRUM; pro, qui est ad Austrum Ierusalem. Alii vertunt, *A Gabaa ad Remmon* (qui est) *ad Austrum Ierusalem*. Quibus verbis significat felicitatem quæ erat futura, perinde ac si tota regio esset irrigua. ET EXALTABITUR, scilicet Ierusalem bonis fruetur. A PORTA BENIAMIN. Nomina erant portarum & locorum in ea urbe, quam totam circulo instaurandam & habitandam dicit. Quod Machabæorum tempore videtur contigisse.

V. 11. ET ANATHEMA NON ERIT, id est occisio, sanguinis effusio; quieta omnia erunt. SED SEDEBIT IERUSALEM SECURA, seu *habitabitur Ierusalem confidenter*, id est sine ullo metu erit. Quid hostes?

V. 12. ET HAEC ERIT PLAGA, id est supplicium quod sumetur de hostibus. TABESCET, seu *liquefiet* caro cuiusque. STANTIS SUPER PEDES SUOS, id est sine ullo morbo, qui lecto eos affigat, tabescent, nulla certa causa, eoque remedio difficiliori. ET OCULI EIUS, id est cuiusque eorum. IN FORAMINIBUS SUIS, intra palpebras contabescent.

V. 13. TUMULTUS, seu *contritio*. Chald. *turbatio*. Sept. *stupor*. DOMINI, id est magnus. *Mons Dei, mons pinguis*; aut a Deo immissus tumultus civilis, quo inter se irruent hostes, alii in alios. ET APPREHENDET VIR, &c. id est quisque cum proximo conseret manum, pugnabit cum eo. ET CONSERETUR MANUS EIUS, id est cuiusque. Hebr. *ascendet manus eius super manum*, id est conserent manum, ut Hieronymus dixit, quisque cum proximo suo.

V. 14. SED ET IUDAS PUGNABIT ADVERSUS IERUSALEM, scilicet coacta ab ho-

ſtibus. Et congregabuntur divitiae, ſcilicet in hoſtium caſtra, direptis omnibus circum Gentibus, quo maior erit parata piis præda.

V. 15. Et sic erit ruina, ſeu *plaga*: qualis dicam. Equi; pro, equorum, camelorum. Sicut ruina haec, ſicut plaga hæc, id eſt ſupradicta: nimirum contabeſcent, morientur omnia animalia, quæ erunt in hoſtium caſtris.

V. 16. Qui reliqui fuerint de hoſtibus. Goth. *relicti*. Sept. *derelicti*. Chald. *remanſerint*. Ascendent ab anno in annum, omnibus annis aſcendent in Ieruſalem, ſcilicet ut colant Deum verum. Et celebrent festivitatem tabernaculorum. Menſe Septembri *Tizri* die quinta decima id Feſtum celebrabatur col lectis fructibus, ſedatis æſtatis ardoribus; ſic commodum erat illo potius tempore quam alio ire Ieruſalem.

V. 17. De familiis terrae, id eſt de Gentibus. *Familia* pro *gente* ſæpe. Qui non aſcenderit Ieruſalem, carebit imbre.

V. 18. Si familia AEgypti, id eſt AEgyptus non venerit ad id Feſtum. Nec super eos erit, ſcilicet imber. Per imbrem, Nili inundationem intellige; nam in AEgypto non pluit, neque imbre opus habent. Non ergo erit imber, ſed potius communi plaga aliarum Gentium ariditatis & ſterilitatis involventur.

V. 19. Hoc erit peccatum AEgypti, id eſt pœna peccati.

V. 20. In die illa erit, quod super fraenum equi est. Sic Sept. Heb. *erit ſuper tintinnabula equi ſanctitas Domino*. Chald. per *tintinnabula* intelligit equorum phaleras, quas hoſtibus ablatas offerent Deo, ut ſint victoriæ monimentum. Et erunt lebetes, ſcilicet capti in hoſtium caſtris, & oblati Deo magno numero, erunt quaſi phialæ coram altari, quæ erant innumeræ.

V. 21. Omnis lebes, ſcilicet captus de hoſtibus, & erit poſitus in templo. Et coquent in eis: carnes ſcilicet oblatæ hoſtiæ. Et non erit mercator, ſcilicet a quo lebetem ſacrificans emat, aut conducat, quoniam in templo erit lebetum copia. Hebr. & Sept. *non erit Chananæus*; ſed *Chananæus* ſæpe pro *mercatore* ſumitur, Prov. xxxi. 24. *Cingulum tradidit Chananæo*. Chald. etiam hic pro *Chananæo*, *mercatorem* poſuit עבר תגרא *Habed tagra*, *vir negotiator*, id eſt *mercator*, ut eſt in Vulgata.

MENOCHII.

Verſ. 1. Dies Domini: cum ſcilicet Ieruſalem capietur ab Antiocho Epiphane, Deo Iudæis irato, & eorum peccata hac clade plectente. Dividentur spolia tua, &c. ſpolia detracta Iudæis in media Ieruſalem a militibus Antiochi dividentur.

V. 2. Omnes gentes: exercitum Antiochi ex variis gentibus conflatum. Egredietur media pars civitatis in captivitatem: ita factum eſt, ut conſtat ex Lib. II. Machab. v. 14. Non tamen media pars exacte, & arithmetice intelligenda eſt, ſed moraliter; quaſi dicat, Una pars civium egredietur in captivitatem, altera in urbe remanebit. Reliquum populi non auferetur ex urbe: quia ſcilicet dedent ſe Antiocho.

V. 3. Egredietur Dominus: excitans quodammodo zelum, & potentiam ſuam contra Antiochum, & Gentiles. Praeliabuntur contra Gentes: per Machabæos. In die certaminis: ſcilicet inclyti illius, cum demerſit AEgyptios in mare rubrum, Exod. xiv.

V. 4. Stabunt pedes eius in die illa super montem olivarum. Deſcendet Deus cum ſuis Angelis in Montem oliveti, ut ex eo propugnet Ieruſalem, & profliget copias Antiochi. Sub hoc typo, ſublimiori ſenſu, ſignificatur Chriſtus Deus factus homo ſtaturus, & verſaturus in monte oliveti in quo diſcipulos docuit, oravit, & ex quo aſcendit ad cælum. Miſcet enim Zacharias typo antitypum, & ad Chriſtum mente fertur, de quo hic quædam dicuntur, & de eius Eccleſia, anguſtiora quam ut temporibus Machabæorum convenire poſſint. Scindetur mons olivarum. Videtur hoc factum tempore Machabæorum de quibus hic ſermo, licet in Machabæorum hiſtoria non narretur. Verius tamen exiſtimo, quod aliqui tradunt, Montem olivarum tempore iudicii ſcindendum in quatuor partes, ut fiat planities in qua excipiantur iudicandi, vel ut aperiatur vorago, quæ damnatos abſorbeat. Senſu ſublimiori Mons oliveti, id eſt Eccleſia ſciſ-

ſa

sa est cum ibi a Christo ascendente iussi sunt Apostoli ire in mundum universum, & Evangelium prædicare omni creaturæ. PRAERUPTO GRANDI VALDE: magna voragine patefacta.

V. 5. FUGIETIS AD VALLEM MONTIUM EORUM. Ribera ait manifestum esse mendum, & omnino legendum *Montium meorum*, ut constat ex Hebræo, & ex LXX. multisque antiquis, & recentioribus interpretibus, & ex translatione, quæ est apud D. Hieronymum, atque ex eiusdem commentariis. Sensus ergo est, cum scindetur Mons oliveti, fugietis ad vallem montium meorum, id est in vallem Mello, sive Tyropæi, quæ interiacet inter montem Sion, & montem Moria; hi enim sunt montes mei, quia in Moria habeo meum templum, in Sion vero arcem David. QUONIAM CONIUNGETUR VALLIS MONTIUM. Pagninus, & Vatablus ex Hebræo vertunt, *Pertinget vallis montium*, id est Vallis, sive vorago facta ex montis scissione pertinget usque ad proximum, &c. MONTIUM. Dicit, *montium*, in plurali, quia post scissionem iam erunt quasi quatuor montes. USQUE AD PROXIMUM. Aliqui vertunt, *Usque ad separatum*, scilicet a terræ motu, ideoque securum locum. Aliqui retinent Hebraicam vocem אצל *Atsal*, quasi sit nomen proprium loci. SICUT FUGISTIS, &c. quasi dicat, Ea trepidatione, celeritate, & turba, qua fugistis a terræmotu, qui contigit tempore Oziæ, de quo vide dicta Amos I. I. VENIET DOMINUS DEUS, &c. Præliaturus pro Iudæis per Machabæos contra Antiochum, eumque protriturus. OMNES SANCTI: Angeli. Sensu sublimiori significatur descensus Christi ad iudicium extremum.

V. 6. NON ERIT LUX. Allegoria tenebrarum denotatur tempus calamitatis, & afflictionis Iudæorum in persecutione Antiochi. Dies etiam iudicii erit dies afflictionis, & tenebrarum peccatoribus, qui etiam evadere non poterunt, nam omnia illis obtenebrescent, eritque fuga illorum impedita, ut tempore hiemis cum luto, & glacie viæ fœdæ sunt: sic dicitur Matth. XXIV. *Orate ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.*

V. 7. ET ERIT DIES UNA, id est tempus persecutionis. QUAE NOTA EST DOMINO: quod tempus, & eius acerbitas nota est Domino. NON DIES NEQUE NOX. Tempus illud non videbitur esse dies, quia obscurum erit, & mœstum propter Tyranni sævitiam; & tamen non erit nox, quia qui eo tempore vivent, haurient hanc solis lucem, & claritatem. ET IN TEMPORE VESPERI ERIT LUX. Ad vesperam erit lux, id est ad finem huius calamitosi temporis solvetur hoc nubilum, & lucem prosperitatis afferent Machabæi reipub. Iudaicæ.

V. 8. EXIBUNT AQUAE VIVAE DE IERUSALEM. Videtur hoc ad litteram intelligendum de aquis fontanis, aut artificio canalium In Ierusalem inductis, & deinde extra civitatem emissis. Machabæi enim fontes, & aquæductus civitatis ad commoditatem, & ornatum videntur instaurasse. Sesu sublimiori per has aquas designatur Evangelica doctrina, quæ erumpit ex Ecclesia, ut totum orbem irriget. Isa. XI. dicitur: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* MEDIUM EARUM, id est pars earum. AD MARE ORIENTALE, id est respiciunt mare mortuum, nimirum Fons Siloe, Fons Rogel, Fons Draconis, torrens Cedron, & probatica piscina. AD MARE NOVISSIMUM. Altera pars respiciebat mare mediterraneum versus Occidentem, ubi erat fons Gihon, isque duplex superior, & inferior. IN AESTATE, ET HIEME ERUNT: hæ aquæ perennes erunt, nec umquam deficient ne in summo quidem æstu.

V. 9. ET ERIT DOMINUS REX SUPER OMNEM TERRAM. Vix hoc Machabæis convenit, & eorum tempori; apte vero Messiæ, & Ecclesiæ; nam Christus conversa ad fidem gentilitate regnum suum per totum orbem propagavit. Si de Machabæis tantum intelligamus, per omnem terram intelligemus tantum terram Iudæam. NOMEN EIUS UNUM: non enim audientur nomina idolorum, sed tantum nomen veri Dei.

V. 10. REVERTETUR OMNIS TERRA; id est, Iudæi qui in persecutione Antiochi huc & illuc fugerant, revertentur ad patrias sedes. In Hebræo est, *Circumdabitur omnis terra velut planicies;* & sensus esse potest, Omnis terra aquis illis fontanis, quarum mentio facta est, circumdabitur, ac rigabitur, ac si esset planities. USQUE AD DESERTUM: inclusive, id est æque, ac deser-

desertum, in Hebræo est, *ficut, & desertum*; quasi dicat, Quemadmodum etiam revertentur, qui ad deserta loca confugerant, ut saluti, & securitati suæ consulerent. DE COLLE REMMON. In Hebr. ut etiam apud LXX. est, *A Gabaa ad Remmon ad Austrum Ierusalem*. Sensus est, revertentur ex colle, sive ex Gabaa, qui erat limes Aquilonaris regni Iuda, usque ad Remmon, qui erat alter Iudæ limes, ex parte Australi; quasi dicat, Iudæi dispersi ad extremos regni limites redibunt in patriam. Vel certe Gabaa, & Remmon ponuntur pro loco eodem, ut sint terminus Aquilonaris; constat enim ex Lib. Iudicum cap. XX. 47. Petram Remmon non longe abfuisse a Gabaa. Vide quæ diximus I. Reg. XIV. 2. quæ dicatur a Gabaa, & Remmon, qui terminus est Aquilonaris, & usque ab ultimis finibus Australibus eiusdem regni Iuda redibunt in patriam. ET EXALTABITUR: scilicet Ierusalem, tam domibus, & muris, quam fama, & gloria. ET HABITABIT IN LOCO SUO; id est, loco pristino reædificabitur, ibique quiete, secure, & hilariter populus deget, nullos hostes metuens. A PORTA BENIAMIN: quæ erat in ea parte civitatis, quæ Bezeta dicitur. Porro Bezeta, quam aliqui Cenopolim vocant, id est novam civitatem, pars erat Ierusalem de novo addita, & novo muro circumdata, vetere non diruto. USQUE AD LOCUM PORTAE PRIORIS: ubi erat prius porta Beniamin, antequam adderetur Bezeta. USQUE AD PORTAM ANGULORUM: quam Villalpandus in typo Ierusalem constituit in angulo, qui partem muri Occidentalem, & Aquilonarem coniungit. A TURRE HANANEEL: quæ erat ultima civitatis veteris; indeque cœpit augeri civitas adiecta Bezeta. USQUE AD TORCULARIA REGIS: quæ erant in adversa parte remotissima, hoc est in monte Sion, in quibus vinum regum exprimebatur.

V. 11. ANATHEMA NON ERIT AMPLIUS. Hebr. חרם *cherem*, id est excisio, succisio; quasi dicat, Amplius non excindetur, nec vastabitur Ierusalem.

V. 12. TABESCET CARO UNIUSCUIUSQUE, &c. non peribunt ferro, sed lenta tabe, & invisibili morbo consumentur hostes Ierusalem, ut viventes, & ambulantes se mori sentiant. Accidit hoc Antiocho II. Machab. IX. 5. OCULIS EIUS CONTABESCENT: introrsum condentur emaciato corpore, & vultu. LINGUA EORUM CONTABESCET: arescet, & loquendi vim emittet.

V. 13. TUMULTUS DOMINI, id est, a Domino excitatus. IN EIS, hostibus Machabæorum, & fidelium. ET CONSERENTUR MANUS, &c. In Hebr. est, *Et ascendet manus eius super manum proximi sui*. Et videtur esse sensus, Tantus erit hostium tumultus, ut in se invicem versi, manus conserant, mutuisque vulneribus se conficiant. Vel, tanta erit trepidatio, ut metu exanimes, conserti inter se, ut fit in pavore, quilibet apprehendat proximi sui manum, quod hac ratione se tutiores crediturі sint, naturali quadam apprehensione ad id incitante.

V. 14. SED ET IUDAS, &c. quasi dicat: Multi Iudæi partim metu, partim ex improbitate, spe opum, & honorum iungent se Antiocho, & pugnabunt contra Ierusalem, & Machabæos. Vide supra cap. XII. 2. ET CONGREGABUNTUR DIVITIAE, &c. nimirum ex spoliis hostium. Sic ad litteram spoliis Nicanoris, aliorumque Antiochi ducum, & copiarum, ditavit se, suosque Iudas Machabæus II. Machab. VIII. 27.

V. 5. ET SIC ERIT RUINA EQUI, &c. quasi dicat: Sicut dixi num. 12. cædendos homines, & ruituros eos qui erunt cum Antiocho, ita idem iudicium de equis, & mulis eorum.

V. 16. OMNES QUI RELIQUI FUERINT: scilicet e strage prælii. ASCENDENT AB ANNO IN ANNUM, id est singulis annis. Id factum ab eis qui post has victorias ad Iudaismum conversi sunt. Verum quia hi non multi fuerunt, plenius conveniunt quæ hic dicuntur Christianis, qui frequentant templa, & saltem singulis annis Eucharistiæ sacra mysteria participant. FESTIVITATEM TABERNACULORUM: quæ erat una ex maxime illustribus festivitatibus legis antiquæ. Christiani per desertum huius vitæ festinantes, & in terra civitatem permanentem non habentes, ita dirigunt vitæ suæ cursum, ut ad cælestem patriam pervenire possint, habituri in ea stabilem æternitatis sedem.

V. 17. NON ERIT SUPER EOS IMBER: qui ad templum non venerit in Ierusalem

statis

ſtatis temporibus, agrorum ariditate, & ſterilitate multabitur. Loquitur autem de Iudæis, quod indicant verba illa, *de familiis terræ*, ſcilicet Iudææ, nam de gentilibus ſtatim loquetur. Spiritualiori vero ſenſu, omnes qui ad Eccleſiam venire noluerint areſcent, & peribunt, ut pereunt ſata, quæ de cælo non irrigantur. Non veniet ſuper eos imber ſpiritus ſancti & gratiæ.

V. 18. QUOD ETSI FAMILIA AEGYPTI, &c. familiæ gentium, quæ afflixerunt Eccleſiam, noluerint venire, non erit ſuper eas imber.

V. 19. HOC ERIT PECCATUM AEGYPTI, id eſt pœna peccati.

V. 20. QUOD SUPER FRAENUM EQUI EST, &c. intelligit pretioſa ornamenta frænorum, & cum his phaleras, cæteraſque manubias, quas Deo, & eius templis, principes, & duces Chriſtiani conſecrabunt. LEBETES: lebetum uſus erat in coquendis carnibus victimarum Deo immolatarum. QUASI PHIALAE. Magna in templo copia erat phialarum, quia multiplex earum uſus, verbi gratia, ad adolendum thymiama, ad libamina vini, &c. ad excipiendum ſanguinem victimarum. Quare in templi ſupellectile plures ſolebant eſſe phialæ, quam lebetes. Dicit ergo propheta tantum fore gentium concurſum in Ieruſalem ad ſacrificandum in feſto tabernaculorum, ut lebetum, in quibus coquendæ ſunt victimæ, tanta futura copia, quanta phialarum alio tempore eſſe ſolet. Sic in Eccleſia Chriſti maxima eſt ſacrificiorum frequentia, & calicum, thuribulorum, cæterorumque ſacrorum vaſorum ſupplex copioſa.

V. 21. ET ERIT OMNIS LEBES, &c. quaſi dicat: Tanta erit immolantium multitudo, ut ex omni Ieruſalem, & Iudæa certatim afferantur lebetes, in quibus carnes victimarum coquantur, ac deinceps lebetes illi, quaſi iam victimis illis ſanctificati, in uſum templi remanebunt, eruntque Deo, & templo conſecrati. NON ERIT MERCATOR. Hebr. & LXX. *non erit Chananæus*; id eſt, omnes eamdem ſequentur religionem. Noſter interpres vertit *mercator*, quia Chananæi mercaturam exercere ſolebant, & in ſacris litteris pro eodem aliquando accipitur Chananæus, & mercator, ut cum dicitur Proverb. XXXI. 24. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.*

TIRINI.

Verſ. 2. OMNES GENTES Antiocho Epiphani *a* ſubiectas vel confœderatas CONGREGABO adverſus IERUSALEM, ET CAPIETUR *b* CIVITAS, ET MULIERES *c* VIOLABUNTUR: ET MEDIA, id eſt maxima, PARS IBIT IN CAPTIVITATEM *d*: ET RELIQUUM POPULI NON AUFERETUR quidem EX URBE, ſed mille aliis *e* iniuriis divexabitur. Sed poſt paulo

V. 3. DOMINUS, Eccleſiæ ſuæ perpetuus tutor & protector, EGREDIETUR per duces ſuos Machabæos *f*, ET PRAELIABITUR CONTRA omnes GENTES ILLAS, SICUT olim PRAELIATUS EST IN DIE famoſi illius CERTAMINIS, quo Pharaonem *g* contrivit in mari rubro. Sicut enim tunc ſciſſo mari per angelos decertavit contra AEgyptios, ita ſub Machabæis ſciſſo *monte Oliveti h*, etiam viſibiliter per *angelos i* tuebitur populum ſuum, & hoſtes proſternet.

V. 4. STABUNT enim PEDES EIUS SUPER MONTEM OLIVARUM, ut inde auxilio ſit vicinis Ieroſolymitanis, & Antiochi copias profliget. Calcando vero montem, diſcindet illum ab Orinte. OCCIDENTEM verſus in duas partes, quarum una SEPARABITUR; LXX. *inclinabit*; Tigurini, *deflectet*; Pagninus, *recedet*, AD AQUILONEM, altera AD MERIDIEM. Unde patet, non in quatuor partes, (ut vult S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoret: Burgenſis & Palacius,) factam ſciſſionem, ſed in duas dumtaxat, (ut Chaldæus, Euſebius, Lyranus, Vatablus, Ribera, Sanchez, a Lapide & alii exponunt) relicto hiatu PRAERUPTO, id eſt valle, ut Chaldæus; vel *voragine*, ut LXX. GRANDI VALDE. Hanc ſciſſionem factam putat Palacius quando tot ſigna viſa ſunt in cælo II. Machab. V. puta equites per aera diſcurrentes, cohortes armatæ, &c. Erant enim myriades angelorum cum quibus in pugnam prodibat Deus: prodeunte autem Deo *terra mota k eſt* & contremuit, *& contriti ſunt l montes ſæculi*. Etſi enim in Machabæorum hiſtoria id non expreſſe enarretur; ex hoc tamen loco veriſimile eſt ita tunc factum. Sicut factum in ſimili caſu ſub *Ozia* rege con-

constat ex vers. sequenti, licet in historia Oziæ nulla istius rei mentio fiat.

V. 5. ET præ metu ac horrore terræmotus, quo mons Oliveti discindetur, FUGIETIS, o Iudæi, AD VALLEM MONTIUM *meorum* (sic enim habent Hebræa, LXX. & S. Hieronymus in commentario) id est, fugietis in *vallem Mello*, quæ interiacet inter montem Sion & montem Moria, qui propter templum & arcem *David* inibi constructa, vocantur *montes mei*. Huc vero confugietis, & non ad alteram *vallem Iosaphat*, quæ inter montem Oliveti & montem Sion interiacet, quia istic non putaretis vos sat tutos fore, cum VALLIS Iosaphat *coniungatur* & pertingat USQUE AD PROXIMUM montem recens discissum, inquit Lyranus. FUGIETIS autem ea contentione, trepidatione, celeritate, tumultu & consternatione animorum, qua olim FUGISTIS A TERRAEMOTU IN DIEBUS OZIAE *m* REGIS IUDA. Sed non est quod vereamini: neque enim ad vos obruendos, sed ad hostes vestros conterendos *veniet* tanto strepitu *Dominus*, *& omnes sancti n* angeli cum *eo*. Non quod omnes simul uno impetu velit conterere, sed paulatim ac lente.

V. 6. NON ERIT ipso primo initio plena LUX, neque intensus calor solis, id est perfecta felicitas & tranquillitas, SED admiscebuntur adhuc aliquæ tenebræ, & cum iis FRIGUS ET GELU; adeo ut tempus illud (quod quamdiu durabit, solus novit Deus) *non* sit vocandum vel *diei*, vel *nox*, sed participans de utroque, instar crepusculi vel auroræ. Patuit id sub Mathathia & primis Iudæ initiis, quando alternante fortuna Iudæi nunc victi, nunc victores abibant. Sed tandem

V. 7. IN TEMPORE VESPERI, quando tenebræ naturaliter ingruunt, & nox plena præ foribus est, præter omnium exspectationem suborietur clara & perfecta LUX: nempe cæso & occumbente Iuda *o*, videbatur actum de rebus Iudæorum; cum subito versa fortuna sub Ionatha *p* pax & plena quies obvenit.

V. 8. EXIBUNT tunc rursus AQUAE VIVAE, seu fontanæ, e suis venis ebullientes, quas olim Salomon *q* & Ezechias *r* maximis impensis Ierosolymæ curarant, uti & Nehemias *s*, & Simon *t* pontifex; sed iam confractis vel collapsis sub Antiocho aquæductibus, magna ex parte diffluxerant. Has instaurarunt Machabæi, ad maius incolarum commodum & loci amœnitatem, v. g. fontes Siloe *u*, Rogel *x*, & Draconis *y*, cum Torrente Cedron, & Probatica piscina: AD MARE ORIENTALE, id est versus mare Mortuum, seu lacum Asphaltitem *z*. Utrumque fontem Gihon *aa* superiorem & inferiorem, aquæ ductum Gabaon *bb*, & alios, versus MARE NOVISSIMUM, id est Occidentale Iudææ, nempe mare Mediterraneum. Hæc aquarum copia Ierosolymis, quibus omnia circum irrigabantur & fœcundabantur, erat typus summæ felicitatis, maximarum opum, & deliciarum: item nobilissimarum victoriarum quas Machabæi *cc* Ierosolymis egressi versus quatuor mundi plagas, ex hostibus retulerunt, inquit Paulus a Palacio. Sic sic paulatim

V. 9. DOMINUS Deus REX ERIT, & instar regis coletur *per* OMNEM TERRAM, non Iudææ tantum, sed & totius orbis, nempe per *Christum* mox subsecuturum. Et abactis idolis, UNUS ubique DOMINUS, ET UNUM NOMEN EIUS, puta Christi, celebrabitur toto orbe: ita S. Hier. Remigius, Rupert. Haymo, Vatabl. Ribera & a Lapide.

V. 10. OMNIS TERRA, seu incolæ terræ, qui metu Antiochi fugerant usque ad deserta, montes & speluncas, pacata per Machabæos Iudæa, eo *revertentur* a COLLE Gabaa *dd* (ut habent Hebræa, eratque limes Aquilonaris regni Iudæ, usque ad REMMON *ee*, qui est alter limes Iudææ ex parte Australi: ita Palacius & Mariana: ET magis quam ante EXALTABITUR IERUSALEM muris, palatiis, gloria, fama & potentia: ET HABITABIT, id est quiete, secure, læte degent incolæ ipsius IN LOCO SUO, A PORTA BENIAMIN, quæ terminat *Bezetham*, καινόπολιν, id est novam urbem, (quæ *tertia* vocari solet, & erat de novo adiecta Ierosolymæ) USQUE AD LOCUM PORTAE PRIORIS, seu veteris civitatis, ET USQUE AD PORTAM anguli, vel ANGULORUM, de quibus alibi *ff*: ET A TURRE HANANEEL, quæ erat ultima veteris civitatis, per *Secundum gg*, seu mediam interiacentem civitatem, USQUE AD TORCULARIA REGIS, in adversa & inde remotissima parte, puta

in monte Sion. His omnibus significatur Ierusalem undique magnis incrementis ampliandam *bb* versus quatuor plagas cæli, inquit Mariana, Palacius & a Lapide.

V. 11. ET NON ERIT AMPLIUS ANATHEMA *ii*. Hebraice, *cherem*], id est excisio vel succisio, id est non exscindetur amplius a tyrannis; scilicet usque ad longum kk & immemorabile tempus, & quamdiu perstiterit in fide & sincero cultu Dei. Interea

V. 12. CARO hostium Iudæ *contabescet*. Hebraice, *liquescet*, *dissolvetur*, ut Pagninus vertit & Vatablus. Patuit in Lysia, in Antiocho, in copiis Timothei & pluribus aliis *ll*.

V. 13. TUMULTUS DOMINI, id est a Domino excitandus, ERIT, ideoque MAGNUS, inter hostes Iudæorum *mm*: adeo ut *apprehendat* quisque MANUM PROXIMI SUI, & mutuis se vulneribus concidant, inquit Theodor. & Lyranus.

V. 14. & 15. SED ET IUDAS, id est plurimi Iudæi, ut supra *nn* dixit, qui spe honorum vel opum deficient ad Antiochum, & patriam suam *oppugnabunt*, etiam ipsi simili mala morte peribunt *oo*, SICUT ERIT RUINA HAEC Antiochi, Lysiæ, aliorumque hostium Iuda, de quibus iam dixi quod *contabescent* & mutuis vulneribus cadent.

V. 16. QUI DE UNIVERSIS GENTIBUS hostilibus RELIQUI FUERINT, puta Idumæi & alii ab Hyrcano subacti, teste Iosepho *pp* quotannis ASCENDENT Ierosolymam, UT IBI CELEBRENT FESTIVITATEM TABERNACULORUM & alia festa Iudaica, id est iudaismum suscipient, ut constat ex alibi *qq* dictis: puniendi alioquin defectu *imbris rr*, id est sterilitate & aliis plagis. In quo præ aliis peccabit *AEgyptus*, id est Iudæi in AEgypto commorantes, qui occasione novi templi sub Ptolomæo *ss* Philometore ibi excitati, schisma fecerunt a Iudæis in Iudæa degentibus; unde & graviter exinceps afflicti sunt, teste Iosepho & aliis historicis.

V. 20. QUOD SUPER FRAENUM EQUI EST, ERIT SANCTUM DOMINO. Ita verterunt etiam LXX. Syrus & Arabicus Antiochenus; Chaldæus & S. Hier. in commentario *phaleras* vertunt; Clarius, *collaria*; Pagninus, *tintinnabula*; alii, *stragula*, & alia equorum *ornamenta*. Sensus vero est, manubias hostium, phaleras, stragula, aliaque ornamenta equis (quibus ornandis maxime student milites) detracta, consecratum iri Deo in templo Ierosolymitano, in trophæa & in gratiarum actionem. Ut olim fecit David *tt*, qui gladium Goliath; & Israelitæ in deserto, qui spolia Madianitarum *uu*; & Abraham *xx*, qui decimas prædæ quatuor regibus ereptæ, Deo per Melchisedecum consecravit: ita S. Hier. Cyrill. Theodor. Vatabl. Arias, Ribera & a Lap. E quibus Theodor. id etiam exponit de clavo crucis Christi, quem Constant. Magnus, ut profiteretur se Christi crucifixi ope & auspiciis victoriam & salutem sperare, partim galeæ, partim fræno equi sui inclusit. Ridet hanc expositionem S. Hieron. sed probant S. Cyrill. Ambrosius, Sozomenus, Nicephorus, Gregorius Turonensis & alii plures. Et certum est, omnia huius capitis, saltem Allegorice competere Ecclesiæ Christi & principibus Christianis. ET LEBETES, in quibus coquuntur carnes victimarum, ERUNT tanto numero IN DOMO DOMINI, quanto nunc sunt *phialæ*, quæ pene innumeræ erant, ad sanguinem victimarum excipiendum, ad thymiama, ad thus, ad tot libamina capienda. Designat maximum fore undique concursum Ierosolymam ad victimas Deo offerendas. Immo

V. 21. OMNIS LEBES ex omni *Iudæa* certatim advehetur in templum Ierosolymitanum, ut immolantium multitudini, in *festo tabernaculorum* possit fieri satis. Ubi vero semel adhibitus fuerit usibus sacris, relinquetur templo, utpote DOMINO SANCTIFICATUS: ita Paulus a Palatio, & a Lapide. ET ULTRA IN DOMO DOMINI NON ERIT MERCATOR, qui lebetes & similia vasa pretio vendat, vel elocet advenis & peregrinis, ut fiebat in magnis solemnitatibus. Nam liberalitate Iudæorum sat multa gratis subministrabuntur, quæ relicta dein usibus templi, servient aliis adventantibus; ut idem Palacius & a Lap. exponunt. Sed Theodoret. Albertus, Clarius retinent Hebræum nomen *Chananæus*, per quod non *mercatorem* intelligunt, (ut Noster cum Chaldæo & Aquila optime vertit, quia Chananæi mercatura celeberrimi erant) sed sceleratum, improbum & sceletibus infamem, quales olim fuerant Chananæi;

nanæl; quaſi dicat: Non tolerabuntur tales in templo, Allegorice in miniſterio Eccleſiæ Chriſti: nam ſi qui irrepant, graviter in eos animadvertetur, & incorrigibiles officio & loco movebuntur, & ſi opus, etiam excommunicatione a cœtu fidelium arcebuntur.

(a) Chronici cap. xl.
(b) II. Macb. v. 11.
(c) Ibid. verſ. 13.
(d) Verſ. 14.
(e) Verſ. 15. 21. 22. &c. & I. Mach. I. 55.
(f) I. Mach. II. & ſeqq. & II. Mach. VIII. & ſeqq.
(g) Exodi xxv. 24. & I. Mach. IV. 9.
(h) Hic verſ. 4.
(i) II. Mach. x. 29. & xI. 8. & xv. verſ. 12.
(k) Pſal. xlvII. 9.
(l) Habacuc, III. 6.
(m) Iſaiæ vII. 8. Amos I. 1. Chron. cap. xxIx.
(n) Deut. xxxIII. 2. Pſalm. xvII. 11. & ſeqq. Ezech. I. &c.
(o) I. Mach. Ix. 18. & ſeqq.
(p) Ibid. verſ. 31. 49. 58. 73. &c.
(q) Eccl. II. 4.
(r) IV. Reg. xx. 20.
(ſ) II. Eſdr. III. 15. 16. &c.
(t) Eccli. l. 3.
(u) II. Par. xxxII. 3.
(x) III. Reg. I. 33.
(y) II. Eſdr. II. 13.
(z) Geneſ. xIx. 28.
(aa) II. Par. xxxII. 4. & 30. &c.
(bb) II. Reg. Ix. 12. & 3.
(cc) I. Mach. v. 6. & 35. & cap. x. 76. & ſeqq.
(dd) I. Reg. x. 26.
(ee) Zach. xII. 11. Ioſue xIx. 7.
(ff) II. Eſd. III. I. &c.
(gg) IV. Reg. xxII. 14.
(hh) Iſaiæ lI. 2. Ier. xxxI. fin.
(ii) Levit. xxvII. 28.
(kk) Proleg. de Idiotiſmia Hebr. num. xxvII.
(ll) I. Mach. Iv. 27. II. Mach. Ix. 5. & ſeqq cap. xII. 22. cap. x. verſ. 30.
(mm) Ibid.
(nn) Zach. xII. verſ. 2.
(oo) Ibid. verſ. 3.
(pp) Ioſeph. Lib. XIII. Antiq. cap. xvII.
(qq) Abdiæ xvIII. & ſeqq.
(rr) Deut. xI. 10.
(ſſ) Chronici cap. xxxIx.
(tt) I. Reg. xxI.
(uu) Num. xxxI. 50.
(xx) Gen. xIv. 20.

G O R D O N I.

Verſ. 1. DEſcribitur Ieruſalem capienda ab Antiocho Epiphane: vide ad Lib. Machab. rem deſcriptam.

V. 3. & 4. ET EGREDIETUR DOMINUS. Vincit hic Machabæus; ſed ſimul denotatur victoria Chriſti ex verſ. 4. Adfuit quidem Deus in hoc monte in auxilium Machabæorum contra hoſtes. Sed clara & illuſtris fuit præſentia Chriſti ſtantis in eo monte ubi pernoctat in oratione, docet Apoſtolos & inchoat Paſſionem; ac unde demum aſcendit in cælum.

V. 4. ET SCINDETUR MONS OLIVARUM. Peroblcurum hoc eſt, ſi quis veram ſciſſionem montium intelligat. Nam nec tempus, nec modum produnt hiſtoriæ. Cornelius ſuſpicatur eam divinitus factam a Deo, quando, ut hic dicitur, Deus ſtetiſſe dicitur in monte oliveti pro Machabæis: non moror, non reprehendo; non fuit Deo impoſſibile: at ſane non male in hoc Mariana, qui hanc ſciſſionem interpretatur ænigmatice de Iudæorum diſſidio ſub Machabæis, quando pars una Machabæos, altera Antiochum ſequebatur, & vario marte certatum eſt hac illacque, victis fugam captantibus. Idem de ſciſſione explicatur ſub Chriſto, quem aliqui ſequebantur, alii perſequebantur. Mentio fit verſ. 5. de terræ motu quem in libris Regum locavi ad an. 27. Oziæ.

V. 6. ET ERIT IN DIE ILLA, &c. Locutus eſt verſ. 4. de deſcenſu Dei in auxilium Machabæorum, quem nunc magis explicat: adde ſub hoc typo belli Machabaici prælia Apoſtolorum ſpiritualia pro fide. In illa die, inquit, (per lucem & frigus) non erit plena lætitia, nec res deſperata, ſed varius exitus.

V. 8. Dum quæ gerentur a Machabæis per varia Iudææ loca explicantur, interim allegorice deſcribuntur, quæ facturus eſt Chriſtus per ſe & ſuos. Et poſſunt ſingula ad hunc myſticum ſenſum facile referri. Denique utrobique poſt tempus calamitoſum ſuccedet pax & felicitas.

V. 12. ET HAEC ERIT PLAGA, &c. Plagam deſcribit tum ipſius Antiochi, tum ducum ipſius, quos tumultus & cædes vaſtabunt, nec ſucceſſum impediet felicem, quamvis Iuda (hoc eſt plerique Iudæi qui defecerunt ad Antiochum) pugnet contra Ieruſalem: ſimilia intellige de Chriſto ſeu antitypo.

V. 16. ET OMNES QUI RELIQUI FUERINT, &c. Stabilita Machabæorum victoria, venient in Ieruſalem ad Dominum, & ad feſta, non tantum qui in AEgypto & aliis regnis ſunt Iudæi, ſed etiam multi fient proſelyti, nec deerunt in domo Domini vaſa, & divitiæ. Sed certe hæc omnia auguſtiora ſunt ſub Chriſto: hiſtoria ſub Simone & Hircano hæc plane explicat.

plicat. At quid illud verſ. 20. *de freno equorum?* Sane quia victores Machabæi manubias hoſtium & phaleras equorum ſuſpendent Domino pro anathemate, & verſ. 21. NON ERIT MERCATOR IN DOMO DOMINI; hoc eſt non Chananæi (qui vocabantur mercatores, ut alibi obſervo) nec venditores rerum ſpiritualium.



PROPHETIA MALACHIAE.

POST *abſolutam templi fabricam vaticinatus videtur temporibus Darii Hyſtaſpis.*



CAPUT PRIMUM.

Prophetia Malachiæ ad Iſrael, quem Dominus arguit ingratitudinis, quod non agnoſcebat ſe in Iacob, unde deſcenderat, dilectum, reiecto Eſau cum populo ſuo: ideo conqueritu, ſe ab Iſrael non honorari neque timeri, quodque ſacerdotes deſpiciant nomen Domini, quorum reiicit ſacrificia, gratum habens oblationem mundam quæ in omni loco ei offertur.

1. 
NUS verbi Domini ad Iſrael *in manu Malachiæ. 2.
Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis: In quo dilexi-
ſti nos? Nonne frater erat Eſau Iacob, dicit Domi-
nus, & (*a*) dilexi Iacob, 3. Eſau autem odio habui?
* & poſui montes eius in ſolitudinem, & hereditatem
eius in dracones deſerti. 4. Quod ſi dixerit Idumæa:
Deſtructi ſumus, ſed revertentes ædificabimus quæ de-
ſtructa ſunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Iſti ædificabunt, & ego de-
ſtruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus
uſque in æternum. 5. Et oculi veſtri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur
Dominus ſuper terminum Iſrael. 6. Filius honorat patrem, & ſervus dominum
ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum,
ubi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum: ad vos, o ſacerdotes, qui
deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpeximus nomen tuum? 7. Offer-
tis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In
eo quod dicitis: Menſa Domini deſpecta eſt. 8. Si offeratis cæcum ad im-
molandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum, & languidum, non-
ne malum eſt? offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem
tuam, dicit Dominus exercituum. 9. Et nunc deprecamini vultum Dei ut
miſe-

misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. 10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. 11. (*b*) Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. 12. Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne qui illud devorat. 13. Et dixistis: Ecce de labore, & exufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? 14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

(a) Rom. ix. 13. (b) Psal. cxii. 3.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 1. *In manu Malachiæ*. Non subiicias *prophetæ*.

Vers. 3. *Et posui montes eius in solitudinem*. Non addas *Seir* ante *montes*.

COMMENTARIA

S A.

MALACHIAS prophetavit post Aggæum & Zachariam contra Iudæos, & de quibusdam Christi mysteriis.

V. 1. AD; pro, contra, vel, de; vel tamquam ad auditores. ISRAEL, id est Iudæos ex captivitate reductos; erant enim in eis aliqui etiam ex decem tribubus. Itaque omnes communi nomine appellantur. IN MANU, id est operà, seu ministerio. MALACHIAE. Hebræi & Hieron. putant esse Esdram, alii negant. IACOB, scilicet electos: sic per *Esau* reprobi intelliguntur.

V. 3. ODIO HABUI. Chald. *reprobavi*. IN SOLITUDINEM, scilicet vastante Nabuchodonosor. DRACONES. Chald. *vastationem*. Intellige per hæc reproborum animas vastatas & desertas Dei gratia.

V. 4. DESTRUAM, scilicet Dei iudicio occulto destruuntur reproborum ædificia spiritualia. IMPIETATIS. Chald. *populi impii*. LXX. *iniquitatis*.

V. 5. MAGNIFICETUR, id est glorificetur, seu laudetur. LXX. *magnificatus est*. SUPER TERMINUM. Chald. *qui dilatavit fines*.

V. 6. HONORAT, id est honorare solet, seu debet.

V. 7. ALTARE, id est mensam, vel altare holocausti. PANEM, scilicet panes propositionis; vel pro, oblationem. Chald. *oblationem*. POLLUTUM, id est non ut præscribit Lex, vel inquinatum offerentis peccato. Chald. *execrandam*. DICITIS; pro, si dicatis. Chald. *si dixeritis*. TE, id est tibi oblata. DESPECTA, id est contemptibilis; quasi dicat: In eo quod eam contemptui habetis, quasi nihil referat, quo modo quique offeratur.

V. 8. LANGUIDUM, id est infirmum. SI PLACUERIT; quasi dicat, Certe non placebit. Chald. *numquid placebit?* SUSCEPERIT FACIEM; quasi dicat, Benignene aspiciet & amanter?

V. 9. HOC, scilicet quod dixit; quasi dicat, Peccastis enim.

V. 10

V. 10. Gratuito; quasi dicat: An pro ministerio non habetis stipendium sufficiens? cur ergo agitis negligenter? Hebr. tamen & LXX. & Complut. ubi negative legitur, *& non incendat*, sensus est: Satius esset claudere templum, & non offerre gratis, id est frustra, scilicet quæ mihi non sunt grata. Non est mihi, &c. quasi dicat, Non mihi placetis, nec vestra sacrificia volo.

V. 11. Magnum est. LXX. *glorificatum est*; pro, glorificabitur: loquitur enim de tempore Evangelii. Nomini meo, id est mihi. Oblatio, scilicet in Missa. Munda, scilicet purissimum Christi corpus.

V. 12. Mensa, id est altare. Contaminata est; quasi dicat: Ita tractatis ut rem pollutam & contemptibilem.

V. 13. De labore; quasi dicat, Sudore meo partum Deo offero. Exufflastis, id est offertis rem dignam exufflatione, scilicet vilem. Munus, scilicet mihi offerendum.

V. 14. Masculum, scilicet integrum, seu perfectum. Debile, id est vitiatum. Chald. *corruptum*. Rex, &c. quasi dicat, Cum tamen vestro Duci tale quid offerre non auderetis. Horribile, id est tremendum; quasi dicat, Timetur, seu in honore est. Chald. *potens*. LXX. *illustre*. In Gentibus; pro, apud Gentes: de futura re loquitur quasi de præsenti.

ESTII.

Vers. 11. Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Hanc scripturam magno consensu veteres de sacrificio corporis, & sanguinis Christi, (quod, reiectis antiquæ legis sacrificiis, per universam catholicam ecclesiam offertur) interpretati sunt; ut Irenæus Lib. IV. cont. hæres. cap. xxxii. Iustinus cont. Tryphonem, Cyprianus cont. Iudæos cap. xvi. Eusebius demonstr. Evang. Lib. I. cap. vi. & ult. Hieronymus & Theodoretus in hunc locum. Augustinus Libr. XVIII. de civit. cap. xxxv. & Libr. XIX. cap. xxv. item Lib. I. contra advers. leg. & proph. cap. xx. & xxii. & in Psalm. cvi. Chrysost. orat. iv. contra Iudæos. Damasc. Lib. IV. cap. xiv. Sane & ipse propheticus loquendi modus ostendit sermonem esse de sacrificio quodam novo, & externo, in locum sacrificiorum veterum, quæ sibi deinceps displicere dicebat, substituendo: sic enim proxime ante hæc verba præcedit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra*; quasi dicat: Itaque iam aliud in eius locum constituam. Vide nostra in IV. sent. dist. 12.

MARIANAE.

Malachias post reditum populi e captivitate natus est in oppido Sopha, ut Isidorus & Dorotheus testantur. Addit Epiphanius, id oppidum fuisse in tribu Zabulon, ex qua Malachias erat, sic dictus ob vultus decorem, & morum modestiam: nam *Malachias* est *Angelus Domini*, seu *Angelus meus*. Hieronymus in Procem. Comment. ait, Hebræos sentire, Malachiam fuisse Esdram. Sane eadem reprehendit, quæ ille sui libri cap. ix. & x. mores corruptos præsertim sacerdotum. Brevis Prophetia, sed fecunda mysteriis.

Vers. 1. Onus. Prophetia gravis. Sed quoniam non est contra Israel, sed ad Israel, aliquid lenitatis habet: Hieronymus. In manu, id est per manum Malachiae, id est per Malachiam, eo interprete & ministro hæc Prophetia est dicta. Dilexi vos, ait Deus.

V. 2. In quo dilexisti nos? Populus alloquitur Deum: Quo nos beneficio affecisti? quod argumentum huius amoris extat, cum potius omnibus nos malis mulctaris. Dilexi Iacob. Paulus ad Rom. ix. 13. hunc locum de æterna prædestinatione affert, qua Deus e duobus pari conditione unum eligit, alterum reiicit. Verum, in quo amor Iacob perspicitur, odium Esau? Paulus, quia Esau subiecit Iacobo, maiorem minori. Malachias, quia posteros Iacob in patriam restituit, Idumæos sine fine vastavit.

V. 3. Posui montes eius (id est Idumææ) in solitudinem. Hebr. *desolationem*, & per *montes* intelligit urbes in montibus positas, quas vastavit. In dracones deserti; id est, habitacula draconum, qui in deserto habitant, erunt scilicet eæ urbes.

V. 4.

V. 4. QUOD SI DIXERIT. Sic Chald. Heb. *quia dixerit Idumæa*. *Quia* pro *quod si*. DESTRUCTI SUMUS. Hebr. *pauperes facti sumus*; patria scilicet & bonis eiecti. SED REVERTENTES. Chald. *nunc divites facti revertamur*. Hebr. *revertemur*, *& ædificabimus*. IRATUS EST DOMINUS USQUE IN AETERNUM. In eo est odium Edom; Israelitæ ad tempus vexati sunt, Idumæi in perpetuum. Quomodo Idumæi a Iudæis & aliis fuerint vexati, Machab. Lib. I. cap. II. & Lib. II. cap. X. extat; tum apud Iosephum Lib. III. cap. XVII. & Ioseph. Gorionis, Lib. IV. cap. IV.

V. 5. ET OCULI VESTRI VIDEBUNT. Idumææ scilicet desolationem. MAGNIFICETUR DOMINUS SUPER TERMINUM. Hebr. *desuper ad terminum*, id est *qui addidit*, aut *dilatavit terminos Israel*: sic Chald. nempe subdita illi Idumæa.

V. 6. FILIUS HONORAT; quasi dicat: Iam ostendi, in quo vos dilexi. Quid contra vos facitis? non honoratis me. Ad vos, O SACERDOTES. Vestra id culpa sit, vestro exemplo me populus contemnit.

V. 7. OFFERTIS SUPER ALTARE MEUM PANEM POLLUTUM. *Panis* non offertur in altari, sed in mensa. Ideo Hebræi per *panem pollutum* intelligunt oblationes illegitimas pecudis cæcæ, aut claudæ, de quibus mox agit. Vox לחם *lehem*, id est *panis*, in Sacris sæpe non *panem* significat, sed *carnem*, sed *cibum* promiscue. MENSA DOMINI, id est altare. DESPECTA EST, id est iam est polluta oblationibus illegitimis, nihil refert, si in ea alia polluta offerantur. Id vos dicitis.

V. 8. SI OFFERATIS CAECUM. Hebr. *& quando offertis cæcum*. Cæcus de ministro intelligi potest; sed melius de hostia, quæ ex Lege cæca, clauda, aut languida, id est morbida esse non poterat. AD IMMOLANDUM, id est ut immoletur. OFFER ILLUD DUCI TUO, SI PLACUERIT EI. Heb. *num complacebit tibi*, id est *sibi in te*, ut Chald. Sept. *si suscipiet te*. AUT SI SUSCEPERIT FACIEM TUAM, id est num placebis ei? num tuum donum Duci erit gratum? minime.

V. 9. DEPRECAMINI VULTUM DEI. Hebr. *facies Dei*, id est precamini coram Deo, coram propitiatorio, quod *facies Dei* vocatur. UT MISEREATUR VESTRI. Heb. *& miserebitur nostri*. *Et* pro *ut* accepit Hieron. quod sæpe fit. (DE MANU ENIM VESTRA FACTUM EST HOC.) Vos deliquistis, nil mirum, si pœnas luitis. SI QUOMODO SUSCIPIAT FACIES VESTRAS, id est vobis placetur. Hebr. *num suscipiet ex vobis faciem*, id est munus. Quid si pro *suscipiet*, vertamus *tollat*; pro *facies*, *iram*, sic: *num tollet a vobis iram?*

V. 10. QUIS EST IN VOBIS, QUI CLAUDAT OSTIA? Pro, Utinam esset, qui atrii ostia clauderet, ne scilicet hæc polluta munera inferrentur. ET INCENDAT ALTARE MEUM GRATUITO, id est non illectus his illicitis oblationibus. Hebr. *& non incendatis altare meum frustra*; pro, ut non incenderetis altare frustra. Nollem, ut aliqua sacrificia offerretis, quia displicent mihi & illa, & vos; quia NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS. Nec vos mihi placetis, nec munera vestra de manu vestra suscipiam.

V. 11. AB ORTU ENIM SOLIS, per totum orbem. SACRIFICATUR. Hebr. *offertur incensum*. OBLATIO MUNDA. Vos polluta offertis, mihi in Gentibus offertur oblatio munda, id est Eucharistia, Sacrificium incruentum, de qua hunc locum explicant Hieronymus & alii antiqui Patres tum Augustinus de Civitat. Lib. XVIII. cap. XXXVI. Concilium Tridentinum sess. XXII. cap. I. Vocatur *munda*, quia incruenta, & quia sanctificat nos, mundat nos. Hunc locum tam apertum de vocatione Gentium, Hebræi invertunt & Chald. quorum verba afferre non attinet.

V. 12. ET VOS POLLUISTIS ILLUD, scilicet nomen meum. IN EO QUOD DICITIS. Non verbis, sed factis contaminastis altare. ET QUOD SUPERPONITUR. Hebr. *& fructus eius contemptibilis*, *& cibus eius*, id est oblatio. Hieronymus illud quod additur, CUM IGNE QUI ILLUD DEVORAT, posuit, pro, *cibus eius contemnitur*, ut est in Hebræo. Sed a sententia non recessit, illis sacrificiis omnia esse polluta.

V. 13. ECCE DE LABORE, id est dixistis, Hæc oblatio a paupere offertur, qui ex labore suo vivit, & quærit quæ offerat. ET EXSUFFLASTIS ILLUD, scilicet donum contempsistis, quia nempe exigui pretii. *Exsufflare* pro *contemnere*, Augustinus epist. L. & Usuardi Martyrologium Ian. XII. contra *sufflare* pro *extollere* in Augustino,

ftino, epift. LVI. ET INTULISTIS DE RAPINIS. Hebr. *raptum*, id eft dona divitum admififtis, quæ plerumque ex rapina funt. *Dives enim*, *aut iniquus*, *aut heres iniqui*, ut Hieronymus ait ad Hedibiam. Idem Eunapius in Iamblicho. CLAUDUM, ET LANGUIDUM; id eft, etiamfi vitiofum fit, accipitis, quia divitis. ET INTULISTIS MUNUS, feu *oblationem*, ex eo quod attulit Deo, & in altari feciftis.

V. 14. MALEDICTUS DOLOSUS, verfutus, fraudulentus. QUI HABET IN GREGE SUO MASCULUM, id eft hoftiam legitimam & mundam. VOTUM FACIENS, id eft cum voverit. IMMOLAT DEBILES DOMINO. Hebr. *corruptum*, id eft immundum, pollutum. QUIA REX MAGNU EGO; quafi dicat, Nec confiderat, quanta fit maieftas mea. ET NOMEN MEUM HORRIBILE, horrendum & tremendum etiam inter Gentes, quæ fcilicet non colunt me.

MENOCHII.

Verf. 1. ONus, id eft triftis, & minax prophetia, ut iam fæpe dictum eft fupra. AD ISRAEL: quia non dicitur *contra Ifrael*, fed *ad Ifrael* myfterium effe putat D. Hieronymus, & fignificari prophetiam hanc aliquid habere admixtum lenitatis, & confolationis. IN MANU MALACHIAE: minifterio Malachiæ. Porro Malachias hic prophetavit fub Dario Hyftafpis rege Perfarum, ac deinceps, fub quo etiam Aggæus, & Zacharias prophetaverunt, fed poft eos, ita S. Hieronymus.

V. 2. DILEXI VOS. Cetera tacentur per Apofiopefim, quafi impediente dolore; quafi diceret, dilexi vos, & pro hac dilectione iniurias mihi, & peccata rependitis. ET DIXISTIS: verti etiam poteft, *quod fi dicatis*. IN QUO DILEXISTI NOS? quod fignum habemus dilectionis iftius? DILEXI IACOB: dilexi vos Ifraelitas magis quam Idumæos fratres veftros.

V. 3. ESAU AUTEM ODIO HABUI: cuius odii argumentum ftatim fubdit. ET POSUI MONTES EIUS IN SOLITUDINEM; quafi dicat: Cum tam vos, quam Idumæos vaftandos tradidiffem Chaldæis, vos reduxi in patriam; Idumæos autem in captivitate reliqui, eorumque terram in folitudinem redactam draconibus habitandam dedi.

V. 4. ISTI AEDIFICABUNT, &c. Si Idumæi ædificare incipiant, ego deftruam quicquid illi ædificaverint, cum ex adverfo fabricam templi vefiri, & civitatis veftræ protexerim, & promoverim. Ecce ergo odium Efau, & dilectionem Iacob. VOCABUNTUR TERMINI IMPIETATIS. Idumæa vocabitur terra inops, & maledicta, terra ob impietatem defolata.

V. 5. MAGNIFICETUR DOMINUS SUPER TERMINUM ISRAEL: laudetur Dominus, quod tam amplos terminos Ifraeli reliquerit, illifque benedixerit, cum interim Idumæos e fuis finibus exclulerit.

V. 6. FILIUS HONORAT PATREM, &c. Recenfitis fuis in Iudæos beneficiis tranfit ad eorum commemoranda maleficia, quæ ipfi ingrate rependerunt. Senfus eft: Ego primum omnium cupiebam ut me, ficut bonos decet filios, honoraretis. vel faltem ficut fervi me timeretis, timore tamen liberali, ut ita a peccatis abftineretis, fed neutrum feciftis. AD VOS O SACERDOTES: fcilicet orationem, & querimonias meas converto. IN QUO DESPEXIMUS NOMEN TUUM? qua in re non honoravimus te debito honore? *diffimulationis impudentia vulnus confcientiæ protegunt*, inquit D. Hieronymus.

V. 7. PANEM POLLUTUM. Panem pollutum vocat quamcumque victimam pollutam, tum fimilæ, & panum, quos quafi facrificia cremabant Deo in altari, vocabantque *mincha*, ut patet Levit. II. tum carnium; Hebræi enim panem vocant quamcumque efcam, etiamfi caro fit. Victimæ vero & earum carnes altari imponebantur quafi effet convivium quod Deo inftrueretur. Porro hæ victimæ non uno modo pollutæ effe poterant, vel quod cæcæ effent, aut maculatæ contra legem Levit. XXII. 19. 22. quod indicat propheta num. fequenti, vel quod non offerrentur debito ritu, vel quod offerrentur ab impiis facerdotibus, & fceleratis. Veteris enim legis facrificia non valebant, nec impetrandi vim habebant ex opere operato. IN QUO POLLUIMUS TE? id eft pollutum panem, id eft victimam obtulimus tibi? Deus dicitur pollui, cum ei polluta munera offeruntur, quia inhonoratur, & quafi contemptibilis iudicatur. MENSA DOMINI DESPECTA: quia fcilicet dictis, iam viluit altare Domini, ac proinde vilia quælibet in eo offerri poffunt.

V. 8.

V. 8. NONNE MALUM EST ? quasi dicat; Omnino malum est, quia contra legem Levitici XXI. 22. quæ poscit victimam integram, & vitio carentem. OFFER ILLUD DUCI TUO ; quasi dicat : Quomodo mihi, qui Deus sum, placere potest munus illud, quod homini non placeret, si illi offerretur ? Ducem dicit, quia hoc tempore Iudæi regem non habebant. SI PLACUERIT EI, id est nullo modo placebit ei. SI SUSCEPERIT FACIEM TUAM, id est non te amico vultu intuebitur, nec quæ ab illo postulaveris concedet.

V. 9. ET NUNC DEPRECAMINI, &c. hortatur illos ad pœnitentiam. VULTUM DEI : scilicet vobis irati, Deus enim irato vultu aspicit peccatores, iuxta dictum Davidis Psal. XXXIII. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala*. Precamini igitur faciem Dei, ut vos placato, & amico vultu intueatur. DE MANU ENIM VESTRA FACTUM EST HOC : vos enim hæc, quæ dixi, universa fecistis. SI QUOMODO SUSCIPIAT FACIES VESTRAS. Utitur dubitatione, ut rei difficultatem ostendat ; quasi dicat : Cum Deum habetis valde iratum ; orate ardenter, & instanter, ut vos & vestras oblationes admittat.

V. 10. QUIS EST IN VOBIS, &c. Pergit crimina sacerdotibus, & Levitis obiicere. Sententia est, Nullum munus exercetis in domo mea gratis, quantumvis minimum, quale est claudere ostia, ignem subiicere holocaustis cremandis, &c. sed pro omnibus decimas exigitis. NON EST MIHI VOLUNTAS IN VOBIS : non mihi placetis, non estis mihi grati ob hæc quæ peccatis in cultu meo.

V. 11. AB ORTU ENIM SOLIS, &c. quasi dicat : Brevi igitur per Christum efficiam, ut nomen meum Gentibus toto orbe prædicetur, illæque me ubique agnoscant, adorent, celebrent. SACRIFICANTUR : sacrificabitur. OBLATIO MUNDA : sacrificium corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia. Dicitur *munda* ex Tridentino Seff. XXII. cap. 1. quia nulla offerentium indignitate polluitur. MAGNUM EST NOMEN MEUM : magnum, & inclytum erit nomen meum, & gloria mea.

V. 12. ET VOS POLLUISTIS ILLUD ; id est, nomen meum vile, & quasi pollutum effecistis, in eo quod factis, aut etiam verbis dicitis mensam Domini contaminatam esse. CONTAMINATA EST : despecta, vilis, contemptibilis, vide supra num. 7. QUOD SUPERPONITUR, &c. victima aut holocaustum, & ignis, qui adhibetur ad incendendam victimam.

V. 13. ECCE DE LABORE, &c. quasi dicat : Vos tam sacerdotes quam laici offertis hostias vitiosas, & languidas, & dicitis ; de nostro labore hæc, qualiacumque sunt, afferre potuimus, nec habemus meliora, quia Babylone pauperes venimus. ET EXSUFFLASTIS ILLUD. LXX. vertunt, *Exsufflavi* : exsufflatione mea dignum fecistis, id est ut ego exsufflarem illud, & pro nihilo haberem. INTULISTIS DE RAPINIS : cum tamen diceretis esse de labore.

V. 14. MALEDICTUS DOLOSUS. Ostendit eos non paupertatis, sed avaritiæ causa afferre tales victimas. *Dolosum* vocat eum, qui vovit, & imperfecta, aut mutila offert : licet enim essent quidam defectus tolerabiles in hostiis voluntarie oblatis, non tamen in iis quæ offerebantur ex voto, ut patet Levit. XXII. 23. QUIA REX MAGNUS EGO : cui proinde parva, & vilia offerri non debent. HORRIBILE : dignum omni timore, & reverentia. LXX. habent ἐπιφανὴς, id est *inclytum*, *illustre*.

TIRINI.

Vers. 2. IN QUO DILEXISTI NOS ? quo signo, quo dono, quo beneficio tuam in nos dilectionem prodidisti ? Vah ingratitudinem ! Tot tantisque beneficiis, antiquis, recentibus, perpetuis a Deo cumulati, rogant, numquid umquam boni ab illius manu acceperint. Vere *obliti sunt benefactorum eius*, & *mirabilium quæ ostendit eis a*. Sed ut alia innumera omittam, an oblivisci potestis maximi manifestissimique beneficii, quo neglecta familia ESAU, fratris gemelli IACOB patris vestri, vos Iacobi posteros in filios & heredes mihi delegi, & ut tales in terram sanctam lacte & melle manantem, tot tantisque prodigiis ac miraculis olim induxi, & nunc recens iterum reduxi : urbem, templum, palatia vestra excisa a Chaldæis instauravi, religionem, remp. reflorescere feci ? cum e contrario *Esavitas*,

tas, id est Idumæos, *odio* semper *habuerim*, id est neglexerim *b*, parum curarim, & gravissime afflixerim, ut solent qui alios odio prosequuntur. Nam pro habitatione dedi illis.

V. 3. MONTES præruptos, nec sat fertiles aut amœnos: & inde ob sua scelera expulsos *c* a Chaldæis, non reduxi e captivitate in patriam: sed reliqui *montes* EIUS *desertos*. Porro non loqui hic Prophetam de personis Iacob vel Esau, sed posteris illorum: neque de prædestinatione illorum, seu ad gratiam, seu ad gloriam, & horum æterna reprobatione; sed solum de dilectione & electione ad bona temporalia, vel reiectione ab iisdem; certo constat ex ratione & explicatione quam subiicit versibus sequentibus: & quia contrarium sat notum est, nempe plurimos Israelitas impios fuisse & damnatos, Idumæos vero multos salvatos: & quia S. Hier. Theodor. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, Vasquez, a Valentia, a Lap. & alii Doctores *d* ita expresse docent.

V. 4. QUOD SI DIXERINT Idumæi, (qui clam & pauci numero reversi sunt in patriam,) ÆDIFICABIMUS QUAE in urbibus nostris DESTRUCTA SUNT per Chaldæos, ut Iudæos videmus suum templum & urbes feliciter instaurasse; permittam id quidem, sed lente ac sobrie: & quæcumque ædificaverint, ego tum per Medos, Persas, Græcos & alios communes hostes, tum per vosmet, o Iudæi, destruam: adeo ut passim terra *Idumææ* vocanda sit TERMINI IMPIETATIS, id est terra obnoxia & subiecta pœnis gravissimi sceleris ab incolis admissi: incolæ vero vocentur POPULUS CUI ob maxima scelera IRATUS EST DOMINUS IN AETERNUM, & per consequens, perpetuis pœnis & miseriis subiacet. Nempe quamdiu stetit Idumæa respublica & religio, nempe usque ad *Hyrcanum e*, Iudæ Machabæi ex Simone fratre nepotem, a quo armis subacti, & ad Iudæorum religionem transire *f* coacti sunt.

V. 5. OCULI VESTRI post 400. *g* annos id VIDEBUNT, cum publice acclamabitur Deo laus & gloria, quod TERMINUM ISRAEL, id est fines & imperium Iudæorum tam spirituale, quam temporale, tam late propagarit. Quod in Ecclesiam Christi partim militantem; partim triumphantem longe verius quadrat, inquit S. Hieronymus.

V. 6. VOS O SACERDOTES, qui ut præ ceteris Israelitis, quasi primogeniti *h* mei, ad primariam dignitatem a me delecti estis, ita peculiari præ aliis amore & *timore*, id est reverentia, honore, cultu, me prosequi deberetis; pro *me* DESPICITIS & contemnitis, dum mihi

V. 7. OFFERTIS PANEM, id est cibum, POLLUTUM. Hebræi enim *panem* vocant omnem escam: ita Chaldæus, Vatablus, Clarius, Arias & alii. Porro victimæ in altari apponebantur quasi cibus Deo, ut dixi Levit. 1. Unde & hic Malachias ALTARE vocat *mensam* DOMINI. *Panem* ergo *pollutum* hic vocat primo, panes proprie dictos, quos in sacrificio *mincha*, (de quo Levit. 11.) offerebant Deo, forte non rite coctos aut frixos, vel ex frumento non sat puro & præstanti. Secundo, boves, oves, aliasque victimas, quas subinde claudas, cæcas, mancas contra præscriptum *i* legis ex avaritia vel neglectu Deo immolabant, *dicentes*: *Mensa* DOMINI DESPECTA, vilis & contemptibilis EST, ac proinde viliora quæque illi sufficiunt. O quam errant, qui non selecta & optima quæque deferunt Deo omnium domino, creatori & donatori! inquit Card. Bellarminus. k

V. 10. QUIS IN VOBIS *claudit ostia* templi, vel *incendit* ignem *altaris mei* GRATUITO? Nonne sat lauta stipendia ex tot victimis, decimis & donariis meo iussu *l* accipitis? Ergo si non vultis duci religione, certe iustitiæ legibus tenemini, fideliter, accurate & diligenter fungi in his supradictis officio vobis commisso: ita S. Hieron. Cyrillus & alii. Nunc cum id negligatis, NON EST MIHI VOLUNTAS amplius IN VOBIS aut in vestris *muneribus*, seu sacrificiis. In quibus & hoc displicet, quod tam angustis unius Ierosolymitani templi finibus sacrificia vestra constringantur *m*.

V. 11. AB ORTU ENIM SOLIS USQUE AD OCCASUM, id est per universum mundum, etiam IN GENTIBUS, seu in regnis Gentilium, ut per instantem adventum Christi, & prædicationem discipulorum & legatorum ipsius, MAGNUM & celebre

EST

EST NOMEN MEUM, omnibus me pro summo & unico Numine agnoscentibus, colentibus, servientibus: ita etiam ex meo decreto & Christi instituto, SACRIFICATUR mihi IN OMNI LOCO ET OFFERTUR OBLATIO absolute & perfecte MUNDA, non multiplex &, varia, ut apud vos, sed unica, quæ omnium oblationum vestrarum vim & energiam eminenter continet. Hebraice est, *mincha*, quod licet in genere *munus* seu *donum* significet, a Deo tamen appropriatur particulari speciei sacrificii ex pane vel farina confecti, ut dixi Levitici II. Quod, accedente ordinario libamine *n* vini, typus erat sacrificii novæ legis Eucharistiei, in quod unum & solum quadrant omnia iam dicta, ut SS. Patres & Doctores Orthodoxi ad unum omnes, & etiam Rabbini non pauci, quos citat Galatinus, & Tridentinum Concilium *o* expresse docent, & res ipsa loquitur. Nam in Eucharistia in honorem Dei, ad summum eius in omnia dominium contestandum, panis & vinum transsubstantiata in corpus & sanguinem Christi, offeruntur per universum orbem terrarum, oblatione mundissima, sive substantiam spectes, sive effectum, quæ nulla offerentium ministrorum immunditia inquinari potest. Vide Bellarminum, a Valentia *p*, Suarez, Coninck & alios Doctores.

V. 12. Vos autem, o sacerdotes Aaronici *polluitis* nomen meum, id est vilipenditis & contemnitis, EO ipso *quo* DICITIS, id est indigno modo vestro agendi palam toti orbi facitis, *mensam*, id est altare meum, rem vilem esse & quasi pollutam, seu *contaminatam*, cum omnibus hostiis impositis, & *igni* supposito, sacro alioquin & *q* cælesti.

V. 13. DIXISTIS pro excusatione vestra, ECCE DE LABORE; LXX. *hæc de afflictione sunt*, id est quod melioros victimas non offeramus, oritur ex paupertate nostra, quam peperit nupera afflictio Babylonica: & tali figmento tegitis scelus vestrum & *exsufflatis* quasi rem nihili. Verum hic dolus non mihi imponet, sed vobismet exitio erit. Nam

V. 14. MALEDICTUS erit a Domino omnis defraudator DOLOSUS, QUI cum ex voto teneatur offerre victimam Domino, & HABET IN GREGE SUO, vel coemere potest, animal MASCULUM? id est robustum, perfectum, & integrum & sine vitio, tamen eo neglecto IMMOLAT quod est DEBILE, mancum, vitiosum, corruptum. Nam in omni holocausto id lege prohibitum *r* erat: uti & in hostia pacifica, quando ex voto debebatur: secus si hostia esset voluntaria *s*: ita S. Hieron. Cyrillus & alii Patres.

(a) Psal. lxxvii. 11.
(b) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 7.
(c) Abdiæ vers. 16. &c.
(d) Vasquez in 1. p. quæst. xxiii. disp. xcv. n. 45. Valentia & alii DD. ibid.
(e) Chron. cap. xlii. classe ii.
(f) Abdiæ xviii.
(g) Chron. cap. xxxvii. & xlii. sup.
(h) Exodi xiii. 2. Num. viii. 16.
(i) Levit. xxii. 19. 22 &c.
(k) Bellarm. de gemitu columbæ.
(l) Num. xviii. 8.
(m) Levit. xviii. 3. Deut. xii. 6.
(n) Num. xv. 5. &c.
(o) Galatin. Lib. XI. Trident. sess. xxii. cap. 1.
(p) Bellarm. Lib. I. de Missa cap. x. Valentia & alii in 3. p.
(q) II. Mach. 2. 22.
(r) Levit. 1. 3.
(s) Levit. iii. vers. 1. cap. xxii. vers. 21. 23.

G O R D O N I.

Vers. 1. ONUS VERBI, &c. Onerosa hæc Prophetia est ad Israel non agnoscentem beneficia Dei, & dilectionem, cuius dat exemplum in Iacob & Esau vers. 2. & cum sit pater & Dominus, negatur tamen ex vers. 6. honor qui debetur. Nomen Israel hic complectitur Iudam, Beniamin, & quotquot ex decem tribubus coaluerunt in unam rempubl. post reditum a captivitate, ut fiebat ante divisionem regni.

V. 2. IACOB DILEXI, &c. Hoc loco post S. Paulum passim utuntur Theologi in materia, & qq. de prædestinatione, de quo etiam dixi in opere Theolo. Lib. IX. quæst. x. num. xxx. primum adverto, non accipi hic odium formale & proprie dictum. Sic enim Deus nihil odit eorum quæ fecit. Solum ergo designatur minor amor; dum v. g. unum postponitur alteri: sicut Deus hic sub nominibus & persona duorum fratrum postposuit Idumæos Israeli. Idque in multis rebus: & vero de prælectione spirituali

disputant Theologi in qq. de prædestinatione, sive sit ad gratiam, sive gloriam. Paulus quidem Rom. IX. 13. accepit hinc similitudinem, dum hinc transit ad prædestinationem, ad bona spiritualia velut transitu a typo ad antitypum. Ceterum quomodo Paulus ibi agat de electione, non quidem ad gloriam, se ad gratiam, dixi suo loco.

V. 6. FILIUS HONORAT PATREM, &c. Exposuit beneficia: en nunc ingratitudinem dum male colentes Deum peccant contra ius naturale & divinum; ubi etiam, quod claudum est & cæcum, seu mutilum animal, offertur Deo: quod ne qui dem apud homines, & erga ducem popu li fieri debet. Qualis debeat esse victima, vide Levit. XXII. 23.

V. 11. AB ORTU ENIM SOLIS, &c. Prophetice loquitur Malachias; nam loquitur de futuro, ac si res esset præsens: docet ergo, reprobatis Iudæorum & Mosaicis sacrificiis & victimis male oblatis, a Deo decretum esse novum, iuge & admirabile sacrificium, etiam a gentibus offerendum in omni loco, & mundum. In Ecclesia Christiana. In Hebr. vers. 11. מנחה *minha*, de qua Levit. II. eratque vere, & proprie sacrificium ex farina & pane. Sane verus typus Eucharistiæ in nova lege; inepte ergo Calvinus per mincham intelligit orationem & hymnum. Porro Septuag. vertunt sacrificium, θυσία. Dicat Calvinus quodnam sit aliud in gentibus sacrificium mundum, gratum Deo & oblatum nomini eius. Et præsertim cum Malachias his solis loquatur sacerdotibus, ex vers. 6. & de altari vers. 7. quis videns hic tria hæc mincham, altare, & sacerdotem, non intelliget verum sacrificium? inepte ergo Calvinus, quem etiam damnat vox *sacrificatur*, Hebr. מקטר *muktar:* quis enim dicet hymnum adoleri, incendi, cremari? sicut idem Novator damnatur a Trid. sess. XXII. cap. I. a Patribus & tota Ecclesia, ut prolixius dixi in opere Theologico Lib. VI. agendo de sacrificio.



CAPUT II.

Comminatur Dominus se maledicturum benedictionibus sacerdotum, nisi resipiscant: ipsius enim legem contemnunt, irritum facientes pactum Levi, qui hic laudatur: transgressus est & Iuda ducens alienigenas, quapropter non respiciet deinceps Dominus ad sacrificium eorum: de uxore diligenda, seu admittenda: laborare fecerunt Dominum in sermonibus suis.

1. ET nunc ad vos mandatum hoc, o sacerdotes. 2. (*a*)
Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor,
ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis quoniam non posuistis super cor. 3. Ecce ego proiiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum, & assumet vos secum. 4. Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, ut esset pactum meum cum Levi, dicit Dominus exercituum. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pavebat. 6. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inventa in labiis eius: in pace & in æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. 7. Labia enim

sa-

sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia an-
gelus Domini exercituum est. 8. Vos autem recessistis de via, & scandali-
zastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exer-
cituum. 9. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles; & humiles omni-
bus populis, sicut non servastis vias meas, & accepistis faciem in lege.
10. (b) Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus
unus creavit nos? * quare ergo despit unusquisque nostrum fratrem suum,
violans pactum patrum nostrorum? 11. Transgressus est Iuda, & abomina-
tio facta est in Israel, & in Ierusalem: quia contaminavit Iudas sanctifi-
cationem Domini, quam dilexit; & habuit filiam dei alieni. 12. Disper-
det Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum * de taber-
naculis Iacob, & offerentem munus Domino exercituum. 13. Et hoc rur-
sum fecistis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu, ita ut
non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu
vestra. 14. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est
inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps
tua, & uxor fœderis tui. 15. Nonne unus fecit, & residuum spiritus eius
est? Et quid unus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum ve-
strum & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. 16. Cum odio habueris,
dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum
eius, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, & nolite de-
spicere. 17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis?
In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis: Omnis qui facit ma-
lum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certe ubi
est Deus iudicii?

(a) Levit. XXVI. 14. Deut. XXVIII. 15. (b) Mat. XXIII. 9. Ephes. IV. 5.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 10. *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum violans pactum patrum nostrorum*. Pronomina primæ personæ *nostrum* & *nostrorum* non sunt mutanda in secundæ *vestrum* & *vestrorum*.

Vers. 12. *De tabernaculis Iacob*. Pro plurali *tabernaculis* non supponas singulare *tabernaculo*.

Notatio.

Vers. 10. *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* D. Hentenius correxit *unusquisque nostrum*: sic enim multi codices legunt, & quidem emendatiores nostri, Brug. Lob. Leod. O. L. Pl. m. atque antiqui Epanorthotæ. Alii multi scribunt *unusquisque vestrum*: quidam & *nostrum* omittunt, & *vestrum*: *unusquisque fratrem suum?* Græce est: *Quid quod reliquistis unusquisque fratrem suum?* id quod iis adstipulatur qui habent *vestrum*: cuius personæ pronomine ceteras omnes huius versus partes Græci legunt, cum Hebræi, Chaldæi, melioresque Latini, primæ. Hebraice est parsilla מדוע נבגד איש באחיו quod si vertas, *Cur despicitur unusquisque a fratre suo*, nec *nostrum* continetur, nec *vestrum*; si vero quod Chaldæus sequitur, & Camhio probatur, *Cur despicimus unusquisque fratrem suum*, manifeste continetur *nostrum*, Latineque exponatur: *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?* Quam Hieronymi esse translationem & commentarius diserte loquitur: „Propheta se ipsis annumeravit qui delinquerant, ut correptionem eo facilius susciperent."

COM-

COMMENTARIA.

S A.

Verf. 1. HOc, fcilicet quod fequitur. *V.* 2. MALEDICAM, &c. id eft privabo vos bonis quæ dedi, vel iis, quæ vos benedixeritis, ego maledicam; feu (ut indicat Chald.) habebo veftras benedictiones pro execrationibus. SUPER COR, fcilicet ut daretis mihi gloriam, Chald. *fuper cor timorem mei*.

V. 3. VOBIS. LXX. *a vobis;* quafi dicat, Auferam emolumenta facerdotii. BRACHIUM, id eft armum, qui facerdotibus dabatur: vel quafi dicat, Viribus privabo vos. STERCUS, fcilicet ventriculi, qui item facerdoti dabatur. LXX. *ventriculum*; quafi dicat, Pro ventriculo vobis debito, velut fæcibus contaminabo, fcilicet reddam ignominiofos dignofque confufione. SOLEMNITATUM, id eft hoftiarum in feftis offerri folitarum. ASSUMET, id eft involvet, fcilicet ftercus.

V. 4. ISTUD, fcilicet de victimis recte offerendis. ESSET, fcilicet firmum. LEVI, id eft familia facerdotali.

V. 5. VITAE ET PACIS, fcilicet ei dandæ fi mihi obediret. TIMUIT, de fanctis loquitur, ut Aaron, Phinees, &c.

V. 6. LEX, &c. quafi dicat, Semper veram de Lege doctrinam docuit. PACE, fcilicet non refiftens meæ voluntati. AEQUITATE, id eft iuftitia. AMBULAVIT MECUM, id eft mihi fervivit, feu mihi placuit.

V. 7. CUSTODIENT, id eft cuftodire debent, fcilicet proferendam eum opus erit. REQUIRENT, fcilicet requirere debent. ANGELUS, id eft Legatus, feu nuntius, vel Angelicum munus exercens.

V. 8. DE VIA, fcilicet mandatorum Dei. SCANDALIZASTIS, fcilicet malo exemplo. LXX. *infirmos feciftis*. IN LEGE, fcilicet dum eam non fervatis. IRRITUM, fcilicet non fervando pacti conditiones.

V. 9. HUMILES, id eft abiectos. FACIEM. LXX. *perfonam;* quafi dicat, Cum fecundum legem iudicare deberetis, iudicaftis fecundum acceptionem feu refpectum perfonarum.

V. 10. PATER, fcilicet Abraham, vel Iacob, vel Deus. DEUS, &c. quafi dicat: Nonne omnes Deum verum colimus? PACTUM PATRUM, id eft legem patribus datam, vel pactum de fervanda Dei lege, quæ iubet neminem defpici.

V. 11. SANCTIFICATIONEM, id eft fanctitatem. LXX. *fancta*, fcilicet Dei præcepta. HABUIT, fcilicet in uxorem. FILIAM, &c. id eft colentem deos alienos.

V. 12. TABERNACULIS. Chald. *urbibus*. ET OFFERENTEM, &c. quafi dicat, Etiam facerdotes.

V. 13. OPERIEBATIS, &c. quafi dicat: Faciebatis, ut uxores a vobis repudiatæ lacrymis altare implerent, apud me de vobis conquerentes. MUGITU. LXX. *gemitu*. PLACABILE, id eft quod me placet, feu mihi gratum fit.

V. 14. TESTIFICATUS, id eft per legem cum atteftatione præcepit, fcilicet non deferendam uxorem temere. Vide *teftificandi* fignificationem Exod. XIX. Deut. XXXII. IV. Reg. XVII. PUBERTATIS TUAE, id eft quam adolefcens duxifti. PARTICEPS, id eft focia. FOEDERIS, fcilicet primo cum ea initi.

V. 15. UNUS, fcilicet Deus. FECIT, fcilicet etiam feminam. RESIDUUM, &c. quafi dicat: Nonne etiam ei dedit, ut homini fpiritum fuum? infpirans fcilicet in eam fpiraculum vitæ. ET QUID UNUS, &c. quafi dicat: Et quid Deus ipfe vult, nifi filios fanctos gigni ex fideli patre & matre? LXX. *& dixiftis, quid aliud nifi femen quærit Deus?* quafi dicat: Excufatis peccatum, dicentes, quid refert ex qua femina quis prolem habeat, cum matrimonium fit caufa prolis a Deo inftitutum? CUSTODITE, fcilicet a peccato.

V. 16. ODIO, &c. fcilicet ob fornicationem, aut iuftam caufam lege permiffam. Quidam tamen putant ob folum adulterium licuiffe. DIMITTE, fcilicet dato libello repudii. INIQUITAS, id eft iniquitatis punitio, fcilicet fi contra Dei legem fecerit. VESTIMENTUM, id eft corpus: vel, ut veftimentum; quafi dicat: Totum hominem velut veftimentum. EIUS, iudex, fcilicet viri. DESPICERE, fcilicet uxores.

V. 17.

V. 17. LABORARE, &c. id est molestias affecistis. LXX. *ad iram provocastis*. PLACENT. Id dicebant quidam, quod viderent malos prosperari in hac vita. IUDICII, id est iustus iudex; quasi dicat: Ubi est Dei providentia? LXX. *iustitiae*.

ESTII.

Vers. 7. 8. & 9. LABIA SACERDOTIS CUSTODIENT SCIENTIAM, ET LEGEM REQUIRENT EX ORE EIUS, QUIA ANGELUS DOMINI EXERCITUUM EST. Verba clara sunt, neque egent explicatione; sed tantum diligenti consideratione, & operis executione, ut tanto muneri respondere conemur, quotquot ad sacerdotalem dignitatem vocati sumus. Alioqui merito audiemus, quod sequitur: Vos AUTEM RECESSISTIS DE VIA, ET SCANDALIZASTIS PLURIMOS IN LEGE, IRRITUM FECISTIS PACTUM LEVI. PROPTER QUOD ET EGO DEDI VOS CONTEMPTIBILES ET HUMILES (id est, viles) OMNIBUS POPULIS, SICUT NON SERVASTIS VIAS MEAS. Videtis rationem, quare apud multos hoc tempore in tanto contemptu sit sacerdotium. Sed quaeritur nihilominus, an illud, *Labia sacerdotis custodient scientiam*; pertineat ad omnes sacerdotes? an vero ad eos solos, quibus committitur regimen animarum? Respondeo, ad omnes pertinere, quia ecclesiam vult omnes, qui sacerdotio initiantur, habere doctrinam divinae legis competentem; super quo & praemittitur eorum examen, antequam ordinentur. Omnes enim sacerdotes, etiam illi, qui curam animarum non habent, debet esse sal populi; ut interrogati a laicis, de his quae ad Deum, & salutem pertinent, possint saltem mediocriter respondere.

MARIANAE.

Vers. 1. AD VOS MANDATUM HOC. Hoc est, quod mihi mandatum est, ut dicam vobis: seu potius, hoc est mandatum de oblationibus, de quibus agit; aut quod mox dicet, de non ducendo uxores alienigenas, ad vos, o sacerdotes, potissimum spectat.

V. 2. MITTAM IN VOS EGESTATEM. Hebr. *maledictionem*: sic Sept. & Chald. ET MALEDICAM BENEDICTIONIBUS VESTRIS, id est auferam bona, quae ex meo beneficio habetis, aut quae vos benedixeritis, ut pecora, & agros, iis ego sterilitatem inducam: Hieronymus. ET MALEDICAM ILLIS. Hebr. *& etiam maledicam illi*, scilicet cuique benedictioni vestrae addam quotidie ad maledictionem. Id ea repetitione significat. QUONIAM NON POSUISTIS SUPER COR: nempe hoc praeceptum.

V. 3. ECCE EGO PROIICIAM VOBIS BRACHIUM. Sept. *humerum*, id est arcanum, quod ex Lege sacerdotibus debebantur, Levit. VII. Deuter. XVIII. STERCUS. Sept. *ventriculum*, qui debebatur etiam ex lege. Id in faciem vobis proiiciam, contemnam ea, vosque iis ut stercore foedabo. Hebr. *Ecce ego corrumpam vobis* (id est propter vos) *semen* (agri nihil ferent) *& dispergam super facies vestras stercus sollemnitatum* (id est pecudum, quae in sollemnitatibus mactantur) *eo stercore vos foedabo, contemnam vestras oblationes*: זרע pro ratione punctorum *brachium* & *semen* significat; ea variae interpretationis occasio. ET ASSUMET VOS SECUM, semper eo stercore foedati eritis. Hebr. *& tollet* (iniquitas) *vos ad illud*, id est ad eam ignominiam & foeditatem perducet.

V. 4. ET SCIETIS, QUIA MISI AD VOS MANDATUM ISTUD, scilicet de oblationibus, aut uxoribus alienigenis. UT ESSET PACTUM MEUM CUM LEVI. Ut pactum, quod cum tribu Levi pepigi olim, vobiscum etiam staret. *Levi* non sumitur pro uno homine, sed pro tribu Levi: sic Hieronymus. Pactum fuit, ut in ea tribu esset sacerdotium, & eius emolumenta.

V. 5. PACTUM MEUM FUIT CUM EO VITAE ET PACIS: me illi daturum vitam & felicitatem. ET DEDI EI TIMOREM. Hebr. *& dedi ea* (vitam & pacem) *ei, timorem*, id est propter timorem; *& timuit me*, id est quo timuit me. ET A FACIE NOMINIS MEI PAVEBAT. Hebr. *contritus est, audito meo nomine*. Loquitur de bonis, qui semper fuerunt in tribu Levi.

V. 6. LEX VERITATIS; scilicet veritas semper fuit in ore eius, nullum decepit. IN PACE, quiete ambulavit mecum.

V. 7. SACERDOTES CUSTODIENT SCIENTIAM, ut scilicet suo tempore depromant & proferant: Hieronymus. ET LEGEM RE-

REQUIRENT, non fabulas & nugas: Bernardus II. de Consid. QUIA ANGELUS DOMINI. Nuncius & interpres Dei est sacerdos.

V. 8. RECESSISTIS DE VIA, scilicet recta. ET SCANDALIZASTIS PLURIMOS. Heb. *offendere fecistis multos*. IN LEGE, ne servarent scilicet legem. IRRITUM FECISTIS, corrupistis, violastis pactum cum tribu Levi initum.

V. 9. ET EGO DEDI VOS CONTEMPTIBILES. Par pari retuli: vos me contempsistis, ego vos reddidi contemptibiles, & humiliavi vos ubique. ET ACCEPISTIS FACIEM IN LEGE, id est non iuste iudicastis, sed contra legem. Aut non estis ausi increpare eos, qui contra legem hostias pollutas deferebant ad templum, aut qui ducebant uxores alienigenas.

V. 10. PATER UNUS OMNIUM. Si eodem patre Deo procreati sumus, quare vir despicit uxorem suam, ut aliam ducat. DESPICIT UNUSQUISQUE NOSTRUM FRATREM SUUM, sororem scilicet eius, aut filiam repudiando. VIOLANS PACTUM PATRUM NOSTRORUM? Sic Hebr. Sept. *vestrorum*: sic Gotth. Ergo violatis pactum patrum antiquorum, quo alienigenas ducere vetabantur. Aut patrum quisque suorum, cum filios & filias desponsarunt, & pro eis inter se pepigerunt.

V. 11. TRANSGRESSUS, prævaricatus EST IUDA, id est tribus Iuda. ET ABOMINATIO, hoc est scelus. IN ISRAEL. Cum tribu Iuda multi ex aliis tribubus confusi erant. QUIA CONTAMINAVIT IUDAS SANCTIFICATIONEM. Hebr. *sanctitatem Domini*. Sic nuptias vocat, quas illi contaminarunt. HABUIT: duxit, possedit, ut maritus. Id vox Hebr. בעל *bahal* significat. FILIAM DEI ALIENI, id est filiam, quæ colebat deum alienum, alienigenam rem.

V. 12. DISPERDET. Hebr. *succidet Dominus*. MAGISTRUM ET DISCIPULUM. Chald. *filium & nepotem*. Hebr. *vigilantem & respondentem*, id est omnes occidet propter hanc nequitiam, heros, & famulos qui vigilant, & fores pulsantibus respondere solent. ET OFFERENTEM MUNUS; pro, etiamsi offerat munus Deo, non placabitur, non parcet.

V. 13. ET HOC RURSUM FECISTIS; pro, hoc etiam fecistis. Hebr. *& hoc secundo fecistis*. Hoc est, hæc est secunda noxa, scilicet dimittere uxores; nam prima fuit, oblationes pollutas obtulisse. OPERIEBATIS. Hebr. *operire lacrymis altare*, scilicet quas fundunt uxores repudiatæ. ITA UT NON: quo factum, ut non respiciam ultra munera & oblationes. NEC ACCIPIAM PLACABILE. Hebr. *nec accipiam* (in) *bona voluntate de manu vestra*, scilicet oblationem & sacrificium.

V. 14. QUAM OB CAUSAM? scilicet Deus irascitur in nos. QUIA DOMINUS TESTIFICATUS EST INTER TE, ET UXOREM, id est sanxit, firmavit tuum coniugium, eo auctore factum est & stipulatore. QUAM TU DESPEXISTI. Hebr. *in quam tu prævaricatus es*. ET HAEC PARTICEPS TUA, seu *socia tua*. ET UXOR FOEDERIS TUI, id est legitima, cum qua fœdus inivisti.

V. 15. NONNE UNUS FECIT, scilicet Deus, qui unus est, fecit uxorem. ET RESIDUUM SPIRITUS EIUS EST? id est in eam etiam inspiravit animam: sic Hieronymus explicat. Chald. & Hebræi per *unum* intelligunt Abraham, qui fuit unus, hoc est, primus in eo populo, nonne ille fecit quod dicimus, suo exemplo ceteros docuit? *Et residuum spiritus*; id est excellentia spiritus erat in eo, melior ceteris fuit. ET QUID UNUS QUAERIT, NISI SEMEN DEI? Scilicet Deus id quærit, ut filii legitimi ex utroque parente fideli generentur. Aut, *quid quærit*, pro, quæsivit Abraham, nempe, *semen Dei*, ut filios scilicet ea conditione procrearet. CUSTODITE ERGO SPIRITUM VESTRUM, scilicet a malo, custodite legem. Quid fidicamus, *custodite societatem vestram*, id est coniugium; nam eadem vox est, quæ superiori versu, ubi est, *& hæc particeps tua*. Solum transpositis litteris ברוח *bervah* fit pro חבור *babur*, id est *societate*; & apte cohærent sequentia. ET UXOREM ADOLESCENTIAE TUAE NOLI DESPICERE, non offendas, non prævariceris in eam. Sed prior expositio potior est.

V. 16. CUM ODIO HABUERIS, DIMITTE, scilicet dato libello repudii, ut alteri nubere possit. OPERIET AUTEM INIQUITAS VESTIMENTUM EIUS, id est corpus, ipsum dimittentem operiet iniquitas. Non erit innoxius. Aut *iniquitas* sumatur pro pœna iniquitatis, ut sumit Hieronymus, qui *vestimen-*

ſtimentum pro corpore ſumit. Hebr. *Et operuit iniquitatem veſtimento ſuo*, ſcilicet retenta uxore quam odit, nec dato libello, ſed ducta alia; ea diſſimulatione ut pallio ſcelus tegit. ET NOLITE DESPICERE, aut *prævaricari*.

V. 17. LABORARE FECISTIS DOMINUM. Humano more loquitur, pro, peccaſtis in Deum. AUT CERTE UBI EST DEUS IUDICII? Id dicendo peccaſtis. Iudicia Dei ubi ſunt? cuncta ſurſum deorſum aguntur, Deus res humanas non curat, nulla eſt providentia. Vox impiorum.

MENOCHII.

Verſ. 1. AD VOS MANDATUM HOC; quaſi dicat: Audite hoc quod mihi Dominus mandavit ut dicerem vobis.

V. 2. PONERE SUPER COR: diligenter, & attente cogitare, cordi imprimere, cor, & mentem applicare. UT DETIS GLORIAM NOMINI MEO: me, ut par eſt, colendo, & iurando ut meo altari, victimis, & univerſo religioſo cultui ſuus conſtet decor, honor, & gloria, mundas offerendo victimas &c. MALEDICAM BENEDICTIONIBUS VESTRIS: id eſt, privabo vos bonis, quæ dedi. Vel iis quæ vos benedixeritis, ego maledicam, ſeu, ut indicat Chald. habebo veſtras benedictiones pro execrationibus.

V. 3. PROIICIAM VOBIS BRACHIUM; quaſi dicat: Armum quem lege Levit. VII. 31. vobis ſeparavi, & dedi, indignanter vobis proiiciam, commotus quod victima mihi non placuerit, quia immunda, aut manca. DISPERGAM SUPER VULTUM VESTRUM STERCUS SOLEMNITATUM VESTRARUM. Ut armus debebatur ſacerdotibus in hoſtia pacifica, ita etiam ventriculus, ut habetur Levitici loco citato. Senſus ergo eſt, Offenſus peccatis veſtris non tam dabo vobis ventriculum, quam eius ſtercus proiiciam in vultum veſtrum. Vel ſimpliciter ſenſus eſt, Solemnitates veſtras, quas ut ſtercus abominor, reiiciam indignabundus, & in vultum veſtrum proiiciam. ASSUMET VOS SECUM: adiunget vos ſibi, & ſe vobis, ut ſemper ſordidi illo ſitis, ideoque contemptibiles, & execrabiles.

V. 4. ET SCIETIS: docti pœna, quam infligam. QUIA MISI AD VOS MANDATUM ISTUD: intelligetis prophetam, qui ad vos venit huius mandati nuncius, nomine meo veniſſe, & a me fuiſſe miſſum, ut moniti mores emendaretis. UT ESSET PACTUM MEUM CUM LEVI: ut pactum quod ego cum Levitis inii, ſemper ſtaret, poſſemque vobis benefacere.

V. 5. PACTUM MEUM FUIT CUM EO VITAE, ET PACIS; quaſi dicat, Pepigi, & promiſi Aaroni, & poſteris eius longam, pacificam, proſperam, opulentam, & felicem vitam, ſi meum pactum, & meas ſanctiones, & leges ad ſacras ceremonias ſpectantes religioſe ſervaſſet. ET DEDI EI TIMOREM. Et ipſe, aliique ei ſimiles, me reverenter, & cum religioſo timore coluerunt; huncque reverentiæ ſenſum habuerunt munere meo. A FACIE NOMINIS MEI PAVEBAT: coram me trepidabat, præ ingenti reverentia, & tremebat.

V. 6. LEX VERITATIS, &c. id eſt, ſemper veram doctrinam, & ſalutarem docuerant. ET INIQUITAS NON EST INVENTA &c. neminem deceperunt, ut a vero Dei cultu aberraret. IN PACE, ET AEQUITATE AMBULAVIT MECUM, id eſt ſolicite mihi ſervierunt, pacem mecum, & cum proximis ſervando, & omnia mandata mea implendo, quod eſt ambulare in æquitate. LXX. habent, *in pace dirigens ambulavit mecum*. Ubi, *in pace dirigere*, eſt proſpere agere, hoc enim eſt κατευθύνειν, quem ſenſum etiam exhibet vulgata editio.

V. 7. LABIA SACERDOTIS CUSTODIENT SCIENTIAM, id eſt cognitionem rerum ad bene ſentiendum, & agendum neceſſariam, ut ſint quaſi arca teſtamenti in qua erat Lex. LEGEM REQUIRENT EX ORE EIUS: & ex ore eius legis interpretationem accipient, & quærent. QUIA ANGELUS DOMINI EXERCITUUM EST, id eſt nuncius Dei, ideoque eius oracula ita tradit ut accipit, nihil addens, aut detrahens. Fortaſſe Divus Hieronymus conſulto non vertit, *Nuntius*, ſed, *Angelus*, ut oſtenderet Angelum dici, non ſolum quia voluntatis Dei nuntius, & interpres eſt; ſed etiam quia Angelorum ſanctitatem, & puritatem imitari debet.

V. 8. RECESSISTIS DE VIA, id eſt a rectitudine morum, & obſervantia legis. SCANDALIZASTIS: malo exemplo veſtro, non ſervantes legem. IRRITUM FECISTIS PACTUM LEVI. Hebr. *Corrupiſtis*; non impletis præcepta familiæ veſtræ tradita, ideo-

ideoque indigni facti estis, quibus promissa vobis facta serventur.

V. 9. Humiles, id est abiectos, & viles. Accepistis faciem in lege: iniuste iudicastis, non causas attendentes, sed personas: acceptores personarum fuistis.

V. 10. Numquid non pater unus omnium nostrum., Transit Malachias ad reprehendendos sacerdotes, principes, & populum, quod reversi Babylone uxores suas dimitterent maete confectas, aut deformes propter fatigationem itineris, aut ætatem, & ducerent alienigenas, contra legem, Deut. vii. 3 Idem vitium taxat, & emendat Esdras Malachiæ coævus Lib I. cap. ix. & x. Sensus ergo est: Cum omnes habeamus unum patrem Abraham, tam viri quam feminæ, contra hoc commune vinculum peccatis, & sorores vestras, eiusque sanguinis participes, alienigenis posthabetis. Numquid non Deus unus creavit nos? Duæ sunt dilectionis causæ maximæ; altera communio generis, de qua iam dixit, altera communio religionis, de qua nunc loquitur; quasi dicat: Cum Deus unus nos omnes creaverit, omnesque hunc creatorem colamus, cur dimittitis uxores, quæ eundem vobiscum Deum, & creatorem colunt, & ducitis idolorum cultrices? Despicit unusquisque fratrem suum: fratrem despieit abiiciendo filiam, aut sororem eius. Pactum patrum nostrorum: legem Deut. vii. 3. de non ducendis alienigenis.

V. 11. Transgressus est Iuda. Transgressionem vocat acceptionem alienigenarum uxorum, ac dimissionem Israelitarum. Idem etiam intelligit nomine *abominationis*. In Israel: id est in Iuda, post reditum enim ex captivitate non erat alius Israel, quam Iuda, & Iudæi. Vel, nomine Israelis intelligit paucos illos qui ex decem tribubus Iudæis adhæserant. Et in Ierusalem; quæ sanctior esse debebat, cum habeat templum, & sacerdotes. Sanctificationem Domini, id est sanctitatem, quam habebat ex eo quod esset præ omnibus populis Deo dicatus, amisit, aut corrupit, miscendo se eum alienigenis. Vel, vinculum matrimonii a Deo sancitum, & sacratum in paradiso. Chald. vertit: *Violaverunt viri domus Iuda animam suam, quæ erat sanctificata coram Domino, & dilecta*. Quam dilexit: scilicet Dominus. Habuit filiam dei alieni: duxit uxorem cultricem dei alieni; pro habuit est בעל *babal*, id est possedit ut uxorem.

V. 12. Magistrum, et discipulum, sive sit sacerdos, & magister, sive laicus, & discipulus. De tabernaculis Iacob, id est *de urbibus Israel*, ut vertit Chaldæus. Et offerentem munus; id est, etiamsi sit quivis alius, qui munera multa offerat, & illis speret Deum esse placandum. Vel, eum Chaldæo & aliis, per offerentem munera sacerdotem intellige.

13. Et hoc rursum fecistis; id est, priori sceleri, quo alienigenas ducitis, secundum adiicitis. Operiebatis lacrymis altare: lacrymas intelligit uxorum dimissarum, a Deo petentium vindictam, & auxilium. Mugitu: clamore vehementi. Ita ut non respiciam ultra ad sacrificium: quia aspicio ad lacrymas, & mugitum uxorum, quas vos opprimitis: magis enim illæ, utpote iustæ, & miserabiles, me movent, quam iniqua, & impura sacrificia crudelium.

V. 14. Dominus testificatus est, &c. Ex Hebræo verti potest, *Testatus est*, id est testis fuit contractus matrimonii eum iniretur. Uxorem pubertatis tuae: quam legitime duxisti cum primum factus es puber. Particeps tua: uxor tua, socia tua; Itali etiam uxorem appellant *Consorte*. Uxor foederis tui: cum qua fœdus inivisti: nam altera quam duxisti, non est uxor tua, sed concubina, non iniisti eum illa legitimum fœdus.

V. 15. Nonne unus fecit, &c. Sensus est Deus qui unus est, Adamum etiam unum, & Evam unam fecit, ut nec Adam aliam uxorem quæreret, nec Eva alium maritum. Decet ergo vos sanctionem hanc Dei, unitatemque coniugii non discindere, aut infringere. Et residuum spiritus eius. Et aliud argumentum ad idem probandum. Et pro spiritu intelligit flatum Dei; quasi dicat: Deus in hominem aspiravit spiraculum vitæ, & residuum spiravit in mulierem, id est æqualem animam illi dedit, sicut & viro. Cum ergo corpus mulieris sit ex costa Adami formatum, & anima eius sit quasi residuum spiritus, flatus sive halitus Dei, par est virum & uxorem tantam coniunctionem non dissolvere, quod vos facitis aliis ductis uxoribus, & primis demissis. Et quid unus

QUAE-

QUAERIT, NISI SEMEN DEI? LXX. habent. *Quid aliud præter semen quærit Deus?* est aliud argumentum idem probans. Sententia est: Nihil aliud quærit Deus cum vult matrimonia sociari, nisi ut propagetur populus fidelis, sitque vere semen Dei, hoc est, ex fidelibus parentibus natus, & bene iuxta legem institutus, & educatus, non autem ex alienigenis, ut vos facitis. CUSTODITE ERGO SPIRITUM VESTRUM; id est, retinete uxores vestras. quas dixi esse residuum spiritus Dei.

V. 16. CUM ODIO HABUERIS, DIMITTE. Sunt verba Iudæorum factum suum excusantium permissione legis; quasi dicant; Cur nos reprehendis? An non licet hoc per legem, quæ facultatem facit repudiandi uxores? OPERIET INIQUITAS VESTIMENTUM EIUS. In Hebræo est, *Operiet iniquitas super vestimentum tuum;* id est, ita redundabit, eminebit; & exuberabit tua iniquitas, ut nullo vestimento occultari, aut dissimulari possit. Hoc dictum videtur, quia lex permittebat quidem uxoris dimissionem, sed ad duritiam cordis eorum; itaque crimine non vacabat, qui temere, & sine iusta causa illam dimittebat.

V. 17. LABORARE FECISTIS, id est molestia affecistis. LXX. *ad iram provocastis.* IN SERMONIBUS VESTRIS: cum scilicet dicitis, *Omnis qui faciet malum*, &c. BONUS EST IN CONSPECTU DOMINI. Erat hoc aliud crimen Iudæorum, quod pauperes e captivitate reversi, videntes vicinos idololatras florere divitiis, & prospere agere, divinam providentiam requirebant, Deumque incusabant, quod suos cum ærumnis conflictari pateretur; infideles vero, & impios omnis generis bonis augeret. UBI EST DEUS IUDICII? id est, iustus iudex; ubi est divina providentia? LXX. *iustitiæ*.

TIRINI.

Vers. 2. SI NOLUERITIS PONERE SUPER COR, id est cordi habere, serio & solicite curare, UT DETIS GLORIAM NOMINI MEO magno debitam, colendo me, meoque altari & victimis invigilando, ut suus cuique constet decor, honor & gloria; MALEDICAM BENEDICTIONIBUS VESTRIS, id est, fruges, opes, honores, aliaque bona quæ ex mea benedictione possidetis, corrumpam, evertam, tollam, inquit S. Cyrillus, Remigius & Vatablus.

V. 3. BRACHIUM, id est robur omne virium, opum, prolium, amicorum, alimoniæ, PROIICIAM & adimam VOBIS, ET STERCUS SOLEMNITATUM VESTRARUM, id est extremam ignominiam & probrum, ob neglecta mea sacra, congeram in vos, maxime sub Antiocho Epiphane, aliisque tyrannis, quibus vexandi, ridendi, illudendi trademini. Tunc malo vestro edocti,

V. 4. SCIETIS MANDATUM ISTUD de sacris meis rite procurandis, missum a me AD VOS, tamquam conditionem necessario ex parte vestra implendam, UT PACTUM *a* MEUM CUM familia LEVI initum olim tempore Moysis, perpetuo firmum & stabile consistat: ita S. Hieron. Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus. Ex mea vero parte

V. 5. PACTUM MEUM CUM EO, nempe cum Aarone, abnepote Levi, FUIT pactum VITAE ET PACIS; id est, pepigi & promisi Aaroni, eiusque posteris, si munia sacerdotalia rite obirent, longam, pacificam, opulentam & felicem vitam, & omnia prospera: ita Theodoretus. Nec aliud: DEDI aut præscripsi, quod ipse ex sua parte complere deberet, quam TIMOREM *b* MEI, id est reverentiam, cultum & servitium mihi præstandum. Et ipse *c* quidem, eiusque nepotes ut plurimum, præstiterunt, quod debebant mihi.

V. 6. LEX VERITATIS FUIT IN ORE EIUS; id est, ore & exemplo suo vere, recte, sincere docuit subditos suos legem meam.

V. 7. LABIA ENIM SACERDOTIS, maxime supremi, id est pontificis, *custodiunt*, id est custodire debent, SCIENTIAM legis divinæ, ut opportuno & congruo tempore illam eloquantur populo, qui & quando illam requiret, aut indigebit: ita S. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Bernardus *d*. QUIA ANGELUS, id est nuntius; Tigurini, *legatus* DOMINI EST. Unde debet, instar *legati*, voluntatem principis sui integre denuntiare nihil addendo, nihil detrahendo: debet instar angeli, Deo iugiter astare ac ministrare, & nihilominus subditos suos oportunis monitis, purgare, illuminare, perficere, ut ait S. Dionysius *e*; & sanctificare, ut addit Basilius *f*.

V. 8. VOS AUTEM bonorum parentum

malii filii, RECESSISTIS procul ab hac *vita* legis, scientiæ, veritatis, & timoris divini, *scandalizantes* PLURIMOS IN LEGE, dando subditis exemplum contemnendæ & violandæ legis: atque ita ex parte vestra IRRITUM FECISTIS PACTUM initum olim inter me & familiam LEVI, quia non servastis pacti conditiones, quas iam recensui.

V. 9. ACCEPISTIS FACIEM IN LEGE, id est personarum qualitatem respexistis potius quam præscriptum legis divinæ, quando illa executioni mandanda erat. Nam divitum victimas, etsi mutilas & lege vetitas, admittitis, pauperum reiicitis, inquit Theodoretus. Item, ut Rupertus, ad pulchras mulierum alienigenarum facies respicitis, easque in uxores ducitis, proprias vero Israelitides non æque formosas & divites repudiatis, ait S. Hieronymus, vel saltem, ut Lyranus, præ illis *despicitis*, & quasi ancillas habetis. Quo vitium Esdræ *g* quoque coævus Malachiæ acriter reprehendit, atque etiam emendavit.

V. 10. NUMQUID NON PATER UNUS est OMNIUM NOSTRUM, puta Abraham, & Isaac, & Iacob? *Numquid non* etiam DEUS UNUS nobis est, qui CREAVIT NOS? QUARE ERGO, & quo iure *despicimus fratres* nostros eiusdem cognationis & religionis, filias illorum repudiantes, vel reiicientes, & copulamur extraneis, sic *violantes* PACTUM per *patres nostros* initum eum Deo?

V. 11. CONTAMINAVIT IUDAS SANCTIFICATIONEM DOMINI, id est sanctum fœdus & pactum cum Deo initum, violando legem qua iubentur Israelitæ *sanctificari*, id est separari, seu procul esse a connubio gentium idololatrarum, & solis cultoribus veri Dei copulari. *Iudæa* enim *sanctificatio h* Dei *est*, id est gens ab aliis separata, & uni Deo dicata, & consecrata, inquit S. Hieronymus, Remigius & Hugo. ET FILIAM DEI ALIENI, id est alienæ gentis alienum deum seu idolum colentis, HABUIT in uxorem.

V. 12. Quicumque HOC FECERIT, DISPERDET eum DOMINUS, sive *magister* is fuerit, herus vel princeps, sive *discipulus*, servus, plebeius; sive sacerdos *offerens* MUNUS in altari, sive laicus: ita Chaldæus & S. Cyrillus. Plurimi enim tam ex sacerdotibus *i*, quam ex principibus rei erant eius criminis.

V. 13. RURSUM FECISTIS HOC aliud malum: uxores vestras priores Israelitides vel repudiando, vel indigne quasi ancillas habendo, cogitis ad ALTARE & ad templum meum confugere, & illud uberrimis lacrymis *operire*, & perpetuo FLETU, immo horrisono MUGITU omnia implere. Mox septem rationibus conatur Iudæos ab hoc crimine revocare. Prima est:

V. 14. QUIA DOMINUS TESTIFICATUS EST INTER TE ET UXOREM; id est, iam inde ab initio mundi palam contestatus est & sanxit, matrimonii vinculum debere perpetuum esse, diligendamque uxorem etiam præ propriis parentibus, Genes. II. *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Secunda ratio: quia prior *uxor* tua est PUBERTATIS, seu *adolescentiæ tuæ* uxor; nempe, quam summo amore & affectu, cum primum coniugio te dares, tibi copulasti: noli tam teneros, tam antiquos amores abrumpere. Tertia ratio: HAEC est PARTICEPS; Pagninus, *socia*; Tigurini, *consors tua*, tibi a Deo data in adiutorium, in solatium, in lenimen laborum & dolorum. Quarta est UXOR FOEDERIS TUI, quam indissolubili fœdere & nexu tibi ultro copulasti. Quinta:

V. 15. NONNE UNUS FECIT? alii vertunt *nonne unum fecit Deus?* quasi dicat: Ex prima matrimonii & Dei institutione, maritus & uxor *non sunt duo*, *sed una caro* k. *Quod* ergo *Deus coniunxit*, *homo non separet*. Sexta ratio: Uxor EST RESIDUUM SPIRITUS, seu halitus vitalis a Deo inspirati marito. Deus enim sicut ex costa Adami plasmavit corpus Evæ, ita *spiraculo vitæ* quasi uno & eodem (neque enim nisi semel in eos inspirasse *l* legitur,) animavit utrumque, ut indicaret, unius plane animi & affectus illos esse debere, inquit S. Chrysostomus *m*. Septima ratio. QUID UNUS Deus, ex unius cum una fideli coniugio a se sancito QUAERIT aut intendit, NISI SEMEN DEI, id est filios fideles & sanctos sibi procreari? At ex matre alienigena & idololatra, non *Dei*, sed diaboli *semen* procreabitur, matre instillatura prolibus suum erga idola affectum, & in horum cultu illas educatura, inquit S. Hieronymus. Quæ eædem rationes etiam suadent Catholicis, ne cum hæreticis vel aliis fidei hostibus matrimonia coniungant. Dissuadent item divortia atque adulteria, æque ac iurgia & diffidia coniugum. His

enim

enim omnibus unio coniugalis, quæ Deo tantopere cordi est, dissolvitur, aut minuitur saltem & labefactatur. CUSTODITE ERGO omni custodia SPIRITUM VESTRUM, id est amorem & affectum quem maritus debet uxori, quasi alteri parti corporis & spiritus sui.

V. 16. CUM ODIO HABUERIS uxorem, DIMITTE illam, dato repudii libello, ut alteri nubere possit. Hoc enim minus illi grave fuerit, quam si domi retentam, instar ancillæ, contemptim habeas, verberes, mutiles, vel aliis modis affligas. Por ro quia repudiare ex solo odio, etsi valide fieret, grande tamen peccatum erat, i deo subdit: OPERIET AUTEM INIQUITAS VESTIMENTUM EIUS; nempe repudiantis, ut patet ex Hebræo, id est operiet te; quasi dicat: Hæc violentia & iniuria illata uxori tam quoad pœnam, quam quoad culpam, operiet te undique, ut in omnium oculis futurus sis infamis, Deo scelus tuum occultum publica pœna palam vindicante: ita fere Lyranus, Arias, a Castro, & a Lapide.

*V.*17. DOMINUM LABORARE FECISTIS; Arias & Tigurini, *fatigastis* & delassastis; LXX. *provocastis* Deum SERMONIBUS VESTRIS impiis, blasphemis, atheis, dicentes: Nulla inest Deo providentia, vel cura rerum humanarum: OMNIS QUI FACIT MALUM, BONUS EST, Chaldaice, *rectus est*, IN CONSPECTU DOMINI, gratus est & placet Deo. AUT si displicet, UBI EST Deus *o* IUDICII, id est cur impios non punit? quin immo prosperat, ditat & exaltat? Huic blasphemiæ respondet cap. sequenti.

(a) Eccli. xlv. vers. 7. & seqq.
(b) Malach. I. 6.
(c) Eccli. xlv. II.
(d) Ambr. Lib. IV. de Fide cap. VII. Chrysost. homil. de eo qui incidit in latrones. Et de Sacerdotio. Bern. Lib. II. de Consider. cap. XIII.
(e) Dionys. in Cælesti hierarchia.
(f) Basil. hom. de Spiritu sancto.
(g) I. Esdr. IX. & X.
(h) Psal. CXIII. 2.
(i) Esd. sup.
(k) Genes. II. 24. & I. Cor. VI. 16. & Matth. XIX. 5. & 6.
(l) Genes. II. 7.
(m) Chrysost. homil. de libello repudii.
(n) Isaiæ I. 14.
(o) Habac. cap. IV.

GORDONI.

Vers. 1. NUNC, &c. Insignis est hic sacerdotum increpatio ob incuriam in rebus sacris, & avaritiam, aliaque scelera: avaris proponit pœnam egestatis, & negligentibus Dei cultum, promittit contemptum.

V. 4. & 5. Pactum Dei cum Levi filio Iacob non fuit in persona propria, sed in successoribus & cum tribu Levi, Levit. VIII. ac initio quidem in Aarone, qui primus sacratus est Sacerdos a Mose, & Pontifex a Deo constitutus; pacti huius conditiones quæ exiguntur a sacerdotibus hic designantur, timor Dei, veritas, pax, æquitas, & scientia cum zelo animarum.

V. 10. NUMQUID NON PATER, &c. Transit ad reprehendendum initium coniugii, ut præfatus sum; orditur a dissidio, non quovis, sed inter coniuges ob superinductas alienigenas contra pactum & legem, Deuter. VII. 3.

V. 13. ET HOC RURSUM FECISTIS, &c. Hoc secundum malum est: fecistis ut repudiatæ a vobis uxores implerent lacrymis altaria mea, dum queruntur apud me de hac illis illata iniuria. Ita Hieronym.

V. 14. ET DIXISTIS QUAM OB CAUSAM, &c. Quærentibus cur irascatur Deus ob tale repudium, respondet Propheta ex Gen. II. 2. quia Deus designavit coniugium esse vinculum constans, ubi unius coniugii rationes subiungit varias, quia est prima & pubertatis uxor, quia data est ut socia, quia ex pacto & fœdere possidetur. Quia ex uno Adamo & Eva Deus dixit non fore amplius duos, sed unum: immo ex parte una viri procreata Eva est, & unum in coniugio spectatur, & quæritur a Deo nascatur filius fidelis & uni Deo sanctus.

V. 16. CUM ODIO HABUERIS, &c. Significat minus quidem malum esse dimittere uxorem ex repudio, quam eam domi retentam graviter vexare aut occidere. Illud tamen quamvis minus, non sinet Deus impunitum, sed iniquitas illi operiet vestimentum meriti: ergo custodite spiritum, & affectum; nolite despicere uxores vestras.

V. 17. LABORARE FECISTIS DOMINUM, &c. Novum crimen & blasphemiam taxat: molestia, inquit, affecistis Dominum (scilicet quantum in vobis est) dum aliqui inter vos dicunt non esse Deum qui puniat impios; aut impietatem placere Deo.

CA-



CAPUT III.

De præcursore Christi, & huius adventu, ac futuro iudicio; qui purgatis filiis Levi gratum habebit sacrificium Iuda & Ierusalem: comminatur sceleratis gravem ultionem; quos tamen ad se revocat, plurima bona conversis promittens: conqueritur de ingratitudine filiorum Israel, & quod ipsum in decimis suis configant, quodque dicant Deo non esse curæ suos cultores, cuius conratrium tandem experientur.

1. ECce (*a*) ego mitto angelum meum, & præparabit viam
ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum
Dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti,
quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exerci-
tuum: 2. & quis poterit cogitare diem adventus eius,
& quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi i-
gnis conflans, & quasi herba fullonum: 3. & sedebit
conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos
quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in
iustitia. 4. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem, sicut dies
sæculi, & sicut anni antiqui. 5. Et accedam ad vos in iudicio, & ero te-
stis velox maleficis, & adulteris, & periuris, * & qui calumniantur mer-
cedem mercenarii, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec ti-
muerunt me, dicit Dominus exercituum. 6. Ego enim Dominus, & non
mutor: & vos filii Iacob non estis consumpti. 7. A diebus enim patrum
vestrorum recessistis a legitimis meis, & non custodistis. (*b*) Revertimini
ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Et dixistis: In
quo revertemur? 8. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et
dixistis: In quo configimus te? In decimis, & in primitiis. 9. Et in pe-
nuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota. 10. Inferte om-
nem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me su-
per hoc, dicit Dominus: si non aperuero vobis cataractas cæli, & effude-
ro vobis benedictionem usque ad abundantiam, 11. & increpabo pro vobis
devorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ; nec erit sterilis vi-
nea in agro, dicit Dominus exercituum. 12. (*c*) Et beatos vos dicent omnes
Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. 13.
invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus. 14. Et dixistis: Quid
locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui servit Deo: & quod e-
molumentum quia custodivimus præcepta eius, & quia ambulavimus tristes
coram Domino exercituum? 15. ergo nunc beatos dicimus arrogantes: si-
quidem ædificati sunt facientes impietatem; & tentaverunt Deum, & salvi
facti sunt. 16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, unusquisque cum
proximo suo: Et attendit Dominus, & audivit: & scriptus est liber mo-
numenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius. 17.

Et

Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, ficut parcit vir filio fuo fervienti fibi. 18. * Et convertemini, & videbitis quid fit inter iuftum & impium; & inter fervientem Deo, & non fervientem ei.

(a) Matth. xi. 10. Marc. i. 2. Luc. i. 27. & vii. 27. (b) Zach. i. 3. (c) Ioan. xxi. 14.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verf. 5. *Et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum*. Quidam ante *viduas* præponunt *& humiliant*, ex Græco acceptum; fed minus recte: ficut & illi non recte qui omittunt, *& ante opprimunt*.

Verf. 18. *Et convertemini & videbitis*. Retinendum eft futurum indicativi *convertemini*.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 1. ANGELUM, fcilicet Ioannem Baptiftam. PRAEPARABIT, fcilicet invitando ad pœnitentiam, & de me teftimonium perhibendo. Chald. *complanabit*. FACIEM MEAM, id eft me. Loquitur vero Pater, ut patet Matth. XI. Marc. I. Luc. VII. At Evangeliftæ dicunt *ante faciem tuam*, fcilicet quod ante Patrem, ante Filium etiam eft, & in Filio Pater erat, & opera faciebat. TEMPLUM SUUM, fcilicet fæpe ad templum venit, ibique prædicavit, & miracula fecit. Apparet autem hinc, Chriftum effe Deum, Dei enim illud templum erat. DOMINATOR. Hebr. Chald. & LXX. *Dominus*. QUAERITIS, id eft expectatis, feu optatis. ANGELUS, fcilicet officio legati, feu nuntii. TESTAMENTI, fcilicet novi confirmator per Sanguinem fuum, vel pacti, id eft Dei per pactum promiffionis.

V. 2. POTERIT COGITARE, id eft cogitatione comprehendere, feu capere, fcilicet tantam advenientis bonitatem, fapientiam, & potentiam. Chald. & LXX. *fuftinebit*: quod ad fecundum adventum quidam referunt. STABIT, id eft confiftere poterit, fcilicet præ timore, feu ftupore. AD VIDENDUM. LXX. *videndo*. CONFLANS, fcilicet & purificans metalla. HERBA, fcilicet qua pannorum fordes mundant: *faponariam* quidam dicunt. Hebr. *borith*. Herbæ nomen eft. Vide Ierem. II. FULLONUM. LXX. *lavantium*.

V. 3. CONFLANS; pro, velut conflans, fcilicet purgans animas igni Spiritus fancti. FILIOS LEVI, id eft facerdotes Ecclefiæ. COLABIT. Chald. *expurgabit*. LXX. *effundet*, fcilicet effundendo purgantur metalla ad ignem. IN IUSTITIA, id eft iufte, feu perfecte.

V. 4. IUDA, id eft Chriftianorum. IERUSALEM, id eft Ecclefiæ. ANTIQUI: explicat quid fint *dies fæculi*, feu a fæculo. LXX. *priores*, fcilicet quibus fancti viri Deo placebant, eique fancte offerebant munera fua.

V. 5. AD VOS, fcilicet o peccatores. IN IUDICIO, id eft iudicaturus. VELOX, id eft promptus. MALEFICIS. Chald. *contra maleficos*. LXX. *fuper veneficos*, CALUMNIANTUR, id eft per calumniam auferunt. Chald. *violenter auferunt*. LXX. *privant*.

V. 6. NON MUTOR; quafi dicat, Faciam quod prædico. NON ESTIS CONSUMPTI, fcilicet fed tolerati hactenus a me clementer. LXX. *non receffiftis a peccatis*.

V. 7. LEGITIMIS. Chald. *mandatis*. REVERTIMINI, fcilicet per pœnitentiam. REVERTAR, fcilicet per mifericordiam & gratiam.

V. 8. SI AFFIGET, &c. quafi dicat: An æquum eft, ut homo Deum contriftet? Chald.

Chald. *Num ad iracundiam provocat*, id est provocare debet? LXX. *si supplantabit*, id est decipiet, seu defraudabit. Decimas, scilicet quas non datis.

V. 9. In penuria, id est ob penuriam, scilicet quia non datis decimas, aut non quantum debetis. Maledicti, id est execrabiles.

V. 10. Horreum, scilicet sacerdotum. Cataractas. Chald. *fenestras*: scilicet videntur cæli aperiri cum copiose pluit. Benedictionem, id est fructuum copiam. Usque ad abundantiam, id est abundanter.

V. 11. Increpabo, id est prohibebo. Devorantem, scilicet locustam & bruchum.

V. 12. Terra. LXX. *ut terra*. Desiderabilis, id est optima; quasi dicat, Rerum omnium copia abundabitis.

V. 13. Invaluerunt. LXX. *ingravastis*. Super, id est contra; quasi dicat, Valde mihi molesta fuerunt.

V. 14. Tristes, id est pœnitenter, seu ieiunantes.

V. 15. Ergo nunc. Chald. *nunc autem*. LXX. *& nunc*. Arrogantes. Chald. *impios*. LXX. *alienos*, scilicet a Dei cultu. AEdificati, id est aucti prole, vel divitiis. Tentaverunt Deum. LXX. *resliterunt Deo*. Salvi, id est servati. Chald. *liberati*.

V. 16. Locuti sunt, scilicet pro Deo, seu in defensionem veritatis, Monumenti, id est memoriæ; quasi dicat, Ut Deus eorum recordetur. Loquitur more humano. Timentibus, id est in gratiam timentium, scilicet ut a Deo suo tempore remunerentur.

V. 17. Facio; pro, faciam, scilicet iudicium. Peculium, id est peculiarem populum, & velut thesaurum pretiosum.

V. 18. Convertemini, scilicet ad considerandum; quasi dicat, Tum vero intelligetis docti experientia.

ESTII.

Vers. 7. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Similis est sententia Zachariæ I. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum*. Has, aliasque similes sententias olim Pelagiani ad sui erroris defensionem produxerunt, docentes gratiam dari secundum merita nostra: & Deum non prius homini suam infundere gratiam, quam homo per liberam suæ voluntatis motionem se ad eam suscipiendam præparasset. Qua de re August. tum aliis pluribus locis, tum imprimis de gratia & libero arbitrio cap. v. Sed quod Dei donum sit etiam nostra ad Deum conversio, plurimæ docent Scripturæ, ut Psal. LXXIX. bis: *Deus converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus*, & rursum: *Deus virtutum converte nos*, & Psal. LXXXIV. *Converte nos Deus salutaris noster*. Et apertissime Threnorum v. cum dicit Ieremias: *Converte nos Domine, & convertemur*. Ergo, (ut verbis Concilii Tridentini utar sess. VI. cap. v.) cum dicitur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; libertatis nostræ admonemur: Cum vero respondemus: *Converte nos Domine ad te, & convertemur*, Dei nos gratia præveniri confitemur. Hæc Concil. scilicet liberum arbitrium suo voluntario motu ad Deum sese convertit quidem, tamen non nisi præveniente, & cooperante gratia Dei. Quod autem additur, *Et ego convertar ad vos*, non significat gratiam subiunctam esse libero arbitrio, motumque eius sequi, sed vel significat posteriorem gratiam promitti, quæ a scholasticis subsequens, & comitans gratia vocatur; vel remissionem peccatorum cum remotione pœnarum, & afflictionum temporalium, & largitione bonorum. Eam enim promissionem frequentissime inculcant Scripturæ veteris Testamenti.

MARIANAE.

Vers. 1. Ecce ego mitto Angelum meum. Respondet ad illud, *Ubi est Deus iudicii?* quasi dicat, Iam venit. De Ioanne Baptista hæc dici, Christus ipse ait Matth. XI. 10. neque de alio quoquam intelligi possunt. Et praeparabit. Chald. *complanabit*. Ante faciem meam, id est ante me, antequam ego veniam, suis verbis & testimonio iter aperiet. Matthæus *ante faciem tuam* habet; sed perinde est. Si Filius loquitur, est

est *ante faciem meam:* si Pater, *ante faciem tuam*. ET STATIM; brevi veniet, suo tempore. QUEM VOS QUAERITIS, id est quem magnopere expetitis, vel expetierunt Patres. ET ANGELUS TESTAMENTI: Christus in Lege promissus.

V. 2. ET QUIS POTERIT COGITARE, id est mente complecti eius diei magnificentiam. Hebr. *sustinere*, id est expectare præ desiderio ardenti dum veniat, aut ferre afflictiones quæ eo tempore existent. IPSE ENIM QUASI IGNIS CONFLANS; hoc est, purgans peccata. ET QUASI HERBA FULLONUM; seu *sapo fullonum*. An hæc herba est *kali*, nostris *sosa*, ex qua fit sapo? Igne & aqua purgantur sordes. Modis omnibus suos mundabit.

V. 3. ET SEDEBIT CONFLANS. Non raptim & perfunctorie id faciet, sed ex professo. ET PURGABIT FILIOS LEVI. Novos sacerdotes, & meliores pro veteribus filiis Levi substituet. ET COLABIT EOS, seu *excoquet*, conflabit eos quasi aurum. ET ERUNT DOMINO OFFERENTES SACRIFICIA IN IUSTITIA. Oblationes mundas & legitimas offerent Deo, non ut veteres.

V. 4. ET PLACEBIT DOMINO. Hebr. *dulcescent Deo*. SACRIFICIUM, seu *oblatio*. IUDA ET IERUSALEM, fidelium populi sui. SICUT DIES SAECULI; seu, *secundum dies sæculi*, id est antiquos, & secundum annos priores. Ita placebit id sacrificium, ut quæ primis temporibus a viris sanctissimis sunt oblata.

V. 5. ET ACCEDAM AD VOS IN IUDICIO. Hebr. *ad iudicium*. Ego ipse volo vobiscum disceptare, quia dicitis mihi malos placere. Ero iudex vester, & quia scio omnia etiam abscondita, ERO TESTIS, non egeo aliis testibus. VELOX, seu *festinans*, reddere scilicet cuique quod meretur. Et contra eos. QUI CALUMNIANTUR, &c. Chald. *auferunt mercedem mercenarii*, seu *subtrahunt*, seu potius *opprimunt*. VIDUAS, ET PUPILLOS, scilicet opprimunt. ET OPPRIMUNT. Hebr. *declinare faciunt*, PEREGRINUM, id est litem peregrini pervertunt.

V. 6. EGO ENIM DOMINUS, ET NON MUTOR. Semper aversor & punio pravos homines; & tamen vobis peperci, nec vos consumpsi, quia scilicet simul sum misericors, quamvis opera vestra id merentur.

V. 7. A LEGITIMIS MEIS. Hebr. *a præceptis recessistis*. ET NON CUSTODISTIS, scilicet legitima, præcepta mea.

V. 8. SI AFFIGET HOMO DEUM, id est *per vim auferet*, furabitur *Deum*: Heb. *sic Deum*, id est quæ Dei sunt, rapitis. IN QUO CONFIGIMUS TE? seu *confiximus*, ut Gotth. Hebr. *in quo rapuimus te*, id est tua. IN DECIMIS, ET IN PRIMITIIS. In eo est rapina, quia integra fide non solvitis eas.

V. 9. ET IN PENURIA VOS MALEDICTI ESTIS. Ideo vos penuriam patimini. Heb. *maledictione vos maledicti*, scilicet estis, ad penuriam redacti. ET ME VOS CONFIGITIS GENS TOTA. Non pauci id faciunt, sed omnes.

V. 10. DECIMAM IN HORREUM inferte. Hebr. *in domum thesauri*; sed perinde est. Apothecæ & horrea *thesauri* sæpe vocantur Hebr. ET SIT CIBUS. Hebr. *præda*, id est quod vos rapitis. Chald. *sit alimentum iis qui ministrant in ade sanctuarii*. Magna fuit eo tempore fames, Nehem. v. vers. I. adeo ut Levitis victus non suppeteret, ibi cap. xv. 20. Ea occasio populo fraudandi decimas. ET PROBATE ME SUPER HOC, facite quod præcipio. SI NON APERUERO, supple, non credatis amplius mihi, nisi fecero quod promitto. CATARACTAS. Heb. *fenestras cæli aperiam*: sic Chald. id est si non dedero copiosum imbrem. *Cataractæ* in fluviis sunt fauces angustæ, unde præcipitatur aqua; hic pro nubibus humore onustis sumuntur. BENEDICTIONEM, id est ubertatem, copiam fructuum dabo. USQUE AD ABUNDANTIAM. Sept. *donec sufficiat*. Chald. *adeo ut dicatis: Satis est*. Hebr. *usque ad non sufficiens;* id est, non sint vasa & horrea, quæ eos fructus capiant.

V. 11. ET INCREPABO PRO VOBIS DEVORANTEM, id est depellam locustas & noxia alia animalcula. NEC ERIT STERILIS VINEA. Hebr. *nec orbabit* (locusta) *vobis vineam in agro*.

V. 12. ET BEATOS VOS DICENT OMNES GENTES, scilicet admiratæ tamen ubertatem. TERRA DESIDERABILIS eritis; id est, omnes in ea habitare cupiens: Hieronym. Hebr. *terra beneplaciti*, id est in qua Deus sibi placet, & illi ubertatem tribuit.

V. 13. INVALUERUNT SUPER ME, seu *contra me*, verba insolentia & gravia dixistis.

V. 14. PRAECEPTA EIUS. Hebr. *custodiam eius*, id est legem, quid profuit nobis eam custodisse? TRISTES. Hebr. *obscure*, id est humiliter, aut in nigra & pulla veste lugentium in morem ambulavimus.

V. 15. ERGO NUNC BEATOS DICIMUS ARROGANTES. Heb. *& nunc beatificamus arrogantes*. AEDIFICATI SUNT; id est, multos genuerunt filios, quod ad felicitatem in primis habebatur.

V. 16. TUNC LOCUTI SUNT. Heb. *obloculi sunt timentes Deum*. Increparunt ea stulta verba. Quisque socium suum increpavit. ET ATTENDIT DOMINUS, scilicet eorum verba. ET SCRIPTUS EST LIBER, id est eorum memoriam conservavit. TIMENTIBUS DOMINUM, in eorum gratiam, ut illis benefaceret. ET COGITANTIBUS, id est legem Dei meditantibus, & mentis oculos ad Deum intentos habentibus.

V. 17. IN DIE QUA EGO FACIO; pro, faciam, scilicet iudicium. ET PARCAM EIS SICUT PARCIT VIR, id est quisque. FILIO SUO SERVIENTI SIBI: sic est Hebr. Duplex amoris causa; & quia filius, & quia obediens. Ut ergo pater filium talem ardenter amat, sic ego timentes me.

V. 18. ET CONVERTEMINI, scilicet qui dicitis: Vanus est, qui servit Deo; mutabitis sententiam. ET VIDEBITIS QUID SIT INTER IUSTUM ET IMPIUM, id est quid intersit, quantum iustus differat ab impio, quali uterque conditione sit, qualem referat uterque mercedem.

MENOCHII.

Vers. 1. ECCE. Vox, *ecce* magnum docet esse quod sequitur, & attentione auditorum dignum. Assurgit ergo propheta ad tempora Christi, & de adventu, prædicatione S. Ioannis Baptistæ vaticinatur. ANGELUM MEUM, id est Ioannem Baptistam, ut Dominus explicuit Matth. 11. 10. sunt verba Christi. PRAEPARABIT VIAM: docendo adventum meum, exhortando ad pœnitentiam, & ad recipiendum me. AD TEMPLUM SUUM: ad templum Ierosolymitanum, ut ibi prædicet. DOMINUM. In Hebræo & cum articulo האדון *haadon*, id est *ille Dominus*, sic etiam in Græco ὁ κύριος *Dominus ille*, qui eminens, plenum, & supremum habet in omnia dominatum. QUEM VOS QUAERITIS, id est expectatis, & venire optatis. ANGELUS TESTAMENTI, id est fœderis, & pacti; hoc est, Angelus in fœdere promissus, de quo mittendo Deus vobiscum iniit fœdus. Dicitur autem Angelus, quia Christus nuntius fuit, & interpres fidus divinæ voluntatis, quam manifestavit hominibus.

V. 2. ET QUIS POTERIT COGITARE, &c. Quis poterit cogitando comprehendere quanta futura sit diei illius gloria, cum filius Dei homo erit inter homines? QUIS STABIT AD VIDENDUM EUM? Quis lucem, & maiestatem solis huius iustitiæ ferre poterit? IPSE ENIM QUASI IGNIS CONFLANS. Nullus ad tantam lucem, tantumque amoris, & zeli ipsius ardorem non calesiet, & liquescet, nisi durus sit, obstinatus, & rebellis lumini. Ignis conflans est ignis quo metalla solvuntur, & purificantur. HERBA FULLONUM. S. Hyeronym. in cap. 11. Ierem. num. 22. tradit herbam hanc Borith, sive fullonum, in virentibus & humectis Palæstinæ locis nasci, & ad eluendas sordes, & maculas e pannis eamdem vim habere quam habet nitrum, & sapo, unde & herba saponaria tum Latine, tum Italice vocatur, significatur Christum animas purissimas, & candidissimas redditurum.

V. 3. ET SEDEBIT CONFLANS: non perfunctorie mundabit, sed ex professo, quod situs sedentis indicat. EMUNDANS ARGENTUM, id est animas purgans, sicut argentum purgat argentarius. ET PURGAVIT FILIOS LEVI; id est, sacerdotes Novi Testamenti, quorum figura fuerunt filii Levi. Dabit Ecclesiæ optimos, & purgatissimos sacerdotes, ut Apostolos, & eorum successores. ET COLABIT EOS QUASI AURUM. Aliis, atque aliis verbis idem repetit ad emphasim purgationis. Aurum purificatur igne, & colatur, ut penitus secernatur scoria, & immunditia omnis. ET ERUNT DOMINO OFFERENTES, &c. Caste, & sancte ministrabunt; non ut sacerdotes, de quibus superiori capite locutus est. IN IUSTITIA: iuste, & perfecte.

V. 4. SACRIFICIUM IUDA, ET IERUSALEM. Hoc est, Ecclesiæ Christianæ, quæ nova est Sion, & nova Ierusalem, SICUT DIES SAECULI, &c. sicut dies antiqui, quibus prisci sancti viri Abel, Noe, Mel-

Melchisedech, Abraham, &c. sacrificaverunt: sic in Canone Missæ dicimus: *Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel*.

V. 5. ET ACCEDAM AD VOS IN IUDICIO. Redit ad querelam Iudæorum dicentium supra cap. II. numero ultimo, *Ubi est Deus iudicii?* Respondet enim, ecce brevi veniam *in iudicio*, vel, ut aliqui vertunt, *ad iudicium*, scilicet descendam in carne, & inspiciam perditos hominum mores; accedam etiam in ultimo adventu ad iudicium, ut reddam omnibus iuxta ea quæ meriti sunt. ERO TESTIS: ego qui futurus sum Iudex, ero etiam testis, nihil enim testibus indigeo, cum omnia nuda sint, & aperta oculis meis. VELOX. Vatablus vertit *Promptus*; alii, *Festinus*. MALEFICIS: incantatoribus, & magiæ deditis. QUI CALUMNIANTUR MERCEDEM: qui per vim, & fraudem privant mercenarium mercede sua.

V. 6. EGO ENIM DOMINUS, ET NON MUTOR. Vos putabatis me indolem mutasse, & cum primum iustitiam amarem, nunc malos mihi placere, sed non ita est, ego enim Deus sum, & immutabilis. ET VOS FILII IACOB NON ESTIS CONSUMPTI: sicut sententiam non muto, & mihi semper mali displicent, eosque punio suo tempore; ita virtuti, & pietati semper faveo; quare licet malis multis vexati fueritis ad correptionem, non tamen consumpti estis, vos enim mea providentia servavi, & e malis eripui. Licet vos eodem sitis semper ingenio cervicosi, refractarii, & legibus meis rebelles, simile illud Threnorum III. 22. *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti*.

V. 7. A LEGITIMIS MEIS: legibus meis. REVERTIMINI AD ME: per pœnitentiam. ET REVERTAR AD VOS: per gratiam, amicitiam, & beneficentiam. IN QUO REVERTEMUR? quid faciendum nobis est, ut ad te revertamur, non enim videmur nobis a te recessisse.

V. 8. SI AFFIGET HOMO DEUM. Verbum Hebraicum קבע *qabah*, significat *affigere*, & per metaphoram *affligere*, & vehementi dolore afficere, qui enim clavis affiguntur gravissimo dolore cruciantur. Sensus ergo est, quasi dicat: An æquum est ut homo Deum suum sauciet, & quasi agat in crucem, aut lancea transverberet, decimas, & primitias sacerdotibus, & Levitis debitas non persolvendo? IN DECIMIS, ET PRIMITIIS. Historiam habemus apud Nehemiam, orta est enim magna fames, ut dicitur eius Libri cap. V. 1. & seq. ita ut propter penuriam, decimæ Levitis non darentur a populo, sicut idem auctor scribit cap. XIII. 10.

V. 9. ET IN PENURIA VOS MALEDICTI ESTIS: immisi in vos magnam sterilitatem, quæ maledictionis nomine solet intelligi, quia pari modo me vos configitis, & affligitis egestate, & fame meos Levitas laborare permittentes.

V. 10. IN HORREUM, scilicet templi. ET SIT CIBUS IN DOMO MEA: quo ministri mei alantur. ET PROBATE ME SUPER HOC: experimentum capite, an sciam benefacere servantibus legem meam. SI NON APERUERO VOBIS CATARACTAS CAELI; quasi dicat: Si non dedero vobis copiosum imbrem, quo fruges vobis large proveniant, habear mendax, vel non existimer Deus. Cataractæ sunt cancellatæ portarum fores adversum hostilem imperum pendulæ, quæ ingruentibus hostibus statim demittuntur. Tales etiam cataractæ adhibentur ad sustinendum aquarum fluxum: de his autem metaphorice loquitur quasi essent in cælo. ET EFFUDERO VOBIS BENEDICTIONEM, id est largissimam fertilitatem omnium quæ nascuntur in terra.

V. 11. INCREPABO PRO VOBIS DEVORANTEM: prohibebo, quasi increpans, locustas, & alia animantia, quæ vorant fruges.

V. 12. BEATOS DICENT, &c. Admiratæ tantam fertilitatem, & ex ea vos Deo caros esse iudicantes. ERITIS VOS TERRA DESIDERABILIS, id est *quasi terra desiderabilis*, ut vertunt LXX. id est optimum fructum bonorum operum feretis. Vel, ut ait D. Hieronym. Omnes in terra vestra habitare desiderabunt, propter insignem eius fertilitatem. Tribuit hominibus quod terræ est.

V. 13. INVALUERUNT SUPER ME. Redit Propheta ad blasphemiam Iudæorum, de qua extremo cap. II. sensus est: prævaluerunt contra me, & sicut onus grave quodammodo opprimunt, & obruunt me, semper enim persistitis, immo crescitis in vestris blasphemiis, quibus plures a me avertitis quam prophetæ mei suis concionibus ad me convertant.

V. 14. VANUS EST: frustra, & in vanum laborat. AMBULAVIMUS TRISTES: pœnitentia, & dolore peccatorum.

V. 15. ERGO NUNC BEATOS DICIMUS ARROGANTES: cum hæc videamus, beatos vocamus arrogantes, qui contra Deum superbiunt, & blasphemant. SI QUIDEM AEDIFICATI SUNT; id est, re familiari aucti sunt, & filiis, quod magnæ felicitatis putatur; quasi dicat, Adeo non sunt extincti, ut etiam multa prole aucti sint, & divitiis abundent. TENTAVERUNT DEUM: peccatis eum irritantes, & provocantes. ET SALVI FACTI SUNT: nec tamen quidquam adversi illis accidit.

V. 16. TUNC LOCUTI SUNT. Iusti hæc videntes locuti sunt inter se; quod illos decebat, & se mutuo sunt cohortati ad defendendam Dei providentiam, & iustitiam cum proximis, proferentes quæ opportuna erant, & ex facris litteris didicerant. ET ATTENDIT DOMINUS ET AUDIVIT: scilicet quæ iusti pro Dei providentia, & quæ impii contra illam loquebantur. ET SCRIPTUS EST LIBER MONUMENTI, id est liber memoriæ, ut scilicet unusquisque suo tempore, aut præmium referat; aut pœnam eorum quæ locutus fuerit. TIMENTIBUS DOMINUM: in favorem, & gratiam timentium Dominum, qui semper eius recordantur, & de eo cogitant.

V. 17. ET ERUNT, scilicet iusti, & pii. IN DIE, QUA EGO FACIO: cum quæ dixi effecta dabo, pœnam infligendo sceleftis, & præmium largiendo integris, & probis cum iudicium faciam. ERUNT MIHI IN PECULIUM, id est servabo eos, quasi peculium meum; erunt mihi in populum proprium, & peculiarem mihi dicatum, & ex mei visione, & fruitionem beatum. ET PARCAM EIS: non finam ut eos tribulatio, aut vexatio excruciet, aut molestiam inferat. SICUT PARCIT VIR FILIO SUO: quem duplici nomine amat, & quod filius sit, & quod morigerum illum sit expertus.

V. 18. ET CONVERTEMINI, id est sententiam mutabitis vos impii.

TIRINI.

Verf. 1. ECCE EGO (inquit SS. Trinitas) MITTO ANGELUM MEUM, nempe Ioanem Baptistam, ut ipsemet Christus explicuit Matth. XI. 10. docent omnes SS. Patres: angelum, inquam, non natura vel incarnatione, (ut somniabat Origenes *a* & quidam Hebræi apud Eusebium *b* & S. Hieronymum,) sed officio, dignitate, excellentia, puritate & sanctitate, ut supra *c* dixit de sacerdotibus. Ioannes enim proxime præcessit Christum quasi honoratissimus eius legatus, prodromus, pronubus, & quasi vox, Propheta & plusquam Propheta, lucifer, aurora, amicus coniunctissimus: *qui* testimonio, doctrina, exemplo, baptismo suo PRAEPARABIT VIAM ANTE FACIEM MEAM, seu ante me, id est disponet animos Iudæorum, ut quando ego Messias me mundo patefaciam, ipsi me recipiant. Unde STATIM post Ioannem, VENIET DOMINATOR, Hebraice, *haadon*, id est ille (per excellentiam) Dominus, QUEM tot sæculis VOS QUAERITIS & post priorem illum *angelum* sequetur alter vobis optatissimus ANGELUS TESTAMENTI; Tigurini *legatus fæderis*, id est internuntius, mediator, conciliator fœderis inter Deum & homines non typici, umbratici, corporalis & temporalis, quale fuit vetus seu Mosaicum, sed veri, spiritualis, cælestis, & æterni, quale est novum testamentum, seu fœdus ab hoc *magni consilii angelo* conciliandum.

V. 2. ET QUIS, seu hominum, seu angelorum, POTERIT COGITARE, vel mente capere splendorem huius angeli; immo Filii Dei incarnandi? quis gloriam, emolumenta & fructus diei quo adveniet, vel a longe comprehendat? *Quis ferre poterit*, ut vertit Pagninus; vel ut LXX. *quis sustinebit* tantam adventantis lucem, gloriam, maiestatem? QUIS irretortis oculis STABIT AD VIDENDUM hunc solem? Hæc cogita, o anima mea, dum Christum in Eucharistia præsentem habes, immo præsentem facis, & manibus tenes: & ore manducas. IPSE ENIM QUASI IGNIS CONFLANS, in ardentissima fornace succensus, quo sicut metalla conflantur, a scoria perpurgantur, mollescunt, splendescunt & ignescunt, atque ita in quamlibet formam pro conflatoris arbitrio deducuntur: ita & animis hominum accidet succensis igni *e* doctrinæ, Sacramentorum, virtutum, & gratiarum a Christo submittendarum: *ignem* enim *mittet f in terram: & baptizabit*

bit vos Spiritu S. & igne g. Tropolog. etiam igne *g* tribulationis & afflictionis excoquet & mundabit Martyres & electos suos Christus, ut Vatablus ait. ET QUASI HERBA FULLONUM; Hebraice, *sicut borith lavantium pannos*, (de qua alibi *i* egimus) emundabit vestem suorum nuptialem, candidamque & splendidam reddet. Et cum primis

V. 3. *Filiorum* LEVI, quos iam nominatim præ ceteris coargui. Patebit hoc in Stephano k, in Barnaba *l*, in tot sacerdotibus, quorum multa turba *m*, obediet fidei & Christo: ita Theodoret. Et hi sic emundati *offerent* Deo non amplius pollutas victimas Mosaicas, sed *sacrificium*, Hebraice, *mincha*, (de quo supra *n*) puta corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, idque IN IUSTITIA, id est iuste, pure, sancte, inquit idem Theodoretus, Rupertus & Lyranus.

V. 4. ET hoc SACRIFICIUM novum novæ *Ierosolymæ*, id est Ecclesiæ Christi Ierosolymis inchoandæ, quæ vere & proprie erit IUDA, id est confitens Deum, PLACEBIT; Hebraice, *arebu*, id est dulce, sapidum, gratissimumque erit, DOMINO, SICUT DIES SAECULI, id est (ut sequitur) SICUT ANNI ANTIQUI, seu sicut sacrificia quæ prisci patriarchæ Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Moyses, Aaron & alii viri sancti obtulerunt olim Deo. Si enim hæc, quæ tantum typi; & umbræ erant sacrificii Eucharistici, adeo placuerunt Deo, ut propterea benediceret toti illorum posteritati, immo toti orbi; quanto magis placebit illorum antitypum sacrificium Christi, a quo prisca illa vim omnem dignitatemque suam hauserunt, & quod infinitis partibus præstantius est.

V. 5. ACCEDAM AD VOS IN, seu cum, IUDICIO, partim correctivo, de quo hactenus: partim vindicativo & punitivo, quod paulatim exeram pro re nata, & pro occasione, sed perfecte demum complebo in die extremi iudicii. Nec subterfugiet quis iudicium istud, neque iudici imponet, quia qui iudex futurus sum, simul ERO ET TESTIS *o*.

V. 6. & 7. ET NON MUTOR, seu prece, seu pretio: sed constans & immutabilis sum in exequendis dictis, decretis, promissis meis, præmia bonis, pœnas malis (contra quam vos supra *p* calumniati estis,) impertiens, sed suo cuique tempore: ita S. Cyrillus, Theodoretus, Remigius, Rupertus, Hugo, Vatablus, Lyranus. Porro ad hoc vobis comprobandum, non aliis testibus utar, quam vobismet, O FILII IACOB, qui etsi *recedendo* A LEGITIMIS, seu legibus MEIS, millies promeriti sitis, ut vos contererem & stirpitus exscinderem; tamen a me CONSUMPTI NON ESTIS, quia patribus vestris olim promisi *q* me vobis etsi peccantibus parciturum, dummodo pœnitere velletis: unde etiam nunc suadeo vobis, REVERTIMINI AD ME per pœnitentiam, & ego consueta beneficentia (quam vobis subtractam querimini) REVERTAR AD VOS, ut alibi *r* sæpius promisi.

V. 8. SI AFFIGET HOMO DEUM; LXX. *si supplantabit*; Pagninus & Vatablus, *an spoliabit*; Aquila, Symmachus, Theodotion, *an fraudabit*; Syrus & Arabicus, *an opprimet*: hæc enim omnia significat Hebræum *kaba*: sed præ omnibus, etiam Chaldæorum & Syrorum lingua, ut ait S. Hieronymus, significat *affigere*. Sensus ergo est: Fierine potest, eo dementiæ prolabatur *homo*, ut Deum suum supplantare, bonis suis spoliare vel defraudare, quin & opprimere, & variis iniuriis atque opprobriis, quasi iaculis, clavis aut lanceis in cruce, configere conetur, uti vos conamini, subtrahendo mihi meisque ministris debitas *primitias ac decimas*? quarum defectu ministri cultum meum negligunt, sacra adulterant, calcant, pessumdant, ut ante *s* querebar: ita Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, Ribera, a Lapide. De hac eadem defraudatione, sub hoc idem tempus etiam Nehemias conqueritur, II. Esd. XIII. 10. S. Hieronymus refert hoc ad realem Filii Dei confixionem in cruce. Sed hoc mysticum est. Tropologice, omnes peccatores peccato suo quasi sagitta, quantum in se est, Deum configunt, *rursum crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes*, ut ait S. Paulus *t*. Et non est unius hoc aut alterius crimen;

V. 9. CONFIGITIS ME vos omnes & GENS TOTA. Quid mirum si etiam tota gens PENURIA & fame maledicatur & plectatur? Quæ cito cessabit, si vos ab hoc scelere resipueritis. Statim enim

V. 11. INCREPABO, id est cohibebo, locustam DEVORANTEM tam segetes vestras.

V. 12.

V. 12. ET VOS ERITIS TERRA DESIDERABILIS *u*. Hebraice, *desiderii* & complacentiæ, in qua scilicet complacebit sibi Deus, & quam benedicet, ac bonis omnibus cumulabit, ut fuse atque eleganter demonstrat S. Augustinus *x*, cum de reddendis Ecclesiæ decimis agit. Interim

V. 13. VERBA VESTRA blasphema, quibus divinæ iustitiæ ac providentiæ petulanter, immo scurriliter detrahitis, INVALUERUNT & increscunt quotidie SUPER, id est contra, ME, ut exponitur vers. seq.

V. 14. VANUS, id est irremuneratus abit, QUI SERVIT DEO. Audin stulta mundi iudicia? *Ergo nunc* felices vocamus, TRISTES; Pagninus, *humiles*; LXX. *supplices*; Chaldæus, *spiritu depressos*; sed *beatos dicimus*,

V. 15. ARROGANTES, superbos, Deo rebelles, qui quidvis audent, neminem reverentur, proximum calcant, obruunt, exsugunt. Nam quantumcumque impii in Deum, & in proximum iniurii, tamen AEDIFICATI SUNT, id est creverunt, aucti & ditati sunt prolibus, opibus, imperio; scelerum enormitate, frequentia, assiduitate TENTAVERUNT DEUM, explorare volentes an ad iram vel vindictam concitaretur, inquit a Castro. Sed ut salvos se & impunitos senserunt, quasi victores, Deo, & iustis quibusque insultantes, liberrime in quævis scelera proruerunt.

V. 16. TUNC *qui timebant* DOMINUM, id est pii cultores Dei, palam contra LOCUTI SUNT, & Dei sui causam adversus blasphemos istos tuendam susceperunt, variis rationibus animantes se mutuo ad fidem, fiduciam & cultum Deo debitum fortiter constanterque præstandum: ita S. Hieronymus & alii passim. ET vero ATTENDIT utrisque DOMINUS, fidelis *y* testis omnium etiam minutissimorum futurus & iudex: unde & in libro MONUMENTI *z* seu *memoriæ* suæ (ut habent Hebræa, Græca, Syriaca & Arabica) singulorum dicta, facta, cogitata omnia accuratissime describit, & cuique pro meritis condigna præmia vel pœnas decernit, quas stato tempore infliget partim in hac, partim in futura vita. Hic liber *aa* publice patescet toti universo in die iudicii. Tunc, sed serius,

V. 18. CONVERTEMINI ET mutabitis sententiam, quando VIDEBITIS & reipsa sentietis, impios & *arrogantes* æternis inferorum ignibus, *humiles* vero & iustos cælestibus paradisi gaudiis addici, ut fusius explicatur cap. seq.

(a) Orig. sup. cit. in proœmio.
(b) Euseb. Lib. IX. Demonst. v.
(c) Malach. II. 7.
(d) Isaiæ IX. 6.
(e) Isaiæ IV. 4.
(f) Lucæ. XII. 49.
(g) Lucæ III. 16.
(h) Psal. XVI. 3.
(i) Ierem. II. 22.
(k) Actor. VI. 5.
(l) Actor. IV. 36.
(m) Actor. VI. 7.
(n) Malach. I. II.
(o) Apoc. I. 5.
(p) Malach. II. 17.
(q) Deut. XXX. I.
(r) Zach. I. 3. Thren. V. 21. Vide Trid. sess. VI cap. V.
(s) Malach. I. 7.
(t) Hebr. VI. 6.
(u) Isaiæ LXII. 3. Ierem. III. 19.
(x) August. Serm. CCXIX. de tempore.
(y) Malach. III. 5.
(z) Esther. II. 23.
(aa) Dan. VII. 10. Apoc. XX. 12. Deut. XXXII. 43. Lucæ X. 20.

GORDONI.

Vers. 1. ECCE EGO MITTO ANGELUM, &c. Christus venturus Deus homo, dabit puros sacerdotes. Et ipse hic loquitur, dicens se mittere Angelum, seu, ut interpretatur Matthæus, præcursorem Baptistam, ex Math. XI. 10. ergo ANTE FACIEM MEAM (si filius loquitur) hoc est ante me, seu antequam veniam, ut Matth. habet ante faciem tuam. Certe Christus Deus est & homo, & ex hoc duplici capire dicere Christus potuit, tum meam, ut notum est; tum etiam tuam, dum Christus Deus loquitur sibi ut homini, seu ante faciem tuam o fili hominis. Nec putandum est aliud voluisse Cornelium, quando in medio loquendi finxit sibi hic personam humanam.

Ceterum Hieronymus hic, per templum intelligit Ecclesiam. Angeli vero hic duo sunt; unus est præcursor Ioannes; alter est Christus ipse, Angelus legatus, & conciliator novi Testamenti, nempe Salvator expectatur, & qui Isai. IX. 6. vocatur *magni consilii Angelus*.

V. 2. ET QUIS POTERIT COGITARE, &c. Loquitur constanter, de primo adventu, & quidem admirabili. Quis enim satis com-

comprehendet hoc Dei consilium, hoc divinum opus incarnati verbi, hanc potentiam, virtutem, charismata, &c. IPSE QUASI IGNIS CONFLANS, ipse enim ut fornax ardens emollit quæ vult hominum corda, adde miros gratiæ effectus, & cum erga alios, tum mundando sibi ministros Levi; ET PLACEBIT, tunc oblatum sacrificium: ergo sub lege Evangelica & Messia erit sacrificium, ut probatum est cap. 1. 11.

V. 5. ET ACCEDAM AD VOS IN IUDICIO, &c. In die illa descendet velut inspector criminum, iudex, & puniens. Quamvis aliqui hoc referant ad secundum adventum; mox vers. 8. criminatur Iudæos Deus ob usurpatas decimas, & malum intentat.

V. 6. Locus Theo. de immutabilitate Dei.

V. 13. INVALUERUNT, &c. Hæc sunt in blasphematores, negantes providentiam, & atheos: textus clarus est habens præmia malorum & bonorum.

CAPUT IV.

Dies Domini inflammabit omnes facientes impietatem, evulsa ipsorum radice: orietur sol iustitiæ Deum timentibus, qui calcabunt impios: iubet reminisci legis Moysi: Elias antequam veniat dies Domini mittendus prædicitur, qui convertat cor patrum ad filios.

1. ECce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. 2. (*a*) Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento. 3. Et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 4. (*b*) Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & iudicia. 5. (*c*) Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. 6. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.

(a) Luc. 1. 78. (b) Exod. xx. Deut. iv. 6. (c) Mat. xvii. 10. Marc. ix. 11. Luc. 1. 17.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. DIES, scilicet iudicii. SUCCENSA, scilicet igne præcedente iudicium. SUPERBI. Chald. *impii*. IMPIETATEM. LXX. *iniqua*. STIPULA. Chald. *sicut stipula*. NON DERELINQUET, &c. quasi dicat, Penitus, seu omnia bona, spemque boni.

V. 2. SOL, scilicet Christus. IUSTITIAE, scilicet dator, & conservator. PENNIS, id est radiis, scilicet gratiis. EGREDIEMINI, scilicet e mundo, vel sepulcris. VITULI DE ARMENTO. Chald. *vituli saginati*. LXX. *vituli relaxati vinculis*; quasi dicat, Celeriter, & læte.

V. 3. CALCABITIS, scilicet sub pedibus habebitis, & eum Christo damnabitis. Vide

de Psal. CXLIX. Sap. III. CINIS; pro, velut einis; quasi dicat, Utilissimi & abiectissimi. FACIO, scilicet iudicium de toto mundo.

V. 4. MEMENTOTE, scilicet ut serveris. HOREB, qui & *Sinai*. PRAECEPTA, &c. *Lex*, moralia præcepta; *præcepta*, cærimonialia; *iudicia*, iudicialia.

V. 5. ELIAM, scilicet in primo adventu Ioannem, in secundo Eliam. HORRIBILIS. Chald. *terribilis*. LXX. *illustris*.

V. 6. CONVERTET, &c. Augult. XX. Civit. patrum intelligentiam ad filios perducet, & faciet, ut filii consentiant in id quod patres senserunt. Chald. *restituet*. PATRUM, scilicet Patriarcharum. AD FILIOS, scilicet ut illorum cor & filiorum unum sit, Christum suscipiendo. AD PATRES, scilicet imitandos in vera fide, & moribus. ANATHEMATE. Chald. *exterminatione*. LXX. *penitus*; quasi dicat, Ne illos (si aliter agant quam volo) supplicio æterno condemnem, seu a sanctorum consortio separem præcisos.

EST II.

Vers. 5. *& 6.* ECCE EGO MITTAM VOBIS ELIAM PROPHETAM, ANTEQUAM VENIAT DIES DOMINI MAGNUS ET HORRIBILIS. ET CONVERTET COR PATRUM AD FILIOS, ET COR FILIORUM AD PATRES EORUM. Duplex huius loci est expositio. Alii de Elia Thesbyte intelligunt, qui venturus sit ante diem extremi iudicii quem hoc loco dicunt vocari diem Domini magnum, & horribilem, ut convertat populum Iudaicum sua prædicatione ad fidem veri Messiæ. Alii exponunt de Ioanne Baptista, quia ut testatur Angelus Gabriel Lucæ I. *Ipse præcedet Dominum in spiritu & virtute Eliæ*. Ubi etiam quod hic additur, *Et convertet cor patrum*, &c. similiter Angelus Ioanni tribuit. Eandem expositionem confirmare videtur Dominus in Evangelio, de Ioanne loquens: *Si vultis recipere*, inquit, *ipse est Elias, qui venturus est*. Et cap. XVII. *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eum, quæcumque voluerunt*. Hanc posteriorem expositionem pluribus locis sequitur B. Hieronymus, & alii post eum. Priori tamen æque favet ecclesiastica sententia, de Elia venturo in fine sæculi. Unde apud Septuaginta hoc loco legitur; *Mittam vobis Eliam Thesbiten*; quasi dicat: Ipsum Eliam in persona. Ita habet codex meus Græcus, Latinus non habet. Tertull. quoque Lib. de anima cap. XXXV. legit *Thesbiten*. Sic quoque apparet legisse Cyrillum Lib. I. in Ioannem cap. XXIV. Chrysost. etiam hom. LVIII. in Matt. XVII. aperte testatur Malachiam adscripsisse patriam, dicendo Thesbiten; ne illa prophetia putaretur in Ioanne Baptista completa. Item Euthymius in Matth. XI. & XVII. citat verba prophetæ, addendo *Thesbiten*.

MARIANAE.

Vers. I. ECCE ENIM DIES VENIET. Dixistis: Vanus est qui servit Deo. Timentes Deum contra locuti sunt: Veniet dies iudicii quasi ignis, scilicet conflans & purgans metalla, ut inter utrosque discernat. FACIENTES IMPIETATEM, sive *iniquitatem* erunt. STIPULA, id est quasi stipula cito consumentur & penitus. ET INFLAMMABIT EOS DIES VENIENS, seu *ventura*, illo die consumentur. QUAE NON DERELINQUET EIS RADICEM ET GERMEN, seu *radicem & ramum*, ut Sept. id est penitus comburentur. Chald. *filium nec nepotem non relinquet eis*.

V. 2. SOL IUSTITIAE orietur, nempe Christus. Aut sic: Ignis, qui impios consumet, illuminabit vos, quasi Sol iustitiæ; quem *iustitiæ* vocat, quia magna æquitate inter impios & iustos discernet. ET SANITAS IN PENNIS EIUS, scilicet radiis. Radii erunt salutares, qui *pennæ* vocantur, aut *alæ*, quia radiis sol tegitur quasi alis. ET EGREDIEMINI, ET SALIETIS, scilicet præ lætitia palam choreas plaudetis. Hebr. *egrediemini, & crescetis*, id est quocumque iveritis, crescetis numero & opibus. SICUT VITULI DE ARMENTO. Heb. *sicut vituli saginati*: ut illi adipe & carnibus maiores sunt aliis, sic vestra felicitas maior quam aliorum erit. Et calcabitis impios.

V. 3. CUM FUERUNT CINIS, seu, *quia erunt pulvis*, id est ut pulvis sub vestris pedibus, vobis subditi, ut pulvis pedibus, & contempti erunt impii. IN DIE QUA EGO FACIO, scilicet iudicium. Hebr. possunt sic verti: *In die, quam ego facio*.

Is

Is erit peculiaris dies Domini, dies scilicet iudicii.

V. 4. MEMENTOTE LEGIS, eam servate legem, quam Moysis lex significabat, id est Evangelicam. QUAM MANDAVI EI IN HOREB, id est Sinai. Mons binomius. PRAECEPTA ET IUDICIA. Per *legem* hic moralia, per *praecepta* cærimonias, per *iudicia* quidam iudicialia intelligunt. Esto.

V. 5. MITTAM VOBIS ELIAM PROPHETAM. Hieronymus per *Eliam* Prophetas in genere intelligit. Mittam vobis Prophetas ante diem iudicii. Burg. & Vatabl. totum Caput de primo Christi adventu explicant, & per *Eliam*, Ioannem Baptistam intelligunt. Verum antiqui Patres repugnant, qui hæc de Elia accipiunt frequentes venturo ante diem iudicii, & ante secundum Christi adventum, de quo hoc Caput accipiunt: Augustinus XX. de Civit. cap. XXIX. & Isidorus de Ortu & obitu Patrum, cap. XXXV. Summa, duplex Elias extitit, alter mysticus, Ioannes Baptista, de quo Marc. IX. 13. *Elias iam venit*; & Lucæ I. 17. *in spiritu & virtute Eliæ*. Alter verus Elias, de quo III. Reg. Christus utrumque Eliam iunxit Matth. XVIII. 11. illis verbis: *Elias quidem venturus est*, & quæ sequuntur. Malachias plane hoc loco de vero Elia agit, atque adeo Sept. pro *Eliam Prophetam* verterunt *Eliam Thesbiten*, ut legitur in Comment. Hieronymi, & Græcis Bibliis Romæ editis. Nam Regia, quæ Græce legunt *Eliam Prophetam*, haud dubium in eo sunt vitiata.

V. 6. ET CONVERTET COR PATRUM AD FILIOS, id est faciet, ut quod Patriarchæ crediderunt & observarunt, idem eorum posteri faciant & credant, sit unum cor & mens patrum & filiorum. Hoc Hieronymus. Aut sic cum Hebr. Schol. *convertet patres cum filiis, & filios cum patribus*, id est omnes simul convertet, orbem universum. NE FORTE VENIAM. Hic *forte* non significat eventum dubium, sed tempus adventus indeterminatum; quasi dicat: Convertet omnes Elias, antequam suo tempore veniam. ET PERCUTIAM TERRAM ANATHEMATE, id est exscindam penitus terræ habitatores, quod in die iudicii fiet. Id significat quod posuere Sept. *Percutiam terram penitus*.

MENOCHII.

Vers. 1. DIES VENIET, scilicet iudicii. SUCCENSA: & propter ignem præcedentem faciem iudicis, & propter ignem infernum, qui damnatos excipiet Daniel. VII. 9. legimus, *Fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie eius*. STIPULA: non quod finem habiturus sit ignis ille, sed quod ita celeriter eos corripiet, ac si essent stipula, quæ se ab igne proximo defendere non potest. DIES VENIENS: nam dies succensa erit. RADICEM ET GERMEN: omnia bona & spem boni absumet. Omnes eorum voluptates, & divitias penitus abolebit. Italice etiam dicimus, *Non ci resterà nè ramo nè radice*.

V. 2. ET ORIETUR VOBIS, &c. cum hæc mali patientur, vobis iustis orietur sol iustitiæ; id est, Christus veniet de cælo ad iudicium. Christus sol dicitur propter splendorem visibilem, & maiestatem. Secundo, propter lætitiam, quam iustis afferet. Tertio, quia adventu suo fugabit omnes tenebras, id est afflictiones iustorum. Quarto patefaciet arcana cordium. SOL IUSTITIAE. Dicitur sol iustitiæ, quia ea omnia quæ habet, ut sol, hoc est, in quibus soli similis est, impendet iustitiæ, hoc est in favorem, & commodum iustorum. SANITAS IN PENNIS EIUS: sanitas corporis, & animæ. Corporis quidem propter dotes impassibilitatis, agilitatis, subtilitatis, claritatis, &c. Animæ propter integritatem omnium virium, & facultatem ipsius, & lætitiam, & beatitudinem quam afferet. IN PENNIS EIUS: in radiis eius; sic enim hos vocat locutione poetica; radii enim solis sunt in eo, quasi pennæ in avibus. EGREDIEMINI: de hoc sæculo, de hac vita, vel de sepulcris obviam Christo. SALIETIS: in altum tollemini dote agilitatis. SICUT VITULI DE ARMENTO. LXX. *sicut vituli de vinculis relaxati*. Hac similitudine significatur I. absoluta sanitas, robur, & vigor corporum beatorum. II. ingens lætitia. III. dos agilitatis, qua præditi erunt.

V. 3. CALCABITIS IMPIOS: sub pedibus eos habebitis victos. Quod Christi est, iuxta illud Psal. CIX. *Donec ponam inimicos tuos*, &c. tribuitur sanctis, quia etiam ipsi

ipsi suo modo iudicaturi sunt. Cum fuerint cinis, id est instar cineris comminuti, & humiliati, contemptissimi facti, & abiectissimi. In die qua ego facio: vide dicta superiori cap. num. 7.

V. 4. Memento legis Moysi. Cum tanta præmia maneant bonos, legem servate, ut tunc salutem inveniatis. Loquitur hominibus sui temporis. Eadem ratione præcipitur Christianis, ut servent legem Christi. In Horeb: ubi data est Lex, & est mons Arabiæ ad Galat. iv. 25. appellatur etiam Sina. Praecepta et iudicia. Vel hæc sunt Synonyma, vel si distinguere placeat, per legem intellige præcepta moralia; per præcepta, ceremonialia; per iudicia, iudicialia.

V. 4. Eliam prophetam: qui designatus est, & servatus præcursor secundi adventus. Dies Domini: dies iudicii. Magnus: quia magna in eo facturus est Christus. Horribilis: propter sententiam, & damnationem impiis infligendam. Magnus iustis; horribilis peccatoribus.

V. 6. Convertet cor patrum ad filios: cor patriarcharum aversum a filiis suis in Christum non credentibus, convertet Elias ad filios, reddens eos gratos ipsis patriarchis Abraham, Isaac, Iacob, &c. Ne forte veniam, &c. ne cum venero, forte inveniam terram in sua incredulitate, & peccatis adhuc hærentem; atque ita illam funditus perdam. Terram: ita vocat eos qui terrena sapiunt, quales præcipue sunt Iudæi. Anathemate. Anathema vocat perditionem integram, & excisionem, nam Hebraicum חרם *cherem*, significat excisionem, qua res stirpitus exscinditur, interimitur, & perditur.

TIRINI.

Vers. 1. Ecce enim dies iudicii tum particularis, tum universalis, *adveniet* unicuique, illa in morte singulorum, ista in fine mundi, succensa ardentissimo igne *a*, non tantum metaphorico, iræ & ultionis divinæ, ut S. Hieronymus, Remigius & Clarius exponunt, sed etiam physico & proprie dicto, puta igne conflagrationis mundi, qui præibit iudicium: & igne infernali, qui instar lictoris assistet iudici, inquit Lyranus, Vatablus & a Lapide. Hoc igne ita excidentur opes, deliciæ, gloria *impiorum*, ut *nec germen*, *nec radix*, id est spes recuperandi ulla relinquatur. Piis e contrario

V. 2. Orietur Sol iustitiae, id est iustus seu verus Sol, nempe *Christus*, non ad eos excæcandos, adurendos, affligendos, (ut impiis *b* continget, sed ad eos vivificandos, illuminandos, recreandos, ac plene sanandos: *sanitas* enim est in pennis, seu alis, id est in radiis, eius: nam ut horum claritate fugantur tenebræ, calore vero plantæ & animalia vegetantur, saluantur, recreantur, reviviscunt; ita dotibus gloriosis & gloria beatifica quasi radiis solaribus a Christo iudice in omnes iustos emittendis, perfecte sanabuntur, instaurabuntur, recreabuntur tum corpora, tum animæ illorum, inquit S. Hieronymus, Cyrillus, Theodoretus, Remigius, Lyranus & alii, uno excepto Aria, qui hæc omnia primo Christi adventui accommodat.

V. 4. Mementote, o Iudæi, legis quam mandavi Moysi in Horeb, ut praecepta istic tradita et iudicia, id est sanctiones iudiciales, immo & ceremoniales, quamdiu istæ obligabunt (nam loquitur Iudæis istius ævi) exactissime compleatis: nam in die iudicii rationem servatæ, vel non servatæ legis iudex ante omnia deposcet: ita Remigius, Albertus, Hugo, Vatablus, Arias, a Lapide. Porro ad magis vos exstimulandos, & officii vestri commonefaciendos,

V. 5. *&* 6. Ecce ego sub id tempus mittam vobis notum charumque monitorem, doctorem, prophetam Eliam Thesbiten, ut est in Arabico, & etiam in LXX. Vaticana editione, & est communis non modo SS. Patrum Græcorum ac Latinorum, sed etiam antiquorum Hebræorum sententia *c*. Et Ecclesiasticus alludens ad hunc locum, aptat hæc Eliæ qui cælum continuit seu clausit *d* annis tribus cum medio, qui ter *e* deiecit ignem de cælo, qui mortuum suscitavit *f* filium viduæ Sareptanæ, qui curru igneorum *g* equorum raptus est in paradisum: quæ nulli alteri quam Eliæ Thesbitæ conveniunt. Hic præcursor erit secundi adventus Christi, sicut Ioannes Baptista præcursor fuit primi. Par erit utriusque officium, zelus, prædicatio: unde & nomen *Eliæ* idem utique *h*, sed uni typicum, alteri proprium. Ioannes enim *præcedet* Christum *in* i *spiritu & virtute*

tate Eliæ: Thesbites autem etiam in persona. Uterque CONVERTET COR PATRUM AD FILIOS, ET COR FILIORUM AD PATRES; id est, efficiet sua prædicatione, ut Iudæi filii primorum Patriarcharum idem circa personem Messiæ, aliaque fidei mysteria sentiant quod senserunt k Patriarchæ: & ita cor Patriarcharum ante ab incredulis filiis aversum & alienatum, ad eosdem iam credentes & Christo servientes convertet, ut illos pro legitimis & carissimis filiis suis agnoscant, inquit S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Lyranus. *Ipse restituet* l *omnia*, id est omnes *tribus Iacob* (ut Ecclesiasticus *m* ait) reducet ad pristinam patrum & sinceram fidem. Quod Ioannes solum inchoate fecit; sed Elias plene perficiet: nam ipsius ope *omnis* n *Israel salvus fiet*, ut est communis Patrum sententia, & Ecclesiæ traditio. Prævertet ergo Elias & impediet NE FORTE VENIAM ET PERCUTIAM (est hendiadys, pro, *ne veniens percutiam*) ANATHEMATE, id est maledictione æternæ damnationis, TERRAM, id est incolas terræ: nam conversos tam ex Iudæis quam ex Gentilibus non damnabo, sed salvabo æternum, inquit S. Hieronymus, & alii Patres. Quo loco, quo statu iam sit Elias, & quo socio sub finem mundi ad nos rediturus, exposui Gen. v. 24. & IV. Reg. II. II. & Apoc. XI. 3.

(a) Isaiæ I. IIS Psal. XCVI. 3. Dan. VII. 9. & I. Cor. III. 13.
(b) Matth. XXV. 41.
(c) Matth. XVII. 10. & Galatin. Lib. X. cap. VI. Eccli. XLVIII. 10.
(d) III. Reg. XVII. I. & Iacobi V. 17.
(e) III. Reg. XVIII. 38. & IV. Reg. I. 10. & 12
(f) III. Reg. XVII. 22.
(g) IV. Reg. II. II.
(h) Matt. XI. 14. XVII. 10.
(i) Lucæ I. 17.
(k) Ioan. VIII. 56. Lucæ XXIV. Matt. XIII. 17.
(l) Matt. XVII. 10.
(m) Eccl. sup.
(n) Rom. XI. 26.

GORDONI.

Vers. 1. Occurrit hic illis qui cap. III. vers. 14. dicebant cultum Dei esse inutilem. VENIET, inquit, Deus per Prophetam purgans & discriminans metalla, & impii ut combusta stipula consumentur. Sol iustitiæ Christus orietur, & sanitas bonorum erit in pennis seu radiis eius. Quod varia insuper similitudine & metaphora declaratur, interim servate (vers. 4.) inquit, legem quam denotabat lex Mosis; hoc est, Evangelicam custodite. Sunt etiam qui dicant hic velut in parenthesi agi de servanda lege Mosaica, nempe usque ad Christi adventum, sed nexus vix apparet.

V. 5. MITTAM VOBIS ELIAM, &c. Omnino dicendum hic agi de vero Elia, ut sentiunt antiqui Patres: immo Septuaginta vertunt Eliam Thesbitem ex Hieronymo in commentariis; quamvis aliqua additio Græca habeat Eliam Prophetam. Lege consentientem Aug. Lib. XX. de civitate cap. XXIX. mysticus quidem Elias fuit Ioannes Baptista, de quo Matth. XI. 14. Christus iunxit utrumque Eliam Matth. vers. XI.

V. 6. ET CONVERTET COR PATRUM AD FILIOS, &c. Sane Iudæi in fine mundi convertentur, & ad hoc conferet plurimum prædicatio Eliæ, qui convertet corda filiorum, & efficiet ut quod antiqui Patres & Patriarchæ summis votis expetiverunt de adventu Messiæ, hoc ipsum tandem credant & amplectantur posteri Iudæorum & reliquiæ Israel. Quod optime expressit Ecclesiast. cap. XLVIII. 10. hæc autem præstabit Elias; ne cum venero forte inveniam terram impietate plenam. Itaque τὸ *forte* refertur non quidem ad adventum, quippe qui certus & decretus est, sed ad impietatem hominum, quibus nempe manet libertas & indifferentia ad bonum & malum.

LIBER PRIMUS MACHABAEORUM.

HIC liber historiam quadraginta annorum continet; qui non a morte Alexandri, sed a regno Seleucidarum numerantur, duodecim post annis, ex Eusebio, Lib. VIII. *Demonstrat. Evang. Illud quoque admodum probabile est, auctores horum librorum uno fere anno inter se dissidere in computatione, seu ob allatam supra rationem, seu ob diversa anni principia: cum alii a Martio, ut Iudæi, anno inciperent, alii a Septembri, ut Antiocheni.*

Ceterum p rturbatus narrationis ordo, & capita transposita obscuritatem quamdam afferunt. Historia fere omnis utriusque libri, Antiochi *Illustris,* Eupatoris, *&* Demetrii *temporibus continetur.* Antiochus Epiphanes *regnare cœpit anno Imperii Græcorum* 137. *Duas in AEgyptum expeditiones paravit, priorem anno* 143. *de qua Machab. L.* II. *cap.* IV. *alteram anno* 145. *de qua eo in libro, cap.* V. *Eodem anno spoliat templum Ierosolymæ, &* Matathias *primus Iudæorum dux patrias leges tuetur, ex Lib.* I. *Machab. cap.* II. *Anno* 146. Iudas *Machabæus Antiocho bellum infert;* Machabæi *nomen illi inditum plerique volunt, quod vexillis hæc verba cantici Moysis Exod.* XV. 11. *Hebraice* מכבי *inscripserit,* Quis similis tui in diis, Domine? *Primæ harum vocum litteræ Hebraicæ nomen* Machabæi *efficiunt. Hebræi compendii causa sæpe unum conflant vocabulum ex primis litteris multarum vocum.*

Anno 148. *Iudas purgat templum ex L.* I. *Machab. cap.* IV. *vers.* 52. *anno ante obitum Antiochi. Quod autem Lib.* II. *Machab. cap.* X. *vers.* 3. *purgatio facta narratur post biennium a morte Antiochi, purgatio non dicitur bis facta, aut diversis temporibus, sed narrata morte Antiochi repetitur, & facta dicitur post biennium, non a morte Antiochi, sed a profanatione templi. Ita quidem P. Gordonus in Synopsi horum librorum, qui rerum gestarum seriem & librorum capita nativo ordini restituit.*

CAPUT PRIMUM.

Mortuo Alexandro Magno, qui Darium percusserat, successit tandem in Græcia Antiochus Illustris: sub quo scelerati quidam ex filiis Israel profanarunt Ierusalem: Antiochus autem, devicto Ptolemæo rege AEgypti, invasit Ierusalem; & ablatis omnibus vasis templi ac thesauris, fecit cædem magnam, unde ortus est ingens planctus: simile fecit & Princeps tributorum ab eo missus, incensa Ierusalem, plurimisque in captivitatem ductis: Antiochus leges idololatriæ Iudæis statuit, ablatis cunctis divini cultus cærimoniis, & ædificato idolo desolationis, renitentes misere trucidans: cuius edicta plurimi impii secuti sunt, pii vero respuerunt, mortem potius subire parati.

1. ET factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum & Medorum: 2. constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ, 3. & pertransiit usque ad fines terræ: & accepit spolia multitudinis Gentium: & siluit terra in conspectu eius. 4. Et congregavit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum est, & elevatum cor eius: 5. & obtinuit regiones Gentium, & tyrannos: & facti sunt illi in tributum. 6. Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur. 7. Et vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a iuventute: & divisit illis regnum suum, cum adhuc viveret. 8. Et regnavit Alexander annis duodecim, & mortuus est. 9. Et obtinuerunt pueri eius regnum, unusquisque in loco suo: 10. & imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filii eorum post eos, annis multis, & multiplicata sunt mala in terra. 11. * Et exiit ex eis radix peccatrix, Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnavit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum. 12. In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos multa mala. 13. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. 14. Et destinaverunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem ut facerent iustitiam Gentium. 15. Et ædificaverunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges Nationum: 16. & fecerunt sibi præputia, & recesserunt a testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus, & venumdati sunt ut facerent malum. 17. Et paratum est regnum in conspectu Antiochi, & cœpit regnare in terra AEgypti, ut regnaret super duo regna. 18. Et intravit in AEgyptum in multitudine gravi, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copiosa navium multitudine: 19. & constituit bellum adversus Ptolemæum regem AEgypti, & ve-

ritus

ritus est Ptolemæus a facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.
20. Et comprehendit civitates munitas in Terra AEgypti: & accepit spo-
lia Terræ AEgypti. 21. Et convertit Antiochus, postquam percussit AE-
gyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit ad Israel:
22. & ascendit Ierosolymam in multitudine gravi. 23. Et intravit in
sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum
luminis, & universa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, &
phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum au-
reum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia. 24. Et accepit ar-
gentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos,
quos invenit: & sublatis omnibus abiit in terram suam. 25. Et fecit cæ-
dem hominum, & locutus est in superbia magna. 26. Et factus est plan-
ctus magnus in Israel, & in omni loco eorum: 27. & ingemuerunt prin-
cipes, & seniores: * virgines, & iuvenes infirmati sunt: & speciositas mu-
lierum immutata est. 28. Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sede-
bant in thoro maritali, lugebant: 29. & commota est terra super habitan-
tes in ea, & universa domus Iacob induit confusionem. 30. Et post duos
annos dierum, misit Rex principem tributorum in civitates Iuda, & ve-
nit Ierusalem cum turba magna. 31. Et locutus est ad eos verba pacifica
in dolo: & crediderunt ei. 32. Et irruit super civitatem repente, & per-
cussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israel. 33. Et
accepit spolia civitatis: & succendit eam igni, & destruxit domos eius, &
muros eius in circuitu: 34. & captivas duxerunt mulieres: & natos, &
pecora possederunt. 35. Et ædificaverunt civitatem David muro magno &
firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem: 36. & posuerunt il-
lic gentem peccatricem, viros iniquos, & convaluerunt in ea, & posuerunt
arma, & escas, & congregaverunt spolia Ierusalem; 37. & reposuerunt il-
lic: & facti sunt in laqueum magnum. 38. * Et factum est hoc ad insi-
dias sanctificationi, & in diabolum malum in Israel: 39. & effuderunt
sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & contaminaverunt
sanctificationem. 40. Et fugerunt habitatores Ierusalem propter eos, &
facta est habitatio exterorum, & facta est extera semini suo, & nati eius
reliquerunt eam. 41. Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, (a) dies
festi eius conversi sunt in luctum, sabbata eius in opprobrium, honores
eius in nihilum. 42. Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia e-
ius: & sublimitas eius conversa est in luctum. 43. Et scripsit Rex Antio-
chus omni regno suo, ut esset omnis populus, unus: & relinqueret unus-
quisque legem suam. 44. Et consenserunt omnes Gentes secundum verbum
regis Antiochi: 45. & multi ex Israel consenserunt servituti eius, & sacrifica-
verunt idolis, & coinquinaverunt sabbatum. 46. Et misit Rex libros per manus
nuntiorum in Ierusalem, & in omnes civitates Iuda: ut sequerentur leges
Gentium terræ, 47. & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes
fieri in templo Dei, 48. & prohiberent celebrari sabbatum, & dies sollemnes:
49. & iussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israel. 50. Et iussit ædi-
ficari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora com-
munia, 51. & relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas
eo-

eorum * in omnibus immundis, & abominationibus, ita ut obliviscerentur
legem, & immutarent omnes iustificationes Dei . 52. Et quicumque non
fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur. 53. Secundum om-
nia verba hæc scripsit omni regno suo: & præposuit principes populo, qui
hæc fieri cogerent. 54. Et iusserunt civitatibus Iuda sacrificare. 55. Et
congregati sunt multi de populo, ad eos qui dereliquerant legem Domini:
& fecerunt mala super terram: 56. & effugaverunt populum Israel in ab-
ditis: & in absconditis fugitivorum locis. 57. Die quintadecima mensis
Casleu, * quinto & quadragesimo & centesimo anno, ædificavit Rex An-
tiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per univer-
sas civitates Iuda in circuitu ædificaverunt aras: 58. & ante ianuas domo-
rum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant: 59. & libros legis
Dei combusserunt igni, scindentes eos: 60. & apud quemcumque invenie-
bantur libri testamenti Domini, & quicumque observabat legem Domini,
secundum edictum regis trucidabant eum. 61. In virtute sua faciebant hæc
populo Israel, qui inveniebatur in omni mense & mense in civitatibus.
62. Et quinta & vigesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat
contra altare. 63. Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucida-
bantur secundum iussum regis Antiochi. 64. & suspendebant pueros a cer-
vicibus per universas domos eorum: & eos, qui circumciderant illos, tru-
cidabant. 65. Et multi de populo Israel definierunt apud se, ut non man-
ducarent immunda: & elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari im-
mundis: 66. & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt:
67. & facta est ira magna super populum valde.

(a) Tob. II. 6. Amos VIII. 10.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 11. *Et exiit ex eis radix peccatrix*. Nominativus femininus *peccatrix*, non est commutandus cum genitivo neutro *peccati*.

Vers. 27. *Virgines & iuvenes infirmati sunt*. Non sunt præponendi iuvenes virginibus.

Vers. 38. *Et factum est hoc ad insidias sanctificationi*. Dativus casus *sanctificationi*, non est mutandus cum genitivo.

Vers. 51. *In omnibus immundis*. Pro adiectivo *immundis*, non scribas substantivum *immunditiis*.

Vers. 57. *Quinto, & quadragesimo & centesimo anno*. Non omittas *& centesimo*.

Notatio.

Vers. 57. D*ie quintadecima* (*vicesima* o.) *mensis Casleu, quinto & quadragesimo* (xv. o.) *& centesimo* (*cent. & quadra. quinto* o.) *anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei*. Latinorum exemplarium alia legunt, alia omittunt, *& centesimo*; septem & viginti nostra, Leod. Malmund. O. E. L. Mog. &c. legunt; novem Lob. Q. Pl. med. Pl. ang. A. antiquum D. Hunnæi Breviarium &c. cum decem Hentenii omittunt. Brugensi manuscripto postea additum esse videtur. Meminit huius Latinorum librorum diversitatis Hugo Cardinalis. Græcorum antigraphorum similis est varietas. Remigium & Complutense addunt, καὶ ἑκατόςῳ: Aldinum, Argent. & Basileonse tollunt. Porro illud constat sive legendum sit, sive non, intelligendum esse. Ordine enim procedit sacræ huius historiæ auctor (quomodo enim ostendat Annius (*a*), quod ait, Machabæorum libris, cum absque temporibus scripti essent, Iosephum tempora adiecisse? Certe argumentum, quo docet, Iosephum his in temporibus errasse, infirmum est) ab anno centesimo tricesimo septimo regni Græcorum

quo

quo regnum suum scribit inchoasse Antiochum illustrem usque ad hunc centesimum quadragesimum quintum, qui nonus erat regni Antiochi, quo magna clade affectam ab eo narrat Ierusalem, impositumque divino altari idolum desolationis. Legantur huius capitis versus, undecimus præsertim], 21. & 30. sequentibus etiam capitibus, pergit ad sequentes ordine annos. Non est vero insolitus numerandi modus, quo minor dumtaxat numerus maiori, quod notior sit, suppresso exprimitur.

(a) Ioannes Annius in Philonis (de temporibus) breviarium.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 1. PRIMUS, scilicet Monarcha. Græc., πρότερον, id est prius, scilicet quam Persas vinceret. CETHIM. Sic Scriptura *Græciam* vocat: hic *Macedoniam* intellige. DARIUM. In hoc desiit Persarum Imperium.

V. 2. OMNIUM, scilicet debellatorum, vel pro, plurimorum. REGES, scilicet multos.

V. 3. SILUIT, id est quievit, non ausa resistere; quasi dicat, Se illi subdidit.

V. 4. VIRTUTEM, id est exercitum, ut statim explicatur.

V. 5. IN TRIBUTUM, id est tributarii.

V. 7. PUEROS, id est famulos. DIVISIT, id est permisit ut dividerent (nec enim successorem nominavit,) vel dividendum reliquit, ut Glos. interpretatur. Complut. *dimisit*.

V. 11. QUI, scilicet Antiochus illustris. CENTESIMO, &c. scilicet a Seleuco primo, post mortem Alexandri, rege Syriæ.

V. 12. TESTAMENTUM, id est fœdus.

V. 14. FACERENT IUSTITIAM, id est sequerentur instituta, seu rationem vivendi.

V. 15. GYMNASIUM, scilicet palæstricum.

V. 16. FECERUNT, scilicet non se circumcidendo, vel forte medicamine aliquo. TESTAMENTO SANCTO, id est pacto, seu lege Dei. VENUMDATI SUNT, id est velut servi emptitii se addixerunt.

V. 17. PARATUM, id est stabilitum.

V. 18. GRAVI, id est magna. IN; pro, cum.

V. 21. CONVERTIT, scilicet bellum; vel pro, revertit.

V. 23. SANCTIFICATIONEM, id est templum. VASA, id est instrumenta. LIBATORIA, scilicet vasa.

V. 24. CONCUPISCIBILIA, id est pretiosa.

V. 27. INFIRMATI, id est animo deiecti.

V. 28. MARITUS. Græc. *sponsus*. ET QUAE, &c. id est, sponsæ.

V. 29. SUPER, &c. id est, ob calamitatem habitantium. INDUIT CONFUSIONEM, id est valde est afflicta & turbata.

V. 30. DIERUM, id est plenos; quasi dicat, Integros.

V. 36. CONVALUERUNT, id est fortes facti sunt.

V. 37. LAQUEUM, scilicet Iudæis.

V. 38. SANCTIFICATIONI, id est templo. DIABOLUM MALUM; quasi dicat, Pessimum hostem.

V. 39. CONTAMINAVERUNT, id est profanarunt.

V. 40. EXTERA, id est aliena. SEMINI. Græc. *genimini*, scilicet indigenis.

V. 41. OPPROBRIUM, id est ignominiam, seu vituperium, scilicet exposita ludibrio hostium. NIHILUM. Græc. *contemptum*, scilicet successit pro honore vilipendium.

V. 42. SECUNDUM, &c. quasi dicat, Priori gloriæ successit par ignominia.

V. 41. UNUS, scilicet moribus.

V. 45. COINQUINAVERUNT, id est profanarunt, scilicet non observantes.

V. 46. LIBROS, id est epistolas, seu libellos legum. GENTIUM TERRAE; quasi dicat, Gentilium. Græc. *alienas terræ*, scilicet gentilicas.

V. 49. COINQUINARI, id est profanari, scilicet rebus contrariis templi sanctitati. SANCTA, id est res sanctas. Græc. *sanctos* scilicet homines, id est Deo dicatos.

V. 50. COMMUNIA, id est immunda secundum legem.

V. 51. IUSTIFICATIONES, id est præcepta & instituta.

V. 52.

V. 52. MORERENTUR, id est interficerentur.

V. 53. VERBA HAEC; pro, quæ diximus.

V. 56. ABDITIS, &c. pro, abdita & abscondita, &c

V. 57. CASLEU, scilicet Decembris, seu Novembris: vide inf. cap. IV. ABOMINANDUM IDOLUM. Græc. *abominationem*, scilicet idolum Iovis. DESOLATIONIS: ita vocatur idolum; forte quod magna sit desolatio, magnaque abominatio, tale quid statui in Dei templo: est enim *abominatio desolationis* idem quod *abominabilis desolatio*, vel *abominatio desolatoria*. Videretur quidem huc respexisse Daniel cap. IX. nisi Christus aliter explicasset Matth. XXIV.

V. 61. IN VIRTUTE SUA, id est pro potestate quam habebant, vel pro viribus. IN OMNI, &c. id est per singulos menses.

V. 62. CONTRA ALTARE. Græc. *in altari*, seu *super altare*.

V. 67. IRA, id est indignatio, seu punitio, scilicet Dei, vel Antiochi.

ESTII.

Vers 6. & 7. ET POST HAEC DECIDIT IN LECTUM, ET COGNOVIT QUIA MORERETUR. ET VOCAVIT PUEROS SUOS NOBILES, ET DIVISIT ILLIS REGNUM SUUM, &c. Hæc de Alexandro Magno: quibus non satis concordare videtur Orosius Lib. III. cap. XX. ubi dicit Alexandrum ministri insidiis veneno potato interiisse, & cap. XXIII. ubi refert, post mortem Alexandri a variis discerptum eius regnum, aliis aliam partem vendicantibus. Aliter tamen referunt Iustinus historicus Lib. XIII. & Q. Curtius in historiæ suæ fine. Orosii sententiam confirmat, quod est apud Hieron. in epist. ad Lætam, ubi sic loquitur: Multo gloriosior mundi philosopho, qui non regem Macedonum, Babylonico periturum veneno, sed ancillam, & sponsam Christi erudiam. Hæc ille. An dici potest, quod aliquandiu ægrotaverit ex veneno propinato, & ipse forte nescivit, sed res postea detecta fuerit?

V. 15. ET AEDIFICAVERUNT GYMNASIUM IN IEROSOLYMIS SECUNDUM LEGES NATIONUM. Gymnasium interpretantur quidam Scholam publicam, in qua docerentur leges, & instituta gentilium pertinentia ad cultum idolorum. Sunt etiam qui intelligunt Gymnasium litterarum, ac bonarum artium; atque ex hoc loco docere contendunt, quam sit vetus institutum studiorum Generalium, quas Universitates seu Academias vocant. Sed aliter Ioseph. Lib. XII. Antiquit. Iud. cap. VI. qui gymnasium intelligit Palæstricum; in quo videlicet ad luctam exercebantur: quod exercitii genus apud Iudæos prius in usu non fuerat, sed tunc a gentibus introductum est, ut Iudæi, susceptis gentium moribus, & exercitiis, facilius ad similitudinem religionis quoque traducerentur.

V. 16. ET FECERUNT SIBI PRAEPUTIA, ET RECESSERUNT A TESTAMENTO SANCTO. Quidam sic interpretantur, ut instrumento quodam medico pelle reducta, præputia nova sibi facerent, qui ante circumcisi essent. Sic Iosephus Lib. XII. antiq. cap. VI. ut nudi, inquit, non essent Græcis dissimiles. Vide etiam Epiphanium, in Lib. de pond. & mens. de Symmacho bis circumciso. Et eodem modo intelligunt illud I. Cor. VII. *Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat præputium*. Sed alii simplicius intelligunt, id quod dicitur, *Et fecerunt sibi præputia*, scilicet id non factum esse in ipsis patribus, sed in eorum filiis. Id enim tantum habebat lex Antiochi, (de qua infra hoc eodem capite scribitur) edictum fuisse, ut Iudæi filios suos relinquerent incircumcisos.

MARIANAE.

QUis Auctor fuerit horum Librorum, incertum est. Sic Isidorus ait Lib. VI. Etymol. cap. II. & Lib. I. de Officiis, cap. XII. & Rabanus Lib. II. de Institutione Cleric. cap. LVI. Prior Liber Hebraice scriptus videtur ex ipsa forma loquendi Hebraicæ simili. Et Hieronymus epistola CLX. quæ est Præfatio in Libros Regum, se eum Hebraicum legisse testatur. Posterior Græce conscriptus videtur, Iasonis Cyrenensis quinque libris, quos de Iudæ Machabæi rebus scripsit, Iudæus natione, in compendium redactis, uti ex Lib. II. constat cap. II. vers. 24. A quo? id ignoratur. Honoratus tantum Augustodunensis Lib. de Luminibus Ecclesiæ, cap. XI. a Philone ait: quod non minus incer-

tum puto. Et quidem prior Liber bella narrat a Mathathia & quatuor eius filiis contra Macedones gesta per annos quadraginta duos, nihilominus ab anno Græcorum 137. quo Antiochus Epiphanes regnare cœpit, usque ad annum 178. quo anno Simon Machabæus est occisus. In secundo Libro bella tantum continentur Iudæ Machabæi latius quam in primo explicata, non omnia, neque usque ad eius mortem; sed quousque Nicanorem vicit & occidit ducem a Demetrio Rege missum contra Iudæos cum numerosis copiis.

Vers. 1. ALEXANDER PHILIPPI. Goth. *Alexander filius Philippi*. Græce Αλέξανδρον τὸν Φιλίππου sive τοῦ Φιλίππου. QUI PRIMUS. Goth. *prius* REGNAVIT IN GRAECIA. Græce πρότερον ut Regia, non πρότερος, id est *primus*, ut Rom. Goth. lectio vera esse videtur; neque enim Alexander fuit primus Græciæ Rex, nisi ad dignitatem referat; quod non placet: sed in Græcia prius quam in Asia regnavit. EGRESSUS DE TERRA CETHIM. Pro hac voce aliquando Hieronymus *Italiam* vertit, aliquando *Macedoniam*, ubi *Cition* urbs & mons erat eo nomine. Aliqui *Cyprum Cethim* esse putant, ubi etiam *Cithium* urbs. Plura Gen. x. 4. Nec dubium est hoc loco *Macedoniam* significari, ubi natus est & regnavit Alexander. DARIUM REGEM, scilicet percussit Alexander. De hoc Dario Nehemiæ XII. 22. fit mentio. Non est autem ille, cuius permissu templum ædificatum est Aggæi I. & II. & eius anno sexto fabrica absoluta est: Esdræ I. cap. VI. 15. Inter utrumque ab Eusebio Xerxes, Artaxerxes Longimanus, Darius Nothus, Artaxerxes Mnemon, Ochusque numerantur. Ita Nehemias ad Alexandri tempora pervenire non potuit. Neque Iaduas Pontifex, sub quo templum est extructum, Iaddus est, qui Alexandro, cum iret contra Darium, obviam prodiit, ut Iosephus ait Lib. XI. cap. VIII. Et Nicephorus Constant. eos distinguit in Catalogo eorum Pontificum. Porro Darius ille Nehemiæ cap. II. *Artaxerxes* vocatur, quoniam id cognomen Regibus Persarum commune erat: sic Seder Holam cap. XXX. ait.

V. 3. SILUIT TERRA: ἡσύχασεν, *quievit*. Coegit Alexander ut omnes arma deponerent. IN CONSPECTU EIUS: ἐνώπιον αὐτοῦ, ad eius adventum, & propter eum.

V. 7. ET VOCAVIT PUEROS SUOS. Παῖς Græcum & Hebr. *nahar*, *puerum* seu *ministrum* & *filium* significat. Regii pueri apud Macedones vocabantur *Principum liberi*, qui in Regia educabantur, Regique ministrabant, ut Livius ait Lib. V. Decad. v. Sic fiebat inter Hebræos: per eosque Achab vicit Regem Syriæ III. Reg. XX. 14. nam ubi Hieronymus posuit *per pedissequos Principum*, & Hebr. est *per pueros*, nos diximus posse intelligi de filiis Principum, qui erant in aula Achab. Eos ergo hic vocat *pueros suos*, id est ministros. ET DIVISIT ILLIS REGNUM SUUM CUM ADHUC VIVERET. Eo mortuo divisum fuisse regnum sive a Perdicca, sive a Philippo, Curtius, Iustinus Lib. XIII. Pausanias, Appianus aiunt; falsi omnes, ut ex hoc loco convincitur. Et fuisse qui ita sentirent, Curtius Lib. X. extremo illis verbis ait: *Credidere quidam, testamento Alexandri distributas esse Provincias*. Non est ergo quod explicemus, *Regnum divisit*, id est dividi sanxit, aut innuit, ut quidam aiunt.

V. 10. MULTIPLICATA SUNT MALA. Sic solet fieri in Regni divisione. Multa mala passa est Hispania ob divisum regnum inter filios a Ferdinando Castellæ Rege Primo.

V. 11. EXIIT EX EIS RADIX PECCATRIX. Sic lege, non *peccati*, ut Regia, ῥίζα ἁμαρτωλός, non ἁμαρτίας, id est fons omnium peccatorum. Profligata vita fuit Antiochus. ET REGNAVIT, id est cœpit regnare. ANNO CENTESIMO TRIGESIMO SEPTIMO. Hi anni regni Græcorum inchoantur a Seleuci regno, cum Babylone capta se Asiæ Regem dixit, post mortem Alexandri anno duodecimo: sic Eusebius VIII. de Demonstr. Evang. Demonstr. II. & in Chron. Et quidem Seleucus in Græcia non regnavit, sed quia Græcus gente & lingua, Græcorum regni anni vocantur. Porro a primo Seleuci anno usque ad hunc Antiochum, qui *Epiphanes*, id est *illustris* vocatur, in Eusebii Chron. anni computantur 137. præcise. Quare vitiosa est Goth. lectio, quæ habet, *centesimo trigesimo regni Græcorum*.

V. 12. DISPONAMUS TESTAMENTUM, id est pactum: ineamus fœdus. Sæpe hæc

vox

vox in Sacris libris pro *pacto* sumitur, ut & Græca *διαθήκη*, & Hebr. *berith*,

V. 14. ET DESTINAVERUNT; pro, destinati sunt, *προεθυμήθησαν* Græce, *parati prompte sunt*.

V. 15. AEDIFICAVERUNT GYMNASIUM. Ubi scilicet iuvenes certabant disco, arcu, saltu, cursu, lucta, ut habet Græcorum Epigramma Lib. I. cap. 1. Carebat ante ea gens spectaculis, gymnasiis, theatris: utinam & nostra!

V. 16. ET FECERUNT SIBI PRAEPULIA. Solebant membri pellem extendere instrumento, quod Epiphanius Lib. de Pond. & mens. *Epathiflere* vocat. Quod Paulus I. ad Cor. VII. 18 fieri vetat illis verbis: *Circumcisus vocatus est, non adducat præputium*. Hieron. in Isai. cap. LII. hunc locum de pueris intelligit, quos non circumcidebant; non de adultis. IUNCTI SUNT NATIONIBUS, per coniugia, quod nefas erat: *ἐζευγχθησαν*, id est *iugati sunt*, a *ζεῦγμα*, quod est *iugum*, unde *coniugium*. ET VENUMDATI SUNT, id est quasi servi nequitiæ facti sunt pretio empti.

V. 17. ET PARATUM EST REGNUM, id est stabilitum, cum se Antiochus in regno firmasset, ad AEgyptum adiecit animum. IN CONSPECTU ANTIOCHI; aut, *coram Antiocho*, id est ut ipse cupiebat: omnino, & penitus.

V. 19. VERITUS EST PTOLOMAEUS A FACIE EIUS. Gotth. *faciem eius*: noluit cum eo congredi. *Videre se* sæpe in Sacris pro *pugnare* sumitur.

V. 23. INTRAVIT IN SANCTIFICATIONEM, id est sanctuarium, *ἁγίασμα*. ET LIBATORIA. *Σπονδεῖα*, *crateres* sunt, ad libandum & bibendum vinum, ex Athen. Lib. IX.

V. 24. THESAUROS OCCULTOS accepit Antiochus. In templis aurum & pretiosa quæque deponere, ut tutiora essent, moris erat. Ex Cicer. Lib. V. epist. ad Att. epist. x. & Lib. II. de Legibus; tum ex Iosepho, Lib. XIV. cap. XII.

V. 27. VIRGINES ET IUVENES: seu *Virgines & pueri*. Lovan. & Regia, *Iuvenes & virgines*. Vox *virgines* in Gotth. deest. INFIRMATI SUNT, præ tristitia scilicet qua vires debilitantur & cadunt.

V. 29. COMMOTA EST TERRA; sive *concussa est terra*. SUPER HABITANTES IN EA, id est contra; על *Hal* Hebraicum *super* & *contra* significat. *Munera super innocentem non accepit*. Psalm. XIV. 5. id est contra innocentem. Ergo tota Provincia arma contra eius incolas movebantur.

V. 30. ET POST DUOS ANNOS DIERUM, id est post duos integros annos. PRINCIPEM TRIBUTORUM misit, seu Quæstorem. Is Apollonius videtur fuisse, ex II. Machab. v. 24.

V. 34. ET AEDIFICAVERUNT CIVITATEM David, id est arcem, quæ erat in monte Sion, ad urbis Occasum: & vocabatur *civitas David*, quia ipse eam construxit, & ibi habitabat. Eam ergo instaurarunt Græci, & munierunt, ne se Iudæi commoverent.

V. 36. GENTEM PECCATRICEM posuerut in ea arce, quales fere sunt milites. Gotth. *gentem peccatorum*.

V. 38. AD INSIDIAS SANCTIFICATIONI, seu *sanctuario*. Templum in monte Moria ad Ortum erat instar arcis. Contra illud Davidis arcem opposuerunt, & ut milites inde egressi disturbarent ad illud convenientes. IN DIABOLUM fuere milites externi. *Diabolus* est *calumniator*; sed hic pro hoste & adversario sumo.

V. 41. HONORES EIUS IN NIHILUM versi sunt. Græce, *honor in vilipendium*. Quæ urbs prius erat in honore, nunc est vilis, quod proxima verba magis declarant.

V. 43. SCRIPSIT REX .... UT ESSET OMNIS POPULUS, UNUS. Concordiam in dissidio religionis constare non posse, iniqui etiam & impii intelligunt. De qua re nos multa De Rege & Regis instit. Lib. III. cap. ultimo.

V. 45. CONSENSERUNT SERVITUTI EIUS, *λατρείᾳ αὐτοῦ*, *religioni cultui eius*. Gotth. *consenserunt ei*: sic Regia.

V. 46. MISIT REX LIBROS, id est epistolas, codicillos, edicta; nempe ut

V. 47. PLACATIONES prohiberent, *σπονδὴν*, id est *libamen*. Verum hoc loco *hostias pacificas* significare puto, quæ ex fœdere & voto sæpe offerebantur: quod ea etiam voce significatur.

V. 50. IMMOLARI CARNES SUILLAS iussit, quod vetitum erat eis vesci. In sacrificio autem ex oblatis carnibus epulantur. Et

V. 51. IUSTIFICATIONES DEI immutarent, id est præcepta Dei, legem. Quinto & quadragesimo anno,

V. 57. **Et centesimo**: hoc non est in Gotth. neque in multis aliis codicibus, certe decem Lovaniensium. Et sæpe maior numerus supprimitur & suppletur. Porro ea contaminatio templi anno octavo eius Regis facta est mensis *Casleu* sive *Cisleu*, id est Uovemb. die xv. Idolum desolationis; sive *abominationem desolationis*. *Idolum*, Hebr. vocatur *abominatio*. *Desolationis*, quoniam templi ruinam significabat, iuxta illud Matth. xxiv. 15. *Cum videritis abominationem desolationis*. Combusserunt Sacros libros,

V. 59. Scindentes eos. Prius lacerabant libros, deinde in ignem mittebant.

V. 61. In virtute sea. Hoc non est in Græcis Regiis, est tamen in Romanis ἐν ἰσχύι. Per potentiam, non ex ratione id faciebant. In omni mense et mense, id est semper, omnibus diebus.

V. 67. Facta est ira magna, id est afflictio ex divina indignatione, propter eius populi peccata.

MENOCHII.

Vers. 1. Et factum. Particula, *&*, abundat per Hebraismum. Percussit: debellavit. Primus pugnavit in Graecia: qui primus totius Græciæ regnum adeptus est. De Cethim: vide dicta Isa. xxiii. 1. ubi hoc explicavimus.

V. 2. Constituit praelia multa: frequenter eum hostibus conflixit. Obtinuit omnium munitiones. *Cum nullo hostium umquam congressus est, quem non vicerit; nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit; nullam gentem adiit quam non calcaverit*: inquit Iustin. hist. Lib. XII. ad finem. Usque ad fines terrae: nam ad extrema orientis, usque ad Oceanum pervenit. Multitudinis Gentium: multarum Gentium. Siluit: quievit, non ausa resistere; quasi dicat, Se illi subdidit.

V. 4. Virtutem: δύναμιν, exercitum, copias militares. In tributum, id est tributarii.

V. 7. Pueros: famulos, aulicos, sive duces exercitus sui. Divisit illis regnum suum, &c. Negant hoc prophani scriptores, sed gravior, & potior apud nos sacræ Scripturæ auctoritas, quæ ita factum affirmat. Curtius etiam docet famam vulgasse ab Alexandro divisas fuisse provincias, licet ipse famam hanc absque ratione reiiciat. Iosephus vero filius Gorionis plane Scripturæ consentit, ait enim, *Partitus est terram in quatuor Principes magnos e familia sua*. Unusquisque in loco suo; id est, unusquisque in ea provincia, quæ sibi vel armis, vel sorte obvenerat.

V. 10. Multiplicata sunt mala: mutuis enim bellis colliserunt se Alexandri successores, unde magnis cladibus affecti sunt populi.

V. 11. Exiit ex eis: prodiit, progenitus est. Radix peccatrix: ῥίζα ἁμαρτωλὸς, *germen sceleratum*. Nam quemadmodum radix ramos portat, ut ait S. Paul. ad Roman. xi. 18. & ex ea rami, fructus & folia nascuntur; sic ex Antiocho multus impietatis, & scelerum proventus excrevit. Antiochus illustris: Antiochus cognomento Epiphanes: ἐπιφανὴς enim Græce, idem est quod *Illustris* Latine. Ita appellatus est post aliqua præclare gesta. Filius Antiochi regis: Antiochi magni. In anno centesimo trigesimo septimo regni Graecorum: quod in Alexandro Magno sumpsit exordium.

V. 12. Filii iniqui: degeneres, & scelerati Israelitæ παράνομοι, transgressores, exleges, & contemptores religionis, & apostatæ. Disponamus testamentum, id est, pactum, fœdus, Dei cultu abiecto & gentilium mores imitando, & superstitionem suscipiendo. Quia ex quo tempore, &c. Unde huic plane geminam querelam Iudæorum apud Ierem. xliv 18.

V. 14. Iustitiam gentium: instituta, seu rationem vivendi sequerentur.

V. 15. Gymnasium. Aliqui putant fuisse scholas in quibus prophanæ, ac superstitiosæ litteræ docerentur. Alii fuisse impuras libidinis officinas masculæ veneri destinatas. Secundum leges nationum: iuxta morem, consuetudinem gentilium.

V. 16. Fecerunt sibi praeputia: suppressa, & quantum fieri poterat abolita circumcisione, præputium attractione quadam, & medicamentis reducendo, ut pellis ad tegendam pudendi glandem extenderetur. Vide Corn. Cels. VII. cap. xxv. Testamento sancto: pacto, seu lege Dei. Venumdati sunt ut facerent malum: a concupiscentia sua, commodi, & honoris quasi pretio traditi sunt superſti-

ſtitioni, & ſceleri, factique ſunt eius mancipia. Quæ venundatur traduntur.

V. 17. PARATUM EST REGNUM: ſtabilitum eſt. COEPIT REGNARE. In Græco eſt ὑπέλαβε, cogitavit, deſtinavit, conſilium iniit, affectavit regnare. Italice diceremus: *Pensò, diſſegnò di regnare, farſi padrone del regno*. DUO REGNA: Syriæ ſcilicet & Ægypti.

V. 18. IN MULTITUDINE GRAVI: cum magna multitudine, cum ingentibus copiis.

V. 21. CONVERTIT, id eſt reverſus eſt, ἐπέστρεψεν. CENTESIMO QUADRAGESIMO TERTIO ANNO: regni Græcorum ut ſupra num. 11.

V. 23. SANCTIFICATIONEM, id eſt templum. VASA: inſtrumenta ipſius candelabri: nam in Græco eſt, σκεύη αὐλῶς & refertur ad λυχνίας, cum utraque vox ſit generis feminini. Talia vaſa, ſive inſtrumenta erant forcipes quibus lucernæ emungebantur, & patellæ in quibus emuncta excipiebantur, & extinguebantur. Vide Exod. XXV. 38. ORNAMENTUM AUREUM, QUOD IN FACIE TEMPLI ERAT. Paulo ante meminerat veli: cum autem *velum* dicitur, illud ſolet intelligi, quod ante ſanctum ſanctorum erat oppanſum. Hic ergo crediderim ſignificari velum primum quod ante partem eam templi, quæ dicitur *ſanctum* pendebat. Duo enim vela pependiſſe in templo patet ex I. Mach. IV. 51. Ubi legimus: *Poſuerunt ſuper menſam panes, & appenderunt vela*. Ut ex D. Paulo ad Hebr. IX. 3. *Poſt velamentum*, inquit, *ſecundum, tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum*. CORONAS: aureis enim coronis templorum poſtes ornari ſolitos habemus infra IV. 57. *Ornaverunt faciem templi coronis aureis*.

V. 24. CONCUPISCIBILIA, id eſt pretioſa.

V. 25 LOCUTUS EST IN SUPERBIA MAGNA: malis quæ intulerat graves minas addens.

V. 26. IN OMNI LOCO EORUM: in omni ditione Iudæorum.

V. 27. INFIRMATI SUNT, id eſt animo deiecti.

V. 28. MARITUS: *ſponſus* νυμφίος. QUAE SEDEBAT IN THORO MARITALI: ſponſam intelligit.

V. 29. SUPER HABITANTES IN EA, id eſt propter calamitatem habitantium in ea. INDUIT CONFUSIONEM, id eſt valde afflicta eſt, & turbata.

V. 30. POST DUOS ANNOS DIERUM, id eſt poſt duos annos plenos & integros. PRINCIPEM TRIBUTORUM: ἄρχοντα φορολογίας qui deſcribendis, & colligendis pecuniis, & vectigalibus præerat. Princeps hic Lib. II. Machab. V. 24. vocatur Apolonius, dicitur veniſſe cum exercitu viginti duorum millium, & iuſſus fuiſſe ab Antiocho, *Omnes perfectæ ætatis interficere*, &c.

V. 35. CIVITATEM DAVID, partem eam Ieruſalem, quæ dicebatur civitas David, & erat edito loco in monte Sion.

V. 36. CONVALUERUNT IN EA: fortes facti ſunt. Italice dicimus, *ſi fortificarono in eſſa*.

V. 37. FACTI SUNT IN LAQUEUM MAGNUM: ut inde videlicet captarent occaſionem Iudæos tamquam laqueo feros comprehendendi, & venandi, ſi qui ad templum adirent ad deplorandas calamitates ſuas, quod explicans ſubdit, *& factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi*.

V. 38. ET IN DIABOLUM MAGNUM, id eſt calumniatorem, ſive hoſtem perpetuo intentum, & excubantem ad nocendum.

V. 39. CONTAMINAVERUNT: prophanarunt.

V. 40. EXTERA SEMINI SUO: aliena indigenis, & ab exteris poſſeſſa: extera ſuis, & ſua alienis. NATI EIUS RELIQUERUNT EAM: cives reliquerunt eam, vel capti ab hoſtibus, vel in voluntarium exilium profecti.

V. 4. IN OPPROBRIUM, ſcilicet ignominiam, ſeu vituperium; quia nimirum expoſita hoſtium ludibrio. NIHILUM; εἰς ἐξουδένωσιν, *in contemptum*; ſucceſſit enim honori contemptus, & vilipendium.

V. 42. SECUNDUM GLORIAM EIUS, &c. Quanta prius fuerat gloria eius, tanta & fortaſſe maior fuit ignominia. Similis phraſis Apocal. XVIII. 7. *quantum glorificavit ſe, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*.

V. 43. UNUS: moribus, & religione; ſuſpecta nimirum ſuperſtitione Gentilium, & cultis idolis. RELINQUERET UNUSQUISQUE LEGEM SUAM. Voluit legem eſſe generalem, ut Iudæi, quos ſciebat moris, & legis ſuæ retinentiſſimos, facilius inducerentur ad Gentiliſmum.

V. 45. CONSENSERUNT SERVITUTI EIUS.

In

In Græco eſt, *τῦ λατρείας αὐτῦ*, quod *religioni eius* vertere poſſis. COINQUINAVERUNT SABBATUM: illud profanaverunt, ſcilicet non obſervantes.

V. 46. LIBROS: diplomata regia, decreta, edicta.

V. 47. PLACATIONES: ſacrificia ad Deum placandum; quale peculiariter erat illud quod pro peccato offerebatur: Num. v. 8. ubi vocatur *placabilis hoſtia*.

V. 46. COINQUINARI, id eſt profanari ſcilicet rebus contrariis templi ſancti, quas ſequenti verſiculo enumerat.

V. 50. TEMPLA: lucos in honorem idolorum, ſive delubra. IDOLA. Græce *εἰδωλεῖα*, loca ad idolorum cultum deſtinata. COMMUNIA, id eſt immunda: ſic S. Petrus in viſu Act. x. 14. *Abſit Domine, quia numquam manducavi omne commune, & immundum*.

V. 51. ABOMINATIONIBUS: ſcilicet, ciborum lege prohibitorum. Vel per abominationes idola intelligit, ut etiam ea vocat Ezech. VII. 20. & VIII. 10. IUSTIFICATIONES: præcepta, & inſtituta.

V. 52. MORERENTUR: interficerentur.

V. 53. PRINCIPES. In Græco eſt, *ἐπισκόπους*; quaſi dicat, Inſpectores, qui ſcilicet obſervarent an regia edicta ſervarentur, & Iudæos ad obediendum cogerent.

V. 54. IUSSERUNT CIVITATIBUS IUDA SACRIFICARE. In Græco eſt, *θυσιάζειν κατὰ πόλιν, ἐν πόλει*: *Ut* ſcilicet *per ſingulos civitates ſacrificaretur*, nimirum idolis.

V. 55. CONGREGATI SUNT AD EOS. Græcus textus ſignificat ad prefectos, & principes ſe adiunxiſſe. Latinus vero ad Iudæos legis deſertores; ſed res eodem recidit.

V. 56. IN ABDITIS: in abdita, & abſcondita, ad quæ confugiebant.

V. 57. MENSIS CASLEU: qui Novembri noſtro reſpondet. QUINTO, ET QUADRAGESIMO, ET CENTESIMO ANNO, ſcilicet regni Græcorum ut ſupra num. II. ABOMINANDUM IDOLUM: idolum Iovis Olympii. DESOLATIONIS. Idolum deſolationis illud dicitur per quod deſolatur templum, & profanatur. Vel ſic dicitur, quod magna ſit deſolatio, & magna abominatio tale quid ſtatui in templo Dei; eſt enim abominatio deſolationis, idem abominabilis deſolatio, vel abominatio deſolatoria. SUPER ALTARE DEI: ſuper altare holocauſtorum. IN CIRCUITU: quæ ſunt circa Ieruſalem.

V. 58. INCENDEBANT THURA, ſcilicet idolis.

V. 61. IN VIRTUTE: id eſt, pro poteſtate quam habebant, vel pro viribus & tyrannice. Ital. dicunt, *far di potenza*. IN OMNI MENSE, quia nimirum ſingulis menſibus die vigeſimaquinta ſacrificabatur Iovi ut dicitur num. ſeq. SUPER ARAM QUAE ERAT CONTRA ALTARE: quia altare holocauſtorum in quo ſtatua Iovis locata eſt, amplum erat, ideo in eo præter ipſum ſimulacrum Iovis, conſtitutum eſt etiam aliud parvum altare, in quo idolo ſacrificabatur. Itaque aliqui vertunt, *ſuper aram altari impoſitam*, in Græco enim eſt, *ἐπὶ βωμὸν, ὃς ἦν ἐπὶ τῦ θυσιαςηρίυ*.

V. 63. MULIERES QUAE CIRCUMCIDEBANT FILIOS SUOS: poterant enim mulieres filios circumcidere, ut patet ex facto Sephoræ Exod. IV.

V. 64. SUSPENDEBANT PUEROS A CERVICIBUS: infantulos necabant, & eorum cadavera de collo matrum ſuſpendebant, ut patet ex Lib. II. cap. VI. 10.

V. 67. IRA MAGNA, id eſt indignatio, ſeu punitio, ſcilicet Dei vel Antiochi.

TIRINI.

Verſ. I. ALEXANDER PHILIPPI filius, a rerum geſtarum magnitudine dictus *Magnus*, QUI PRIMUS REGNAVIT IN GRAECIA, nempe tota, ut exponit Serarius. Græce non eſt *primus*, ſed *πρότερον*, id eſt primum, ſeu prius. EGRESSUS anno 2. regni ſui, inquit Diodorus *a*, DE TERRA *b* CETHIM, id eſt ex Occidentalibus inſulis & regionibus maritimis, quales erant Græcia, Macedonia, Cyprus, Italia, &c. ut S. Hieron. & alii exponunt. Hebræi enim populos omnes mari Mediterraneo a ſe diſcretos vocabant *Cethim*, *inſulanos*, eo quod non niſi navibus ad ſe in continente commorantes accederent: uti nunc Itali Germanos, Gallos, Belgas, Anglos, ceteroſque omnes trans alpes habitantes, vocant uno nomine *Tramontanos*: ita S. Hieronymus, Theodoretus & Ioſephus *c*. Qui etiam addunt, *Cethim* nepotem Iaphet filii Noe, primum occupaſſe *Cyprum*; inde *Cypro* inditum nomen *Cethim*. Alioquin & in Macedonia nominatim mons eſt

& urbs

& urbs *Citium* dicta, unde forte toti etiam regioni nomen *Cethim*. Eodem illo anno primum iniit prælium cum ducibus *Darii regis* PERSARUM ET MEDORUM; anno 3 secundum prælium. Anno 6. subiugatis interim Phœnicia, AEgypto & Iudæa, Darium tertio prælio penitus prostravit, totiusque Asiæ Imperator salutatus est. Hic est ille Danielis VII. 6. alatus pardus; ille *Occidentis hircus* cap. VIII. vers. 5. bicornem *Orientis arietem* prosternens & conculcans, vers. 7. Nec his contentus victoriis, imperio totius mundi inhians,

V. 2. CONSTITUIT PRAELIA MULTA cum aliis regibus, & *tyrannis*, id est terrarum præfectis, dominis, ducibus, ad Gangem usque & Oceanum Indicum omnia sibi subiiciens, testibus Iosepho, Iustino, Livio, Plinio *d* & aliis.

V. 3. ET SILUIT TERRA, seu mundus universus, IN CONSPECTU EIUS; nemine auso vel contra hiscere.

V. 6. POST HAEC, exacto anno regni sui 12. monarchiæ vero 6. ætatis 32. cum 8. aliis mensibus, (ut ex Arriano, Livio & aliis probat noster Pererius *e*:) DECIDIT IN LECTUM, seu veneno, seu crapula prostratus, de quo alibi *f*.

V. 7. ET VOCAVIT PUEROS SUOS NOBILES, id est præclariores exercituum suorum duces, Seleucum, Ptolemæum, Antigonum, Aridæum, & alios, de quibus Dan. IX. 6. in Chronico *g*. Porro *pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi ad ministerium regis delecti*, inquit Livius *h*. His DIVISIT REGNUM SUUM non per Perdiceam vel alios post mortem suam, (ut Iustinus, Diodorus, Curtius, & Orosius scribunt) sed per se, CUM ADHUC VIVERET, quod etiam Iosephus Gorionides affirmat.

V. 11. EX EIS Alexandri pueris, sed iam regibus, puta ex *Seleuco* eiusque posteris, exiit tandem RADIX una PECCATRIX, id est pessima, pessimorum fructuum mater & nutrix, nempe ANTIOCHUS cognomento ἐπιφανὴς, id est ILLUSTRIS, seu nobilis, a rerum gestarum gloria sic dictus a suis Gentilibus. Sed bellicam gloriam fœde obscuravit insanus in Deum Deique cultores furor, sordidæque helluationes & scortationes: unde & passim ἐπιμανὴς, id est insanus, audiebat, inquit Iosephus Gorionides, Athenæus & Cedrenus ex Polybio *i* & aliis. Hic aliquando pro *Antiocho* Magno, patre suo a Scipione in Asia devicto, obses Romæ fuerat; sed morte fratris sui Seleuci Philopatoris comperta, Roma profugit in Syriam, ut Daniel XI. 21. prædixerat. Ibi regnare cœpit ANNO CENTESIMO TRIGESIMO SEPTIMO REGNI GRAECORUM, in Syria. De quibus annis vide Chronicon initio cap. X.

V. 12. EXIERUNT EX ISRAEL FILII INIQUI; & inter hos etiam ipse Iesus Oniæ summi pontificis frater, qui Gentile nomen *Iasonis* accepit, homo ambitiosissimus, de quo Lib. II. cap. IV. 7. Item Menelaus, Alcimus, Simon & alii, de quibus eodem Lib. II. cap. V. &c. & apud Iosephum *k* passim.

V. 14. DEDIT ILLIS REX POTESTATEM UT FACERENT IUSTITIAM GENTIUM; id est, ut Ethnicos religionis ritus & mores impune, immo cum laude susciperent, & in Iudæam inducere possent. Hi ergo

V. 15. AEDIFICAVERUNT IN IEROSOLYMIS GYMNASIUM SECUNDUM LEGES NATIONUM, id est iuxta morem Gentilium ubi iuvenes exercebantur non solo *disco l*, *arcu*, *saltu*, *cursu*, *lucta*, ut putat Ioannes Mariana; neque in solis profanis ac superstitiosis litteris, ut vult S. Thomas, Lyranus & Genebrardus; sed insuper etiam in impuris omne genus libidinibus. Unde Lib. II. cap. IV. 12. *gymnasio* huic *ephebia*, seu *lupanaria*, & quidem mascula coniunguntur. Talia quoque olim Ierosolymis effeminatorum lustra instituerant impii reges Iuda, III. Reg. XV. 12. & Lib. IV. cap. XXIII. 7. & instauravit postea Herodes, teste Iosepho *m* & aliis.

V. 16. ET FECERUNT SIBI PRAEPUTIA: pellem paulatim attrahentes, qua glans ante nudata rursus tegeretur. Quod S. Paulus I. Cor. VII. 18. vocat *adducere præputium*. Id enim adductione, certisque medicamentis sensim reduci posse, docent Celsus, Epiphanius, Sixtus Senensis *n* & alii. Et erat ἐπισπασμὸς, seu *repræputiatio* symbolum apostasiæ a Iudaica religione.

V. 17. ET PARATUM EST REGNUM Syriæ IN CONSPECTU ANTHIOCHI: nempe pulso Heliodoro invasore, & Demetrio quoque nepote suo fraudibus sublato, regnum iam pacifice possidebat. Sed non contentus uno regno paterno, tentavit etiam

par-

partim dolo, partim vi, potiri sceptro AEgyptio, ut prædixerat Gabriel Dan. XI. 22. & seqq. Et hæc est secunda Antiochi huius in AEgyptum expeditio *o*. De priore habes II. Mach. IV. 21. quæ suscepta videtur anno 2. regni eius: posterior vero anno 6. nempe 142. anno regni Græcorum, ut hic insinuatur. Nam sequenti anno regressus *ascendit Ierosolymam*, ubi

V. 23. INGRESSUS SANCTIFICATIONEM, id est sanctuarium, seu templum, totius orbis locum sanctissimum, extulit inde *altare* thymiamatis AUREUM, ET MENSAM auream in qua panes Deo sacrati apponi solebant, ET LIBATORIA, id est crateres, ad vinum Deo libandum. Unde

V. 29. COMMOTA, conturbata, mœrore repleta, EST tota TERRA Iudæa, SUPER HABITANTES IN EA, id est propter sevitiam quæ in incolas exercebatur.

V. 30. POST DUOS ANNOS DIERUM; id est, post duos plenos annos, ita ut dies aliquot superfluerunt, MISIT REX Antiochus PRINCIPEM TRIBUTORUM: exigendis tributis præpositum quæstorem, nempe Apollonium. Machab. V. 24. ad expilandos de novo Iudæos, immo ad iugulandos, ut ibidem dicitur. Is civitatem Ierosolymitanam expilatam

V. 33. SUCCENDIT IGNI, ET DESTRUXIT DOMOS ET MUROS EIUS IN CIRCUITU; ne serviret pro munitione Iudæis adversus Antiochum. Solam

V. 35. CIVITATEM DAVID, id est arcem Sion, quæ civitati Ierosolymæ quasi castrum imminebat, AEDIFICAVERUNT munieruntque undique MURO alto ET MAGNO, ET FIRMO, ET FACTA EST ILLIS IN ARCEM, e qua dominabantur toti urbi: & maxime serviebat *genti peccatrici*, id est sceleratissimis præsidiariis,

V. 38. AD INSIDIAS SANCTIFICATIONIS, id est insidiandum iis qui seu orationis gratia ascendebant ad templum. Nam si equos deprehendebant eo contendere, subito eruptione facta ex arce in sanctuarium, male omnes mulctabant.

V. 43. ET SCRIPSIT, id est scripta lege mandavit REX omnibus subditis suis, UT ESSET OMNIS POPULUS, UNUS quo ad religionem: ac proinde, UT RELINQUERET UNUSQUISQUE LEGEM SUAM, id est patriam religionem, & amplecteretur eam quam Antiochus sectabatur.

V. 49. IUSSIT COINQUINARI SANCTA, nempe violari sabbatha & festa, profanari templum & sacra vasa, ET SANCTUM POPULUM ISRAEL: per profana sacrificia, per vetitas epulas, ut sequitur.

V. 50. IUSSIT AEDIFICARI passim ARAS idololatricas, ET TEMPLA Ethnica, ET erigi ubique IDOLA, ET IMMOLARI PECORA COMMUNIA, id est immunda, v. g. porcos, quibus ne vesci quidem licebat Iudæis. Adeo *ut* paulatim Iudæi, ac præcipue rudiores,

V. 51. IMMUTARENT OMNES IUSTIFICATIONES DEI, id est leges divinas promiscue & libere transgrederentur. Saltem

V. 55. MULTI DE POPULO Iudaico CONGREGATI SUNT quotidie, id est accesserunt AD numerum apostatarum, QUI iam ante DERELIQUERANT LEGEM DOMINI: nempe ad Iasonem, ad Menelaum, &c. Interim præfecti Antiochi passim ex urbibus

V. 56. EFFUGAVERUNT de *populo* ISRAEL, si qui constantiores nollent accedere partibus Gentilium. Hi metu mortis vel tormentorum fugiebant ad loca deserta, seseque occultabant IN ABSCONDITIS FUGITIVORUM LOCIS: in antris & specubus, quibus abundat Iudæa, ut alibi *p* dixi.

V. 57. DIE QUINTADECIMA MENSIS CASLEU *q*, id est sub finem Novembris, AEDIFICAVIT REX & constituit SUPER ALTARE DEI in templo Ierosolymitano, ABOMINANDUM IDOLUM DESOLATIONIS, ut prædixerat angelus Danielis XI. 31.

V. 61. IN VIRTUTE SUA; id est violente ac tyrannice, FACIEBANT ministri Antiochi HAEC POPULO ISRAEL, QUI INVENIEBATUR IN OMNI MENSE ET MENSE; id est, qui Neomenias primo die cuiusque mensis celebrare deprehendebatur ex præscripto legis divinæ. Si qui enim tunc feriarentur, vel sacros conventus agerent, subito trucidabantur ab impiis militibus. Ipsi vero asseclæ regis Antiochi, ad abolendam omnem Neomeniarum memoriam, solebant primo die cuiusque mensis publica & festa sacrificia offerri, ne quidem idolis suis, sed

V 62. SACRIFICABANT iis QUINTA ET VIGESIMA DIE cuiusque MENSIS, idque non super altare Domini, iam profanatum superposito idolo; sed SUPER novam ARAM, CONTRA, seu ante, ALTARE Domini excitatam.

V. 67.

V. 67. FACTA EST IRA MAGNA Dei SUPER POPULUM Iſrael VALDE; id eſt, ingens afflictio ex divina indignatione effuſa eſt & inundavit in Iudæos.

(a) Diod. Lib XIII.
(b) Num. xxiv. Iſaiæ xxiii. Ierem. xxvii. Hieron. in Iſaiæ xxiii. Ierem. xxvii.
(c) Ioſeph. Lib. I. Antiq. cap. vi. & xi. Theodor. in cap. xxvii. Ezech.
(d) Ioſeph. Lib. XI. Antiq. cap. ult. Iuſt. Lib. XI. Livius Lib. XLV. Plin. Lib. X.
(e) Arian. Lib. VIII. Perer. Lib. X. Daniel.
(f) Dan. viii. 8.
(g) Chron. cap xI.
(h) Liv. Lib. XXIII.
(i) Ioſeph. Gorion. Lib. III. cap. vi. Poly. Lib. II. V. X. &c.
(k) Ioſeph. Lib. XIII. cap. vi. Antiq. & Lib. I. Captivitatis cap. I.
(l) II. Mach. iv. 24
(m) Ioſeph. Lib. XIV. Antiq. cap. ix. & Lib. XVI. cap. xi.
(n) Celſus Lib. VII. cap. xxv. Epiph. Lib. de de Menſuris. Sixtus Sen. Lib. IV. in Symmacho.
(o) II. Mach. v. 31.
(p) I. Reg. xxiv. 4.
(q) Chron. cap. iv.

G O R D O N I.

De auctore & auctoritate horum Librorum.

DUo Libri Machabæorum primus & ſecundus (quos ſolos recipit Trident. ſeſſ. iv.) a duobus diverſis auctoribus ſcripti ſunt, nam pene utriuſque idem eſt argumentum: qui tamen fuerint hi auctores, non eſt certum, ut obſervavit Iſidorus Lib. VI. originum, cap. II. nominant aliqui Iudam quendam Eſſeim eſſe auctorem: certe auctor non fuit Ioſephus, quippe qui cum ſua ſoleat commemorare, huius opuſculi nullam fecit mentionem, immo etiam falſum eſt quod ait Philo Annii, Ioſephum hic adieciſſe annos & tempora. Sed nec Hieron. Lib. II. contra Pelagian. vult Ioſephum eſſe auctorem huius operis. Loquitor etiam Hieronymus de alio quodam opuſculo inter opera Ioſephi, quod inſcribitur, *In Machabaeos*, ſeu de ratione imperatrice; hoc latuit & fefellit noſtros Novatores.

Ceterum ſi agatur de horum Librorum auctoritate, tertius & quartus Canonici nod ſunt; nec enim a Patribus, nec a Concilio ullo ſunt probati: obiicitur Canon 84. Apoſtolorum, probans Librum tertium. Verum ſcire debent Novatores hunc Canonem eſſe adiectitium; quod optime demonſtrat Baron. ad an. CXX. nec morari quemquam debet Trullana Synodus, laudans hunc Canonem: nam illa Synodus quiniſexta, reiecta eſt ab Eccleſia.

Sed unde habemus duos priores Libros eſſe Canonicos? Sane ex Concilio Cartaginenſ. III. Can. XLIII. & citato Trident. ſeſſ. IV. Item ex Decreto Gelaſii de Libris Canon. (ubi uterque liber vocatur unus, quia idem eſt argumentum.) Denique ex Innocent. III. Epiſt. ad Exuperium; varios pro hac veritate Patres citat Serrarius ad initium horum Librorum; prolixe inſuper oſtendens apertam eſſe hanc Auguſtini ſententiam; præſertim Lib. XVIII. de civit. cap. XXXVI. *Eccleſia*, inquit, *pro Canonicis eos habet*. Obiiciunt Novatores a quibuſdam veteribus Origene, Hieronymo, Gregorio Magno non agnoſci hos libros ut Canonicos. Reſpondeo, non tamen damnari ut vitioſos. Porro licet re nondum definita, illi, & poſtea alii dubitare potuerint; tamen re iam definita nemo dubitabit niſi hæreticus.

Argumentum & inſcriptio Libri.

MUlta eſt apud aliquos diſpoſitio de inſcriptione huius operis, quod eſt de Machabæis. Satis ſit apud Latinos & Græcos, nunc vocari ſimpliciter Machabæorum Libros; petita nominis ratione a primo illo veræ religionis vindice, ſub imperio Græcorum; hic enim proprio nomine dictus Iudas, appellatus eſt Machabæus, ut hic apparet Lib. I. cap. II. invaluitque demum Machabæorum nomen ad fratres & poſteros; ipſam vero etymologiam petunt aliqui a כבה quod eſt extinguere: hinc Machabi extinctor; quaſi ſint extinctores falſæ religionis, aut ſua fortitudine ἀλεξικάκοι: hinc Mathathias cap II. verſ. 66. compellat Iudam, vocans Machabæum & fortem viribus; alii aliter hanc vocem configunt: non moror. Machabæi etiam Aſmonæi dicti ſunt, de quo Chron. qq. cap. XVI. num. 16. Librorum iſtorum primi & ſecundi Argumentum complectitur ſtatum Eccleſiæ ſub imperio Græcorum, & præſertim ab anno Græcorum 137. quando regnare cœpit Antiochus (cuius anno 9. Mathathias apparuit, profanato Templo) uſque ad annum Græcorum 177. & principatum Hircani, uti nunc ſubiicio.

De annis Græcorum, & Epocha.

Novatores ſub Calvino nati, arbitrantur in his Libris numerari annos Græcorum a morte Alexandri; quod etiam male ſibi perſuaſit Lyranus, ad cap. 1. Lib. II. Machab. Nam hi libri tantum numerant hos annos a principio Seleucidarum; hoc recte monuit Euſebius Lib. VIII. de Demonſt Evang. cap. 1. & recipitur a recentioribus Chronologis. Cœpit autem Seleucidarum regnum annis 12. poſt Alexandri mortem ex citato Euſebio cap. 11. idemque probavi in Chronologicis, qq. cap. XVII. num. 1. ratio denique firmans hanc Epocham, eſt, quia Seleucidæ imperabant Aſiæ, Syriæ, & Iudæis; & Seleucus erat lingua & genere Græcus; nec tamen aliunde carebant ſuis annis prioribus; ſed ut illi priores a Philippi regno vocabantur Philippici; ita nunc mutata Epocha a principio Seleucidarum vocantur his Libris anni Græcorum. Vocabantur etiam apud Græcos anni Macedonici, aut denique Alexandræi: de hac Epocha hactenus.

Sed quæſtio de his annis ſupereſt, quod interdum duo hi Libri diſcordent uno fere anno, & diverſa ponant horum annorum principia, dum primus numerat a menſe Martio, ſecundus a menſe Octobri. Sed mirum hoc non eſt: obſervavit Scaliger, triplices eſſe Græcorum annos, ob tria diverſa principia; ſcilicet a Niſan ab Elud ſequentis anni (hoc eſt poſt ſeſquiannum) & tertio ab Elul ſex menſibus poſt Niſan Iudaicum. Et hoc tertio modo inchoatos aliqui vocant annos Antiochenos; quod his uteretur Antiochia; primi ordinis annos vocant Iudaicos; nempe a Niſan inchoatos: hinc aperta eſt diſcordiæ ratio. Nam ut ſunt duo illi libri a diverſis auctoribus ſcripti; ita unus uno modo inchoatos accipere potuit annos, alius alio. Vide in Chronologicis qq. 17. num. 7. ubi etiam de menſibus agitur: eſt ſimilis quæſt. de epiſtola Eupatoris libro ſecundo, capite decimo.

Synopſis & Syntaxis horum librorum, & quænam in illis ſint difficilia.

Quae aliquam in duobus his libris pariunt difficultatem Lectori, ſunt vel ex perturbato narrationis & capitum ordine, quæ tranſpoſita, non ſatis retinent rerum geſtarum ſeriem; vel ex ratione temporis & chronologia ſub Græcis; vel denique ex implicato & non ſatis aperto verborum ſenſu: hæc tria capita, ita hoc inſequente diagrammate complector, ut hinc liceat ire deinceps per ſingula utriuſque libri capita inoffenſo pede. Quia vero tota hæc contigit hiſtoria ſub Antiocho, ſub Eupatore, & Demetrio; dicam initio & ſeparatim de Aſſamonæorum rebus ſub Antiocho, ut quæ ſunt partis huius difficultates, commodius aperiantur.

Anni mundi	V. C.	Graecorum.	Res Machab. sub Antiocho.
3828	577	137	Antiochus Epiphanes incipit regnare.
3834	583	143	Expeditionem parat in AEgyptum primam, redit a prima hac expeditione Machab. 2. cap. 4.
3836	585	145	Secundam parat expeditionem, lib. 2. c. 5. v. 1.
3836	585	145	Redit & ſpoliat Templum: finitur bellum AEgyptiacum.
3836		145	Templi profanatio. Mathatias dux primus, lib. 1. cap. 2. verſ. 27.
3837		146	Iudas Machabæus, 1. Machab. cap. 2. verſ. 66.
3839		148	Purgatio Templi.
3840	589	149	Antiochus moritur.

Tria hic ſunt quæ non carent difficultate: unum eſt de purgatione Templi; alterum de Iuda, & ſcripta ab eo epiſtola, ut creditur; tertium de morte Antiochi. Incipio a primo, Iudas dicitur purgaſſe Templum anno 148. ex I. Machab. cap. IV. verſ.

IV. verſ. 52. hoc eſt, uno anno ante mortem Antiochi, ut habet diagramma; & tamen ex II. Machab. cap. x. verſ. 3. purgatio dicitur facta biennio poſt mortem Antiochi. Reſpondeo, narrari factam purgationem duobus quidem locis, non tamen dicitur bis facta, aut diverſis temporibus. Quæ ergo facta tota eſt ante mortem Antiochi, iterum narrata morte repetitur; & proinde etiam habetur facta poſt biennium; non quidem a morte illa, ſed poſt biennium a profanatione, ut habet diagramma: vide cap. IV. num. 38.

Ad illud de Iuda ex Machab. cap. IX. ubi narratur mortuus anno Græcorum 152. & tamen Lib. II. cap. I. ſignificatur eum ſcripſiſſe epiſtolam an. 188 quod eſt ſcripſiſſe multis annis poſt ſuam mortem. Reſpondeo, capite illo primo, narrari duas eſſe ſcriptas epiſtolas, ſed neutram a noſtro hoc Iuda: nam, ut alibi obſervavi, prior ſcripta eſt anno 160. ſub Demetrio. Poſterior eſt ipſe ſecundus liber Machabæorum, de quo ad annum 3879. Dices epiſtolam quæ ſcripta eſt anno Græcorum 188. nempe tempore Hircani cap. illo primo verſ. 10. dici ſcriptam a Iuda. Sed occurrendum eſt, Iudam ibi nominatum, non eſſe illum primum ducem & Mathathiæ filium; ſed eſſe vel Ariſtobulum Hircani filium, qui etiam Iudas nominatur, ex Ioſepho Lib. XX. cap. penult. vel eſſe aliquem, ut fuerunt tunc temporis plures. Poſtremum eſt de morte Antiochi; quæ incipit in annum 149. Ex I. Machab. VI. certe hic Epiphanes non eſt ille Antiochus de quo ibidem cap. I. verſ. 16 Quis autem ſit iſte occiſus Antiochus, ab hiſtoricis qui multa alia omiſerunt, non eſt proditum.

Verum de loco quo obiit Epiphanes Antiochus non levis eſt quæſtio. Quam ego quidem attigi ad annum mundi 3840. certe hic Lib. I. cap. VI. verſ. 4. Antiochus dicitur reverſus in Babyloniam (cuius erat dominus) quomodo ergo ſe mori dixit verſ. 13. in terra aliena? quomodo Libro II. cap. IX. peregre in montibus, verſ. 28. Exiſtimo commodius hæc explicari dicendo Antiochum vere obiiſſe in terra aliena, cum autem dicitur reverſus in Babyloniam, ſenſus eſt abiiſſe ut reverteretur, ex interprete editionis Vaticanæ & Regiæ: conſentit Tigurina: abſceſſit, inquit, inde repetens Babyloniam: hinc in Græco non eſt ἀποςρέψας, ſed ἀπῆρεν ἐπιςρέψαι εἰς Βαϐυλῶνα, ἐκεῖθεν: en ſenſum clarum.

Anni mundi	Anni Graecorum.	Rerum gestarum series nativo ordini restituta.	Librorum capita ordine rerum gestarum citata.
		Præfatio operis.	Lib. 2. cap. 2. a verſ. 20.
3674	Incipit Monarchia an. 7.	Narrationis exordium ab Alexandro Magno.	Lib. 1. c. 1. uſque ad v. 11.
3692	1.	Incipit primus annus Græcorum in Seleuco.	Annus eſt 12. a morte Alexandri.
3817	126	Felix Iudæorum ſtatus, ſed pax turbatur in Onia, ſub Seleuco rege 7.	Lib. 2. c. 3. & 4.
3828	137	Annus primus Antiochi: perſecutionis initia ab Antiocho ſubſequuntur.	Lib. 1. c. 1. v. 11. uſq. ad 16.
3834	143	Antiochi prima expeditio in AEgyptum.	Lib. 1. c. 1. v. 17. ad 50.

3836	145	Secunda expeditio Antiochi.	Lib. 2. c. 5. usq. ad v. 15.
3836	145	Gesta post bellum AEgyptiacum, profanatio Templi in reditu ex AEgypto.	Lib. 1. c. 1. a v. 21. ad 67.
		Mors Eleazari, & fratrum.	Lib. 1. c. 6. a v. 18. ad 31. & c. 7. ad v. 42.
3836	145	Bella primo duce Mathathia.	Lib. 1. cap. 2.
3837	146	Quatuor prælia Iudæ.	Lib. 1. c. 3. & c. 4.
3839	148	Antiochus in Perside; purgatur Templum post quartum prælium.	Lib. 1. c. 4. v. 36.
	148	Prælia varia Iudæ, purgatur Templum.	Lib. 1. c. 4. & 5.
3840	149	Mors Antiochi.	Lib. 1. c. 6.
	149	Bella cum Eupatore successore: epistola eius an nunc scripta.	Lib. 1. c. 6. v. 17.
	149	Cura pro mortuis.	Lib. 2. c. 12.
3842	151	Gesta sub Demetrio.	Lib. 1. c. 7.
	151	Alcimus a Demetrio in Iudæos: mox Nicanor.	Lib. 1. c. 7. Lib. 2. c. 14.
3843	152	Primum fœdus cum Romanis.	Lib. 1. c. 8.
	152	Iudas pugnans occumbit.	Lib. 1. c. 9.
	153	Ionathas dux & Pontifex.	Lib. 1. c. 9.
1851	160	Ionathas adhæret Alexandro.	Lib. 1. c. 10. v. 46.
	162	Mors Demetrii occisi, deinceps pax longa Ionathæ.	Lib. 1. c. 10. v. 50.
	167	Demetrius Iunior regnat ope Ptolemæi occiso Alexandro.	Lib. 1. c. 11. v. 16.
		Demetrius fidem datam Ionathæ violat.	Lib. 1. c. 11. v. 17.
3860	169	Fœdus sub Ionatha cum Romaniis Secundum & cum Lacedæmon.	Lib. 1. c. 12.
3861	170	Simon dux contra Tryphonem.	Lib. 1. c. 13.
3863	172	Capto Demetrio a Parthis pax longa Iudæis, & fœdus cum Romanis.	Lib. 1. c. 14.

	173	Demetrii Iunioris frater Antiochus regnat cum Cleopatra.	Lib. 1. c. 15.
	174	Tryphon tyrannus perit.	Lib. 1. c. 15.
3868	177	De Simonis filii & morte patris.	Lib. 1. c. 16.
3879	188	Epistola in AEgyptum de festis.	Lib. 2. c. 1. & 2.

Quæ desunt hoc capite, ad plenam rei hic narratæ historiam, sunt hæc quæ sequuntur.

PErturbatus est, ut notavi, ordo capitum, quapropter ut omnia quæ sunt de eadem re, possint simul legi, adiicio succincte ad singulos capitum versus, quæ sint alibi de eodem argumento scripta ab hoc sacro historico.

Ergo ad versiculum hic decimum, de malis Iudæorum sub Alexandri successoribus, adde quæ habentur Lib. II. cap. III. de statu civitatis sanctæ. De Oniæ pietate, de Simonis perfidia, & Heliodoro misso a rege, sed bene castigato.

Adde porro ex Lib. II. cap. IV. a versiculo 1. usque ad 7. de eodem Simeone accusante Oniam, & cur Onias regem adierit.

Adde insuper ad versiculum 11. ea quæ habentur Lib. II. cap. IV. a versiculo 7. ad 20. de ambitione Iasonis contra Oniam fratrem, & scelerati viri gravissimis peccatis, contra divinam legem, & bonos mores.

Addendum quoque ad versiculum 20. quod habetur Lib. II. cap. IV. a versiculo 21. usque ad 49. de Apollonio Mnesthei filio in AEgyptum, & Antiochi adventu Ierusalem, ubi cum honore susceptus est. Item de pulso primum Iasone, & mox Menelao, de occisis Onia & Andronico, & aliis in hoc tragico rerum statu subsequutis malis. Plura etiam de Iasone & Menelao, eorumque exitu habentur, Lib. II. cap. V. a versiculo 1. usque ad 10.

Ad cladem & mala, quæ capite hoc primo narrantur a versiculo 21. usque ad finem, adde quæ habentur Lib. II. cap. V. a num. 11. de iisdem malis & occidione ingenti: item quæ narrantur eodem, Lib. II. cap. VI. usque ad vers. 17. ac quæ leguntur ibidem, vers. 18. de illustri morte Eleazari, & toto cap. VII. de septem fratribus martyribus, & talis est historiæ ordo.

Explicatio capitis.

V. 1. 2. & 3. Primus dicitur regnare in Græcia, Alexander, quia totius certe Græciæ Rex primus est, post sextum regni annum fit monarcha: sic SILUIT TERRA vers. 3. pacavit omnia USQUE AD FINES TERRAE, seu extrema orientis: post sextum Monarchiæ annum moritur, ac post 12. annos ab eius morte regnum Seleucidarum incipit in Seleuco, anno mundi 3692. qui annus est primus Græcorum: tandem anno Græcorum 137. Antiochus regnat octavus a Seleuco, & de quo hic agitur.

Cethim hic designat Macedoniam: eodem etiam nomine Hebræi designant Cyprum, & adiacentes insulas: hinc Ierem II. 10. *transite per insulas Cethim*. Immo & Græcia idem apud aliquos nomen accipit. Ceterum de præliis cum Dario vide ad ann. mundi 3674. & deinceps, ubi eius victoriæ ad singulos annos ponuntur, quæ initio huius capitis paucis designantur; sed hæc anteriora sunt.

V. 7. Quomodo dicitur adhuc vivens regnum suum divisisse? nam hoc negant Diodor. Curtius & Orosius, Lib. III. cap. XXIII. Sane Perdicas filio Alexandri datus est tutor, is est cui Alexander moriens annulum dedit, ac per eum ex voluntate Alexandri iam mortui regna sunt divisa.

V. 11. & 12. ANTIOCHUS ILLUSTRIS. Hic incipiendo a Seleuco est octavus rex Syriæ anno mundi 3828. & V. C. 577. anno 1 Olym. 151. hic obses Roma rediens accepit regnum mortui fratris, dictus Ἐπιφανής. Roma, inquam, obses fuit, pro patre victo, Antiocho magno. Recte radix

radix peccatrix nominatur, & peccati: dixi supra cœpisse annos Græcorum 137. plures sunt a morte Alexandri. Sed de his & aliis Græcorum annis dixi Chron. qq. cap. XVII. num. 5. & 7. DISPONAMUS TESTAMENTUM fœdus, διαθήκη. DESTINAVERUNT, destinati sunt. Dei cultu relicto vivamus more gentium.

V. 15. *&* 16. AEDIFICAVERUNT GYMNASIUM. Aliqui Scholas esse interpretantur profanæ litteraturæ: verum rectius ex Lib. II. cap. IV. 12. colligitur fuisse impuras ad libidinem officinas. En interim ex corruptis moribus paratam viam ad insequentem persecutionem. FECERUNT PRAEPUTIA, vel non circumcidendo, vel extractione pellis adducendo præputium: quod prohibetur I. Cor. VII. 18.

V. 17. ET PARATUM EST REGNUM. Prima est expeditio in AEgyptum, quo venit Antiochus prætextu reducendi Ptolemæum Philometorem (ex duobus fratribus natu maiorem, & contendentem cum fratre de regno) in regnum: revera tamen ex vers. 17. ut cum iam Syriæ regnum paratum, hoc est sibi firmatum videret, adiiceret etiam AEgypti regnum suo imperio.

V. 19. CONSTITUIT BELLUM ADVERSUS PTOLEMAEUM. Pugnatur navali prælio ad Pelusium, & nomine Philometoris quem secum habebat; ac cuius se reductorem profitebatur: occupat aliquot civitates, refert ampla spolia; & valido Pelusii relicto præsidio, rediit in Syriam; non tamen tota potitus est AEgypto; ob stabat Alexandria; ac proinde cum hic vers. 17. dicitur cœpisse regnare in terra AEgypti; sane cœpisse, non est perfecisse, sed potius voluisse. In Græco est ἦ ἐπέλαβε βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου: rediens, inquit Strabo Lib. XVI. voluit videre Ierosolymam, ubi cum honore exceptus est, & amice illinc rediit in Syriam. Hæc quidem Strabo; sed verius est, prius hoc accidisse; ut dixi in Synopsi an. Græc. 138.

Verum ne fallat nomen, uterque frater nomen Ptolemæi habebat, sed maior natu vocabatur Philometor, cuius causam suscepit initio Antiochus avunculus: alter est Ptolemæus, ab aliquibus dictus Evergetes: hic posterior est ille qui Alexandriæ clausus obsidebatur, quam quia expugnare non potuit Antiochus, reduxit exercitum in Syriam: interim pax componitur inter fratres, quibus suspectus iam erat Antiochus: ipse interim ex hac pace iratus, parabit in utrumque nepotem secundam expeditionem, quam duxit anno Græcorum 145.

V. 21. ET CONVERTIT ANTIOCHUS. Narratus est reditus Antiochi a prima expeditione AEgypti (anno Græcorum 143.) Secunda autem expeditio accidit anno 145. quam insecuta est gravissima illa in Iudæos persecutio, eodem anno 145. scilicet post biennium a prima expeditione, ex I. Machab. I. 30. & in hunc annum 145. incidit profanatio templi, ut series narrationis ostendit. Et textus ipse citato cap. I. 57. purgatum vero est templum ann. 148. Lib. I. cap. IV. 53. Hæc ut semel dicam, sunt probabiliora; licet aliqui unicam tantum ponant Antiochi expeditionem, & profanationem templi locent ad ann. 142. atque ita sex annos, & aliquot dies reperiunt a cœpta clade ad purgationem templi. Nituntur verbis Angeli, Dan. VIII. 14. Verum a qua parte cladis numeret Angelus dies 2300. usque ad mundatum sanctuarium, non est satis notum. Nos hic numeramus non a Iasonis tumultu, de quo Lib. II. cap. V. 5 sed ab illa abominatione, qua idolum positum est in altari, anno 145. ut habetur I. Machab. I. 57. hinc vero ad purgationem sunt tres anni.

V. 30. *&* 57. Multa hinc colliguntur. Primo ex Lib. II. cap. V. I. non unam tantum, sed duas expeditiones paratas ab Antiocho in AEgyptum. Secundum tamen (ut narrat Livius) coactus est a Romanis relinquere. Deinde post duos annos a priore expeditione profanatum templum, anno 145. Ex his vers. 30. & 57. unde tertio colligendum est esse tres annos ad purgationem; nam incidit in annum 148. ex Lib. I. cap. IV. num. 53. Nota hic ex vers. 43. in dissidio religionis nullam stare concordiam. Reliquum capitis nihil habet obscurum in sensu literali.

V. 61. IN OMNI MENSE: nam quolibet mense sacrificabant Iovi die 25.

In vocibus hæc observari possunt.

V. 2. *&* 3. OBTINUIT MUNITIONES: omnia subegit. Iustin. Lib. XII. ad finem,

nem, AD FINES TERRAE, extrema orientis. SILUIT, quievit.

V. 7. PUEROS: famulos, duces exercitus.

V. 12. FILII INIQUI: scelerati Israelitæ, apostatæ. TESTAMENTUM, fœdus, pactum.

V. 14. IUSTITIA GENTIUM: rationem vivendi, & institutum.

V. 16. TESTAMENTO SANCTO: lege Dei, VENUNDATI, quasi pretio traditi.

V. 17. PARATUM: firmatum, stabilitum. CAPIT, affectavit.

V. 21. CONVERTIT: reversus est.

V. 23. SANCTIFICATIONEM, id est Templum. VASA, instrumenta candelabri. Exod. XXV. 38. ORNAMENTUM AUREUM, pendebat ante sanctum.

V. 24. CONCUPISCIBILIA: prætiosa.

V. 27. INFIRMATI: animum deiecerunt.

V. 29. COMMOTA: velut indoluit.

V. 30. ANNOS DIERUM: integros. PRINCIPEM TRIBUTORUM: præerat vectigalibus.

V. 38. IN DIABOLUM: calumniatorem, hostem.

V. 42. SECUNDUM: quanta fuit gloria.

V. 43. POPULUS UNUS: unius religionis.

V. 46. LIBROS: edicta regia, decreta.

V. 47. PLACATIONES: sacrificia, hostiæ.

V. 50. TEMPLA, idolis. COMMUNIA, immunda.

V. 51. IUSTIFICATIONES: Dei leges & præcepta.

V. 54. SACRIFICARE, idolis.

V. 56. IN ABDITIS: in abdita.

V. 57. CASLEU: November. ALTARE DEI, IN CIRCUITU, circa Ierusalem.

V. 62. ARAM. Putatur parvum altare impositum magno altari holocaustorum.



CAPUT II.

Mathathias cum filiis luget afflictionem civitatis, & sanctorum profanationem; ostensisque signis mæstitiæ, respondet his qui a rege missi erant, nec se nec cognationem suam impio decreto obtemperaturos: occisisque idololatra Iudæo & regis ministro, fugit cum filiis in montes: plurimi nolentes obtemperare trucidantur, cum nollent sabbato inimicis resistere: Mathathias collecto piorum exercitu, revocat Dei cultum, destructa idololatria, cæsoque Antiochi præsidio: & moriturus hortatur filios, ut patrum exemplo semper tueantur legem Domini, dans Simonem filium suum in consultorem, & Iudam in militiæ principem.

1. IN diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis, filii
Simeonis *, sacerdos ex filiis Ioarib ab Ierusalem, &
consedit in monte Modin: 2. & habebat filios quinque,
Ioannem, qui cognominabatur Gaddis: 3. & Simonem,
qui cognominabatur Thasi: 4. & Iudam, qui vocabatur Machabæus: 5. & Eleazarum, qui cognominabatur
Abaron: & Ionathan, qui cognominabatur Apphus:
6. hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Ierusalem.
7. Et dixit Mathathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? 8. Sancta in manu extraneorum
facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis. 9. Vasa gloriæ eius captiva

ptiva abducta sunt: trucidati sunt senes eius in plateis, & iuvenes e-
ius ceciderunt in gladio inimicorum. 10. Quæ gens non hereditavit regnum eius, & non obtinuit spolia eius? 11. Omnis compositio eius ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. 12. Et ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt ea Gentes. 13. Quo ergo nobis adhuc vivere? 14. Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filii eius: & operuerunt se ciliciis, & planxerunt valde. 15. Et venerunt illuc qui missi erant a rege Antiocho, ut cogerent eos, qui confugerant in civitatem Modin, immolare, & accendere thura: & a lege Dei discedere. 16. Et multi de populo Israel consentientes accesserunt ad eos: sed Mathathias, & filii eius constanter steterunt. 17. Et respondentes qui missi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps & clarissimus & magnus es in hac civitate, & ornatus filiis & fratribus: 18. ergo accede prior, & fac iussum regis, sicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem: & eris tu, & filii tui, inter amicos regis, & amplificatus auro & argento, & muneribus multis. 19. Et respondit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis eius: 20. ego, & filii mei, & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum: 21. propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem & iustitias Dei: 22. non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus altera via. 23. Et cessavit loqui verba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundum iussum regis: 24. & vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidavit eum super aram: 25. sed & virum, quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit, 26. & zelatus est legem, (*a*) sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi. 27. Et exclamavit Mathathias voce magna in civitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me. 28. Et fugit ipse, & filii eius in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate. 29. Tunc descenderunt multi quærentes iudicium, & iustitiam, in desertum: * 30. & sederunt ibi ipsi, & filii eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundaverunt super eos mala. 31. Et renuntiatum est viris regis, & exercitui, * qui erat in Ierusalem civitate David, quoniam discessissent viri quidam, qui dissipaverunt mandatum regis, in loca occulta in deserto, & abiissent post illos multi. 32. Et statim perrexerunt ad eos, & constituerunt adversus eos prælium in die sabbatorum, 33. & dixerunt ad eos: Resistitis & nunc adhuc? exite, & facite secundum verbum regis Antiochi, & vivetis. 34. Et dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis, ut polluamus diem sabbatorum. 35. Et concitaverunt adversus eos prælium. 36. Et non responderunt eis, nec lapidem miserunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, 37. dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cælum & terra, quod iniuste perditis nos. 38. Et intulerunt

runt illis bellum sabbatis: & mortui sunt ipsi, & uxores eorum, & filii
eorum, & pecora eorum, usque ad mille animas hominum. 39. Et co-
gnovit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt super eos valde.
40. Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fe-
cerunt, & non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris, & iu-
stificationibus nostris: nunc citius disperdent nos a terra. 41. Et cogita-
verunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in
bello die sabbatorum, pugnemus adversus eum: & non moriemur omnes,
sicut mortui sunt fratres nostri in occultis. 42. * Tunc congregata est ad
eos synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in
lege: 43. & omnes, qui fugiebant a malis, additi sunt ad eos, & facti
sunt illis ad firmamentum. 44. Et collegerunt exercitum, & percusserunt
peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua: & ceteri fu-
gerunt ad nationes, ut evaderent. 45. Et circuivit Mathathias, & amici
eius, & destruxerunt aras: 46. & circumciderunt pueros incircumcisos *
quotquot invenerunt in finibus Israel: & in fortitudine. 47. Et persecuti
sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum: 48. &
obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus regum: & non de-
derunt cornu peccatori. 49. Et appropinquaverunt dies Mathathiæ mo-
riendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, &
tempus eversionis, & ira indignationis. 50. Nunc ergo, o filii, æmulato-
res estote legis, & date animas vestras pro testamento patrum vestrorum,
51. & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis:
& accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. 52. (*b*) Abraham non-
ne in tentatione inventus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? 53.
(*c*) Ioseph in tempore angustiæ suæ custodivit mandatum, & factus est do-
minus AEgypti. 54. (*d*) Phinees pater noster, zelando zelum Dei, acce-
pit testamentum sacerdotii æterni. 55. (*e*) Iesus dum implevit verbum,
factus est dux in Israel. 56. (*f*) Caleb, dum testificatur in ecclesia,
accepit hereditatem. 57. (*g*) David in sua misericordia consecutus est se-
dem regni in sæcula. 58. (*h*) Elias, dum zelat zelum legis, rece-
ptus est in cælum. 59. (*i*) Ananias & Azarias & Misael credentes, li-
berati sunt de flamma. 60. (*k*) Daniel in sua simplicitate liberatus est
de ore leonum. 61. Et ita cogitate per generationem & generationem:
quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur. 62. Et a verbis vi-
ri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius, stercus & vermis est:
63. hodie extollitur, & cras non invenietur: quia conversus est in
terram suam, & cogitatio eius periit. 64. Vos ergo filii confortami-
ni, & viriliter agite in lege: * quia in ipsa gloriosi eritis. 65. Et
ecce Simon frater vester, scio quod vir consilii est: ipsum audite
semper, & ipse erit vobis pater. 66. Et Iudas Machabæus fortis vi-
ribus a iuventute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum po-
puli. 67. Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vin-
dictam populi vestri. 68. Retribuite retributionem Gentibus, & inten-
dite in præceptum legis. 69. Et benedixit eos, & appositus est ad pa-
tres suos. 70. Et defunctus est anno centesimo & quadragesimo sexto: &

ſepultus eſt a filiis ſuis in ſepulcris patrum ſuorum in Modin, & planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno.

(a) Num. xxv. 13. (b) Gen. xxii. 2. (c) Gen. xli. 40. (d) Num. xxv. 13. Eccli. xlv. 28. (e) Ioſ. ii. 2. (f) Num. xiv. 6. Ioſ. xiv. 14. (g) II. Reg. ii. 4. (h) II. Reg. ii. 11. (i) Dan. iii. 50. (k) Dan. vi. 22.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Sacerdos ex filiis Ioarib ab Ieruſalem*. Scribendum eſt *Ioarib*, ultima littera exiſtente *b* ſecunda alphabeti; non *Ioarim*, ultima littera exiſtente *m* ſecunda liquidarum.

Verſ. 30. *Et ſederunt ibi ipſi & filii eorum*. Non mutes plurale eorum in ſingulare *eius*.

Ibidem: *Quoniam inundaverunt ſuper eos mala*. Alii libri ſcribunt *induraverunt*, minus verſimiliter.

Verſ. 31. *Qui erat in Ieruſalem*. Retinendus eſt numerus ſingularis *erat*.

Verſ. 42. *Tunc congregata eſt ad eos ſynagoga Aſſydæorum*. Cave ne ponas nomen generale *Iudæorum* pro particulari, *Aſſydæorum*, quod alias dicitur *aſſenorum*.

Verſ. 46. *Quotquot invenerunt in finibus Iſrael*. Nomen *Iſrael* non eſt mutandum in pronomen *eorum*.

Verſ. 64. *Quia in ipſa glorioſi eritis*. Quod quidam libri adiiciunt poſt coniunctionem *quia cum feceritis quæ vobis præcepta ſunt in lege a Domino Deo noſtro*, merito ut ſuperfluum omiſſum eſt.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. AB IERUSALEM: iunge cum *ſurrexit*.

V. 7. CONTRITIONEM, id eſt vaſtationem.

V. 8. SANCTA; pro, ſanctorum. FACTA; pro, data. EIUS, ſcilicet Ieruſalem. IGNOBILIS, id eſt contemptibilis, ſeu vilis.

V. 9. GLORIAE, id eſt glorioſa, ſeu magnifica. SENES. Græc. *parvuli*, ſeu *infantes*.

V. 10. EIUS, ſcilicet Ieruſalem.

V. 11. COMPOSITIO, id eſt ornatus.

V. 16. STETERUNT, ſcilicet in propoſito non recedendi a lege Dei.

V. 19. OBEDIUNT; pro, obediant. SERVITUTE, id eſt obſervantia.

V. 21. PROPITIUS SIT, id eſt faveat; quaſi dicat: Ita nos Deus ſervet, ut non faciemus id.

V. 24. RENES, id eſt interiora. SECUNDUM IUDICIUM LEGIS, id eſt prout poſtulabat amor, ſeu zelus legis. Græc. *ſecundum iudicium*, id eſt ut ſolet, ſcilicet in talibus rebus.

V. 27. STATUENS; quaſi dicat, Defendens ne cadat. TESTAMENTUM, id eſt pactum, ſcilicet legem Dei, quæ ſecundum fœdus debet obſervari.

V. 29. IUDICIUM, ET IUSTITIAM, id eſt iuſte & ſancte vivere.

V. 30. SEDERUNT. *Sedere* dicuntur in Scriptura afflicti & mœſti. INUNDAVERUNT. Græc. *multiplicata ſunt*.

V. 31. DISSIPAVERUNT, id eſt violarunt.

V. 32. SABBATORUM; pro, ſabbati: ſic infra.

V. 34. POLLUAMUS, id eſt profanemus, ſcilicet putabant non licere Sabbato prœliari etiam ſe defendendo.

V. 37. SIMPLICITATE, id eſt innocentia, ſeu integritate. SUPER NOS, pro, nobis, ſeu de nobis.

V. 40. VIR, id eſt quiſque. ANIMABUS NOSTRIS, id eſt vita noſtra. IUSTIFICATIONIBUS, id eſt legibus. A TERRA, id eſt ne vivamus ſuper terram.

V. 41. OCCULTIS, ſcilicet locis, ubi ſe abſconderant.

V. 42. VOLUNTARIUS IN REGE, id eſt deſiderans legem obſervare.

V. 43. MALIS, id eſt perſecutione, ſeu calamitate. ADDITI SUNT, id eſt adiunxerunt ſe. FACTI SUNT, &c. quaſi dicat, Fuerunt illis magno præſidio.

V. 44.

V. 44. IN IRA SUA, id est irati. CETERI, scilicet hostium. NATIONES, id est Gentiles.

V. 46. IN FORTITUDINE, id est fortiter.

V. 47. FILIOS SUPERBIAE, id est superbos, scilicet hostes. PROSPERATUM EST, id est bene successit.

V. 48. OBTINUERUNT LEGEM, id est legis observationem, quam hostes impediebant. CORNU, id est potentiam; quasi dicat, Victoriam.

V. 49. CONFORTATA EST, id est invaluit. CASTIGATIO, scilicet Dei per hostes. EVERSIONIS, scilicet rerum nostrarum. IRA INDIGNATIONIS, id est magna punitio.

V. 50. AEMULATORES, id est zelatores, seu studiosi vehementer. TESTAMENTO, id est pacto, vel lege, ut sit repetitio.

51. GENERATIONIBUS, id est sæculis, seu ætatibus.

V. 52. REPUTATUM EST, &c. quasi dicat, Estque in eo apud Deum iustior effectus.

V. 54. ZELANDO ZELUM, id est affectus zelo. DEI, id est Dei causa. TESTAMENTUM, id est pactum.

V. 55. VERBUM, id est præceptum, scilicet Dei.

V. 56. TESTIFICATUR, id est affirmat in Dei causa. ECCLESIA, id est congregatione, scilicet Iudæorum in deserto.

V. 57. MISERICORDIA, id est pietate, seu mansuetudine, & clementia. IN SAECULA. Græc. *æterni:* æternum quidem est in Christo.

V. 58. ZELAT, &c. id est pro lege zelo magno afficitur. CAELUM, scilicet in aerem sublatus curru igneo, reponendus deinde loco aliquo terræ, usque ad finem sæculi.

V. 59. CREDENTES, scilicet Dei fide constantes se præbentes.

V. 60. SIMPLICITATE, id est sinceritate, seu integritate.

61. GENERATIONEM, ET GENERATIONEM, id est singulas ætates. INFIRMANTUR, id est viribus deficiunt.

V. 62. VERBIS, scilicet minacibus. STERCUS; pro, velut stercus, vel quasi dicat, Cito desinit per mortem in stercus & vermes.

V. 63. PERIIT; quasi dicat, In nihilum recidit quidquid designarat cogitatione.

V. 67. VINDICATE VINDICTAM, id est ulciscimini iniurias.

V. 68. RETRIBUTIONEM, scilicet quod merentur eis retribui.

E S T I I.

Vers. 22. NON AUDIEMUS VERBA REGIS ANTIOCHI. Et paulo post vers. 24. ET VIDIT MATHATHIAS, ET DOLUIT, ET INSILIENS TRUCIDAVIT EUM SUPER ARAM; SED ET VIRUM QUEM REX ANTIOCHUS MISERAT. Quæritur, utrum exemplo Mathathiæ licitum sit resistere regi aut principi iniusta imperanti? & ministros impietatis eius occidere: &, populo adversus eum concitato, bellum movere? Talia enim hoc loco fecisse legitur Mathathias, & zelus eius comparatur cum zelo Phinees sacerdotis. Quæstio hoc tempore inter quosdam agitata, & varie disputata; aliis putantibus licitum esse principi apertam tyrannidem molienti, (maxime adversus religionem) resistere; non tamen per seditionem plebe concitata, sed opponentibus se perverso conatui principis, iis, ad quos pertinet toti Reip. prospicere, de iusta eius administratione; qualis videtur fuisse Mathathias. Vocatur enim hoc eodem cap. vers. 17. *Princeps, & clarissimus, & magnus in populo.* Alii existimant nulla ratione, & nullo casu lege divina permissum esse, ut legitimo principi aliquando per vim resistatur, etiamsi iniuste imperet, sed putant subditos sola patientia armari debere adversus eiusmodi tyrannidem. De facto autem Mathathiæ respondent, eum non legitimo principi, sed iniusto Iudaici regni invasori restitisse. In hanc sententiam extat libellus doctissimi viri, & Reverendissimi Domini sanctæ memoriæ Cuneri Episcopi Levvardiensis. Contra sentit Molanus, & alii doctissimi viri; & probatur exemplo reprobati Roboam III. Regum XII. Nec valet responsio contrariæ opinionis. Nam Antiochus a maioribus suis acceperat regnum Iudææ, sicut & postea Tiberius Cæsar ab aliis Cæsaribus & populo Romano: de quo tamen Tiberio Christus Matth. XXII. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*,

V. 40. SI OMNES FECERIMUS, SICUT

FRATRES NOSTRI FECERUNT, ET NON PUGNAVERIMUS ADVERSUS GENTES (scilicet in Sabbatho) CITIUS DISPERDENT NOS A TERRA. Discimus hunc ordinem legis naturalis, & positivæ ad invicem, ut si quando simul ambæ servari non possint, lex positiva, etiamsi divina sit, cedat legi naturali: quæ & ipsa divina est, nec divina tantum, sed & æterna: scilicet hominem vitam suam conservare debere. Sed quæritur an similiter Iudæi potius debuerint edere cibos lege vetitos, quam permittere se occidi? cum etiam hic videantur concurrere lex positiva de cibis immundis non comedendis, & naturalis de vitæ conservatione. At superiori cap. dictum est, quod elegerunt magis mori, quam cibis contaminari gentilium. Et similiter hodie quæri potest; An quis potius debeat eligere mori, quam comedere carnes in quadragesima? Respondeo, si tantum hæc duo concurrant, & nihil aliud accedat, servanda est lex naturalis, præ lege positiva, ut Iudæus, vel Christianus esset fame moriturus, quia nihil aliud haberet, tunc liceret cibum vetitum comedere. Verum cum Iudæus cogebatur a tyranno edere immundum, tunc non tam agebatur de lege una positiva, quam de tota religione, quam tyrannus hac ratione volebat auferre. Et ita quoque si hodie quis metu mortis cogeretur a tyranno ad edendum carnes in quadragesima, mortem eligere deberet. Agitur enim non tam de virtute illius legis ecclesiasticæ, quam de obedientia, quam fideles debent ecclesiæ. Vide Dom. a Soto Lib. I. de iustitia & iure quæst. VI. art. IV.

V. 46. ET CIRCUMCIDERUNT PUEROS INCIRCUMCISOS, QUOTQUOT INVENERUNT IN FINIBUS EORUM IN FORTITUDINE. Pro, *in finibus eorum*, Græce est *in terminis Israel*. Faciebant autem hoc *in fortitudine*, id est magno & forti animo, non veriti hostes, a quibus dudum oppressi fuerant, quinve necdum erant exterminati. Quidam hinc colligere volunt, filios invitis parentibus, posse baptizari. Putant enim pueros, de quibus hic agitur, invitis parentibus fuisse circumcisos, propter id quod additur, *in fortitudine*, quod sic intelligunt, forti & violenta manu. Sed magis probabilis est expositio, quam dedi. Nam fortiter tantum hæc egisse dicuntur contra eos, qui se prohibebant, iussu regis Antiochi, ab observatione legis paternæ. Unde & sequitur vers. 48. ET OBTINUERUNT LEGEM DE MANIBUS GENTIUM, ET DE MANIBUS REGUM; id est, hac fortitudine sua legem instaurarunt, gentilibus, ac rege eorum invitis. Dictum est quidem cap. I. de Iudæis, quod non ausi fuerint circumcidere filios suos metu mortis interminatæ ab Antiocho, sed nihil obstat, quod tandem permiserint filios suos circumcidi a sociis Mathathiæ, qui iam contra gentiles aliquantulum cœperant prævalere.

MARIANAE.

Vers. I. IN DIEBUS ILLIS SURREXIT: *ἀνέστη*, sive *extitit*, sive *rebellavit* ut Antiocho resisteret, sive *abiit*. MATHATHIAS. Idem a Iosepho Lib. XII. cap. VIII. vocatur *Matthias*. Nec refert: utraque vox *a Deo donatum* significat. FILII SIMEONIS. Ioannes fuit Simeonis filius, Mathathias nepos. Ergo *filius* pro nepote. SACERDOS, scilicet magnus & Pontifex: sic canunt Iudæi in eorum Synagogis uti ex eorum Rituali libro patet, in quo hæc sunt verba: בימי מתתיאבן יוחנן כהן גדול השמונא. *In diebus Mathathiæ filii Iohanan sacerdotis magni Hasamonæi*. Sic Chaldæus Cant. VI. 6. Iosephus Gorionis Lib. III. cap. IX. Ex nostris Alf. Tostatus Episc. Abulensis, Exod. XX. q. XXXV. & Num. X. quæst. XIV. Ut mirer neque Iosephum eum nominare inter Pontifices, neque Nicephorum in suo Catalogo. Quod si eius filii Pontifices fuerunt, ut ipse fatetur, eum honorem utique a patre acceperunt. EX FILIIS IOARIB. Sic lege, non *Ioarim* ut Regia & Lovan. Iosephus Lib. XII. cap. VIII. *Sacerdos* ait *ex vice Ioaribi*, sic infr. XIV. 29. & I. Par. XXIV. 7. Fuit autem *Ioarib*, uti ex eo loco patet, princeps familiæ primæ inter vigintiquatuor, quas ex posteris Aaronis ministerio templi designavit David. AB IERUSALEM, scilicet surrexit, abiit occiso in ea urbe Bacchide Antiochi præfecto, ut Iosephus ait Lib. I. de bello Iud. cap. I. Ea causa fuit fugiendi in montem Modin, ubi oppidum eo nomine erat. Habebat

V. 2. FILIOS QUINQUE, IOANNEM. An hi Mathathiæ filii numerentur hoc loco quo nati ordine sunt, quæri potest. Quidam

dam Iudam natu maximum putant cum Iosepo Lib. I. de Bello Iud. cap. 1. Ego credam natos esse, quo ordine hic ponuntur, cum Egesippo Lib. I. Mutandi eum ordinem nulla ratio fuit.

V. 4. IUDAM QUI VOCABATUR MACHABAEUS. Mathathias & filii ab Hebræis *Hasmonæi* vocantur, ab Hasmonæo uno ex primogenitoribus Mathathiæ proavo, ut Iosephus ait Lib. XII. cap. VIII. Quare mutato nomine Iudas prior, deinde ex illo alii eius fratres, & eorum posteri, *Machabæi* fuerint vocati, ex Rabbi Isaac Benschola affert Xystus Senensis Lib. I. Bibliothecæ, §. de Scriptoribus sacris, nimirum, in vexillis quatuor has litteras gestasse מכבי quibus compendio & pro quaque littera voce integra substituti, hæc sententia continebatur: *Quis ut tu in fortibus Domine?* Exod. XV. 11. Vulgus, cum litteras illas iungeret, legisse *Macbai*, unde *Machabæus* vox est conflata.

V. 5. ELEAZARUM, QUI COGNOMINABATUR ABARON. Græc. *Avaran*. Inde factum *Abaron*, unius litteræ mutatione.

V. 7. ET SEDERE ILLIC, scilicet in urbe Ierusalem nolebat. Ut quid? Ea secessus Mathathiæ causa, præter cædem factam excidium urbis, cui interesse nolebat.

V. 12. COINQUINAVERUNT EA GENTES. Sic Græce. At Gotth. & Regia, *eam*, scilicet claritatem urbis.

V. 14. SCIDIT VESTIMENTA, id est vestes laceras sumpsit. Ea Iudæis vestis lugubris in luctu. Hispani in funere regio sacco induebantur, olim *Xerga*.

V. 19. A SERVITUTE LEGIS PATRUM non discedam, id est ab obedientia legis, si alii discedant. Græce, ἀπὸ λατρείας πατέρων, id est *a cultu*, *a religione patrum*. Suspicor vocem *legis* redundare. Nam Lucifer Episcopus in libro De non parcendo pravis in Deum, sic habet: *Ut discedat unusquisque ab officio patrum suorum. Officium*, pro *latria* posuit.

V. 21. PROPITIUS SIT NOBIS, id est absit. Detestantis formula, familiaris Hebræis.

V. 24. ACCENSUS EST FUROR EIUS. Gotth. *ascendit furor eius*. Lucifer, *Attulit iram*. Sic Græce, ἀνήνεγκε θυμόν. SECUNDUM IUDICIUM LEGIS. Græce, *secundum iudicium*. Sed bene suppletur *legis*. Id decretum est Deut. XIII. 6. Ut si quis aliquem abstrahere velit a religione patria, ipsemet occidat eum.

V. 25. SED ET VIRUM, QUEM REX ANTIOCHUS MISERAT, OCCIDIT. Hic vocabatur *Apelles*, ex Iosepho Lib. XII. cap. VIII.

V. 27. ET EXCLAMAVIT. Gotth. *clamavit*. Sic Græce. STATUENS TESTAMENTUM; pro, stabiliens, defendens legem. Sederunt in montibus.

V. 34. IPSI, ET FILII EORUM. Sic Græc. Gotth. *non filii eius*, ut est in Reg. & Lovan. QUONIAM INUNDAVERUNT SUPER EOS MALA. Gotth. & multi alii codices, *Induraverunt super eos mala*. Græce, *Multiplicata sunt supra eos mala*. Dixerunt:

V. 37. MORIAMUR OMNES IN SIMPLICITATE, id est innocentia, immerito, innoxii. Aut *simplicitas* sumatur pro patientia, ubi Iob II. 9. *Adhuc permanes in simplicitate?* Ea simplicitas seu ignorantia eos homines liberavit a culpa; alioqui in Sabbato pugnare licebat. Iosephus Lib. XIV. cap. III. susceptum ait more inter Iudæos, ut Sabbato non aggrederentur hostes, impugnantibus tamen resisterent.

V. 40. NUNC CITIUS DISPERDENT NOS, nisi contra Gentes pugnemus. Gotth. & in Regiis non est vox *nunc*, & videtur turbare sententiam. Retinemus tamen eam, quoniam Græce est, & aliis Latinis codicibus.

V. 42. SYNAGOGA ASSIDAEORUM: sic Gotth. & Græc. non *Iudæorum*, ut Regia. Porro *Assidæi* in Iosepho sæpe a probitate laudantur. Num ii *Essæi*, secta inter Iudæos præcipua? Quidam putant, nec displicet.

V. 48. ET OBTINUERUNT LEGEM; pro, defenderunt. Verbum ἀντιλαμβάνω, quod hic est, multa significat. DE MANIBUS GENTIUM, id est contra Gentes. ET NON DEDERUNT CORNU PECCATORI, id est victoriam & robur non cesserunt eis.

V. 49. NUNC CONFORTATA EST SUPERBIA. Ad culmen malorum ventum est. ET CASTIGATIO. Supplicia gravia piis inferuntur. Date animas

V. 50. PRO TESTAMENTO, id est lege. PATRUM VESTRORUM. Gotth. & Regia, *patrum*, sine *vestrorum*. Græca Romana, *patrum nostrorum*. Abraham

V. 52.

V. 52. In tentatione. Quando filium immolare iussus est. Laudatur

V. 55. Iesus, id est Iosue', qui Moysi obedivit, factus est populi dux. Peccator

V. 63. Conversus est in terram suam. Eo redit unde est factus. Finis cum principio consentit, licet in præsenti extollatur.

V. 65. Ecce Simon. Græc. *Simeon:* sic Goth. vir est consilii.

V. 69. Appositus est ad patres suos. Id de iustis tantum dicitur: sic Abulensis Gen. xxv. 17. & ex eo probat, Ismaelem salutem consecutum; quoniam de eo ibi dicitur: *Appositus est ad populum suum*. Vere ea nostra patria est, hic in exilio sumus, & ad tempus peregrini. *Nostra autem conversatio* (seu *civitas*) *in cælo est:* ad Philip. III. 20. Sepultus est

V. 70. In sepulcris patrum. Extabat id sepulcrum Hieronymi ætate, ut ipse ait de Locis Hebr. sed & nunc extare dicunt, qua forma describitur hoc I. Libro, cap. XIII. 27.

MENOCHII.

Vers. 1. EX filiis Ioarib: cuius sors prima exiit tempore David I. Paral. XXIV. 7. fuitque prima in viginti quatuor vicibus, quæ omnes erant de filiis Aaron, ibidem num. 19. Ab Ierusalem: nectendum cum verbo *surrexit*, id est discessit Ierosolyma. In monte Modin. Vicum Iudææ vocat Iosephus Lib. XII. cap. VIII. at Scriptura civitatem appellat hoc capite num. 15. & alibi. Adrichomius collocat in tribu Dan; sed ea in antiqua distributione finibus tribus Iudæ continebatur. D. Hieron. de locis Hebraicis: *Modin* ait *vicus iuxta Diospolin, unde fuerunt Machabæi, quorum hodieque ibidem sepulcra monstrantur*.

V. 7. Contritionem: vastationem. Ducta est metaphora a vasis fictilibus. Vide Isa. XXX. 14. Polycarpus apud Euseb. Lib. V. cap. XIX. exclamare solebat: *O bone Deus in quæ tempora me reservasti, ut hæc patiar?* Sedere illic: illic habitare.

V. 8. Sancta, sanctuarium. Facta, data. Ignobilis: contemptibilis, vilis.

V. 9. Vasa gloriae: gloriosa, pretiosaque supellex templi, de cuius pulchritudine, & pretio gloriari soles; sic Ezech. XXIII. 26. ubi legibus, *Vasa gloriæ tuæ*, in Græco est, καυχήσεως, *gloriationis*, sive *iactantiæ*.

V. 10. Quae gens non hereditavit regnum eius? ut in eo, velut in paterna hereditate dominaretur, pulsis, aut cæsis legitimis possessoribus; quod maxime pertinet ad Sionem, & arcam regiam, in qua cum præsidio erant præfecti regii, & duram in Iudæos tyrannidem exercebant.

V. 11. Compositio', ornatus, Græce enim est, κόσμος.

V. 14. Scidit vestimenta sua, &c. sponte susceptis corporis afflictationibus, divinam indignationem in Iudæos sævientem mitigare cupiens.

V. 16. Constanter steterunt; scilicet in proposito non recedendi a lege Dei.

V. 18. Muneribus multis. In Græco est, ἀποσολαῖς, *missibus*, scilicet munerum a rege.

V. 19. Obediunt; pro, obediant. Servitute, observantia.

V. 21. Propitius sit, id est faveat; quasi dicat: Ita nos Deus servet, ut non faciamus hoc quod iubemur. Iustitias: idem significat quod legem, secundum quam ambulantes iusti sunt.

V. 22. Ut eamus altera via: alteram religionem sequamur. Græcus textus habet, *dextera, vel sinistra:* ut aliqua ex parte a recta via aberremus. Vel, ne latum quidem unguem a veritate discedemus, & legitimo Dei cultu.

V. 23. Accessit quidam Iudaeus: fortasse de industria comparatus a ministris regiis, ut verbis exempla coniuncta, vehementius permoverent legis patriæ tenaces, sed falsi sunt expectatione sua.

V. 24. Contremuerunt renes eius: viscera, & interiora eius dolore, & zelo commota sunt. Secundum iudicium legis; id est, prout postulabat amor, seu zelus. Non defuit Mathathiæ auctoritas iuris publici, ut posset sine noxa Iudæum interficere; erat enim Summus Pontifex, & summus reipublicæ Iudaicæ eo tempore præfectus.

V. 26. Sicut fecit Phinees, &c. Historiam habes Num. XXV. 13.

V. 27. Statuens testamentum, id est

est stabilire, & asserere volens testamentum, id est pactum initum cum Deo. Legem Dei, quæ secundum fœdus observari debet.

V. 29. IUDICIUM, ET IUSTITIAM, id est iuste, & sancte vivere.

V. 30. SEDERUNT, habitarunt.

V. 31. DISSIPAVERUNT, violarunt.

V. 32. IN DIE SABBATORUM: in die sabbati, quo die Iudæi a tractandis armis abstinebant; ea enim omnibus insederat opinio, non licere eo die, ne ad defensionem quidem arma capessere, & hostibus repugnare; quæ ignoratio zelo legis servandæ, & amore & reverentia in Deum, qua movebantur, excusatione digna est.

V. 36. NEC OPPILAVERUNT LOCA OCCULTA: nec clauserunt loca occulta, & latebras suas in qua se receperant.

V. 37. IN SIMPLICITATE NOSTRA: in innocentia, seu integritate. SUPER NOS; pro nobis, de nobis.

V. 40. VIR, id est quisque. ANIMABUS NOSTRIS, id est vita nostra. IUSTIFICATIONIBUS, id est legibus. A TERRA, id est legibus. A TERRA, id est ne vivamus super terram.

V. 41. COGITAVERUNT IN DIE ILLA, &c. ex absurdo intelligunt cum tanto rigore sabbati observantiam retinendam non esse. OCCULTIS, scilicet locis, ubi se absconderant.

V. 42. SYNAGOGA ASSIDAEORUM: Assidæi, vel iidem fuerunt cum Essenis, vel certe fuerunt familiæ, & sectæ quædam institutis valde inter se similes, & coniunctæ. Profitebantur Esseni vitam theoreticam, erantque quodammodo monachi illius ævi. Vide Sararium in Trihæresio Lib. III. cap. VII. 7. VOLUNTARIUS IN LEGE. Ille dicitur *voluntarius in lege*, cuius voluntas prompta est ad observandam legem.

V. 43. MALIS, id est persecutione, seu calamitate. ADDITI SUNT: adiunxerunt se. FACTI SUNT ILLIS AD FIRMAMENTUM, id est fuerant illis magno præsidio.

V. 44. PECCATORES. Peccatores singulariter in Scriptura dicuntur, qui apostaræ facti sunt, ut non semel in libris Regum, & Prophetarum occurrunt exempla. IN IRA SUA, id est irati. CETERI, scilicet hostium. NATIONES, id est Gentiles.

V. 46. ET IN FORTITUDINE. In Græco non est coniunctio &, habetur enim tantum ἰσχύι, *in fortitudine*, id est fortiter.

V. 47. FILIOS SUPERBIAE, hostes superbos Iudæorum. PROSPERATUM EST OPUS, id est bene successit.

V. 48. OBTINUERUNT LEGEM DE MANIBUS EORUM, id est obtinuerunt legis observationem, quam hostes, & reges impediebant. ET NON DEDERUNT CORNU PECCATORI; id est, non permiserunt ut peccatores, & hostes prævalerent.

V. 49. CONFORTATA EST, id est invaluit. CASTIGATIO, scilicet, Dei per hostes nos affligentis, & punientis. EVERSIONIS, scilicet rerum nostrarum. IRA INDIGNATIONIS: vehemens Dei ira, & ad puniendum incitata.

V. 50. AEMULATORES: zelatores, & valde studiosi. ANIMAS VESTRAS: vitam vestram. PRO TESTAMENTO PATRUM VESTRORUM; pro custodia legum paternarum.

V. 51. IN GENERATIONIBUS SUIS: suo ævo, cum essent in vivis.

V. 52. IN TENTATIONE: cum Deus iussit illum immolare Isaac filium suum, Genes. XXII. 1. REPUTATUM EST EI AD IUSTITIAM; quasi dicat, Estque in eo apud Deum iustus habitus, seu iuste agens, perfectæ iustitiæ laudem, & eximium meritum consecutus est.

V. 53. IN TEMPORE ANGUSTIAE SUAE: cum ab uxore Putipharis calumniam passus est, in carcerem coniectus. CUSTODIVIT MANDATUM: legem Dei violare noluit, nec consentire in adulterium: Genes. XXXIX. 9.

V. 54. PATER NOSTER. Ita loquitur, quia Machabæi sacerdotalis generis erant, & a Phinees genus ducebant. ZELANDO ZELUM, id est zelo ardescens: cum scilicet Israelitam, & scorsum Madianitidem pugione confodit: Num. XXV. 8. ACCEPIT TESTAMENTUM SACERDOTII: promissionem sacerdotii in posteris eius perpetuo permansuri: dictum enim est Moysi de Phinees: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel*: Num. XXV. 12.

V. 55. IESUS: Iosue. DUM IMPLEVIT VERBUM, id est præceptum Dei transeundi Iordanem, & occupandi terram promissam,

missam, eamque populo dividendi, Iosue I. 2.

V. 56. DEUM TESTIFICATUR IN ECCLESIA: dum hortatur populum, ut audeant aggredi terram promissam Num. xiv. 6. IN ECCLESIA: in cœtu populi. ACCEPIT HEREDITATEM: nimirum Hebron, quam urbem accepisse dicitur, Iosue XIV. 14. *quia secutus est Dominum Deum Israel*.

V. 57. IN SUA MISERICORDIA: pietate, mansuetudine, clementia, quam præsertim cum Saule exercuit.

V. 58. ELIAS DUM ZELAT ZELUM LEGIS: occidens prophetas Baal: III. Reg. XVIII. 40. & contra idololatriam pugnans. RECEPTUS EST IN CAELUM: IV. Reg. II. 11.

V. 59. LIBERATI SUNT DE FLAMMA: historia est apud Daniel. cap. III.

V. 60. SIMPLICITATE: sinceritate, integritate. LIBERATUS EST DE ORE LEONUM: historiam habes Daniel. VI.

V. 61. PER GENERATIONEM, ET GENERATIONEM, id est per singulas ætates. NON INFIRMANTUR: viribus non deficiunt, nec succumbunt adversis.

V. 62. A VERBIS, minacibus. VIRI PECCATORIS: Antiochi, & ministrorum eius. STERCUS, ET VERMIS EST; pro, velut stercus. Vel, quasi dicat, Cito desinit per mortem in stercus, & vermes. CONVERSUS EST IN TERRAM SUAM: solvit in terram & pulverem, ex quo formatus est. COGITATIO PERIIT: quæcumque machinabatur in nihilum reciderunt.

V. 64. IN IPSA GLORIOSI ERITIS. Non vult eos gloriam quærere; id enim vanitatis est, & indignum sanctis viris, sed eam secuturam ait, sicut umbram corpus.

V. 66. AGET BELLUM POPULI. In Græco est, πολεμήσει πόλεμον λαῶν, *bellabit bellum populorum*, quod idem est; singulæ enim urbes habent populum suum. Nisi explices bellum, populum, id est contra populos Iudæorum inimicos.

V. 67. VINDICATA VINDICTAM: ulciscimini iniurias.

V. 68. RETRIBUTIONEM, scilicet id quod par est eis rependi pro iniuriis, & damnis populo fideli illatis. INTENDITE IN PRAECEPTUM LEGIS: soliciti estote in legis observatione.

V. 69. APPOSITUS EST AD PATRES suos: in limbo patrum suorum cœtui aggregatus est. Vide dicta Genes. xxv. 8. ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO SEXTO: non ætatis, sed regni Græcorum, ut supra cap. I. 11.

V. 70. IN SEPULCRIS PATRUM SUORUM IN MODIN: ex quo apparet Mathathiam cum liberis suis licet habitarent in Ierusalem, oriundos tamen fuisse ex oppido Modin. PLANCTU MAGNO: lacrymis eius mortem, & honestis exequiis eius funus prosecuti sunt.

TIRINI.

Vers. 1. MATHATHIAS, id est Dorotheus, seu donum Dei a Iosepho & Theodoreto *a* usitata syncope *Matthias* vocatur, certe magno Dei dono, in tanto religionis discrimine, Iudæis donatus. Ab abavo suo *Assamonæo*, (ut vult idem Iosephus, & alter Iosephus Gorionides *b*, Zonaras, Nicephorus & alii) tam ipse quam parentes eius omnesque posteri, dicti magni principes: eo quod e prima essent classe sacerdotali, nempe IOARIB *c*, ut hic dicitur & inter ipsos, *Ioaribæos* ceteris dignitate, forsan & primogenituræ nobilitate præstarent. Unde & summum sacerdotem, seu pontificem fuisse Mathathiam, non sola electione, sed & successionis iure, probabilius putant Serarius, Mariana, Abulensis & alii. Certe in Rituali Hebræorum, & a Chaldæo Paraphraste *d*, & a Rabbinis Kimhi, Abenesra, Iosepho Gorionide *e*, & aliis passim *summus sacerdos*, vel *sacerdos magnus*, vel, *pontifex* vocatur. Occiso enim Onia tertio sancto & summo pontifice anno 141. regni Græcorum, quinto regni Antiochi, ut dicitur II. Machab. IV. 23. & XXXIV. filio autem eius Oriana in AEgyptum profugo, ut Iosephus *f* affirmat: fratre autem Iasone ad ritus Gentilitios delapso, ut idem Iosephus & historia Machabæorum testatur; ad quem, quæso, devolvebatur pontificatus nisi ad Mathathiam, primæ sacerdotalis classis principem primum? Et licet forte primo & secundo anno, pro sua modestia, spe conversionis fratrum Oniæ perpetuo inter se tumultuantium, abstinuerit usurpatione pontificatus; ubi tamen re desperata coactus est (pereunte alioqui religione & republica, & consentientibus *g* ac

ac probantibus indigenis) temporalem principatum suscipere admisit eadem opera etiam pontificatum, cui iam inde a relaxata captivitate Babylonica, iussu regnum Persarum, adnexus erat, magna ex parte, principatus temporalis, teste Iosepho *b*, immo S. Scriptura, ut alibi *i* dixi. Admisit, inquam, anno regni Antiochi nono, Græcorum 145. tenuitque anno uno, sed non integro.

Hic ergo zelo Dei plenus, non ferens impii tyranni nequitiam, occiso Ierosolymis, teste Iosepho k, ex Antiochi præfectis Bacchide, ex ea urbe aufugit, & concessit IN MODIN oppidulum monti inædificatum. Hic vers. 7. se suosque filios ad religionis pessum euntis defensionem excitat, instar parturientis exclamans, inquit Rupertus *l*, eodem pene modo quo postea S. Polycarpus apud Eusebium *m*. Inde vers. 14. convertitur ad opera pœnitentiæ, ad cilicia, ad planctus publicos.

V. 23. *Iudam* apostatam publice IDOLIS SACRIFICARE parantem zelo Phineitico, in ipsa ara, deinde & præfectum ipsum a rege submissum *Apellem* nomine, inquit Iosephus *n*, eodem impetu occidit.

V. 25. SECUNDUM IUDICIUM, seu decretum LEGIS divinæ, Deuter. XIII. *6.* ubi iubet Deus, si quis aliquem abstrahere velit a patria religione, ab ipsomet occidatur, inquit S. Cyprianus *o*.

V. 27. VOCE MAGNA, quemadmodum post Cannensem pugnam Scipio apud Livium *p*, & contra Grachum, Nasica apud Paterculum & Valerium Maximum *q* & paucis post sæculis Narses contra Francos iturus, apud Agathiam *r*; sic noster hic MATHATHIAS *exclamat*, OMNIS, QUI ZELUM HABET LEGIS servandæ & propugnandæ, STATUENS TESTAMENTUM, id est initum cum Deo fœdus religionis conservare, & ut stet stabiliaturque, & vigeat, procurare studens; verbo uno, qui salvam vult religionem & rempublicam, EXEAT POST ME, me sequatur.

V. 29. TUNC secuti sunt MULTI QUÆRENTES IUDICIUM ET IUSTITIAM, id est volentes pie & iuste vivere. Sed contra hos in deserto profugos missæ mox a regiis armatæ copiæ, quibus ipsi *die sabbathi* licet absque peccato potuissent resistere, & iniustam vim iusta vi repellere, maluerunt tamen crudeli nece perire, quam sabbathi violatores, vel opinione hostium, audire. Quod cum ex zelo religionis, & sincero in Deum eiusque legis affectu fecisse constet, non arguendi sunt aut superstitionis, aut imprudentiæ, ut eos arguit Lucas Osiander aliique hæretici; sed tamquam Martyribus summæ laudi illis dandum, quod pro legum divinarum custodia voluerint gravissima quæque perpeti, etsi forte scirent, se tali occasione, loco & tempore ad id non obligari: nam idem in Martyribus quotidie usu venit. Et a Lacedæmoniis aliisque Gentilibus in simili casu factitatum, Plutarchus *f* testatur. Et extabant recentia aliorum Iudæorum exempla, prorsus huic similia, sub Ptolemæo Lagi, ut Iosephus *t* enarrat sub Apollonio, sub Philippo, II. Machabæorum V & VI. Et multis post annis, immo sæculis, simili modo passi sunt diebus festis, & sabbathis sese invadi impune & iugulari, a Mithridate, a Pompeio, a Cæsareensibus *u*, ab aliis. Nihilo tamen minus prudenter & pie decretum a Mathathia (penes quem, utpote summum pontificem, potestas erat declarandi dubia si quæ occurrerent, ut dicitur Deuter. XVII.) ut adversus invasores etiam sabbato sese defenderent, divino, opinor, instinctu, ne stirpitus ea familia exscinderetur, e qua Christum Iesum in salutem totius humani generis nasci oportebat: ita Rupertus, Abulensis *x*, Serarius.

V. 42. TUNC *aggregata* EST Mathathiæ SYNAGOGA, seu collectio ASSIDAEORUM; Græce simplici sigma scribitur: Hebraice, *chasidim*; omnes *fortes* VIRIBUS, quin & a probitate sæpius a Iosepho laudati. Suspicatur Mariana & quidam alii *Essæos* fuisse, qui olim *Cinæi* & *Rechabitæ* dicebantur, ut dixi Numer. X. sub finem. Item OMNIS VOLUNTARIUS IN LEGE, id est omnis qui desiderabat legem Dei observare.

V. 44. CETERI apostatæ FUGERUNT AD NATIONES vicinas Gentilium, UT EVADERENT gladium Mathathiæ, qui percutiebat eos IN IRA SUA, id est iusta in impios ira, furore, zelo.

V. 46. ET IN FORTITUDINE CIRCUMCIDERUNT PUEROS; quasi dicat *:* Etiam invitis parentibus, etiam reluctantibus. Atque ita tandem

V. 48. OBTINUERUNT LEGEM, id est de-

defenderunt, tutati sunt, sartam tectam conservarunt legem & ritus patrios adversus vim & furorem *Gentilium*, & regum tyrannorum: ET NON DEDERUNT CORNU PECCATORI, id est, Antiocho eiusque asseclis non fuerunt Iudæi deinceps occasio, seu gloriæ, seu potentiæ amplioris, neque passi sunt eos ulterius crescere, cornua tollere aut ferocire, inquit S. Thomas.

V. 49. NUNC CONFORTATA EST; id est, invaluit, SUPERBIA, immo ad culmen malorum iam ventum: obtinet iam CASTIGATIO Dei per hostes nostros: iam TEMPUS EVERSIONIS rerum nostrarum & publicarum: iam sævit IRA INDIGNATIONIS, seu indignantis Dei.

V. 65. SIMON ERIT VOBIS PATER; id est, loco patris, propter insignem prudentiam, experientiam, & dexteritatem in rebus administrandis. Iosephus Gorionides *y* facit illum primogenitum Mathathiæ, uti & Viterbiensis *z*. Sed Flavius Iosephus *aa*, Iosippus, Seder minor, aliique libri Hebræorum omnes *Iudæ* id tribuunt, secundo loco Ionathan, tertio Ioannem, quarto demum Simonem collocantes.

V. 70. DEFUNCTUS EST MATHATHIAS, ANNO regni Græcorum CENTESIMO QUADRAGESIMO SEXTO. An sicca & naturali morte? ita prorsus insinuat mortis eius narratio. Porphyrius tamen apud S. Hieronymum *bb* vult Mathathiam in prælio occisum. Fieri potest, vulneratus fuerit, Iosiæ instar vel Epaminondæ, ac domum relatus, post insignem suorum adhortationem, e vulnere post paulo interierit. ET SEPULTUS EST IN SEPULCRIS PATRUM SUORUM IN urbe MODIN; ubi sicut in urbe palatium suum fixerant olim parentes, ita in suburbio sepulcri locum sibi construxerant: quem paucis post annis Simon filius Mathathiæ magnificis columnis & pyramidibus exornavit, I. Machabæorum XIII. 27. quæ tempore S. Hieronymi adhuc extabant. Sed & modo dicunt sepulcralia illa Machabæorum in Modin extare, eadem forma qua I. Machab. XIII. describuntur, inquit Ioannes Mariana.

(a) Ioseph. Lib. XII. cap. VIII. Theodor. in Dan. XI.
(b) Ioseph. sup. Corionid. Lib. III. cap. VII.
(c) Chronici cap. XLVI. tab. III.
(d) Chald. Cantic. VI. 6.
(e) Ioseph. Gorion. Lib. III. cap. IX.
(f) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. VI. & Lib. XIII. cap. VI.

(g) Hic. vers. 42. & seqq. & cap. XIV. 25.
(h) Ioseph. Lib. XI. Antiq. cap. IV.
(i) I. Esdr. VII. 25. & 26. & II. Esdr. IX. 38. & Zach. III. 7.
(k) Ioseph. Lib. I. Belli cap. I.
(l) Rupert. Lib. IX. de Vict. c. XXVIII.
(m) Euseb. Lib. V. hist. cap. XIX.
(n) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. VIII.
(o) Cypr. Exhortat. ad martyrium cap. V.
(p) Livius Lib. II. Dec. III.
(q) Paterc. Lib. II. Valer. Max. Lib. III. c. II.
(r) Agathias Lib. II.
(s) Plutarch. in Aristide.
(t) Ioseph Lib. XII. Antiq. cap. I.
(u) Ioseph. Lib. XVIII. cap. ult. Ibidem Lib. XIV. VIII. Ioseph. Lib. II. Captivit. cap. XXXIV. &c.
(x) Rupert. Lib. X. de Vict. cap II. Abulens. in Exod. I XX. quæst. XXXV.
(y) Ioseph. Gorion. Lib. III. cap. IX.
(z) Viterbiensis parte XI.
(aa) Fl. Iosephus Lib. I. Belli. cap. I.
(bb) Hieron. Dan. XI.

GORDONI.

Vers. 1. QUi sint Machabæi, & cur Assamonæi dicantur, supra est abunde declaratum. Quæ hic de bello gerendo dicuntur in die festo, passim disceptant Theologi. Hoc Mathathiæ exordium incidit in annum Græcorum 145. Cetera clara. AB IERUSALEM, iunge cum *surrexit*.

V. 11. COMPOSITIO: ornatus, Κόσμος.

V. 22. ALTERA VIA: alia religione.

V. 24. SECUNDUM IUDICIUM: erat iudex tunc.

V. 27. STATUENS TESTAMENTUM: retinens pactum cum Deo.

V. 29. QUAERENTES IUDICIUM: volentes pie vivere.

V. 36. LOCA OCCULTA: latebras in quibus se absconderant, *iustificationibus*, legibus.

V. 40. ASSIDAEI: Essenis non multum dissimiles.

V. 46. IN FORTITUDINE, id est fortiter.

V. 48. NON DEDERUNT CORNU PECCATORI: non passi sunt prævalere.

V. 49. CONFORTATA: invaluit.

V. 51. IN TENTATIONE: cum immolandus erat Isaac. REPUTATUM AD IUSTITIAM, habitus iuste agens.

V. 54. PATER NOSTER: quia a Phinees descendebant Machabæi TESTAMENTUM, promissionem sacerdotii.

V. 55. IESUS: Iosue.

V. 56. Dum hortaretur ad terram promissam (Num. XIV. 6.) ACCEPIT HEREDITATEM Hebron (Iosue XIV.)

CAPUT III.

Iudas Machabæus dux eximius prædicatur; qui perambulans civitates Iuda, trucidabat omnes impios: & occiso duce Apollonio, eiusque exercitu disperso, vicit cum paucis potentissimum Syriæ exercitum una cum duce Serone: iratus autem ob hoc rex Antiochus, profectus in Persidem constituit Lysiam viceregem, dato belli in Iudæos apparatu, qui misit contra terram Iuda Gorgiam cum exercitu: Iudas autem & sui ad bellum se parant, maxime operibus pœnitentiæ & oratione ad Deum.

1. ET surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus, filius e-
ius pro eo: 2. & adiuvabant eum omnes fratres eius,
& universi qui se coniunxerant patri eius, & prælia-
bantur prælium Israel cum lætitia. 3. Et dilatavit
gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas,
succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat
castra gladio suo. 4. Similis factus est Leoni in ope-
ribus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione. 5. Et persecutus
est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos suc-
cendit flammis: 6. & repulsi sunt inimici eius præ timore eius, & omnes
operarii iniquitatis conturbati sunt: & directa est salus in manu eius. 7.
Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus suis, & in
sæculum memoria eius in benedictione. 8. * Et perambulavit civitates Iu-
da, & perdidit impios ex eis, & avertit iram ab Israel. 9. Et nominatus
est usque ad novissimum terræ, & congregavit pereuntes. 10. Et congrega-
vit Apollonius Gentes, & a Samaria virtutem multam & magnam, ad bellan-
dum contra Israel. 11. Et cognovit Iudas, & exiit obviam illi: & percus-
sit, & occidit illum: & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt: 12.
& accepit spolia eorum: & gladium Apollonii abstulit Iudas, & erat pu-
gnans in eo omnibus diebus. 13. Et audivit Seron princeps exercitus Sy-
riæ, quod congregavit Iudas congregationem fidelium & ecclesiam secum,
14. & ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo
Iudam, & eos qui cum ipso sunt, qui spernebant verbum regis. 15. Et
præparavit se: & ascenderunt cum eo castra impiorum, fortes auxiliarii,
ut facerent vindictam in filios Israel. 16. Et appropinquaverunt usque ad
Bethoron: & exivit Iudas obviam illi cum paucis. 17. Ut autem viderunt
exercitum venientem sibi obviam, dixerunt Iudæ: Quomodo poterimus
pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati
sumus ieiunio hodie? 18. Et ait Iudas: Facile est concludi multos in ma-
nus paucorum: & non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in
multis, & in paucis: 19. quoniam non in multitudine exercitus victoria
belli, sed de cælo fortitudo est. 20. Ipsi veniunt ad nos in multitudine
contumaci & superbia, ut disperdant nos, & uxores nostras, & filios no-

ſtros, & ut ſpolient nos: 21. nos vero pugnabimus pro animabus noſtris,
& legibus noſtris: 22. & ipſe Dominus conteret eos ante faciem noſtram:
vos autem ne timueritis eos. 23. Ut ceſſavit autem loqui, inſiluit in eos
ſubito: & contritus eſt Seron, & exercitus eius in conſpectu ipſius: 24.
& perſecutus eſt eum in deſcenſu Bethoron uſque in campum, & ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philiſthiim.
25. Et cecidit timor Iudæ, ac fratrum eius, & formido ſuper omnes gentes in circuitu eorum: 26. & pervenit ad regem nomen eius, & de præliis Iudæ narrabant omnes gentes. 27. Ut audivit autem rex Antiochus
ſermones iſtos, iratus eſt animo: & miſit, & congregavit exercitum univerſi regni ſui, caſtra fortia valde: 28. & aperuit ærarium ſuum, & dedit ſtipendia exercitui in annum: & mandavit illis ut eſſent parati ad omnia. 29. Et vidit quod defecit pecunia de theſauris ſuis, & tributa regionis modica propter diſſenſionem, & plagam, quam fecit in terra, ut tolleret legitima, quæ erant a primis diebus: 30. & timuit ne non haberet
ut ſemel & bis, in ſumptus & donaria, quæ dederat ante larga manu: &
abundaverat ſuper reges qui ante eum fuerant. 31. Et conſternatus erat
animo valde, & cogitavit ire in Perſidem, & accipere tributa regionum,
& congregare argentum multum. 32. Et reliquit Lyſiam hominem nobilem de genere regali, ſuper negotia regia, a flumine Euphrate uſque ad
flumen AEgypti: 33. & ut nutriret Antiochum filium ſuum, donec rediret. 34. Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos: & mandavit ei
de omnibus quæ volebat, & de inhabitantibus Iudæam & Ieruſalem: 35.
& ut mitteret ad eos exercitum, ad conterendam & extirpandam virtutem
Iſrael, & reliquias Ieruſalem, & auferendam memoriam eorum de loco:
36. & ut conſtitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & forte diſtribueret terram eorum. 37. Et rex aſſumpſit partem exercitus reſidui, & exivit ab Antiochia civitate regni ſui, anno centeſimo
& quadrageſimo ſeptimo: & transfretavit Euphraten flumen, & perambulabat ſuperiores regiones. 38. Et elegit Lyſias Ptolemæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam, viros potentes ex amicis regis: 39. &
miſit cum eis quadraginta millia virorum, & ſeptem millia equitum, ut
venirent in terram Iuda, & diſperderent eam ſecundum verbum regis. 40.
Et proceſſerunt cum univerſa virtute ſua, & venerunt, & applicuerunt
Emmaum in terra campeſtri. 41. Et audierunt mercatores regionum nomen eorum: & acceperunt argentum & aurum multum valde, & pueros:
& venerunt in caſtra, ut acciperent filios Iſrael in ſervos: & additi ſunt
ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum. 42. Et vidit Iudas, &
fratres eius, quia multiplicata ſunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum: & cognoverunt verba regis, quæ mandavit populo facere in
interitum & conſummationem: 43. & dixerunt unuſquiſque ad proximum
ſuum: Erigamus deiectionem populi noſtri, & pugnemus pro populo noſtro, & ſanctis noſtris. 44. Et congregatus eſt conventus ut eſſent parati
in prelium, & ut orarent, & peterent miſericordiam & miſerationes. 45.
Et Ieruſalem non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius: & ſanctum conculcabatur: & filii
alie-

alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata est voluptas a Iacob, & defecit ibi tibia & cithara. 46. Et congregati sunt, & venerunt in Masspha contra Ierusalem: quia locus orationis erat in Masspha ante in Israel. 47. Et ieiunaverunt illa die, & induerunt se ciliciis, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua: 48. & expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulachrorum suorum: 49. & attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias, & decimas: & suscitaverunt Nazaraeos, qui impleverant dies: 50. & clamaverunt voce magna in caelum, dicentes: Quid faciemus istis, & quo eos ducemus? 51. & sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem: 52. & ecce Nationes convenerunt adversum nos ut nos disperdant: tu scis quae cogitant in nos. 53. Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuves nos? 54. Et tubis exclamaverunt voce magna. 55. Et post haec constituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones. 56. (a) Et dixit his, qui aedificabant domos, & sponsabant uxores, & plantabant vineas, & formidolosis, ut redirent unusquisque in domum suam secundum legem. 57. Et moverunt castra, & collocaverunt ad Austrum Emmaum. 58. Et ait Iudas: Accingimini, & estote filii potentes, & estote parati in mane, ut pugnetis adversus Nationes has, quae convenerunt adversus nos, disperdere nos & sancta nostra: 59. quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostrae, & sanctorum. 60. Sicut autem fuerit voluntas in caelo, sic fiat.

(a) Deut. xx. 5. 6. Iud. vii. 3.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 8. *Et perambulavit civitates Iudas*. Non mutes praeteritum perfectum in Imperfectum *perambulabat*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 6. REPULSI SUNT, id est cohibiti. DIRECTA EST, id est prospere successit.

V. 7. EXACERBABAT, id est provocabat ad iram; quasi dicat, Molestiam exhibebat. IN BENEDICTIONE, id est cum laude, scilicet erit.

V. 8. IRAM, id est noxam, seu afflictionem.

V. 9. NOVISSIMUM, id est ultimum, seu extremum. PEREUNTES, id est alioqui perituros.

V. 10. APOLLONIUS, scilicet Syriae praefectus. VIRTUTEM, id est exercitum.

V. 11. CECIDERUNT, id est occubuerunt.

V. 12. IN EO; pro, cum eo.

V. 13. ET ECCLESIAM. Repetitio.

V. 14. FACIAM MIHI, id est comparabo. VERBUM, id est praeceptum.

V. 18. CONCLUDI, scilicet tradi victos. IN MULTIS, id est per multos.

V. 19. VICTORIA, scilicet evenit. FORTITUDO, scilicet ad vincendum.

V. 20. SUPERBIA. Graec. *iniqua*.

V. 25. TIMOR..... ET FORMIDO; pro, ingens timor.

V. 29. DISSENSIONEM, scilicet per bellum.

lum. TERRA, scilicet Iudæa, quæ idcirco desiderat tributa solvere. LEGITIMA, id est iura, seu leges. PRIMIS id est antiquis.

V. 30. UT SEMEL, &c. quasi dicat, ut solebat. ABUNDAVERAT, id est abundanter dederat.

V. 32. FLUMEN. Græc. *fines*.

V. 35. AD EOS, id est contra eos.

V. 40. VIRTUTE, id est exercitu.

V. 41. NOMEN, id est famam. PUEROS, id est servos. ALIENIGENARUM, scilicet Philisthinorum.

V. 43. SANCTIS, id est templo, seu rebus sacris.

V. 44. CONVENTUS. Græc. *synagoga*. MISERICORDIAM ET MISERATIONES, id est copiosam Dei misericordiam.

V. 45. SANCTUM, id est templum. FILII ALIENIGENARUM, id est Gentiles.

V. 46. CONTRA, id est e regione.

V. 48. DE QUIBUS, &c. id est quos diligenter inquirebant, ut in iis depingerent similitudines idolorum suorum.

V. 49. SUSCITAVERUNT, id est excitarunt; scilicet renovarunt illum ritum, qui in desuetudinem videtur illo tempore abiisse.

V. 51. HUMILITATEM, id est abiectionem.

V. 52. NATIONES, id est Gentiles.

V. 56. LEGEM: vide Deut. XX. Iudic. XVII.

V. 59. SANCTORUM, id est sacrorum, scilicet templi.

E S T I I.

V. 48. ET EXPANDERUNT LIBROS LEGIS, DE QUIBUS SCRUTABANTUR GENTES SIMILITUDINEM SIMULACRORUM SUORUM. Varie hoc exponunt: Primo de imaginibus Cherubim, quas in sanctuario Dominus poni iussit Exodi XXV. iuxta quas dicunt gentiles fabricasse simulacra, quæ pro diis colenda ponebant, ut sic ad suum cultum Iudæos pertraherent. Græce sic legitur: *Et expanderunt libros legis, de quibus scrutabuntur gentes, ut inscriberent in ipsis similitudines idolorum suorum*. Et sensus esse videtur: Expanderunt ad Deum librum legis (quem servabant sacerdotes) cuius libri exemplaria scrutabantur, & conquirebant gentiles; ut in iis, vel super iis inscriberent, seu pingerent suorum idolorum imagines, videlicet ad contumeliam unius Dei; vel, ut huiusmodi imaginum impressione, libros sacros suis diis vendicarent, & religionem suam velut cum Iudaica coniungerent, facerentque commune.

V. 55. ET POST HAEC CONSTITUIT IUDAS DUCES POPULI; scilicet, eos qui sequuntur: TRIBUNOS ET CENTURIONES, ET PENTACONTARCHOS, ET DECURIONES. Non enim sic intelligendum istud, quasi alios adhuc constituerit duces, præter Tribunos & ceteros qui sequuntur; sed præmittitur generale vocabulum, *duces*, Græce ἡγέματα, id est *præfecti*, ut illud in species suas distribuatur. Ita hoc accipiendum esse patet Exodi XVIII. ubi & de gradibus istarum præfecturarum, & nominatim, de *pentacontarchis*, id est quinquagenariis, qui peculiares fuisse videntur apud Iudæos, dictum est.

M A R I A N AE.

Vers. 1. SURREXIT IUDAS. Non solum electus a patre in morte, sed antea unctus in templo, more Regum, ut ait Gorion Lib. IX. cap. III.

V. 3. INDUIT SE LORICAM SICUT GIGAS. *Gigantes* erant viri fortes, vasto corpore, idonei ad ferenda arma ferrea: sic dicti, quod ob vastitatem, non ex mulieribus, sed e terra natos putarent: γῆ *terra* est. Quomodo Hebraice vocentur, aliis locis est dictum. SUCCINXIT SE ARMA BELLICA; pro, armis bellicis. Græca constructio. Sicut leo.

V. 4. RUGIENS IN VENATIONE. Græce, *irruens* seu *fremens in venationem*.

V. 7. EXACERBABAT REGES MULTOS, scilicet Iudas, Antiochum Epiphanem, Antiochum Eupatorem, & Demetrium, cum quibus bellum gessit. LAETIFICABAT IACOB, id est populum Israel.

V. 8. AVERTIT IRAM AB ISRAEL, id est afflictionem, calamitatem; quæ vocatur *ira*, scilicet Dei, quoniam propter peccata. Hæc Iudæ bella Lib. II. cap. VIII. latius explicantur, quæ componi debent cum iis quæ hic dicuntur.

V. 14. GLADIUM APOLLONII accepit Iudas. Nempe optimus erat, & ut instar trophæi esset de victoria parta de illo.

V. 15.

V. 13. CONGREGAVIT IUDAS CONGREGATIONEM FIDELIUM. Goth. *congregavit Iudas congregationem & ecclesiam fidelium.* Sic Græce, sententia eadem.

V. 16. ET APPROPINQUAVERUNT. Goth. *appropiaverunt*: perinde est. USQUE AD BETHORON. Vicus erat in tribu Beniamin prope Ierusalem, ut Iosephus Lib. XII. cap. x. Eousque venerunt hostes. Græce, *& appropinquaverunt usque ad ascensum Bethoron*, id est superiorem eius partem. Nempe ut ex superiori loco pugnarent.

V. 17. CONTRA MULTITUDINEM TANTAM, ET TAM FORTEM. Goth. & Græce, *contra multitudinem tantam fortem*, scilicet quomodo pugnabimus. FATIGATI SUMUS IEIUNIO. Erant ieiuni sive ob religionem diei, sive ob penuriam annonæ, eoque opportuni iniuriæ.

V. 24. VIDIT QUOD DEFECIT PECUNIA DE THESAURIS SUIS. Græce & Goth. *de thesauris*, sive *suis*. Quia turbarat omnia, UT TOLLERET LEGITIMA. Quia Iudæorum legem mutare voluit, turbata gente, tributa non poterant colligi. Deerat autem pecunia tum in stipendium, tum quia Romanis debebat duo millia talenta; Lib. II. cap. VIII. 10. Hæc Antiocho causa fuit profectionis in Persidem. Reliquit Lysiam,

V. 35. AD EXTIRPANDAM VIRTUTEM, id est exercitum. *Haiil*. Hebr. & *robur* & *exercitum* significat. AUFERENDAM MEMORIAM EORUM DE LOCO illo scilicet propter articulum Græcum. Goth. *de cælo*: commoda lectio, nisi alii omnes codices repugnarent.

V. 38. PTOLEMAEUM FILIUM DORYMINI elegit Lysias, non *Dori*, ut habet Sulpitius Severus.

V. 40. APPLICUERUNT EMMAUM. Dupplex *Emmaus*, altera prope Ierusalem, dicta *Nicopolis*: Hieronymus de Locis Hebr. Iosephus Lib. XVII. cap. XII. Cleophæ patria. Altera prope Tiberiadem: Iosephus Lib. IV. de bello Iud. cap. III. De priori hic agitur.

V. 41. AUDIERUNT MERCATORES. Venditis Iudæis, Lysias seu Nicanor pecuniam redigere voluit, unde debita Romanis solveretur, pollicitus pro uno talento nonaginta captivos. Id mercatores excitavit, ut multi in hostium castra confluerent; ut patet ex Lib. II. cap. VIII. 10.

V. 43. ERIGAMUS DEIECTIONEM: *καθαίρεσιν*, id est *cadem*, *abolitionem*. *Erigamus*, id est propulsemus. ET SANCTIS NOSTRIS. Græc. *& sanctis*, scilicet sanctuario & lege; pro illis pugnemus.

V. 46. VENERUNT IN MASPHA. Plures erant eo nomine. In tribu Iuda locus orationis, I. Reg. VII. 10. & 22. in tribu Ruben altera, I. Mach. v. 35. Alia in tribu Gad, Iudic. XI. 29.

V. 47. DISCIDERUNT VESTIMENTA. Vestes laceras & pannos sumpserunt. Lugentium sunt, ieiunium, cilicium, cinis, & alia quæ hic ponuntur.

V. 48. EXPANDERUNT LIBROS LEGIS: ut scilicet Deum suarum promissionum admonerent, & quasi cum eo litigarent. DE QUIBUS; pro, in quibus. SCRUTABANTUR, seu *quærebant*, colebant Gentes. Ἐξερευνάω, *scrutari* & *quærere* significat. Quid quærebant, seu volebant? SIMILITUDINEM. Græce *similitudines*, *imagines*: sup. *inscribere in eis*, ut est Græce, ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν. SIMULACRORUM: idolorum suorum. Nimirum in Libris sacris, ob contumeliam idolorum, imagines Gentes pingebant. Id quæruntur & dolent. Loci difficilis hæc expositio simplicior & commodior ceteris videtur aliis, Glossæ, Liræ, aliorum, quas afferre non est tanti.

V. 49. ATTULERUNT ORNAMENTA. Sanctissima, quæque nos etiam proferre in angustia solemus ad impetrandum Dei misericordiam.

51. SACERDOTES TUI FACTI SUNT IN LUCTUM. Græc. *Sacerdotes tui in luctu & humilitate*: sic etiam Goth. Pugnemus, ait Iudas, contra Gentes,

V. 58. QUAE CONVENERUNT ADVERSUS NOS, DISPERDERE NOS: sic Græc. Vulg. Regia: *Quæ convenerunt disperdere nos*: sic Goth. Illud, *adversus nos*, redundare videtur; sed multa alia in Sacris redundat.

MENOCHII.

Vers. 1. ET SURREXIT IUDAS, successit, & institutione patris, ut patet superiori capite num 66. & iure etiam primogenituræ, ut volunt Serarius, & Salianus. Nec si Scriptura Iudæ fortitudinem commendat numero illo 66. citato, dum causam affert cur suffectus sit patri, ideo ipsum negat fuisse primogenitum. CUM PAUCIS: cum omnibus suis, qui tamen

men pauci erant, si cum hostibus conferantur. FATIGATI SUMUS IEIUNIO HODIE: necessitatis ne, an religionis causa ieiunaverint, non constat. Fortasse hostium vicinitas subito animadversa, tempus reficiendis cibo viribus eripuit. Fortasse etiam voluntaria fuit inedia, illud enim *hodie*, diem ieiunio dicatam significat. Quod si ita est, & notanda militum pietas, qui armati, & iter agentes, & pugnaturi, Deum ieiunio sibi propitium reddere voluerunt, vel a lege praescriptum observare.

V. 18. CONCLUDI, id est tradi victos. IN MULTIS, id est per multos: auxilio multorum.

V. 19. VICTORIA: scilicet contingit. FORTITUDO, scilicet ad vincendum.

V. 20. IN MULTITUDINE CONTUMACI, ET SUPERBIA: ἐν πλήθει ὕβρεως, καὶ ἀνομίας, id est, *in multitudine contumeliæ, & iniquitatis;* quasi dicat: Multis sceleribus degravati, & odiosi Deo.

V. 21. PRO ANIMABUS NOSTRIS; pro vita nostra.

V. 24. PERSECUTUS EST EUM IN DESCENSU BETHORON: iam nobilitatus fuerat olim hic ipse descensus Bethoron, Iosue X. 11. immissa caelitus in fugientem hostem lapidatione grandinis.

V. 29. DEFECIT PECUNIA DE THESAURIS SUIS. Licet magnam auri, & argenti vim in expilatione templi confecisset, adhuc tamen eget, quod impiis principibus, Deo faciente, usuvenire solet. TRIBUTA REGIONIS MODICA, &c. haec una ex causis fuit deficientis pecuniae in thesauris regiis, nimirum tenuitas vectigalium in expilata provincia, & quae geminos iam exercitus nutriebat. Accedebat grave tributum quod Romanis a Rege pendebatur, cuius mentio Lib. II. Machab. cap. VIII. 10. DISSENSIONEM, bellum. LEGITIMA: legem Iudaeorum, quam abolere nitebatur Antiochus.

V. 30. UT SEMEL ET BIS, id est ut alias habuerat. DONARIA QUAE DEDERAT LARGA MANU: haec etiam causa fuit exhausti regii aerarii. ABUNDAVERAT: largius dederat.

V. 33. ANTIOCHUM FILIUM SUUM: qui dictus est Antiochus Eupator, qui patri ad triennium in regno successit, & eum Lysia a Demetrio Sotere consobrino interfectus est.

V. 35. AD EOS: contra eos. VIRTUTEM, id est exercitum: ad delendas copias Iudaeorum.

V. 41. NOMEN, id est famam. PUEROS, famulos, vel servos. ALIENIGENARUM: scilicet Philisthinorum, aliorumve gentilium.

V. 42. IN INTERITUM, ET CONSUMMATIONEM: in ruinam & extremam perniciem Iudaeorum.

V. 43. ERIGEMUS DEIECTIONEM: faciamus ne gens nostra deiiciatur, & pessundetur, & quae iam afflicta sunt erigamus, & in pristinum statum restituamus. SANCTIS NOSTRIS: templo, & rebus sacris.

V. 44. CONVENTUS. Graece synagoga, coetus Iudaeorum. MISERICORDIAM, ET MISERATIONES, id est copiosam Dei misericordiam.

V. 45. SANCTUM, id est templum. ABLATA EST VOLUPTAS A IACOB: omnibus moerentibus, & lugentibus, quod tam indigne sancta tractarentur, & quod urbs ad solitudinem esset redacta. Vel, ablata est *voluptas*, Graece τέρψις, *delectatio*, *gaudium*, quo Iudaei afficientur in celebratione festivitatum, in quibus instrumenta musica personabant, sic David Psalm. XXVI. 4. Expetebat videre *Domini voluptatem*, Graece τερπνότητα, id est *delectationem* percipere, & sacris solemnitatibus cum voluptate interesse.

V. 46. LOCUS ORATIONIS ERAT IN MASPHA ANTE IN ISRAEL. Intelligit tempora Samuelis; nam I. Regum. VII. 5. dixit Samuel: *Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum*, &c. erat id oppidum in edito loco situm, quod in confinio tribuum Iuda, & Beniamin positum putat Adrichomius, in descriptione tribus Beniamin num. 88.

V. 47. EXPANDERUNT LIBROS LEGIS: qua ceremonia videntur voluisse quodammodo commonefacere Deum de promissa venia poenitenti populo suo, & auxilio supplicibus suis, & de hostibus coercendis, simile factum Ezechiae IV. Reg. XIX. 14.

DE QUIBUS SCRUTABANTUR GENTES SIMILITUDINES SIMULACRORUM SUORUM. Putant Serarius, & Salianus Gentiles insignes quasque historias, & Dei miracula ad deos suos, quasi auctores transferre studi-

duisse, uti de Eliæ quadriga in Solis quadrigam versa, ut notat Beda quæstione 27. in libros Regum. Sensus est ergo, quasi dieat facer historicus: Expanderunt facros libros, ac si Deo dicerent: En Domine, qui mirabilia magna fecisti pro servis tuis, & similia his, te, cum opus fuerit, facturum promisisti, en, inquam, ea impii, & prophani homines scrutantur, & mendaciter, & sacrilege diis suis affingunt. In Græcis eodicibus Vaticanis est, *περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν*; quæ verba, cum nostra vulgata consentiunt, verum in multis Gr. codicibus est *τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν*, *ut inscriberent in ipsis*; id est, ut in ipsis idolorum suorum imagines depingerent, & ut templum simulacro Iovis profanaverunt, ita etiam sacros eodiees polluerunt, illis idolorum suorum imagines appingendo.

V. 49. Et attulerunt ornamenta, &c. Vestes, ornamenta, oblationes primitiarum, & faeros homines ante divinæ Maiestatis conspectum statuunt, ut tot religionis symbolis Deum ad misericordiam commoverent, & ut lamentarentur, quod iam nullus esset sacrorum illorum ornamentorum usus. Suscitaverunt nazaraeos, qui impleverunt dies; id est, eos qui ad impetrandam populo salutem leges nazareatus se ad aliquod tempus servatos promiserant, & tempus illud expleverant, statuerunt & collocarunt ante Deum, ut precibus ad Dominum fusis quasi iure reposcerent tantæ calamitati remedium. Vel, *nazaræi, qui impleverant dies*, Græce *οἱ ἐπλήρωσαν τὰς ἡμέρας*, sunt nazaræi iam senes, qui totam ætatem in Dei cultu contriverant, quæ explicatio bene convenit cum sequentibus.

V. 50. Quid faciemus istis? quasi dicat: Senes hos quomodo tantæ cladi subtrahemus, eum expedite nos affectari non possint annis graves; an eos hosti prædam relinquemus?

V. 51. Humilitatem, id est abiectionem.

V. 55. Tribunos: tribuni mille præerant militibus, quare etiam a Græcis *χιλίαρχοι* dicebantur. Centuriones: qui centum militibus præsunt. Pentacontarchos: qui præsunt quinquaginta. Decuriones: qui decem.

V. 56. Secundum legem: Deut. xx. 5. 6. Vide etiam Iudic. vii. 3.

TIRINI.

Vers. 3. Induit se Iudas loricam sicut gigas, id est ad modum fortissimi herois viribus & animo iniuncti, Deo confisi, nullum mortalium metuentis. Et Rabbinos, ut refert Sixtus Senensis & Genebrardus *a*, consuevisse Iudam eiusque fratres in labaris & vexillis suis has quatuor litteras gestare *mem*, *caph*, *beth*, *iod* Quibus compendio, & pro quaque littera voce integra substituta, hæc sententia ex illorum mente continebatur, *mi camocha baelim iehova?* id est, *o quis similis tui in fortibus Domine?* Vulgus autem cum ignarum huius sententiæ litteras istas suo sensu iungeret, legisse *Machabæi*, & inde conflatam vocem *Machabæi*. Sed Iosephus Gorionides *c* vult nomen istud Iudæ ab ipsomet parente inditum fuisse propter eius *robur* militare, nempe a radice *caba*, id est *exstinxit*, dictum *Machabæi*, id est *exstinctorem*, scilicet hostium Ecclesiæ.

V. 6. Directa est salus in manu eius; id est, salutem feliciter consecuti sunt Iudæi ductu, industria & fortitudine Iudæ. Qui prosperis suis successibus & egregiis victoriis

V. 7. Exacerbabat, fremere & frendere faciebat, reges multos, Antiochum Epiphanem, Antiochum Eupatorem, & Demetrium: cum his enim omnibus bellum gessit: primo, prioris Antiochi regis in Syria vicarium

V. 11. *Apollonium* maximis copiis instructum exigua manu percussit et occidit. Cum enim inter pugnandum (verba sunt Iosephi Gorionidis *d*) *videret Iudas Apollonium stantem in medio exercitus* sui, summo *furore decurrit ad eum, ad medium usque castrorum, omnia penetrans, ad dextram, ad sinistram fortissimos* hostium *prosternens, haud secus ac messor manipulos ac spicas messis suæ deiicit, pergensque ad Apollonium, percutit eum sternitque suomet gladio*. Quo deinceps, utpote valde probo, *lato & acuto*, ut subdit idem Iosephus *e*, simulque in memoriam ac trophæum primæ suæ victoriæ, in stimulum quoque atque excitamentum paris perpetuo fortitu- di-

dinis, in omnibus sequentibus bellis usus est Iudas. Secundo prælio.

V. 13. *Sermonem* EXERCITUS SYRIAE *principem* pari felicitate, prostravit, occidit, cum non nisi *paucos* suorum haberet ad manum, eosque sat pavidos vers. 17. ET IEIUNIO *fatigatos*, quod tota nocte iter fecissent, inquit idem Iosephus.

Quibus compertis vers. 27. ANTIOCHUS REX extreme IRATUS, *congregat* EXERCITUM, & vires UNIVERSI REGNI SUI, STIPENDIA IN ANNUM integrum omnibus adpendens. Sed profusis his largitionibus brevi exhausto ærario,

V. 29. VIDIT sensitque *deficere pecuniam* DE THESAURIS SUIS: nec exhaustos iterum de novo compleri, quod TRIBUTA a vicinis *regionibus* pendi solita, iam valde MODICA subministrarent, idque PROPTER DISSENSIONEM, id est defectionem non solum Iudæorum, sed verisimiliter etiam quarumdam aliarum nationum hac occasione regi rebellantium: item propter bellum in Syria & vicinis Iudææ partibus semel iterumque infeliciter gestum, quo fere exhaustæ regiones non erant subministrando tributo ante condicto. Denique propter PLAGAM, QUAM ipsemet Antiochus tum per se, tum per suos FECIT IN *terris* sibi ante subiectis, cum TOLLERET eis LEGITIMA sua & patrios ritus ac leges, *quibus* illæ gavisæ fuerant A PRIMIS conditarum rerumpublicarum suarum DIEBUS. Ita tyrannice egisse Antiochum vidimus cap. 1. 43. Ergo destitutus tributorum subsidio,

V. 30. TIMUIT NE post primam illam stipendiorum primi anni liberalem exhibitionem, NON HABERET unde iterum similes SUMPTUS ET DONARIA in usus belli subinde necessaria sufficere posset. Erant & bis mille talenta Romanis pro tributo iam a tempore Antiochi Magni a Scipione devicti quotannis pendenda, Dan. 1. 18. Unde

V. 31. CONSTERNATUS ANIMO VALDE, COGITAVIT IRE IN PERSIDEM, & pecuniam inde emungere, partim expilando, ut II. Mach. IX. 2. dicitur, partim cogendo ad TRIBUTA vel augenda, vel de novo pendenda. Ergo *assumpta* medietate exercitus iam parati concessit in Persidem, vers. 37. *relicto* in Syria pro vicario suo, *Lysia homine nobili* de stirpe *regali*, v. 32. cum mandatis,

V. 33. UT ANTIOCHUM Eupatorem FILIUM SUUM & heredem regni NUTRIRET eo modo quo decebat tantum principem educari. Deinde

V. 34. Ut Iudæos contereret & exstirparet, tradita ei in hunc finem altera medietate exercitus sui, cum instructis elephantis.

V. 38. LYSIAS obsecuturus imperio regis sui mittit ternos duces in Iudæam, PTOLOMAEUM FILIUM DORYMENIS, ut est in Græco, *Cœlesyriæ & Phœnicis ducem*, II. Machab. VIII. 8. ET NICANOREM Patrocli filium, ET GORGIAM *in bellicis rebus experientissimum*, ibid. *cum quadraginta millibus* peditum, *& septem millibus equitum*.

V. 40. APPLICAVERUNT EMMAUM non illum quæ prope Tiberiadem est, sed quæ prope Ierosolymam, & postea dicta fuit Nicopolis, inquit S. Hieron. *f* Utriusque meminit Iosephus *g*.

V. 41. ET ADDITI SUNT insuper AD EOS aliæ novæ copiæ, nempe EXERCITUS SYRIAE, propriis Syrorum impensis collecti, &c. Quibus adeo præsidebat *Nicanor*, ut quasi certus de victoria, evocaret undique *mercatores ad Iudaica mancipia*, quasi iam capta teneret, vilissimo pretio coemenda, II. Machab. VIII. 11. Et hi maximo numero mox confluebant ad castra. Quid interim Iudæi?

V. 43. Excitant alii alios, animant se mutuo: ERIGAMUS DEIECTIONEM POPULI NOSTRI, id est gentem Iudaicam ludibrio passim habitam, linguis omnium deiectam, pedibus hostium protritam, virtute & robore nostro erigamus, pristino splendori restituamus. Sic animati

V. 46. *Congregantur* IN MASPHA, non illa in tribu Ruben, I. Machab. V. 35. neque altera illa in tribu Gad, Iudic. XI. 29. sed tertia, quæ erat in tribu Beniamin CONTRA, seu prope & e regione IERUSALEM, ubi ANTE constructum Salomonis templum, ERAT publicus ORATIONIS LOCUS, I. Reg. VII. 5. Hic unanimi prece implorant opem cælestem,

V. 47. *Ieiunant*, CILICIIS SE *induunt*, CINEREM CAPITI inspergunt, VESTIMENTA *discindunt*.

V. 48. EXPANDUNT LIBROS LEGIS divinæ, exemplo Ezechiæ, qui litteras Sennacherib tyranni, blasphemiis plenas IV. Regum XIX. coram Domino expandebat. Sic hi sacra Biblia a Gentibus profanata, & ido-

dolorum imaginibus nominibusque ad contumeliam hinc inde inscriptis fœdata, inquit Emanuel Sa & Ioannes Mariana, & quidam alii: qui conformiter textui Græco dicunt, hac ratione *Gentiles similitudines* SIMULACRORUM *suorum e libris legis scrutatos* fuisse, quia Græce est, *scrutabantur inscribere in ipsis similitudines idolorum suorum*. Sed textui Latino conformior est expositio Fabri, Gentiles solitos fuisse insigniores quasque Bibliorum historias & divina miracula ad suos falsos deos transferre: v. g. de gigantomachia, de diluvio, de turri Babel, de Iosepho, de Moyse, de mari Rubro, de solstitio Iosue, de Samsone, de quadrigis Eliæ & de aliis. Ita testatur Iosephus, Theopompum & Theodecten fecisse, non tamen impune: ita alios Beda *i* & Serarius. Quin & sacros ritus ac ceremonias, quibus coli volebat Deus, Gentiles ad inania deorum suorum sacra traduxisse notat Rupertus k. Et hoc est proprie scrutari similitudinem simulacrorum de libris sacris. Neque hic stetit Iudæorum devotio. Insuper in conspectum Dei

V. 49. ATTULERUNT ORNAMENTA SACERDOTALIA, quibus solemniori ritu celebrarent divinum officium: attulerunt & redditus Deo debitos, PRIMITIAS *l* ET DECIMAS *m*: ET SUSCITAVERUNT NAZARAEOS, id est excitarunt quosdam qui sese Domino, Nazaræorum *n* ritu, sanctificarent, seu perpetuo, seu ad tempus. Si QUI vero ex Nazaræis iam ante Deo dicatis IMPLEVERANT DIES, id est expleverunt tempus sui nazaræatus, hos excitarunt ut hostias quæ in fine nazaræatus ex præscripto legis *o* offerendæ erant Deo, rite offerrent. De quibus sane solliciti quærunt,

V. 50. QUID FACIEMUS ISTIS Nazaræis, ut rite compleant quæ in fine nazaræatus complenda lex præscribit, ET QUO EOS DUCEMUS? Ducendi erant *ad ostium tabernaculi fœderis*, ut præscribitur Num. VI. 12. Sed istud,

V. 51. ET SANCTA omnia templi loca & vasa CONCULCATA ET CONTAMINATA iacent: *sacerdotes* autem quibus sisti iubentur, FACTI SUNT IN LUCTUM ET HUMILITATEM, id est in luctuoso & tristi exilio vagantur, absque ullo honore. Porro divinis subsidiis hac via procuratis, addit Iudas etiam humana.

V. 55. CONSTITUIT DUCES POPULI, TRIBUNOS, ET CENTURIONES, &c. partitur aciem in duos ordines, & hos in quatuor partes, quarum singulis singulos fratrum suorum præficit, II. Mach. VIII. 22. Deinde

V. 56. HIS QUI AEDIFICABANT DOMOS, SPONSABANT UXORES, PLANTABANT VINEAS, vel *formidolosi* erant, iussit ex præscripto divinæ legis *p* DOMUM SUAM repetere.

V. 58. Suos adhortatur ad fortitudinem, ad promptitudinem, ad mortem potius pro patria subeundam, quam vitam in ignava servitute trahendam. Fusius hæc explicantur II. Mach. VIII. 20. & seqq.

(a) Sixtus Sen. Lib. I. Bibliothecæ. Genebr. in Chronolog.
(b) Exodi XV. 11.
(c) Ioseph. Gorion. Lib. III. cap. IX.
(d) Ioseph. Gorion. Lib. III. cap. X.
(e) Ioseph. ibid. cap. XXIII.
(f) Hieron. de Locis Hebr.
(g) Ioseph. Lib. IV. Belli cap. III. & Lib. XIII. Antiquit. cap. XII.
(h) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. II.
(i) Beda in libros Reg. quæst. XXVII.
(k) Rupert. Lib. VI. in Gen. cap. XV.
(l) Exod. XXXVI. 3. Num. XV. 19.
(m) Levit. XIX. 23. & XXVII. 30.
(n) Num. VI. 2. (o) Ibid. vers. 13.
(p) Deut. XX.

GORDONI.

Vers. 1. IUdas electus dux, non quod esset natu maximus, sed quia fortis viribus, cap. II. 66. Nunc bellum gerit temporibus trium Regum, Antiochi illustris, Antiochi Eupatoris, & Demetrii, vario Græcorum anno: unctum a patre Iudam scribunt aliqui.

V. 10. ET CONGREGAVIT APOLLONIUS. Quatuor inivit prælia Iudas cum Antiochi ducibus; nempe cum Apollonio, vers. 10. cum Serone, vers. 13. tertium prælium cum Gorgia & Nicanore, quod narrat cap. IV. a vers. 1. usque ad 27. Quartum prælium cum Lysia, de quo agitur cap. IV. a versiculo 28. usque ad 36.

V. 24. BETHORON. Vide Iosue X. 11. de alia ibi victoria.

V. 29. DISSENTIONEM: bella, & calamitates provinciis illatas.

V. 33. ANTIOCHUM. Hic Eupator est a Demetrio consobrino, postea cæsus.

V. 46. LOCUS ORATIONIS ERAT IN MASPHA, scilicet tempore Samuelis (I. Reg. VII. 5.)

V. 48. His religionis symbolis provocabant misericordiam.

V. 55. Decurio militibus decem præest, Pentarchus quinquaginta; Centurio centum, & tribunus mille.

V. 56. SECUNDUM LEGEM: Deut. xx. 5.



CAPUT IV.

Gorgias quærit Iudam: at hic suos hortatus fudit hostes, rursumque Gorgiæ exercitu fuso colligit spolia: & iterum fusis ad Deum precibus, devincit Lysiæ exercitum, ac postmodum purificato templo, novum erigit altare: & omnibus quæ ad Dei cultum requirebantur præparatis, sacrificiisque oblatis, magna lætitia celebrant illius dedicationem diebus octo, statuto etiam huius dedicationis annuo festo ad dies octo.

1. ET assumpsit Gorgias quinque millia virorum, & mille
equites electos: & moverunt castra nocte, 2. ut ap-
plicarent ad castra Iudæorum, & percuterent eos su-
bito: & filii, qui erant ex arce, erant illis duces. 3.
Et audivit Iudas, & surrexit ipse, & potentes, per-
cutere virtutem exercituum regis, qui erant in Em-
maum. 4. Adhuc enim dispersus erat exercitus a ca-
stri. 5. Et venit Gorgias in castra Iudæ noctu, & neminem invenit, &
quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis. 6. Et
cum dies factus esset, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus viro-
rum tantum: qui tegumenta & gladios non habebant: 7. & viderunt ca-
stra Gentium valida, & loricatos, & equitatus in circuitu eorum, & hi
docti ad prælium. 8. Et ait Iudas viris, qui secum erant: Ne timueritis
multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. 9. (a) Memento-
te qualiter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro, cum sequeretur
eos Pharao cum exercitu multo. 10. Et nunc clamemus in cælum; &
miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum,
& conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie: 11. & scient omnes
gentes, quia est qui redimat & liberet Israel. 12. Et elevaverunt alieni-
genæ oculos suos, & viderunt eos venientes ex adverso. 13. Et exierunt
de castris in prælium; & tuba cecinerunt hi qui erant cum Iuda. 14. Et
congressi sunt: & contritæ sunt Gentes, & fugerunt in campum. 15. No-
vissimi autem omnes ceciderunt in gladio, & persecuti sunt eos usque Ge-
zeron, & usque in campos Idumææ, & Azoti, & Iamniæ: & ceciderunt
ex illis usque ad tria millia virorum. 16. Et reversus est Iudas, & e-
xercitus eius, sequens eum. 17. Dixitque ad populum: Non concupiscatis
spolia: quia bellum contra nos est, 18. & Gorgias & exercitus eius pro-
pe nos in monte: sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate
eos, & sumetis postea spolia securi. 19. Et adhuc loquente Iuda hæc,
ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte. 20. * Et vidit Gor-
gias quod in fugam conversi sunt sui, & succenderunt castra; fumus enim,

qui

qui videbatur, declarabat quod factum est. 21. Quibus illi conspectis timuerunt valde, aspicientes simul & Iudam, & exercitum in campo paratum ad prælium. 22. Et fugerunt omnes in campum alienigenarum: 23. & Iudas reversus est ad spolia castrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas. 24. Et conversi, hymnum canebant, & benedicebant Deum in cælum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia eius. 25. Et facta est salus magna in Israel in die illa. 26. Quicumque autem alienigenarum evaserunt, venerunt, & nuntiaverunt Lysiæ universa quæ acciderant. 27. Quibus ille auditis, consternatus animo deficiebat: quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israel, & qualia mandavit rex. 28. Et sequenti anno congregavit Lysias virorum electorum sexaginta millia, & equitum quinque millia, ut debellaret eos. 29. Et venerunt in Iudæam, & castra posuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris. 30. Et viderunt exercitum fortem, & oravit, & dixit: Benedictus es salvator Israel, (b) qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David, (c) & tradidisti castra alienigenarum in manu Ionathæ filii Saul, & armigeri eius. 31. Conclude exercitum istum in manu populi tui Israel, * & confundantur in exercitu suo & equitibus. 32. Da illis formidinem, & tabesfac audaciam virtutis eorum, & commoveantur contritione sua. 33. Deiice illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui noverunt nomen tuum, in hymnis. 34. Et commiserunt prælium: & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. 35. Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, & quod parati sunt aut vivere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, & elegit milites, ut multiplicati rursus venirent in Iudæam. 36. Dixit autem Iudas, & fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renovare. 37. Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion. 38. Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, & pastophoria diruta. 39. Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum. 40. & ceciderunt in faciem super terram, & exclamaverunt tubis signorum, & clamaverunt in cælum. 41. Tunc ordinavit Iudas viros, ut pugnarent adversus eos qui erant in arce, donec emundarent sancta. 42. Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei: 43. & mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. 44. Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret. 45. Et incidit illis consilium bonum ut destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminaverunt illud Gentes, & demoliti sunt illud. 46. Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, & responderet de eis. 47. Et acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificaverunt altare novum, secundum illud quod fuit prius: 48. & ædificaverunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus: & ædem, & atria sanctificaverunt: 49. Et fecerunt vasa sancta nova, & intulerunt candelabrum, & altare incen-

incensorum, & mensam in templum. 50. Et incensum posuerunt super
altare, & accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, & lucebant
in templo. 51. Et posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela:
& consummaverunt omnia opera quæ fecerunt. 52. Et ante matutinum
surrexerunt quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu)
centesimi quadragesimi octavi anni: 53. & obtulerunt sacrificium secundum
legem, super altare holocaustorum novum quod fecerunt. 54. Secundum
tempus & secundum diem, in qua contaminaverunt illud Gentes, in ipsa
renovatum est in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis. 55. Et
cecidit omnis populus in faciem, & adoraverunt, & benedixerunt in cæ-
lum eum, qui prosperavit eis. 56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus
octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris & lau-
dis. 57. Et ornaverunt faciem templi coronis aureis & scutulis: & dedi-
caverunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas. 58. Et facta
est lætitia in populo magna valde, & aversum est opprobrium Gentium.
59. (d) Et statuit Iudas, & fratres eius, & universa ecclesia Israel, ut
agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per
dies octo, a quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio.
60. Et ædificaverunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum mu-
ros altos, & turres firmas, nequando venirent Gentes, & conculcarent
eum sicut antea fecerunt. 61. Et collocavit illic exercitum, ut servarent
eum, & munivit eum ad custodiendam Bethsuram, ut haberet populus mu-
nitionem contra faciem Idumææ.

(a) Exod. xiv. 9. (b) I. Reg. xvii. 50. (c) I. Reg. xiv. 15. (d) Ioan. x. 22.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 20. *Et vidit Gorgias quod in fugam conversi sunt sui*. Correctores putarunt non omittendas voces *Gorgias & sui*, quas multi omittunt.

Sequitur: *Et succenderunt castra*. Non mutes *succenderunt* cum *succensa sunt*.

Vers. 31. *Et confundantur in exercitu suo*. Servandus est numerus pluralis *confundantur* non surrogandus singularis *confundatur*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 2. FILII, QUI ERANT EX ARCE. Græc. *filii arcis*, id est qui arcem tenebant.

V. 3. VIRTUTEM EXERCITUUM. Græc. *exercitum*.

V. 4. ADHUC ENIM. Græc. *dum adhuc*. DISPERSUS, id est separatus.

V. 6. NON HABEBANT. Græc. *non habebant ut volebant*.

V. 7. HI DOCTI; pro, hos doctos. AD PRAELIUM; quasi dicat, Præliandi peritos.

V. 10. IN CAELUM, id est ad Deum. TESTAMENTI PATRUM, id est pacti facti cum patribus, scilicet de favendo ipsis, & posteris.

V. 11. REDIMAT, id est eripiat.

V. 17. EST, scilicet paratum.

V. 19. PARS, scilicet hostium.

V. 20. SUCCENDERUNT. Quidam, *succensa sunt*, scilicet a Iuda.

V. 22. CAMPUM. Græc. *terram*.

V. 23.

V. 23. HYACINTHUM, scilicet sericum. MARINAM, scilicet e conchiliis factam.

V. 24. CONVERSI, id est reversi. IN CAELUM, scilicet alte voce sublata.

V. 29. IUDAEAM. Græc. *Idumæam*. BETHORON. Græc. *Bethsuris*.

V. 30. POTENTIS, scilicet Goliat. ALIENIGENARUM, id est Philisthæorum.

V. 31. CONCLUDE, id est trade.

V. 32. TABEFAC. Forte legendum *labefac*. COMMOVEANTUR, id est concutiantur; quasi dicat, Deleantur.

V. 36. SANCTA, id est templum.

V. 38. SANCTIFICATIONEM, id est templum. PASTOPHORIA, id est exedras, seu cubicula, ubi asservabantur res sacræ.

V. 40. SIGNORUM, id est quibus solebat signum dari, scilicet in bello, seu in festis.

V. 42. VOLUNTATEM HABENTES, &c. id est legis studiosos.

V. 43. CONTAMINATIONIS, id est pro fanatos, scilicet a Gentilibus. Forte intelligit lapides altarium idolorum.

V. 45. IN OPPROBRIUM, id est dedecori.

V. 46. DOMUS, id est templi.

V. 48. INTRA DOMUM, scilicet sancta sanctorum. ET AEDEM; quasi dicat, Totum denique templum; vel intelligit atrium Sacerdotum. SANCTIFICAVERUNT, id est dedicarunt, seu consecrarunt.

V. 52. ANTE MATUTINUM. Græc. *diluculo*.

V. 56. SALUTARIS ET LAUDIS, id est sacrificia pacifica, scilicet in gratiarum actionem.

V. 58. AVERSUM, id est ablatum.

V. 59. AB ANNO IN ANNUM, id est singulis annis.

V. 61. BETHSURAM. Civitas montana in tribu Iuda, prope Ierusalem. Vide II. Mach. xi.

ESTII.

Vers. 36. DIXIT AUTEM IUDAS ET FRATRES EIUS: ECCE CONTRITI SUNT INIMICI NOSTRI; ASCENDAMUS NUNC MUNDARE SANCTA, ET REVOCARE, &c. Ecce Iudas Machabæus, mox concessa nonnulla securitate, cum non tantum Dux belli esset, verum etiam sacerdos, ut constat ex initio capitis secundi, totum se confert ad instaurandum in templo Ierosolymitano cultum Dei; qui aliquanto tempore iam intermissus erat, & ad repurgandum sacra loca, quæ gentilium abominandis cultibus erant contaminata. Unde & dicitur: *Et altare profanatum*. Profanatum quippe erat duplici ratione; tum quia carnes lege prohibitæ in eo oblatæ erant, videlicet suillæ; tum, quod in eo sacrificatum fuisset diis gentium, & quidem Iovi Olympio, cui Antiochus templum illud consecrari iusserat. Porro quod sequitur: *Et pastophoria diruta*. Pastophoria, alii exedras, alii thalamos exponunt; quæ tamen & ipsæ sunt græcæ voces. Latine conclavia dici posse videntur. Ea autem templo adhærebant, extructa in usum scribarum & præpositorum templi, ut indicat Hieron. in XXII. caput Isaiæ, & colligi etiam potest ex III. Esdræ VIII. & IX. Ribera Lib. de templo dicit pastophoria, gazophylacia & exedras idem significare, & lapsos esse qui ista distinxerunt. Nomen gazophylacii legibus Nehemiæ ultimo.

V. 56. ET FECERUNT DEDICATIONEM ALTARIS DIEBUS OCTO. Et vers. 59. ET STATUIT IUDAS, ET FRATRES EIUS, ET UNIVERSA ECCLESIA, UT AGATUR DIES DEDICATIONIS AB ANNO IN ANNUM, &c. En exemplar dedicationis altarium, & ecclesiarum; quæ etiam in novo testamento servantur. Et sicut nunc in iis solemnitatibus templa quam splendidissime ornantur, ita & hic dicitur: *Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, & scutulis: & dedicaverunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis Ianuas*. Denique quod Iudas, totaque ecclesia hic leguntur sanxisse, ut ageretur hæc solemnitas dedicationis quotannis, servatum est usque ad tempora ipsius Christi, ut colligitur ex iis verbis Ioannis VIII. *Facta sunt autem Encœnia Ierosolymis, & hyems erat*; quia videlicet, mense Casleu, qui nostro Novembri respondet dedicatio hæc facta est, ut hic legitur. Hunc ergo dedicationis altarium, & templorum ritum servat etiam hodie Ecclesia, & servavit olim, quemadmodum ex vita S. Silvestri, & epistola Decretali Felicis IV. demonstratur. Servat, inquam, non tamquam ceremoniam cultus Iudaici, ut calumniantur hæretici; sed tamquam ritum, etiam novi testamenti conditioni & statui aptum,

aptum, & convenientem, & a Christo ipso sua præsentia cohonestatum, ut patet ex dictis.

MARIANAE.

Verf. 2. ET PERCUTERENT EOS SUBITO. It Gorgias contra Iudæos noctu, scilicet dormientes, inopinantes, QUI ERANT IN ARCE: perfugæ, ex Iosepho Lib. XXII. c. XI. Ii, propter locorum notitiam, viæ ductores hostibus erant.

V. 3. AUDIVIT IUDAS. Cognito hostium consilio Iudas castra reliquit, sed multis accensis ignibus, ut hostes falleret.

V. 5. VENIT GORGIAS IN CASTRA IUDAE NOCTU, seu *nocte*, ut Gotth. Iudæ milites apparent.

V. 6. QUI TEGUMENTA: loricas, thoraces non habebant. Gotth. *quia*; quasi dicat, Ideo tria millia tantum Iudas habuit, quia arma pluribus non suppetebant. Non incommoda sententia, sed alii codices resistunt; quorum lectione significatur, neque ea tria millia arma habuisse.

V. 9. CUM EXERCITU MULTO sequebatur olim Pharao. Gotth. *cum exercitu*: sic Græc.

V. 13. ET EXIERUNT DE CASTRIS, scilicet hostes: non inventis Iudæis, redierant in sua castra, quæ ad Emmaum erant.

V. 17. NON CONCUPISCATIS SPOLIA. Malo sæpe in bello fuit, devicti hostis legere spolia festinanter: Polybius Lib. X. QUIA BELLUM CONTRA NOS EST: nondum hostes sunt profligati penitus.

V. 19. ECCE APPARUIT. Gotth. & Græc. *apparuit*. PARS QUAEDAM, scilicet hostium.

V. 20. VIDIT GORGIAS QUOD IN FUGAM Gorgiani versi sunt. ET SUCCENDERUNT CASTRA, scilicet Iudæi captis hostium castris inicere ignem.

V. 22. IN CAMPUM ALIENIGENARUM fugerunt hostes. εἰς γῆν ἀλλοφύλων, *In terram Philisthiim*, qui Græce in Sacris sæpe vocantur *Allophyli*.

V. 23. HYACINTHUM acceperunt, id est vestes hyacinthinas coloris violacei. Et alioqui hyacinthus gemma est; color illi violaceus, sed dilutior quam in amethysto: Plin. Lib. XXXVII. cap. 9. ET PURPURAM, id est vestes purpureas. MARINAM. Omnis purpura ex mari est; sed & est ficta purpura ex vacciniis & violis, ut Vitruvius ait Lib. VII. cap. XIV. ET fortasse Tyriam purpuram designat, quæ omnium præstantissima est: Plin. Lib. IV. cap. XXXVIII. & XXXIX. Iudæi victores

V. 24. BENEDICEBANT DEUM IN CAELUM; pro, in cælo, qui in cælo habitat. Græce, *Benedicebant in cælum*. Sed bene suppletur *Deum*.

V. 29. CASTRA POSUERUNT IN BETHORON, scilicet Lysiæ copiæ. *Bethoron* vicus erat in tribu Beniamin prope Ierusalem; de quo cap. III. 16. Græc. *in Bethsuris*. Iosephus. Lib. XII. cap. XI. *in Bethsura*. Arx munitissima erat, rupibus imposita, quinque stadiis ab Ierusalem, ut dicitur vers. 60. Suspicor hæc duo loca *Bethoron* & *Bethsuram* esse coniuncta.

V. 30. IMPETUM POTENTIS, id est Goliath. *Potentes* vocantur *gigantes*, Gen. VI. 4. *Isti sunt potentes a sæculo*. Hebr. *& se gigantes*. ALIENIGENARUM *Allophylorum*, id est Philisthinorum castra evertit Ionathas.

V. 34. COMMOVEANTUR; seu *perturbentur*. CONTRITIONE SUA, σαλευθήτωσαν *commoveantur*, scilicet hostes cum contriti fuerint.

V. 37. ASCENDERUNT IN MONTEM SION. Templum erat in monte Moriah, ex adverso montis Sion. Occupant tamen montem Sion, quoniam erat munitissima pars urbis.

V. 38. VIDERUNT SANCTIFICATIONEM, id est sanctuarium, templum desertum. IN ATRIIS VIRGULTA. Multa erant atria, ut impluvia. PASTOPHORIA, id est exedras dirutas viderunt. Ezech. cap. XL. habes templi & partium eius descriptionem nostram.

V. 46. REPOSUERUNT LAPIDES IN MONTE DOMUS, id est in vicino templi monte, qui mons templi vocabatur, & illi serviebat.

V. 47. ACCEPERUNT LAPIDES INTEGROS: non sectos nec dolatos, uti Exod. XX. 25. mandatur.

V. 49. CANDELABRUM, ET ALTARE INCENSORUM ET MENSAM intulerunt; non arcam. Quinque rebus caruit secundum templum, inter eas arca, uti Aggæi II. diximus vers. 4.

V. 52. QUINTA ET VIGESIMA DIE ....

MEN-

MENSIS CASLEU, id est Novembris. CENTESIMI QUADRAGESIMI OCTAVI ANNI. Eadem prorsus die ante tres annos templum fuit ab Antiocho contaminatum: cap. I. 62. & Iosephus Lib. XII. cap. XI. qui addit, eam fuisse abominationem seu idolum desolationis, quam Daniel prædixit, nempe cap. IX. ubi nos diximus quomodo id intelligatur.

V. 54. IN CANTICIS, ET CITHARIS, ET CINYRIS, renovatum est templum. *Cinyra* musicum instrumentum est, quod cum cithara aliquando confunditur, ut I. Par. IX. 25. Pro *cyniris*, quæ vox in Græco est, noster Interpres *citharas* posuit: aliquando ab ea distinguitur, ut hic, & inferius cap. XIII. 51.

V. 55. BENEDIXERUNT IN CAELUM, scilicet conversi, aut suple, Deum in cælo.

V. 56. SACRIFICIUM SALUTARIS ET LAUDIS, id est hostias pacificas, Levit. IX. 4. obtulerunt.

V. 59. AB ANNO IN ANNUM; id est, per singulos annos celebretur festum dedicationis altaris. Hoc festum *encania*, id est *innovatio* vocabatur, ob altare & sacrificia instaurata.

V. 60. MONTEM SION ædificaverunt, id est arcem, quæ ibi erat, novis operibus munierunt, imposito etiam militari præsidio. Id est quod ait,

V. 61. COLLOCAVIT ILLIC EXERCITUM: tum ut urbem tueretur, tum Bethsuram arcem urbi proximam & illi imminentem. Quinque stadiis ab urbe distabat, Lib. II. cap. XI. 5.

MENOCHII.

Vers. I. GORGIAS: qui a Lysia dux fuerat electus, supra cap. III. 38. SUBITO: nec opinantes, & imparatos.

V. 2. FILII QUI ERANT EX ARCE. In Græco est, *Filii arcis*, id est qui arcem tenebant. DUCES: ὁδηγοὶ: duces itineris.

V. 3. VIRTUTEM EXERCITUUM. In Græco est tantum τὴν δύναμιν. *Virtutem*, id est exercituum.

V. 4. ADHUC ENIM DISPERSUS ERAT EXERCITUS; id est, dum adhuc divulsæ erant copiæ, nec omnes iisdem castris continebantur, a quibus Gorgias dux aberat cum parte regii exercitus.

V. 5. ET VENIT GORGIAS IN CASTRA IUDAE, &c. Interim dum Iudas cum suis Emmaum versus iter intendit, Gorgias alia via venit in castra Iudæorum. CUM TRIBUS MILLIBUS VIRORUM TANTUM, &c. In Græco textu est ἐν τρισχιλίοις ἀνδράσι: πλὴν καλύμματα, καὶ μαχαίρας οὐκ εἶχον καθὼς ἐβούλοντο; id est, *cum tribus millibus virorum: ceterum tegumenta, & gladios non habebant sicut volebant*. Hoc est quod scribit Ioseph. Lib. XII. cap. XI. *Ducens tria virorum millia non satis instructa armis, propter inopiam*.

V. 7. ET HI DOCTI: scilicet, erant: hi strenui erant, & exercitati milites.

V. 10. IN CAELUM, id est ad Deum. TESTAMENTI PATRUM, id est pacti eum patribus initi de favendo ipsis, & posteris.

V. 11. REDIMAT, id est eripiat.

V. 14. IN CAMPUM: per aperta camporum fugerunt.

V. 15. NOVISSIMI: scilicet fugientium, qui non ita cito se fuga proripere potuerunt. GEZERON. Iosephus habet *Gadara*, sed eadem civitas utroque nomine appellabatur, & dicebatur etiam Gazer. Vide Adrichomium in Ephraim num. 46.

V. 17. NON CONCUPISCATIS SPOLIA: nec ullus se illis oneret, aut eorum detrahendorum causa ordines deserat. QUIA BELLUM CONTRA NOS EST; id est, imminet nobis dimicatio contra vicinum hostem, & ex adverso habentem copias.

V. 18. PROPE NOS IN MONTE: ex irrita scilicet venatione reversus.

V. 19. PARS QUAEDAM: hostilium copiarum. SUCCENDERUNT CASTRA: Iudæi scilicet, castra gentilium.

V. 22. IN CAMPUM ALIENIGENARUM: *in terram*, ut est in Græco.

V. 23. AD SPOLIA: scilicet detrahenda, & colligenda. AURUM, ARGENTUM, HYACINTHUM, ET PURPURAM. Videntur hæc allata fuisse a mercatoribus, qui præter pecuniam etiam merces attulerant, quas victori exercitui venderent, aut cum captivis Iudæis commutarent. HYACINTHUM: lanam, aut vestes coloris hyacinthini. PURPURAM MARINAM, id est tyriam, quæ omnium erat præstantissima, & succo marinorum conchiliorum infecta.

V. 24. CONVERSI, id est reversi. IN CAELUM, id est voce in altum sublata. QUONIAM BONUS, &c. Illud Psalmi ingeminantes: *Confitemini Domino quoniam bo-*

bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.

V. 25. SALUS MAGNA: libertas, victoria, & incolumitas.

V. 30. POTENTIS: scilicet, Goliæ validi, ac robusti bellatoris. IN MANU IONATHAE. Historia habetur I. Reg. XIV. 13.

V. 31. CONCLUDE, id est trade. CONFUNDANTUR IN EXERCITU SUO: licet ingentes habeant copias, ignominiose tamen vincantur.

V. 32. TABEFAC AUDACIAM, &c. τῆξον θράσος. Tabefac, dissolve timore immisso, & compressis ingentibus hostium spiritibus. AUDACIAM VIRTUTIS EORUM: audaciam eorum, quam viribus suis præfidentes conceperunt. COMMOVEANTUR, id est concutiantur; quasi dicat, Deleantur.

V. 32. DILIGENTIUM TE: Iudæorum. COLLAUDENT IN HYMNIS: hymnos tibi decantantes.

V. 36. MUNDARE SANCTA, id est templum purgare, & expiare.

V. 38. SANCTIFICATIONEM, id est templum. VIRGULTA NATA SICUT IN SALTU: quia præsidiarii qui erant in arce irruebant in omnes, qui templum adire volebant, eosque male mulctabant. PASTOPHORIA: quæ tum exedræ, tum gazophylacia, ædiculæ, aut cubicula dicuntur, variis usibus destinata, tam in porticibus, quam ad latera ipsius ædis sanctæ: παςός significat thalamum, inde pastophorium, quasi ferens thalamum, vel via, aut transitus ad thalamum ducens, sive porticus, ut etiam πρόπαςος est locus ante thalamum.

V. 39. ET SCIDERUNT VESTIMENTA SUA, &c. Etsi confuse iam sciebant quam luctuosus esset templi status, tamen obiecta oculis miserabilis eius species lacrymas excivit, & signa doloris, quæ hic recensentur.

V. 40. TUBIS SIGNORUM; id est, quibus solebat signum dari scilicet in bello, vel in festis. Vide Num. X. 2.

V. 41. UT PUGNARENT, &c. si forte erumpentes hostes emundationem templi impedire conarentur.

V. 42. SINE MACULA: qui non essent cæci, vel claudi, vel fracto, vel colliso pede, vel manu ut præscribitur lege Levitici cap. XXI. 17. VOLUNTATEM HABENTES, id est legis servandæ studiosos.

V. 43. LAPIDES CONTAMINATIONIS: simulachra idolorum comminuta, & aras lapideas in eorum honorem excitatas. IN LOCUM IMMUNDUM. Locus hic in quem immunda proiiciebantur erat torrens Cedron, sive convallis Cedron, sive Topheth, ubi comburebantur immunda, & usque ad cineres redigebantur. Vide II. Paral. XXIX. 15. & 16. & IV. Reg. XXIII. 4.

V. 44. ET COGITAVIT: Iudas tamquam Pontifex. PROFANATUM ERAT: vel immundis victimis, vel potius quia illi fuerat impositum idolum desolationis supra cap. I. 57.

V. 45. NE FORTE ILLIS ESSET IN OPPROBRIUM: Iudæos enim Ethnici irrisissent, & illis obiecissent quod communia haberent sacra, & idem altare, quod magnum fuisset dedecus veræ religionis cultoribus. DEMOLITI SUNT ILLUD: lapides tamen quibus superpositum fuerat altare æneum, quia sacris usibus inservierant, non abiecerunt cum ceteris lapidibus profanis.

V. 46. IN MONTE DOMUS: extra templi septa, sed in eodem monte, in quo domus, & templum Domini erat extructum. IN LOCO APTO, id est honesto, & mundo. QUOADUSQUE VENIRET PROPHETA: per quem consultus Dominus responderet quid illis esset faciendum: nam oraculum Domini ex area iam pridem nullum erat. Vide infra cap. XIV. 41.

V. 47. ET ACCEPERUNT LAPIDES INTEGROS: lapides impolitos, quos ferrum non tetigit, iuxta legem, Exod. XX. 25. SECUNDUM ILLUD QUOD FUIT PRIUS: quale illud fuit, quod a Moyse factum describitur Exod. XXXVIII. Nam penuria præsens, post immensas clades, & vastitates Salomonis magnificentiam non admittebat, quam etiam ob causam unius candelabri, & unius mensæ panum fit mentio, quæ dena fecerat Salomon II. Paral. VII. 8. ita Serar. & Salian.

V. 48. AEDIFICAVERUNT SANCTA: partes templi, & atriorum collapsas instaurarunt. SANCTIFICAVERUNT: legitimis videlicet expiationibus.

V. 52. ANTE MATUTINUM, id est diluculo. MENSIS CASLEU: qui nostro Novembri respondet. CENTESIMI QUADRAGESIMI OCTAVI ANNI. Itaque tres fluxerant anni ex quo ædificavit *Rex Antiochus idolum desolationis super altare Dei*; id enim factum

ctum est anno centesimo quadragesimo quinto, ut supra dicitur capite I. 57. Sed obstare videtur quod libro secundo capite X. I. ubi eadem historia narratur, dicitur purgationem templi factam *post biennium*. Dicendum profanationem templi per sacrificia oblata idolo existenti super altare holocaustorum triennium tenuisse, ut dicitur capite I. Libro I. citato. Cum vero dicitur capite X. Libro II. biennium durasse, intelligitur sub Iudæ Pontificatu, nam eo loco sacer textus peculiariter agit de rebus gestis Iudæ, itaque & tempus quo illa gesta sunt, ad ipsum Iudam referendum videtur. Ita Serar. & Salian. alii aliter, apud eosdem suse de hoc disputantes.

V. 54. SECUNDUM TEMPUS, ET SECUNDUM DIEM, &c. Quo tempore, & quo die profanatum fuerat, eadem die instauratum est, nimirum vigesima quinta mensis Casleu: vide supra cap. I. 57. & 62. IN CITHARIS, ET CINYRIS. Hoc loco citharæ a cinyris distinguuntur, sed II. Paralipomenon XXIX. 25. ubi nostra Vulgata habet *in citharis*, Græcus textus habet ἐν κινύραις, *in cinyris*, & huius Libri I. Machabæorum, XIII. 51. citharas eum cinyris copulavit noster interpres, cum Græce tantum legamus ἐν κινύραις *in cinyris*: I. Reg. X. 5. & II. Regum VI. 5. ubi nostra Vulgata habet *in citharis*, Græeus textus legit ἐν κινύραις. Itaque hæc instrumenta musica admodum similia videntur fuisse inter se, & fortasse sola magnitudine, & fidium numero inter se distincta, ut apud nos ea quæ vocamus, *viole*, & *violini*.

V. 55. PROSPERAVIT EIS: prospera omnia illis dedit.

V. 56. SALUTARIS, ET LAUDIS, id est sacrificia pacifica, quæ in actionem gratiarum offerebantur.

V. 57. ORNAVERUNT FACIEM TEMPLI CORONIS AUREIS. Coronare templa non est aliud quam festa fronde illa contegere, & vestire. Dicuntur coronæ aureæ, quia bracteolis aureis frondes illæ aspersæ erant: vel quia inter frondes, ut etiamnum fit, auri stridentis folia pendebant, vel quid simile. Vide Carolum Paschalium de Coronis Lib. IV. cap. XVIII. SCUTULIS. Rex Salomon aurea scuta templo affixerat III. Regum X. Roboam pro illis, ærea ibidem capite XIV. Hi nostri neque scuta, neque ærea, sed scutula quidem, sed tamen aurea. Ita Serarius: verum quia scuta Salomonis, & Roboam in domo saltus Libani, aut in regio armamentario servata dicuntur, nec adhibita ad ornandum templum, sed potius ad cohonestandam pompam Regis ad templum procedentis; crediderim scutula hæc fuisse ornamenta aliqua pendentia in facie templi scuti formam habentia, & deaurata. DEDICAVERUNT: legitimis sanctificationibus & benedictionibus.

V. 58. AVERSUM EST OPPROBRIUM GENTIUM: sublatum est dedecus a gentibus inustum rebus sacris, & templo, quod ab illis idololatrico cultu fuerat dehonestatum. Vel, ita sunt restitutæ res, ut non auderent amplius Gentiles fideli populo insultare.

V. 59. UT AGATUR DIES DEDICATIONIS, &c. Hoc festum appellabant Encænia Ioann. X. 22. id est instaurationis festum, & renovationis.

V. 60. AEDIFICAVERUNT MONTEM SION, &c. Templum erat in Monte Moria, cui a dextera, lævaque imminebant Sion, & Aeramontes, in quibus hæ turres ædificatæ intelliguntur ad templi custodiam.

V. 61. EXERCITUM, id est præsidiarios milites. ET MUNIVIT EUM AD CUSTODIENDAM BETHSURAM. Textus Græcus ambiguus est, an Bethsura munita sit ad custodiam loci sancti, an exercitus qui iuxta templum positus erat, tam templum quam Bethsuram custodiret. Utrumque verum est; sibi enim mutuas operas præstare poterant; prior tamen sensus videtur convenientior, quem secutus Vatablus ita vertit: *Copias ibidem præsidii causa collocaverunt, eidemque tuendo Bethsuram, ut præsidium haberet populus adversus Idumæam.* BETHSURAM: est locus Iudææ munitissimus, quinque stadiis Ierosolyma distans, ut patent Lib. II. capite XI. 5. CONTRA FACIEM IDUMAEAE: unde hostes plerumque Iudæam invadebant.

TIRINI.

Vers. I. & 2. GORGIAS e tribus primariis Antiochi ducibus *a* unus, & cum eo *sex* MILLIA, MOVERUNT CASTRA NOCTE, clam & secreto, UT PERCUTERENT Iudæos SUBITO, ex improviso, nihil adhuc tale exspectantes. His DUCES, seu ductores, ERANT FILII QUI ERANT EX ARCE, id est præsidiarii arcis Ierosolymi-

tanæ *b*, quorum nonnulli viarum periti ad Gorgiam decurrerant. Sed

V. 3. & 4. IUDAS, comperto dolo, prævertit Gorgiam, & quas ipse Iudæis insidias parabat, retorsit in relictas a Gorgia copias IN EMMAUM, ubi præcipue erat *virtus* EXERCITUUM REGIS Antiochi, sed ADHUC DISPERSUS ERAT EXERCITUS A CASTRIS, id est sine ordinibus degebant, non ad modum castrorum bene compositorum, utpote nihil hostile metuentes. Sed milites Iudæ

V. 6. TEGUMENTA, id est loricas, thoraces ferreos, clypeos, ET GLADIOS NON HABEBANT, nempe *sicut volebant*, ut in Græco additur, & etiam in pluribus Latinis, seu manuscriptis, seu editis; quasi dicat: Iudæi quoad arma non erant pro voto suo sat instructi, certe hostibus nulla ex parte æquandi.

V. 14. CONGRESSI nihilominus *contriverunt* illos, & in *fugam* egerunt per *campos* & agros. Qui vero inter fugientes erant

V. 15. NOVISSIMI, OMNES GLADIO trucidati sunt, AD TRIA MILLIA VIRORUM.

V. 16. Hac obtenta victoria non contentus IUDAS, REVERSUS in castrorum Gorgiæ locum spoliis refertum, prudenti sane consilio suos omnes sub signis continuit, NON CONCUPISCATIS, inquit, SPOLIA præpropere & præmature: QUIA BELLUM adhuc CONTRA NOS EST, prius cum hoste cervicibus nostris imminente confligendum nobis, quam spolia legere, vel prædæ incubare possimus.

V. 18. ET enim GORGIAS ET EXERCITUS EIUS, sex electa millia, castris nuper egressi vers. 1. ad nos noctu opprimendos, iam reversi ecce PROPE NOS sunt IN MONTE. Ah quoties victori iam & triumphabundo exercitui præpropere collecta spolia fœdissimam stragem attulerunt! De quo vide Polybium *c*. Recens exemplum orbis universus vidit ad *Agriam*, cum victores Christianorum exercitus præmature ad spolia legenda delapsos Turcæ ex fuga retracti obtuerunt, ceciderunt, in fugam compulerunt. Cautiores hi Iudæi, qui spoliis tantisper abstinentes, victoriam bene cœptam prosequuntur,

V. 20. ET SUCCENDERUNT CASTRA, id est relicta a fugitivis tuguria. Nempe flammis istis voluerunt indicare *Gorgiæ* fusas esse copias eius omnes, & invasa castra; quo & illum terrerent, & in fugam compellerent: uti accidit pro voto. Tum licuit Iudæis per otium spolia legere hostilia, inter quæ, præter alias *opes* nobiliores, repererunt

V. 23. HYACINTHUM, id est vestes plurimas hyacinthinas *d* violacei coloris: ET PURPURAM, non fictam ex vacciniis, vel violis, sed veram, nempe MARINAM, ex ostreis teste Vitruvio & Plinio *e*, qui addit, Tyriam purpuram omnium præstantissimam fuisse. Egi de his fuse Exodi xxv.

V. 28. Pari felicitate Judas ANNO SEQUENTI *Lysiam f* ipsum cum multo maioribus copiis cædit, fugat, sternit. Neque armorum magis quam sacrorum dux felicissimus, post nobilissimas has victorias, interim dum copias suas instaurat Lysias ipse,

V. 36. ASCENDAMUS, inquit, Ierosolymam, MUNDARE SANCTA templi loca, & abolitum Dei cultum RENOVARE, atque instaurare, & postliminio reducere.

V. 38. SANCTIFICATIONEM, id est templum, quod Sancto constabat & sancto sanctorum, VIDERUNT *desertum* esse, uti ET PASTOPHORIA, id est sacerdotum cubicula ad latus templi, ut dixi III. Reg. VI.

V. 43. LAPIDES CONTAMINATIONIS, id est idolorum statuas, bases & aras, de quibus supra *g*, TULERUNT IN LOCUM IMMUNDUM; nempe in *Topheth*, alias dictam *Gehennam*, IV. Reg. XXIII. 10. Sed quid agant

V 44. DE ALTARI HOLOCAUSTORUM, ab Esdra, & aliis sacerdotibus olim exædificato, sed iam per impositam Iovis Olimpii statuam *h* fœde *profanato*? Eluent ne illud & mundabunt, & utentur deinceps? At timebant

V. 45. & 46. NE id FORTE ILLIS cederet IN OPPROBRIUM, tam apud Deum, quam apud homines, eo quod tam fœde *contaminato* altari ad tam sancta sacrificia uterentur, quasi sumptui parcentes in re tam gravi. An ergo deiectum & dissolutum altare, ut reliquas aras profanas idolorum, abiicient in immundam Topheth, seu Gehennam? Verum horrebant, rem Deo semel consecratam, oleoque sancto & ritu sacro dedicatam loco spurco committere. Ergo INCIDIT ILLIS CONSILIUM BONORUM, ut mediæ insisterent viæ, & disso-

solverent quidem altare, sed LAPIDES *reponerent* non in *Topheth*, sed IN LOCO sacro ad id APTO, nempe in angulo aliquo areæ unius in templo, vel etiam extra templum, sed in eodem MONTE Sion, in quo DOMUS Dei, seu templum constructum erat. Ex quibus discimus quanta nunc veneratio debeatur rebus longe sacratioribus *i*, v. g. altaribus Christianorum, vestibus sacerdotalibus, calicibus, cælitum reliquiis, &c. Saltem eo loci putarunt Iudæi lapides istos tantisper adservandos, donec certius quid de illis *responderetur* per *venturum Prophetam*, quicumque is esset Propheta qui primum a Deo mitteretur: vel certe per *Prophetam* intelligunt Christum Messiam, qui nomine Prophetæ sæpius in Scripturis k designatur. Et vero sciebant ex hebdomadibus Danielis paulatim accelerare tempus adventus Messiæ. Nam ab hoc anno 148. regni Græcorum *l*, usque ad Messiæ adventum, seu nativitatem, non effluxerunt nisi 159. anni. Expectabant autem Iudæi ex Messia suo solutionem omnium dubiorum suorum, ut colligitur ex Ioannis IV. 25. *Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia.*

V. 48. QUAE INTRA DOMUM ERANT INTRINSECUS, ET AEDEM; id est, interiota omnia sanctuarii & Sancti sanctorum, ET ATRIA exteriota templi SANCTIFICAVERUNT, id est emundarunt, consecrarunt, dedicarunt:

V. 49. ET INTULERUNT CANDELABRUM septiceps, seu septiramum: ET MENSAM auream, in qua panes sacri proponerentur Deo. Non ergo Salomonico more (qui dena candelabra, & denas mensas in sanctuario posuit, ut dixi III. Reg. VI.) sed Mosaico, (qui non nisi unum e singulis habebat] templum hoc suum instruxerunt Iudæi.

V. 54. SECUNDUM TEMPUS ET SECUNDUM DIEM; id est, eodem prorsus die, nempe 25. *mensis noni Casleu*, id est 14. nostri Decembris (inquit Scaliger *m*) quo cœpit profanatio templi per profana & idololatrica sacrificia, I. Mach. I. 62. eodem etiam desiit vertente triennio, ut hic & Lib. II. cap. X. 5. diserte affirmatur. Nam *biennium*, cuius ibi vers. 3. mentio fit, non respicit initium profanationis templi, sed initium principatus Iudæ, ut legenti *n* patet. Et licet ibi hæc templi repurgatio narretur post enarratam Antiochi mortem, non tamen dicitur, accidisse illam post illius mortem: & ex hoc Lib. I. cap. IV. constat, accidisse anno Græcorum 148. cum Antiochus non sit mortuus nisi anno 149. ut dicitur cap. VI. 16. Sicut vero idem hic dies obtigit sacrilegio & consecrationi, tenebris & luci, calamitati & lætitiæ ita notat Iosephus *o*, eumdem quoque mensem & diem obtigisse excidio Ierosolymorum per Nabuchodonosorem, & per Titum, ut dixi in fine Chronici. Porro *innovatio* hæc, seu nova templi & altaris dedicatio facta fuit cum CITHARIS ET CINYRIS, musicis instrumentis, quæ aliquando pro iisdem sumuntur, v. g. II. Paralip. IX. 11. ubi pro Græco *cinyris*, Latinus vertit *citharas*. Aliquando distinguuntur, ut hic & alibi *p*.

V. 59. STATUIT IUDAS ET UNIVERSA Iudæorum ECCLESIA, UT festum hoc DEDICATIONIS quotannis exinceps per octiduum celebretur. De quibus *encæniis*, etiam Beza *q* teste, & aliis Calvinistis, meminit Ioannes X. 22. *Facta sunt encænia in Ierosolymis, & hiems erat*. Quod de encæniis Salomonicis mense Tisri, seu Septembri, III. Reg. VIII. de encæniis Esdræ, mense Adar, seu Februario nostro, I. Esdr. VI. commode intelligi nequit, quia tunc in Iudæa proprie non est hiems, nam post medium sequentis mensis *Nisan* spicas maturas colligebant, & postridie Paschæ Deo offerebant.

V. 60. ET AEDIFICAVERUNT MONTEM SION; id est, arcem præsidiariam construxerunt in monte Sion, ex opposito arcis hostilis, I. Mach. I. 35. Licet enim coercuerit excursionem præsidiariorum hostilium Iudas, interim dum templum repurgaretur, ut vidimus hoc cap. IV. 41. certum tamen est, ipsum arce hostili potitum non fuisse tum temporis; nam biennio post, nempe anno 150. Græcorum, ut cap. VI. 20. narratur, cœpit demum illam obsidere: nec nisi post 23. annos, nempe 171. anno Græcorum, ea arce potiti sunt Iudæi, cap. XIII. 50. Ergo ad compescendos hostes, ne more consueto erumperent, & templum infestarent, novam hanc illis arcem obiecerunt Iudæi, forte parte una extimæ areæ templi in eum usum conversa, ut insinuatur eod. cap. VI. 51. Constru-

ſtruxit inſuper Iudas & aliam munitionem contra *Idumaeos*

V. 61. In urbe *Bethſura* quinto ſtadio *r* ab Ieroſolymis, ubi intra montium fauces & anguſtias munitionem inſignem erexit, Thermopyrarum inſtar, inquit Ioſephus *ſ*, quæ *Lacedæmoniorum* virtute toto orbe celebrantur. Vide eumdem *t* de pluribus aliis Machabæorum ædificiis.

(a) Sopra III. 38.
(b) Cap. I. 35.
(c) Polyb. Lib. X.
(d) Exodi XXV. verſ. 4.
(e) Vitruv. Lib. VII. cap. XIV. Plin. Lib. IV. cap. XXXVIII. & XXXIX.
(f) I. Mach. III. 32.
(g) Cap. I. 50. & Lib. II. cap. X.
(h) I. Mach. I. 57. 62.
(i) Cap. *Altaris*, de conſecrat. diſt. I.
(k) Deut. XVIII. 15. & I. Mach. XIV. 41.
(l) Hic I. Machab. IV. 52.
(m) Scalig. Lib. V. Emend. tempor.
(n) Hic cap. II. ult. & IV. 52.
(o) Ioſeph. Lib. VI. Capt. cap. XXVI.
(p) I. Mach. III. 52.
(q) Beza in Ioan. X. 22. Biblia Calviniſtar. in margine huius loci.
(r) Hic cap. VI. 7. 31. 40. & IX. 52. & 65. & XIV. 7. & 33. Lib. II. cap. XI. 5.
(ſ) Ioſeph. Lib. XII. cap. IX. Lib. XIV. cap. XVI.
(t) Ioſeph. Lib. XV. cap. ult. & Lib. XX. cap VII. & Lib. II. Captivit. cap. XXVIII. & Lib. V. c. XIII.

GORDONI.

Verſ. 1. HIc de tertio agitur prælio, quod geſſit Iudas: ubi habent reges & duces viam præclaram ad victoriam, per vitæ innocentiam, & invocationem divini nominis. Ceterum quæ in tertio prælio vel præcefferunt pugnam, vel ſubſequuta ſunt, vel in ipſo conflictu acciderunt; ex his capitibus tertio & quarto ſatis ſunt manifeſta.

V. 4. Induſtria Iuda eſt, qui copias regias nondum unitas aggreditur. Interim Iuda eunte in Emmaum, Gor invadit caſtra Iudæorum.

Reliquum Capitis 4.

Lyſias armatur ad quartum prælium, verſ. 28. Venitur ad Bethoron, 29. orat Iudas, verſ. 30. vincit, 34. Lyſias redit Antiochiam, 35. Mundatur Templum, verſ. 36. & deinceps. Acta res eſt ann. Græcorum 148. verſ. 52. Statuitur feſtum dedicationis, verſ. 59.

His adde ex Lib. II. cap. X. a verſiculo I. uſque ad verſ. 9. ubi etiam agitur de purgato Templo eodem die quo pollutum fuit. Hæret adhuc Antiochus in Perſide.

V. 15. GEZERON: Ioſepho eſt Gadara.

V. 26. Hic habent, quod probare, laudareque deberent Novatores de Templorum purgatione, novi altaris extructione, & dedicatione. Similia de Encæniis pleraque dant Exodus & liber tertius Regum ſub Salomone.

V. 30. POTENTIS. Hic eſt Golias gigas.

V. 38. SANCTIFICATIO. Hic eſt ipſum templum, vel pars, quæ dicebatur Sancta Sanctorum. Paſtophoria ſunt exedræ, & cubicula, ubi ſervabantur res ſacræ. Ceterum non fuit dirutum templum ſub Antiocho, ſed labefactatum, & vaſtatum ignibus: tamen altare novum poſitum eſt, & dedicatum. Supra vero dixi, narrari quidem dedicationem hanc duobus in locis, nempe hic & Lib. II. cap. X. ſemel tamen factam; idque ante mortem Antiochi & anno Seleucidarum 148. hic Lib. I. cap. IV. 52. tertio nempe anno præciſe a profanatione: nam quo die cœpit, eodem deſiit profanatio: ibid. verſ. 54. At dicet aliquis, ex Lib. II. cap. X. 3. oblatum dici ſacrificium poſt biennium. Certe poſt biennium fuit, ſi intervenit triennium; tamen deſignatio hæc per exactum biennium eſt Chaldaica, quæ liberior eſt in colligendis annis. Ioſephus addit ad triennium ſolidum ſex menſes; ſed hoc Ioſephi commentum eſt, immo ipſe Lib. XII. cap. XI. dat purum triennium, *menſe Caſleu*, nobis November eſt: an vero 2300. dies, de quibus Dan. VIII. 14. ad hanc templi profanationem poſſint aptari, ibidem dicendum eſt: vide Serrar. Lib. I. cap. VI. quæſt. V. denique hæc putantur encænia, de quibus Chriſtus Ioan. X. 22.

V. 40. TUBIS. Vide Num. X. 2.

V. 42. SINE MACULA. Vide Levit. XXI. 17.

V. 43. LAPIDES CONTAMINATIONIS: erant ex dirutis aris idolorum.

V. 46. IN MONTE. Extra templum, ſed in monte templi, loco honeſto.

V. 47. Hic apparatus non æquabat Salomonicum.

V. 48. SANCTA: partes templi dirutas reſtaurant & atriorum.

V. 56. SALUTARIS. Sunt sacrificia pacifica, quæ offerri solebant in gratiarum actionem.

V. 57. CORONIS. Festa fronde & tridentis auri foliis, scutula non aurea, ut Salomonis, nec ærea ut Roboami, sed sunt aurata quædam ornamenta ad modum scutuli.

V. 60. AEDIFICAVERUNT MONTEM. Muniverunt turres in monte Sion, qui erat templo vicinus.

V. 61. Urbs montana prope Ierusalem, ex Lib. II. cap. xi. 5.



CAPUT V.

Percussit Iudas plurimas Gentes finitimas: obsessosque Galaaditas & Galilæos ipse una cum fratre Simone liberat: & devicto semel atque iterum Timotheo, captaque civitate Ephron, quæ transitum ipsi præbere noluerat, & omni masculo ipsius interempto; tandem integro numero læti revertuntur in montem Sion ad sacrificandum Domino: interea qui relicti fuerant duces in Ierusalem, dum contra Iudæ præceptum pugnant adversus Gentes, cæduntur: Iudas vero percutit Chebron & Azotum, subversis ipsarum simulachris.

1. T factum est ut audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare, & sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valde: 2. & cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo, & perlequi. 3. Et debellabat Iudas filios Esau in Idumæa, * & eos qui erant in Acrabathane, quia circumsedebant Israelitas, & percussit eos plaga magna. 4. Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, & in scandalum, insidiantes ei in via. 5. Et conclusi sunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni, cum omnibus qui in eis erant. 6. Et transivit ad filios Ammon, & invenit manum fortem, & populum copiosum, & Timotheum ducem ipsorum: 7. & commisit cum eis prælia multa, & contriti sunt in conspectu eorum, & percussit eos: 8. & cepit Gazer civitatem, & filias eius, & reversus est in Iudæam. 9. Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad, adversus Israelitas qui erant in finibus eorum, ut tollerent eos: & fugerunt in Datheman munitionem, 10. & miserunt litteras ad Iudam & fratres eius, dicentes: Congregatæ sunt adversum nos gentes per circuitum, ut nos auferant: 11. & parant venire, & occupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus est dux exercitus eorum. 12. Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis. 13. Et omnes fratres nostri, qui erant in locis Tubin, interfecti sunt: & captivas duxerunt uxores eorum, & natos, & spolia, & peremerunt illic fere mille viros. 14. Et adhuc epistolæ legebantur, & ecce alii nuntii venerunt de Galilæa conscissis tunicis, nuntiantes secundum verba hæc: 15. dicentes convenisse adversum se a Ptolemaida, & Tyro, & Sidone: & repleta est omnis Galilæa alienigenis, ut nos consumant. 16. Ut audivit autem Iudas,

non poterimus sustinere eum: quia' potens poterit adversum nos: 41. si vero timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus adversus illum. 42. Ut autem appropinquavit Iudas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, & mandavit eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis: sed veniant omnes in prælium. 43. Et transfretavit ad illos prior, & omnis populus post eum, & contritæ sunt omnes gentes a facie eorum, & proiecerunt arma sua, & fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim. 44. Et occupavit ipsam civitatem, & fanum succendit igni, * cum omnibus qui erant in ipso: & oppressa est Carnaim, & non potuit sustinere] contra faciem Iudæ. 45. Et congregavit Iudas universos Israelitas, qui erant in Galaaditide, a minimo usque ad maximum, & uxores eorum, & natos, & exercitum magnum valde, ut venirent in terram Iuda. 46. Et venerunt usque Ephron: & hæc civitas magna in ingressu posita, munita valde, & non erat declinare ab ea dextera vel sinistra, sed per mediam iter erat. 47. Et incluserunt se qui erant in civitate, & obstruxerunt portas lapidibus: & misit ad eos Iudas verbis pacificis, 48. dicens: Transeamus per terram vestram, ut eamus in terram nostram: & nemo vobis nocebit: tantum pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire. 49. Et præcepit Iudas prædicare in castris, ut applicarent unusquisque in quo erat loco: 50. & applicuerunt se viri virtutis: & oppugnavit civitatem illam tota die, & tota nocte, & tradita est civitas in manu eius: 51. & peremerunt omnem masculum in ore gladii, & eradicavit eam, & accepit spolia eius, & transivit per totam civitatem super interfectos. 52. Et transgressi sunt Iordanem in campo magno, contra faciem Bethsan. 53. Et erat Iudas congregans extremos, & exhortabatur populum per totam viam, donec venirent in terram Iuda. 54. Et ascenderunt in montem Sion cum lætitia & gaudio, & obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis cecidisset, donec reverterentur in pace. 55. Et in diebus, quibus erat Iudas & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater eius in Galilæa contra faciem Ptolemaidis, 56. audivit Iosephus Zachariæ filius, * & Azarias princeps virtutis, res bene gestas, & prælia quæ facta sunt, 57. & dixit: faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes, quæ in circuitu nostro sunt. 58. Et præcepit his qui erant in exercitu suo, & abierunt Iamniam. 59. Et exivit Gorgias de civitate, & viri eius obviam illis in pugnam. 60. Et fugati sunt Iosephus & Azarias usque ad fines Iudææ]: & ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, * & facta est fuga magna in populo: 61. quia non audierunt Iudam, & fratres eius, existimantes fortiter se facturos]. 62. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel. 63. Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, & gentium omnium ubi audiebatur nomen eorum. 64. Et convenerunt ad eos fausta acclamantes. 65. Et exivit Iudas, & fratres eius, & expugnabant filios Esau, in terra quæ ad Austrum est, & percussit Chebron & filias eius: & muros eius & turres succendit igni in circuitu. 66. Et movit castra ut iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam. 67. In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt

lunt fortiter facere, dum fine confilio exeunt in prælium. 68. Et declinavit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & fculptilia deorum ipforum fuccendit igni: & cepit fpolia civitatum, & reverfus eft in terram Iuda.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verf. 3. Et eos qui erant in Acrabathane. Plerique libri vocem *Acrabathane* male fcribunt omiffa littera *e*, quæ tertia quidem eft alphabeti, huius autem dictionis fecunda.

Verf. 30. Et expugnarent eos. Alii legunt *expugnabant.*

Verf. 35. Et fumpfit fpolia eius. Non fupponas verbum compofitum *affumpfit* pro fimplici *fumpfit.*

Verf. 44. Cum omnibus qui erant in ipfo. Pro mafculino *qui* multi libri habent neutrum *quæ*. Græcum ambiguum eft.

Verf. 56. Et Azarias princeps virtutis. Correctores prætulerunt fingulare *princeps* plurali *principes.*

Verf. 60. Et facta eft fuga magna in populo. Correctores recte emendarunt *fuga* pro eo quod vulgo legitur *plaga*, quod amplius eft.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 2. ERANT, id eft habitabant.

V. 3. CIRCUMSEDEBANT, id eft obfidebant.

V. 4. SCANDALUM, id eft offendiculum.

V. 5. ANATHEMATIZAVIT, id eft deftruxit penitus.

V. 8. FILIAS, id eft vicos, feu oppida fubiecta.

V. 9. DATHEMAN. Erat in monte Galaad.

V. 10. PER CIRCUITUM. Græc. *quæ circum nos funt.*

V. 13. SPOLIA. Græc. *fupellectilem.*

V. 14. SECUNDUM VERBA HAEC, id eft fimilia.

V. 16. ECCLESIA, id eft concio, feu conventus populi. COGITARE, id eft confultare. EXPUGNABANTUR AB EIS, id eft oppugnabantur ab illis, fcilicet hoftibus.

V. 21. A FACIE EIUS; pro, ab eo.

V. 26. COMPREHENSI, id eft capti, vel conclufi, fcilicet ne poffent exire.

V. 29. MUNITIONEM, fcilicet in qua Iudæi conclufi.

V. 30. EOS, fcilicet qui intus erant.

V. 33. ORDINIBUS, fcilicet militum difpofitis per diverfa loca. ORATIONE, fcilicet ad Deum.

V. 34. EOS, fcilicet hoftes Iudæ.

V. 40. POTENS POTERIT, id eft prævalebit.

V. 42. SCRIBAS, fcilicet qui defcriptos habebant milites.

V. 43. TRANSFRETAVIT, id eft traiecit.

V. 46. EPHRON. Civitas ultra Iordanem: videtur effe quæ Ioannis XI. dicitur *Ephrem*. INGRESSU, id eft tranfitu. ERAT, fcilicet faciendum.

V. 48. PEDIBUS; quafi dicat, Recta iter facientes, nec in aliud intenti.

V. 50. VIRTUTIS, id eft fortes.

V. 52. CONTRA FACIEM, id eft e regione, feu in confpectu, vel prope.

V. 54. DONEC. Nota id *donec*; nec enim fignificat reverfos cecidiffe.

V. 56. VIRTUTIS, id eft exercitus.

V. 62. FACTA EST; pro, facienda erat.

V. 63. VIRI IUDA. Græc. *vir Iudas, & fratres eius.*

V. 67. SACERDOTES, fcilicet de quibus fupra.

E S T I I.

Verf. 40. ET AIT TIMOTHEUS PRINCIPIBUS EXERCITUS SUI: SI TRANSIERIT IUDAS AD NOS PRIOR, NON POTERIMUS SUSTINERE EUM. Sermonem hunc Timothei rei probavit eventus. Sequi-

quitur enim: vers. 43. ET TRANSFRETAVIT AD ILLOS PRIOR IUDAS, ET CONTRITAE SUNT OMNES GENTES A FACIE EORUM. Simile quid habemus I. Reg. XIV. dictum a Ionatha ad armigerum suum, ubi & similiter eventus sermonem probavit. Quaeritur ergo utrum signum, quod uterque, tum Ionathas, tum Timotheus sibi proposuit ad eventum belli, non fuerit superstitiosum? De Ionatha quidem respondendum videtur, quia signum ab eo propositum, paulo post divino miraculo fuit comprobatum, etiam signum ipsum, divina inspiratione fuisse ei demonstratum. Ita sentit Iosephus in antiquitat. Videlicet Ionatham fusis ad Deum precibus pro victoria contra Philistaeos, accepisse a Deo dicti signi revelationem. De Timotheo autem duobus modis responderi potest; vel per superstitionem eum sibi suisque tale signum proposuisse, quod esset homo divinationi deditus, & quod talibus hominibus saepe Deus huiusmodi evenire permittat, ut docet August. in enchiridio; vel signum illud ex parte fuisse naturale, & mortale. Transitus enim fluvii in fines hostiles, audaciae & confidentiae magnae signum erat. Itaque ex transitu hostium merito praesagiebat & illorum victoriam, & suorum cladem.

V. 60. ET FUGATI SUNT IOSEPHUS ET AZARIAS USQUE IN FINES IUDAEAE, ET CECIDERUNT ILLO DIE DE POPULO ISRAEL AD DUO MILLIA VIRI. Causam infelicis pugnae non tacuit Scriptura, immo tres causas adfert. Primam, cum ait: *Quia non audierunt Iudam fratres eius*. En prima causa. Iudas enim diserte praeceperat iis, ne bellum cum gentibus committerent, donec ipse reverteretur. Quod ergo ab iis contra ducis iussionem tentatum est, merito cessit infeliciter. Secunda causa indicatur, cum ait; *Existimantes fortiter se facturos*, id est gloriam fortitudinis aucupantes. Dixerant enim: *Faciamus & ipsi nobis nomen;* ac si dicant: Faciamus aliquid aeterna memoria dignum, & nomen nostrum posteritati consecremus. Hinc quoque discimus minus succedere eas expeditiones bellicas, quae non pure ad honorem Dei, & ecclesiae, sed ad inanem gloriam, & nominis celebritatem, consequendam (ut saepe fit) suscipiuntur. Tertia causa est, cum dicitur, *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel*, quorum verborum sensus est; quod Deus multis iudiciis iam satis declaraverat se ad bellum illud gerendum pro populo Dei contra gentes peculiariter delegisse, immo suscitasse Duces Mathathiam, & filios eius. Quoniam ergo Iosephus & Azarias non erant de semine illorum, & temere auctoritatem pugnandi sibi sumpserant, hinc merito suae temeritatis dederunt poenas.

MARIANAE.

Vers. 1. ET FACTUM EST. Hoc capite multa bella a Machabaeis prospere contra finitimas Gentes gesta continentur, contra Idumaeos, filios Bean, & alios.

V. 3. QUI ERANT IN ACRABATHANE debellavit Iudas. Graece *Achrabathina*. Sic in Iosepho Lib. III. de bello, cap. III. & Plinio Lib. V. cap. XIV. Plerique *Arabathane* scribunt. Idumaeae civitas fuisse videtur. Plinius in Iudaea ponit. QUIA CIRCUMSEDEBANT ISRAELITAS. Obsidebant aliquod Iudaeorum oppidum. Recordatus est Iudas

V. 4. FILIORUM BEAN. Hanc volunt esse urbem Amorrhaeorum ultra Iordanem, quae *Beon* vocatur Num. XXXII. 3. Ergo Iudas *recordatus est malitiae filiorum Bean*, id est civium. INSIDIANTES ET IN VIA. Latrones ex ea urbe obsidebant itinera.

V. 5. ANATEMATIZAVIT EOS, id est decrevit eos penitus delere. Quid sit *anathema*, dictum est Iosue VI. 7.

V. 7. CONTRITI SUNT IN CONSPECTU EORUM Ammonitae. Graece, *in conspectu eius*, id est ab eo, scilicet Iuda, de quo mox sequitur: ET PERCUSSIT EOS.

V. 8. CEPIT GAZER. Urbs Ammonitarum. Alia *Gazer* in Iudaea & prope Ierusalem, de qua Iosue X. 33. quam I. Par. XIV. 16. *Gazaram* vocat, Iosephus Lib. V. Antiq. cap. I. *Gadaram*. ET FILIAS EIUS. Vicos, qui in agro eius urbis erant, cepit.

V. 9. CONGRAEGATAE SUNT GENTES QUAE SUNT IN GALAAD. Haec regio est ultra Iordanem, ubi dimidia tribus Manassis: Gen. XXXI. 21. Porro *Datheman* & *Tubin* arces aut oppida iis in locis erant.

V. 15. ET REPLETA EST OMNIS GALILAEA ALIENIGENIS. Græce, *Et omnem Galilaam alienigenarum*, ſcilicet nuntiaverunt conveniſſe copias. Gotth. *a Ptolemaide, & Tyro, & Sidone, & omni Galilæa conveniſſe*, ſcilicet nuntiaverunt. ALIENIGENIS: *allophylis*, id eſt Philiſthæis. Ergo ex omni Galilæa convenerunt Philiſthæi. Duplex *Galilæa* erat, inferior & ſuperior, quæ & *Galilæa Gentium* dicebatur, Tyro & Sidoni finitima. De ea agi videtur.

V. 17. IBIMUS IN GALAADITIM ego & Ionathas, id eſt in Galaad.

V. 20. ET PARTITI SUNT SIMONI: ἐμερίσθησαν Græce, id eſt *diſtributa ſunt*. Regia, *Et data ſunt Simoni virorum tria millia*. Gotth. *dati ſunt Simoni viri tria millia*.

V. 21. CONTRITAE SUNT GENTES A FACIE EIUS, id eſt ab eo, a Simone.

V. 23. ASSUMPSIT EOS: quos? Iſraelitas, quos Gentes opprimere voluerant. Deduxit illos in Iudæam, ut tuti eſſent ab iniuria.

V. 26. MULTI EX EIS, (ſcilicet Iſraelitis) COMPREHENSI SUNT, id eſt obſeſſi intra civitates illas quas nominat.

V. 28. IN DESERTUM BOSOR. Civitas Moabitarum trans Iordanem in tribu Ruben, ſed Levitis data: Ioſ. xx. 8.

V. 33. CLAMAVERUNT IN ORATIONE, id eſt orabant voce magna, & clamantes.

V. 35. DIVERTIT IUDAS IN MASPHA. Erat *Maſpha* in tribu Iuda, de qua cap. III. 46. Erat altera in terra Galaad: I. Reg. xxii. 3. & de illa hic eſt ſermo.

V. 37. CASTRA POSUIT CONTRA RAPHON Timotheus, id eſt e regione Raphon. Videtur eſſe urbis nomen. TRANS TORRENTEM: non deſignat nomen eius torrentis, nec nos divinamus. Sed is *torrens*, *fluvius* vocatur verſ. 41. neque inſolens, ut *fluvii*, *torrentes* vocentur. Lucanus Lib. IX. Nilum *torrentem* vocat. Ita puto eum torrentem fuiſſe fluvium, quo Raphon alluebatur.

V. 39. ARABAS CONDUXERUNT. Gotth. *conduxit*, ſcilicet Timotheus. Sic etiam Græce.

V. 41. POSUERIT CASTRA EXTRA FLUMEN: πέραν τοῦ ποταμοῦ, *trans flumen*, ſcilicet medio inter utroſque fluvio. Iudas

V. 2. STATUIT SCRIBAS, id eſt præfectos, duces, centuriones.

V. 46. VENERUNT USQUE EPHRON. Videtur fuiſſe in aditu Galaad & ultra Iordanem urbs munita, ut dicitur II. Mach. XII. 27. diſtincta ab Ephrem de qua Ioan. XI. 54. Hæc enim erat prope Iordanem. Nec hæ duæ urbes Hebraice ſcribuntur eodem modo, ſed multo aliter; quod ad eum Ioannis locum non advertimus. NON ERAT DECLINARE AB EA DEXTERA VEL SINISTRA; pro *ad dexteram vel ſiniſtram*, ut eſt Græce.

V. 52. IN CAMPO MAGNO; pro, in campum magnum. Vocatur *Aulon*, & *Vallis Silveſtris*, Gen. XIV. 3. Maiori ex parte eam cooperuit Mare mortuum poſt Sodomæ incendium. CONTRA FACIEM BETHSAN, id eſt e regione eius. Gotth. *contra Bethſan* ſententia eadem. Vox *facies* ſæpe redundat.

V. 53. ERAT IUDAS CONGREGANS EXTREMOS: noviſſimum agmen curabat, ſcilicet ne aliquis dilaberetur, aut laſſus ſubſiſteret.

V. 56. AZARIAS PRINCEPS VIRTUTIS: δυνάμεως, *exercitus*, militibus præfectus.

V. 60. ET FACTA EST FUGA: τροπή. Sic etiam Gotth non *plaga*, ut quidam codices; quaſi dicat, Præter occiſos alii fugerunt.

V. 62. NON ERANT DE SEMINE, id eſt non erant ad id opus a Deo deſtinati. Sine divina vocatione vix quidquam bene ſuccedit.

V. 66. IN TERRAM ALIENIGENARUM. Ἀλλοφύλων, Philiſthinorum.

V. 67. CECIDERUNT SACERDOTES IN BELLO. Græce, *ſacerdotes urbium*. Revertitur ad ſuperiora, & ad expeditionem Azariæ. DUM VOLUNT, &c. Gotth. *dum vult fortiter agere, & ſine conſilio exit*, ſcilicet Azarias. Græca etiam ſunt in ſingulari: *Volente eo fortiter agere, & exire ſine conſilio*. Multi etiam codices Latini hæc verba in ſingulari ponunt.

MENOCHII.

Verſ. 1. ERANT, id eſt habitabant.
Verſ. 2. IN ACRABATHANE. Acrabata (inquit Adrichomius in deſcriptione dimidiæ tribus Manaſſis iuxta Iordanem num. 4.) urbs una ex undecim Iudææ toparchiis, forte tertia, a qua Acrabatena, ſeu Acrabitena toparchia, & regio-

no-

nomen habet: terminus est Samariæ, quemadmodum & Hieron. in locis Heb. confinium Amorrhæorum Acrabatane vocari docet.

V. 4. Filiorum Bean: qui sint filii Bean obscurum est, cum hoc tantum loco eorum mentio fiat in sacris litteris. Iosephus significat fuisse Idumæos. In laqueum, &c. Quomodo essent Iudæis in laqueum, & scandalum, statim explicatur cum dicitur, insidiantes ei in via.

V. 5. Anathematizavit: penitus destruxit, ut destructa est Iericho a Iosue, qui sic de illa militibus suis præcepit: *sit civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino*: Iosue vi. 17. Hebræi anathema חרם *Cherem* vocant, id est occisionem, perditionem, excisionem, devotionem, &c. a radice חרם *Charam*, quæ occidere significat.

V. 8. Gazer. In textu Græco est ἰαζὴρ, de qua Iosue xiii. enim 24. & videtur distincta a Gazer, quæ est cis Iordanem in tribu Ephraim, cum Iazer sit in tribu Gad. Filias eius, id est vicos, sive oppida Iazer subiecta.

V. 9. Datheman: erat in monte Galaad, inter Bosor, & Maspha.

V. 12. Cecidit multitudo de nobis: multi e nostris ab hostibus cæsi sunt.

V. 13. In locis Tubin. In Græco est ἐν τοῖς τωβίου, *in locis Tobiæ*: vide dicta infra num. 25. Spolia. ἀποσκευὴν, *supellectilem*.

V. 14. Secundum verba haec, id est similia. Vel potius dicentes, & nuntiantes, quæ sequuntur.

V. 16. Ecclesia, id est concio, sive conventus populi. Cogitare, id est consultare. Expugnabantur, id est oppugnabantur; nam in Græco est πολεμουμένοις.

V. 20. Partiti sunt: passive sumitur, in Græco enim est, ἐμερίσθησαν.

V. 23. Assumpsit eos qui erant in Galilaea, &c. eos inde abducunt ut remotiores sint, & a periculo tutiores. Et in Arbatis. Quæ sint Arbata non satis constat: apparet tamen esse oppidum, aut regiunculam Galilææ. Inde fortasse oriundus fuit Abialbon Arbathites, unus de fortibus David, II. Reg. xxiii. 31.

V. 24. Per desertum: quod appellatur desertum, sive solitudo Bosor ab hac civitate, quæ illic sita est: Iosue xx. 8. & xxi. 36.

V. 25. Nabuthaei: populi Arabiæ, qui etiam dicuntur Nabatheni, & Nabathæi, & Tubianæi. Vide Adrichomium in descriptione dimidiæ partis Manasse ultra Iordanem num. 12.

V. 26. Comprehensi, id est capti, vel conclusi scilicet ne possint exire.

V. 27. Constituerunt admovere exercitum: nimirum hostes Iudæorum.

V. 28. Occupavit civitatem, scilicet Bosor.

V. 29. Munitionem, scilicet in qua Iudæi erant conclusi Datheman.

V. 30. Eos; qui scilicet intus erant.

V. 31. Clamor belli ascendit ad caelum sicut tuba. In Græco est, καὶ ἡ κραυγὴ τῆς πόλεως ἀνέβη εἰς τὸν οὐρανὸν σάλπιγξι, καὶ φωνῇ μεγάλῃ; id est, *& clamor civitatis ascendit in cælum, tubis & voce magna*. Itaque significatur eos qui intra munitionem conclusi erant clamorem ad cælum extulisse, & tubis insonuisse, ad implorandum divinum auxilium, & acuendos animos in prælium.

V. 33. Ordinibus, scilicet militum dispositis per diversa loca.

V. 34. Post eos; scilicet, hostes Iudæorum. Clamaverunt in oratione, scilicet orantes Deum, & ad illum clamantes, ut propitius adesset, & Dei nomen Adonai ingeminantes, vel sabaoth, vel quid simile.

V. 37. Trans torrentem: cum Adrichomius in tribu Gad num. 23. putat esse Iaboc, vel Ieboc, quo dividebatur tribus Gad a tribu Manasse trans Iordanem, Iosue xii. 2. Deut. iii. 16. sed Raphon prætermisit, quam urbem fuisse Iosephus affirmat Lib. XII. cap. xii.

V. 40. Si transierit ad nos prior: simile omen captavit Ionathas I. Reg. xiv. 9. vide ibi notata. Potens poterit, id est prævalebit.

V. 42. Scribas populi: qui scilicet descriptos habebant milites, & tribuni militum erant, vel centuriones.

V. 43. Transfretavit: torrentem transmisit.

V. 45. Congregavit: sive ut tutiores essent ab hostibus; sive ut a periculo amittendæ religionis removerentur; sive ut

ut terram Iuda cladibus desolatam frequentem redderet.

V. 46. USQUE EPHRON. Et Ephron trans Iordanem civitas munita, cuius mentio habetur infra Lib. II. cap. XII. 27. & II. Par. XIII. 19. Neque est eadem cum Ephrem: de qua Io. XI. 54. & hoc Lib. cap. XI. 34. Nam ut ait Toletus loco cit. S. Ioan. annot. XIX. differunt & situ, & scriptione, cum unius principium sit ע *hain*, alterius א *Aleph*. IN INGRESSU: in transitu. ITER ERAT: necessario faciendum.

V. 48. PEDIBUS; quasi dicat, Recta iter facientes, nec in aliud intenti.

V. 49. PRAEDICARE: edici per praeconem. APPLICARET. Invaderet. VIRI VIRTUTIS. Viri exercitus. Vel ἄνδρες δυνάμεως idem est, ac viri fortes. Italice dicimus, *uomini di valore*.

V. 51. ERADICAVIT EAM: omnibus masculis qui stirpem renovarent ferro sublatis.

V. 52. CONTRA FACIEM, id est e regione, seu in conspectu, vel prope. BETHSAN. Eam urbem locat Adrichomius in tribu Issachsr, Scythopolim dictam a Graecis ait Iosephus. CONGREGANS EXTREMOS: eos qui cunctabantur, vel prae ignavia, vel prae infirmitate, nimiaque defatigatione in postremis haerebant, urgebat, & colligebat, ne quid mali illis accideret. Hoc est quod in Graeco significanter dicitur, ἐπισυνάγων τοὺς ἐσχατίζοντας.

V. 56. IOSEPHUS ZACHARIAE FILIUS, &c. de quibus supra hoc eodem cap. 18.

V. 57. FACIAMUS NOBIS NOMEN: paremus nobis famam: nomen nostrum inclytum faciamus.

V. 58. ABIERUNT IAMNIAM: civitas est maritima in tribu Dan, quam Adrichomius prope Ioppen collocat. Hanc urbem tenebat Gorgias, quem Scriptura Lib. II. cap. VIII. 9. belli scientissimum appellat.

V. 62. NON ERANT DE SEMINE VIRORUM ILLORUM: non erant ex Machabaeorum familia, quam Dominus elegerat, ut per illam salus fideli populo contingeret. FACTA EST: facienda erat.

V. 63. VIRI IUDA. In Graeco est, ὁ ἀνὴρ Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, id est *Vir Iudas & fratres eius*.

V. 65. CHEBRON: urbs in montanis Iudaeae, quam hoc tempore tenebant Idumaei.

V. 66. ALIENIGENARUM: Philisthaeorum.

V. 67. SACERDOTES; scilicet, Iosephus, & Azarias, de quibus num. 56.

V. 68. IN AZOTUM: quae erat una ex quinque satrapiis Philisthaeorum.

TIRINI.

Vers. 3. ACrabathanos, ex Idumaeorum numero, *obsidentes* oppidum aliquod *Israelitarum* percutit Iudas. Dein

V. 4. *Beanitas*, forsan ab urbe *Beon* Amorrhaeorum, Num. XXXII. 3. sic nominatos *anathematizat a*, id est funditus delet, eo quod essent Iudaeis IN LAQUEUM ET IN SCANDALUM: instar latronum ex insidiis erumpentes in inermes & incautos viatores.

V. 8. CEPIT GAZER Ammonitarum urbem, de qua Iosue XIII. 25. Neque enim hic agitur de *Gazara* Iudaeae, I. Paralip. XIV. 16. & Iosue X. 33. Exin divisis copiis Iudas in *Galaaditidem* concessit, Simon in *Galilaeam:* e qua

V. 23. ASSUMPSIT Iudaeos, seu Israelitas, incolas eius regionis, sed ob Philisthaeorum aliorumque Gentilium viciniam minus tutos, *transtulit* IN IUDAEAM. Neque enim poterant Iudaei tam vastae regioni, & a Iudaea remotae praesidio nunc esse, cum numero essent admodum exiguo, & urbes Galilaeae simul & vici recenserentur 204. teste Iosepho *b*, *quorum minus contineret incolas plusquam quindecim millia*. Quid pauculi Israelitae facerent inter & contra tot hostes? Iudas interim transito Iordane in Galaaditide succurrit aliis Israelitis, quorum multi

V. 26. COMPREHENSI, id est obsessi, cincti & quasi capti, tenebantur ab hoste IN BARASA. Graece, *in Bosra* (& sic vocatur Ierem. XLVIII. 24.) & in aliis variis urbibus, ne exire possent Iudaei vel fugere.

V. 28. BOSOR civitas erat Moabitarum trans Iordanem in tribu Ruben, sed Levitis donata Iosue XX. 8. Hac urbe capta & succensa,

V. 29. Succurrit periclitantibus Israelitis

tis in *munitione*, id est in munita arce vel oppido ei loco vicino.

V. 33. ET CLAMAVERUNT non solis TUBIS, sed & ORATIONE, alta voce implorantes opem divinam. Ita hostes in fugam acti, & turpiter caesi, inde

V. 35. EXPUGNAT MASPHA in terra Moab, in tribu Ruben, I. Reg. XXII. 3. ut dixi I. Mach. III. 46. Et cepit *Casbon* vers. 3. 6. Graece, *Casphor*, ut vers. 26. dixerat. Interim

V. 37. TIMOTHEUS Ammonitarum dux instaurato rursus *exercitu*, CASTRA *ponit* CONTRA, id est e regione urbis RAPHON TRANS TORRENTEM, qui urbem alluit, & vers. 41. *flumen* vocatur. Sic Lucianus e fluvium *Nilum* subinde *torrentem* vocat & infra cap. XVI. vers. 5. pro Graeco χείμαῤῥος id est *torrens*, Latinus vertit, *fluvium torrens*. Porro ex traiectu torrentis omen captat Timotheus,

V. 40. SI IUDAS TRANSIERIT TORRENTEM PRIOR, & AD NOS impugnandos ultro adcurrerit, signum erit quod nos non timeat, quasi fortior nobis: ac proinde POTENS POTERIT ADVERSUM NOS, id est praevalebit nobis utpote infirmioribus. Iudas ergo torrentem

V. 42. & 43. Constitutis *scribis*, id est praefectis militaribus qui descriptos habebant singuli suos milites, cum mandato, *ne quis* militum *relinqueretur*, supple, in castris, & abesset a pugna iamiam instante; TRANSFRETAVIT PRIOR AD hostes, eosdemque cecidit, contrivit, reliquos in fugam egit. Mox

V. 45. ISRAELITAS UNIVERSOS QUI incoluerant *Galaaditidem*, inde in Iudaeam transtulit, ob caussam supra vers. 23. allatam.

V. 46. Urbem EPHRON trans Iordanem Iudas expugnat, *positam* IN INGRESSU, seu aditu Galaaditidis, cuius etiam alibi *d* fit mentio in Scripturis; sed longe alia est ab *Ephrem* urbe ad Iordanem sita, cuius infra meminit cap. XI. 34. & Ioan. XI. 54. Nam ut ibi notat Toletus, non situ tantum, sed & scriptione differunt hae urbes, cum una inchoetur ab *ain*, altera ab *aleph*.

V. 52. *Campus magnus* hic est cis Iordanem respectu Iudaeae, & a S. Hieron *e*. vocatur Hebraice, *Aulon*, alias *vallis Silvestris* Genes. XIV. 3. quam post Sodomae incendium maiori ex parte cooperuit mare Mortuum.

V. 53. ERAT IUDAS, ut providum ducem decebat, CONGREGANS EXTREMOS agminis, ne qui forte prae ignavia, fatigatione, vel infirmitate, in tanta multitudine, etiam feminarum & puerorum, deviaret a reliquo agmine, & sic hostibus praeda fieret. Rursus instar pii parentis, oportunis *exhortationibus* animos addebat populo, ut alacriter procederet. Duo interea magnae dignitatis sacerdotes,

V. 56 IOSEPHUS ET AZARIAS PRINCIPES VIRTUTIS, seu exercitus in Iudaea relicti, Machabaeorum gloriae, quae omnium linguis longe lateque celebrabatur, aemuli ducunt copias in hostem, sed funestissimo successu: nam fugati ipsi, & e *populo* caesi *ad duo millia viri*. Et quae caussa tam funestae cladis?

V. 61. QUIA NON AUDIERUNT IUDAM, supra vers. 19. diserte praecipientem, ne bellum ultro moverent. Item quia

V. 62. IPSI NON ERANT DE SEMINE ILLORUM, PER QUOS SALUS EST IN ISRAEL; id est, non erant ad id munus a Deo destinati vel vocati: non erant ex familia illorum, quorum opera Deus uti voluit in liberando populo suo. Simile factum lege in Onia, apud Iosephum *f*. Quam multi sese ingerunt hodie in quaevis officia, ad quodlibet in quolibet vitae statu per fas nefasque audiendum! & miramur tam infaustos subinde successus? Utinam divinae vocationi tam obsequentes sint omnes, quam impulsui propriae laudis, gloriolae, honoris, vel utilitatis! Porro accepta damna brevi resarcivit Iudas,

V. 65. *Expugnans* FILIOS ESAU, reliquias Idumaeorum; *alienigenas* quoque, id est Philisthaeos, & *Samaritas*, aliosque Israelitarum hostes; reipsa complens quae tot ante annis de illorum per Iudaeos exeidio praedixerant Abdias, Sophonias *g* & alii Prophetae.

V. 67. IN DIE ILLA, & in expeditione illa adversus Samaritas, rursus CECIDERUNT aliquot SACERDOTES socii & aemuli Iudae, DUM SINE CONSILIO, forsan & sine consensu ducis sui EXEUNT IN PRAELIUM. Plerumque enim temeritas & stulta virium praefidentia, infelix esse solet: inobedientia vero infelicissima. Mariana & Sa

Sa putant hos sacerdotes esse *Iosephum* & *Azariam*, de quibus supra vers. 56. Sed historica hæc narratio diversos esse probat, ni fallor.

(a) Isaiæ VI. vers. 17.
(b) Ioseph. in Vita sua & Lib. III. Cap. IV.
(c) Lucian. Lib. IX.
(d) Lib. II. Mach. cap. XII. 27. & II. Par. XIII. 1. 9.
(e) Hieron. in locis Hebr.
(f) Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. VI.
(g) Abdiæ I. Sophoniæ II.

GORDONI.

Vers. 3. ACRABATHANE. Plin. Lib. V. cap. XIV. vult esse urbem Iudææ; sed textus hic subindicat esse in Idumæa. Hieronymus in locis Hebraicis dat confinium Amorrhæorum.

V. 4. FILIORUM BEAN. Iosephus indicat Idumæos esse: hic tantum fit horum mentio.

V. 5. ANATHEMATIZAVIT. Dedit in destructionem. Hebr. *Cherem:* vide Iosue VI. 17.

V. 8. GAZOR. Alia est cis Iordanem in Tribu Ephraim. FILIAS EIUS, vicos, oppida.

V. 9. DATHEMAN: erat in monte Galaad.

V. 13. LOCIS TUBIN: in Arabia, sunt Tubianæi.

V. 14. SECUNDUM VERBA HAEC: similia.

V. 23. IN ARBATIS: pars aliqua Galilææ.

V. 25. NABUTHAEI. An Tubianæi, populus est in Arabia, dicti Nabathæi.

V. 28. CIVITATEM, scilicet Bosor.

V. 35. MASPHA: in Iuda.

V. 42. SCRIBAS POPULI: qui milites habebant descriptos; aut Centuriones.

V. 46. EPHRON: civitas munita trans Iordanem, de qua II. Par. XIII. 19.

V. 51. ERADICAVIT: extinxit masculos qui possent stirpem renovare.

V. 52. & 53. IN CAMPO MAGNO: iuxta mare mortuum est vallis silvestris. Gen. XIV. 3. CONGREGANS EXTREMOS, cunctantes, infirmiores.

V. 58. IAMNIAM. In Tribu Dan, civitas maritima: hanc tenebat Gorgias.

V. 62. FACTA: facienda.

V. 63. VIRI IUDA: in Græco *vir Iudas & fratres eius*.

V. 67. SACERDOTES: recensiti, vers. 56.

V. 68. ALIENIGENARUM: Philisthinorum, ἀλλοφύλων.

CA-

CAPUT VI.

*Antiochus repulsus ab opulenta civitate Elymaide venit in Babylonem; ubi
auditis infortuniis quæ sui in Iudæa passi erant, incidit præ tristitia in
mortis languorem, confitens hoc sibi contigisse ob impietatem quam in Iu-
dæos exercuerat: quo ibi mortuo, & Iuda arcem Ierusalem obsidente, suc-
cessor eius filius Antiochus dictus Eupator, congregato adversus Iudam po-
tentissimo exercitu non potuit eum vincere; & Eleazar, occiso ingenti ele-
phante, ab eo oppressus, interiit: Rex autem oppugnans Ierusalem revoca-
tur a Lysia; sed post iuratam pacem non servat iusiurandum.*

1. T rex Antiochus perambulabat superiores regiones, &
audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissi-
mam, & copiosam in argento & auro, 2. templum-
que in ea locuples valde: & illic velamina aurea, &
loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex
Macedo, qui regnavit primus in Græcia. 3. Et venit,
& quærebat capere civitatem, & deprædari eam: &
non potuit, quoniam innotuit sermo his qui erant in civitate: 4. & in
surrexerunt in prælium, & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, &
reversus est in Babyloniam. 5. Et venit qui nuntiaret ei in Perside, quia
fugata sunt castra, quæ erant in terra Iuda: 6. & quia abiit Lysias cum
virtute forti in primis, & fugatus est a facie Iudæorum, & invaluerunt
armis, & viribus, & spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ excide-
runt: 7. & quia diruerunt abominationem, * quam ædificaverat super al-
tare, quod erat in Ierusalem, & sanctificationem, sicut prius, circumdede-
runt muris excelsis, sed & Bethsuram civitatem suam. 8. Et factum est
ut audivit rex sermones istos, expavit, & commotus est valde: & decidit
in lectum, & incidit in languorem per tristitia, quia non factum est ei
sicut cogitabat. 9. Et erat illic per dies multos: quia renovata est in eo
tristitia magna, & arbitratus est se mori. 10. Et vocavit omnes amicos
suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & cor-
rui corde præ solicitudine: 11. & dixi in corde meo: In quantam tribu-
lationem deveni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum; qui iucun-
dus eram, & dilectus in potestate mea! 12. Nunc vero reminiscor malo-
rum, quæ feci in Ierusalem, unde & abstuli omnia spolia aurea & argen-
tea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam sine causa. 13.
Cognovi ergo quia propterea invenerunt me mala ista: & ecce pereo tri-
stitia magna in terra aliena. 14. Et vocavit Philippum, unum de amicis
suis, & præposuit eum super universum regnum suum: 15. & dedit ei
diadema, & stolam suam, & annulum, ut adduceret Antiochum filium
suum, & nutriret eum, & regnaret. 16. Et mortuus est illic Antiochus
rex, anno centesimo quadragesimo nono. 17. Et cognovit Lysias, quo-

niam mortuus est rex, & constituit regnare Antiochum filium eius, quem nutrivit adolescentem: * & vocavit nomen eius Eupator. 18. Et hi qui erant in arce, concluserant Israel in circuitu sanctorum: & quærebant eis mala semper, & firmamentum Gentium. 19. Et cogitavit Iudas disperdere eos: & convocavit universum populum, ut obsiderent eos. 20. Et convenerunt simul, & obsederunt eos, anno centesimo quinquagesimo, & fecerunt balistas & machinas. 21. Et exierunt quidam ex eis qui obsidebantur, & adiunxerunt se illis aliqui impii ex Israel, 22. & abierunt ad regem, & dixerunt: Quousque non facis iudicium, & vindicas fratres nostros? 23. Nos decrevimus servire patri tuo, & ambulare in præceptis eius, & obsequi edictis eius: 24. & filii populi nostri propter hoc alienabant se a nobis, & quicumque inveniebantur ex nobis, interficiebantur, & hereditates nostræ diripiebantur. 25. Et non ad nos tantum extenderunt manum, sed & in omnes fines nostros: 26. & ecce applicuerunt hodie * ad arcem Ierusalem occupare eam, & munitionem Bethsuram munierunt: 27. & nisi præveneris eos velocius, maiora quam hæc facient, & non poteris obtinere eos. 28. Et iratus est rex, ut hæc audivit: & convocavit omnes amicos suos, & principes exercitus sui, & eos qui super equites erant: 29. sed & de regnis aliis, & de insulis maritimis, venerunt ad eum exercitus conductitii. 30. Et erat numerus exercitus eius, centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti trigintaduo, docti ad prælium. 31. Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethsuram, & pugnaverunt dies multos, & fecerunt machinas; & exierunt, & succenderunt eas igni, & pugnaverunt viriliter. 32. Et recessit Iudas ab arce, & movit castra ad Bethzacharam contra castra regis. 33. Et surrexit rex ante lucem, & concitavit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: & comparaverunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt: 34. & elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium: 35. & diviserunt bestias per legiones: & astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus eorum: & quingenti equites ordinati unicuique bestiæ electi erant. 36. Hi ante tempus ubicumque erat bestia, ibi erant: & quocumque ibat, ibant, & non discedebant ab ea. 37. Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias: & super eas machinæ: & super singulas viri virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper, * & Indus magister bestiæ. 38. Et residuum equitatum hinc & inde statuit in duas partes, tubis exercitum commovere, & perurgere constipatos in legionibus eius. 39. Et ut refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis. 40. Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, & alia per loca humilia: & ibant caute & ordinate. 41. Et commovebantur omnes inhabitantes terram a voce multitudinis, & incessu turbæ, & collisione armorum: erat enim exercitus magnus valde, & fortis. 42. Et appropiavit Iudas, & exercitus eius in prælium: & ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri. 43. Et vidit Eleazar filius Saura unam de bestiis loricatam loricis regis: & erat eminens super ceteras bestias, & visum est ei quod in ea esset rex: 44. & dedit se ut liberaret

popu-

populum suum, & acquireret sibi nomen æternum. 45. Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis, interficiens a dextris & a sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. 46. Et ivit sub pedes elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic. 47. Et videntes virtutem regis, & impetum exercitus eius, diverterunt se ab eis. 48. Castra autem regis ascenderunt contra eos in Ierusalem, & applicuerunt castra regis ad Iudæam & montem Sion. 49. Et fecit pacem cum his qui erant in Bethsura: & exierunt de civitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbata erant terræ. 50. Et comprehendit rex Bethsuram: & constituit illic custodiam servare eam. 51. Et convertit castra ad locum sanctificationis dies multos: & statuit illic balistas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas, & fundibula. 52. Fecerunt autem & ipsi machinas adversus machinas eorum, & pugnaverunt dies multos. 53. Escæ autem non erant in civitate, eo quod septimus annus esset: & qui remanserant in Iudæa de Gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ repositæ fuerant. 54. Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames; & dispersi sunt unusquisque in locum suum. 55. Et audivit Lysias quod Philippus, quem constituerat rex Antiochus, cum adhuc viveret, ut nutriret Antiochum filium suum, & regnaret, 56. reversus esset a Perside, & Media, & exercitus qui abierat cum ipso, & quia quærebat suscipere regni negotia: 57. * festinavit ire, & dicere ad regem, & duces exercitus: Deficimus quotidie, & esca nobis modica est, & locus, quem obsidemus, est munitus, & incumbit nobis ordinare de regno. 58. Nunc itaque demus dextras hominibus istis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum: 59. & constituamus illis ut ambulent in legitimis suis sicut prius: propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, & fecerunt omnia hæc. 60. Et placuit sermo in conspectu regis & principum: & misit ad eos pacem facere, & receperunt illam. 61. Et iuravit illis rex, & principes: & exierunt de munitione. 62. Et intravit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citius iuramentum, quod iuravit: & mandavit destruere murum in gyro. 63. Et discessit festinanter, & reversus est ad Antiochiam, & invenit Philippum dominantem civitati: & pugnavit adversus eum, & occupavit civitatem.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 7. Quam ædificaverat super altare. Retinendum est singulare *ædificaverat*, non mutandum in plurale *ædificaverant*.

V. 17. Et vocavit nomen eius Eupator. Alii, pro nominativo scribunt accusativum *Eupatorem*.

Vers. 26. Ad arcem Ierusalem. Non interiicias præpositionem *in* ante *Ierusalem*.

Ibidem. *Et munitionem Bethsuram munierunt.* Neque hic ante *Bethsuram*.

Vers. 37. Et Indus magister bestiæ. Insignis correctio qua nomen *indus* repositum est pro eo quod vulgo scribitur adverbio *intus*. Significatur super singulos elephantes, præter viros bellatores, fuisse Indum Magistrum Elephantis.

Vers. 57. Festinavit ire. Alii præponunt conjunctionem &.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 2. VELAMINA, id est tegumenta militum. SCUTA. Græc. *arma*. GRAECIA, scilicet tota.

V. 3. SERMO, id est res.

V. 5. IN PERSIDE, scilicet adhuc agenti: vel *Persis* posita pro Babylonia, ut Lib. II. cap. 1.

V. 6. VIRTUTE, id est exercitu. INVALUERUNT, scilicet Iudæi,

V. 7. ABOMINATIONEM, id est idolum.

V. 8. COMMOTUS id est turbatus.

V. 11. IUCUNDUS, id est lætus. Græc. χρηστὸς, id est *benignus*, seu *bonus*, scilicet felix, seu lætus phrasi Hebr. POTESTATE, id est dominio.

V. 12. AUFERRE, id est delere. Græc. ἐξᾶραι, id est *tollere*.

V. 15. STOLAM, id est vestem. ADDUCERET, scilicet in regnum.

V. 18. SANCTORUM, id est templi.

V. 22. VINDICAS FRATRES NOSTROS, id est ulcisceris Iudæos.

V. 24. FILII POPULI NOSTRI, id est populares nostri.

V. 31. EXIERUNT, scilicet qui erant intra Bethsuram.

V. 33. COMPARAVERUNT, id est pararunt, seu expedierunt.

V. 35. CONCATENATIS, id est hamatis, scilicet factis ex hamis inter se more catenarum iunctis, ut etiam nunc fiunt. ORDINATI, id est destinati, seu attributi, scilicet ad defensionem.

V. 36. ANTE TEMPUS, id est opportune, seu citissime. ERANT; pro, aderant.

V. 37. VIRTUTIS, id est fortes.

V. 38. PERURGERE, scilicet ad prælium. CONSTIPATOS, id est immistos; quasi dicat, Huc illuc discurrentes & solicitantes milites.

V. 40. DISTINCTA, id est divisa, seu disposita.

41. COMMOVEBANTUR, scilicet admiratione, vel timore

V. 43. FILIUS SAURA. Græc. *Savaran*, quasi id cognomen fuerit.

V. 46. PEDES ELEPHANTIS. Græc. *elephantem*.

V. 49. CIVITATE, scilicet Bethsura. SABBATA, id est *vacationes*, seu *cessationes*, scilicet non colebantur ob bella, seu potius quia septimus annus erat, ut dicitur infr. Vide Lev. XXV.

V. 51. SANCTIFICATIONIS, id est sanctuarii, seu templi. FUNDIBULA, id est fundas.

V. 54. SANCTIS, id est sanctuario.

V. 59. LEGITIMA, id est leges.

V. 61. EXIERUNT, scilicet Iudæi: forte obviam Regi.

E S T I I.

Vers. 12. NUNC VERO REMINISCOR MALORUM, QUAE FECI IN IERUSALEM. Et vers. 13. COGNOVI ERGO QUOD PROPTEREA INVENERUNT ME MALA ISTA. In hoc Antiocho habemus exemplum inutilis pœnitentiæ, quæ non est secundum Deum, sed secundum sæculum; de qua Apostolus dicit, *Sæculi tristitia mortem operatur*. Fuit quidem in Antiocho verus dolor, & vera tristitia; immo & ducebatur pœnitentia super omnia mala, quæ fecerat in Ierusalem, optans, si fieri posset, se ea non perpetrasse; sed dolor hic inutilis erat, & ad salutem eum perducere non poterat. Non enim nascebatur ex consideratione violatæ iustitiæ, ac legis Dei, sed extortus erat, & expressus magnitudine cruciatuum, quibus in morbo affligebatur. Et similis fuit pœnitentia Esau super venditis primogenitis suis, de quo dicit Apostolus ad Hebr. XII. *Quod non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis eam inquisiisset*. Similis denique fuit pœnitentia Iudæ proditoris, qui ductus pœnitentia retulit triginta argenteos, & peccatum agnovit: sed dum ad fontem veniæ non recurrit, præ desperatione laqueo se suspendit.

V. 43. ET VIDIT ELEAZAR FILIUS SAURA UNAM DE BESTIIS LORICATAM LORICIS REGIS, &c. Ac tandem vers. 46. ET IVIT SUB PEDES ELEPHANTIS, ET OCCIDIT EUM, ET CECIDIT IN TERRAM SUPER IPSUM. De hoc facto Eleazari scriptores non eodem modo sentiunt. Raba-

nus putat factum hoc non laude, sed vituperatione dignum, tamquam profectum ex inordinato gloriæ appetitu. Quin, ne quidem boni publici causa cuiquam permissum esse femetipsum occidere, aut etiam id facere, ex quo sui interitus certo consequatur; veluti murum suffodere, sub quo sit opprimendus. Neque obstare factum Sampsonis, qui, concussis delubri columnis, se pariter cum hostibus oppressit. Nam, ut ait August. Lib. II. contra epist. Gaudentii cap. XXIII. ipse non sua sponte id fecit, sed hoc spiritui Dei tribuendum est, qui usus est eo, ut id faceret. Vide annotat. Iudicum XVI. Est & apud Gregorium locus de Eleazaro, ubi factum vituperat. Ambrosius tamen laudat Lib. I. offic. cap. XL. & legitur in officio Ecclesiastico Do. 1. Octobris. Sic & Franciscus a Victoria sub finem relect. x. de homicidio, adducens hanc auctoritatem Ambrosii; & dicit quod Eleazarus sicut & Sampson principaliter intendebat vindicare populum Dei, opprimendo hostes eius, secundario autem, seu porius consecutive parare sibi nomen. Nam ira & ipse Iudas Machabæus dicat cap. IX. *Non inferamus crimen gloriæ nostræ*. Potuit etiam Eleazar cogitare quod bestia in alterutram partem caderet, & sic potuisset evadere. Ceterum qui fuerit hic Eleazar, non satis liquet. Iosephus Lib. XII. antiq. cap. XIV. dicit fuisse fratrem Iudæ Machabæi, & idem videtur sensisse Egesippus. Ea putant etiam alii eundem esse, qui supra cap. II. vocatur Eleazarus cognominatus Abaron, & hic filius Saura; eo quod utrobique Græce est, *αυαρὰν*. Sed quæstio remanet, quomodo hic vocetur filius Saura, si fuit frater Iudæ de quo cap. II.

MARIANAE.

Verf. 1. ESSE CIVITATEM ELYMAIDEM audivit Antiochus. Hæc urbs Lib. II, IX. 2. vocarur *Persepolis*. Binomia. Sic hi duo loci conciliantur. Esse ibi audivit.

V. 2. VELAMINA AUREA: vestes ex auro, *brocados*. Alexander REGNAVIT PRIMUS IN GRAECIA. Lego *prius* propter ea quæ sunt dicta 1. 1. Et Græce pro *πρῶτος* lego *πρότερος*, *primum* seu *prius*.

V. 6. ABIIT LYSIAS CUM VIRTUTE FORTI: *δυνάμει*, exercitu forti.

V. 7. DIRUERUNT ABOMINATIONEM. Sic Hebraice *idolum* vocatur, & sæpe in Sacris. SANCTIFICATIONEM, id est sanctuarium, templum munierunt. BETHSURAM, scilicet munierunt. CIVITATEM SUAM, *αὐτῆ*, *eius*, quæ scilicet Regis fuerat.

V. 11. DILECTUS IN POTESTATE MEA, id est gratus subditis meis, in dominio meo.

V. 12. ABSTULI OMNIA SPOLIA. Græce *σκεύη*, *vasa aurea & argentea*. Morior

V. 19. IN TERRA ALIENA. Genus infelicitatis ducebatur, procul a patria mori.

V. 15. DEDIT EI DIADEMA, ut ferret ad filium. UT ADDUCERET ANTIOCHUM; pro, ad Antiochum filium suum. ETREGNARET, scilicet ipse Antiochus, qui ætate parvulus erat, ut ait Iust. Lib. XXXIV. Novennem ait Appianus in Syriacis. Ideo voluit eius pater ut Philippus regnum procuraret, & filium nutriret. Prævenit Lysias, & puerum, quem penes se habebat, pro patre Regem constituit.

V. 18. QUI ERANT IN ARCE. Macedones & perfugæ Iudæorum, CONCLUSERANT ISRAEL IN CIRCUITU SANCTORUM, id est templum obsidebant. Inde malorum cumulus, & hostibus firmitas & vires maiores.

V. 20. FECERUNT BALISTAS. *Balista* lapides mittit, *catapulta* iacula. Sed & hæ voces sæpe confunduntur.

V. 26. APPLICUERUNT HODIE AD ARCEM. Græce, *castra posuerunt hodie ad arcem*. ET MUNITIONEM BETHSURAM. Græc. *& sanctum* (id est Sanctuarium) *& Bethsuram* munierunt.

V. 31. APPLICUERUNT, seu *castrametati sunt* ad Bethsuram. ET EXIERUNT: nempe obsessi, eruptione facta, combusserunt machinas Regis, & fortiter pugnaverunt.

V. 32. AD BETHZACHARAM ivit Iudas. Non procul Bethsura is locus erat.

V. 34. SANGUINEM UVAE ET MORI ostenderunt elephantis, id est potarunt eos vino ex uvis & moris, quo potu acriores redduntur.

V. 35. MILLE VIRI IN LORICIS CONCATENATIS. Eæ sunt maculæ ferreæ, factæ ad

ad modum retis, annulis concatenatis inter se. Hispanis, *cota de malla*.

V. 37. VIRI VIRTUTIS, id est fortes. TRIGINTA DUO. Fortissimæ bestiæ erant, nempe Indici elephantes Africanis fortiores. Et nihilominus mirum est, tot viros sustinere potuisse. Suspicor constructionem esse inversam, & legendum: *Super singulas triginta duas viri fortes qui pugnabant*. Memento vers. 30. dixisse, elephantes fuisse numero 32. Numerorum notæ, quibus olim scribebantur, quolibet casu verti possunt. Nostro tempore elephas quatuor aut quinque homines gestat. ET INDUS. MAGISTER BESTIAE. Græce, *& Indus eius*, bene suppletur *magister*. Regia & Lovan. pro *Indus* habent *intus*, sed male.

V. 38. ET RESIDUUM EQUITATUS. Græca aliter. Significat tamen copias Regis bifariam divisas & confertas processisse, partem per montes, partem per plana, ut vers. 40. dicitur; nimirum utroque loco in Iudæos irruere volebat. Verba quæ sunt intricata, ad hanc sententiam referri debent.

V. 39. UT REFULSIT SOL IN CLYPEOS AUREOS ET AEREOS. Græce non est *areos*; sed non omnes clypei aurei erant.

V. 42. SEXCENTI VIRI de regiis ceciderunt, scilicet in primo conflictu. In toto prælio quatuor millia: II. Machab. cap. XIII.

V. 43. ELEAZAR FILIUS SAURA. Græc. *Eleazarus Avaran*. Ex ea voce facta est in cap. II. 5. *Abaron*: hic *Saura*, additione litteræ *S*. Nec fuit filius *Avaran*, ut ponitur in Regiis, sed *Mathathiæ*, ut ait Iosephus Lib. XII. cap. XIV. frater Iudæ, quem ibi *Auranem* vocat.

V. 44. ET DEDIT SE, id est se morti devovit. An id liceat, & an quis se perimere possit, disputavimus de Morte & immort. Lib. I. cap. ultimo.

V. 45. CADEBANT AB EO. Græc. *Dividebantur ab eo hinc atque hinc*, nempe submotis hostibus ab bestiam penetrare potuit Eleazarus.

V. 46. CECIDIT IN TERRAM SUPER IPSUM, scilicet bestia. Sic *suo est sepultus triumpho*, ut ait Ambros. Lib. I. Offic. cap. X.

V. 47. DIVERTERUNT SE AB EIS, scilicet Iudæi similes fugientibus. Itaque Iudas victus est in hoc prælio, seque in urbem recepit, ut suos eius munitione tueretur: Sic Ioseph. Lib. XII. cap. XIV.

V. 49. QUIA SABBATA ERANT TERRAE. Non habebant alimenta in Bethsura. Annus septimus & Sabbaticus erat, quo agri non colebantur. Exod. XXIII. Levit. XXV.

V. 51. CONVERTIT CASTRA AD LOCUM SANCTIFICATIONIS, id est sanctuarium, obsedit Ierusalem. SCORPIOS AD MITTENDAS SAGITTAS. Eæ sunt catapultæ. ET FUNDIBULA, σφενδόνας, id est *fundas*. Bene nostes *fundibula* posuit, quibus certe mittuntur lapides, ballistæ maiores sunt.

V. 54. REMANSERUNT IN SANCTIS, id est in sanctuario, in urbe Ierusalem manserunt viri pauci. Sic defendi non poterat.

V. 56. ET EXERCITUS QUI ABIERAT. Gotth. *ibi erat cum eo*, scilicet Philippo. Græc. *& exercitus qui iverant Regis cum eo*. Itaque exercitus quem Antiochus pater duxerat in Persidem, erat cum Philippo. QUAEREBAT SUSCIPERE REGNI NEGOTIA. Nimirum sic statuerat novi Regis pater vers. 14. Id male habebat Lysiam. Fœderis cum Iudæis sanciendi ea causa fuit.

V. 61. EXIERUNT DE MUNITIONE, id est Iudæi ex arce, ut scilicet Rex intrare posset.

V. 62. RUPIT CITIUS IURAMENTUM. Græce, *rupit iuramentum*. Gotth. *rupit ius iuramenti*: fortassis ea est vera lectio. Quo anno hæc sunt gesta? Anno 150. indicat Iosephus eo Lib. XII. & cap. XIV.

V. 63. PUGNAVIT ADVERSUS EUM, scilicet Antiochus contra Philippum. Vicit & occidit: Iosephus Lib. XII. cap. XV.

MENOCHII.

Vers. 1. SUPERIORES REGIONES, scilicet Asiæ, quæ erant ultra Euphratem. ELYMAIDEM: quæ etiam Persepolis dicitur, ut infra.

V. 2. VELAMINA AUREA: vestes militares auro graves.

V. 3. QUAEREBAT CAPERE CIVITATEM. Hic dicitur voluisse capere civitatem, at Lib. II. cap. IX. 2. dicitur, ingressus Persepolim. Fieri potest ut princeps aliquis sit in civitate, nec tamen illa potiatur, quod Antiocho contigit.

V. 4. REVERSUS EST. In Græc. ἀποστρέψαι, *ut reverteretur*, neque enim pervenit in Babylonem, cum dicatur inf. Lib. II. cap.

cap. IX. 28. *Peregre in montibus vita functus*.

V. 6. VIRTUTE, exercitu.

V. 7. ABOMINATIONEM, idolum. CIVITATEM SUAM, id est Antiochi, quam scilicet antea ipse occupavit.

V. 8. COMMOTUS, id est turbatus. IN CIDIT IN LANGUOREM PRAE TRISTITIA. Dum languoris causa hic affertur tristitia, non excluditur altera plaga, & dolorum divinitus inflictorum, quorum mentio Lib. II. cap. IX. 5.

V. 9. ET ERAT ILLIC: in lecto, cui medio in itinere affixus est, nec enim iactationem ferre poterat, & iter prosequi Babylonem versus. RENOVATA EST IN EO TRISTITIA MAGNA: nimirum ex conscientia admissorum scelerum, & prægustatione imminentium tormentorum. ARBITRATUS EST SE MORI: suspicatus est hunc morbum sibi lethalem fore.

V. 10. CORRUI CORDE PRAE SOLICITUDINE: concidi animo, & magna tristitia, & folicitudine premor.

V. 11. IUCUNDUS, id est lætus. Græce χρηστός, id est benignus, seu bonus, scilicet felix, vel lætus. IN POTESTATE MEA: dominatione. Græce ἐξουσία.

V. 12. AUFERRE, id est delere. Græce ἐξᾶραι, id est tollere. SINE CAUSA. Causam quidem admiserant Iudæi, cur talia paterentur, qui sponte ad gentilitios ritus transierant, & templum, Deique in eo cultum neglexerant; verum in Antiochum ipsum nihil deliquerant.

V. 15. DEDIT EI DIADEMA, &c. non quod hisce regni insignibus eum uti vellet, sed ut suo tempore Antiochum filium iis cohonestaret, & in regni possessionem mitteret.

V. 17. CONSTITUIT REGNARE: constituit regem. EUPATOR: ille dicitur a Græcis εὐπάτωρ, cui bonus pater contigit. Ita ergo appellatus est Antiochus, licet scelera tum parentem nactus esset, nimirum adulatione subditorum.

V. 18. ET QUI ERANT IN ARCE: præsidiarii milites, qui erant in arce Sionis, & illam nomine Antiochi tenebant. CONCLUSERUNT ISRAEL, &c. Significatur Hebræos sæpe comprehensos, ipsosque, aut cæsos, aut male mulctatos ab iis, qui erant in arce, dum in templum, aut orationis, aut sacrificiorum causa ibant. ET QUAEREBANT EIS MALA SEMPER, &c. intenti semper erant Iudæorum damnis, ut vires eorum attererent, eosque opprimerent; suorum vero potentiam stabilirent.

V. 22. QUO USQUE NON FACIS IUDICIUM, &c. quasi a Iudæis violarentur, cum e contra illis ipsi essent infesti, ideoque Iudam adegissent ad consilium capiendum de vexatione suorum tollenda.

V. 31. EXIERUNT: Bethsuræ cives. SUCCENDERUNT EAS: machinas.

V. 33. CONCITAVIT EXERCITUS; Lysiæ scilicet, & suum. BETHZACHARAM. Textus Græcus Bethzachariam vocat, id est domum Zachariæ.

V. 34. SANGUINEM UVAE, ET MORI: succum ex moris & uvis expressum, qui sanguinis speciem quamdam præ se fert.

V. 35. IN LORICIS CONCATENATIS, id est hamatis, hamis inter se consertis, & more catenarum vinctis, ut etiam nunc loricæ fiunt.

V. 36 ANTE TEMPUS, id est opportune, seu citissime.

V. 37. PROTEGENTES SUPER SINGULAS BESTIAS, id est turres ligneæ singulis elephantis impositæ ipsos elephantos protegebant. VIRI VIRTUTIS, bellatores.

V. 38. PERURGERE; scilicet, ad prælium. CONSTIPATOS IN LEGIONIBUS. Vulgatus noster legit, ἐν ταῖς φάλαγξι, *in phalangibus*, sive *legionibus*; at nunc legitur, ἐν ταῖς φάραγξι, *in vallibus*, sive in angustiis faucibus montium, & collium.

V. 41. COMMOVEBANTUR; scilicet, admiratione, vel timore.

V. 43. ELEAZAR FILIUS SAURA. In Græc. est Ἐλεάζαρ ὁ σαυαράν. Iosephus ait fuisse Iudæ Machabæi fratrem, quod probabile existimant Salianus, & Serarius, qui pro *filius Saura* putat legendum, *dictus Aura*, sive *Abaron*, ut aliqui vertunt, & appellatur supra cap. II. 5. cum autem in Græco dicitur Ἐλεάζαρ ὁ σαυαράν, subintelligendum est καλούμενος, *appellatus*: consentit etiam Iosepho alius Iosephus filius Gorionis, & eandem sententiam videtur innuere Emanuel Sa.

V. 45. CADEBANT AB EO. In Græco est, ἐσχίζοντο, *dividebantur*, id est aditum faciebant irrumpenti. Verum est tamen quod habet vulgata, nam propterea cedebant, quia cædebantur, & cadebant.

V. 49. CECIDIT; scilicet, elephas. MORTUUS EST ILLIC. Egregium laudatorem ha-

habet Eleazarus S. Ambrosium Lib. I. offic. cap. xv. Nec peccavit Eleazarus hoc facto, licet dicatur num. 44. ad tantum opus accessisse, *ut acquireret sibi nomen aeternum*. Nam gloriam quaerere modo in ea finis ultimus, & primarius non statuatur, vel immoderate non appetatur, peccatum non est, eum sit res indifferens. Vide; Abulens. I. Reg. xv quaest. LXVIII. Porro Eleazarus facinus hoc aggressus est, ut liberaret populum suum, cui primariae intentioni alteram acquirendae gloriae, sine culpa potuit adiungere.

V. 47. VIRTUTEM LEGIS: τὴν ἰσχὺν, *potentiam*, *fortitudinem*: videntes regem tanto superiorem numero exercitus.

V. 49. FECIT PACEM CUM HIS QUI ERANT IN BETHSURA: qui scilicet amice se regi dediderunt. SABBATA ERANT TERRAE: sabbata terrae vocat annum septimum, quo terrae vocatio dabatur ex lege, Levit. XXV.

V. 50. SERVARE EAM: ad servandam, & custodiendam eam.

V. 51. CONVERTIT CASTRA AD LOCUM SANCTIFICATIONIS: urbe potitus, templum obsedit.

V. 54. REMANSERUNT IN SANCTIS, id est in templo ad eius defensionem. DISPERSI SUNT, &c. urgente fame huc illuc dilabebantur.

V. 55. PHILIPPUS, QUEM CONSTITUERAT REX, &c. vide supra num. 14.

V. 56. QUAEREBAT SUSCIPERE REGIA NEGOTIA: redacto scilicet in ordinem Lysia, qui hoc munere fungebatur.

V. 57. DICERE AD REGEM; dicere regi. Vulgatus de verbo ad verbum vertit ex Graeco, in quo habetur εἰπεῖν πρὸς βασιλέα. ORDINARE DE REGNO: regni negotia curare, & ordinare.

V. 59. LEGITIMIS SUIS: legibus suis. DESPEXIMUS. In Graeco est, διεσκεδάσαμεν, *dispersimus*.

V. 61. EXIERUNT DE MUNITIONE; scilicet, Iudaei, forte obviam regi officii causa.

TIRINI.

Vers. 1. REX ANTIOCHUS Epiphanes, (interum dum Iudas Machabaeus victoriis potitur in Iudaea & vicinis regionibus,) PERAMBULABAT REGIONES Persidis. Cuius urbem primariam *Elymaida*, II. Mach. IX. *Persepolim*, id est Persidis urbem, verisimiliter tum primariam, & in ea templum Veneri, more Persico, sacrum, expilare tentabat. Sed Persis arma in eum vertentibus, re infecta, moerore confectus, inde in Babyloniam refugit. Nuntio quoque cladis Lysiae, & victuriarum Iudae magis irritatus, IN LANGUORUM INCIDIT.

V. 9. ET ERAT ILLIC,' in Babylonia, PER DIES MULTOS. Quin; & mortuus illic est

V. 19. ANNO Graecorum CENTESIMO QUADRAGESIMO NONO. De morbis & morte illius fuse omnia enarrat Liber II. cap. IX. Succedit parenti

V. 17. *Filius*, parvulus admodum, inquit Iustinus *a*; *novennem* facit Appianus, additque a Syris, annitente *Lysia*, dictum *Eupatorem*: quasi felicem tanto patre. Sub haec tempora Gentiles

V. 18. QUI ERANT Ierosolymis IN ARCE *b* sua, usi absentia Iudae bellis alibi distenti, continuis excursionibus infestabant Iudaeos: neque poterant a praesidiariis alterius arcis *c* Iudaicae, ob horum paucitatem, compesci: quin potius CONCLUSERANT hos illi IN CIRCUITU SANCTORUM, ut extra septa templi & arcis suae nullus egredi vel posset, vel auderet. Et hoc modo crescebat continuo FIRMAMENTUM GENTIUM, id est robur & potentia Gentilium. Cui malo evertendo, Iudas cum omnibus suis copiis

V. 20. *Obsidet* arcem, anno 150. Graecorum. Quo per legatos & apostatas quosdam Iudaeos *cognito*, *rex* iuvenis mox adcurrit.

V. 30. Cum *centum millibus* PEDITUM, *& viginti millibus* EQUITUM, *&, triginta duobus elephantis*, *doctis* instructisque AD PRAELIUM. Ante omnia obsidet

V. 31. BETHSURAM, de qua cap. IV. ult. Sed egressi *Bethsura* praesidiarii Iudaei, MACHINAS regias IGNI *succendunt*.

V. 32. IUDAS relicta quam obsidebat arce Ierosolymitana, CASTRA *metatur* CONTRA, id est ex adverso, seu iuxta CASTRA REGIS. Cuius iussu

V. 33. ANTE LUCEM *comparantur exercitus* omnes *ad* PRAELIUM, instruuntur acies, machinae expediuntur:

V. 34. ELEPHANTIS *ostenditur sanguis uvae*,

οἶνος, id est rubrum vinum *d*, & sanguis, μορὸν, id est succus, MORI, qui & ipse *vinosus* est, teste Plinio *e*. Neque vero solo vini aspectu vel olfactu irritabantur elephanti, ut vult Franc. Valesius; sed reipsa epotandum ipsis dabatur, teste AEliano *g*, & Libro II Machab. Et licet elephanti, ut & tauri, leones & apri, & teste eodem AEliano, nulla egeant ad pugnam cohortatione, vel stimulo, sed suopte sese impetu accendant, quando res aliqua, cum qua iis est antipathia, seu naturalis dissensio, oculis vel phantasiæ occurrit: quando tamen nulla res talis occurrit, proritatione opus habent, maxime si in homines sint immittendi, quibus alioquin infesti esse non solent.

V. 35. ELEPHANTIS PER LEGIONES distributis *assistebant singulis* MILLIA VIRI tecti LORICIS CONCATENATIS, seu hamatis. Eæ sunt maculæ ferreæ, ad modum retis confectæ, hamis seu annulis inter se concatenatis. Hispan. *cota de malla*.

V. 37. SUPER singulos elephantos LIGNEAE TURRES *erant* FIRMAE, sic vallis & loricis instructæ, ut *protegerent* tum machinas impositas, tum milites, qui ex *viris virtutum*, id est ex robustioribus, selecti imponebantur singulis turribus numero TRIGINTA DUO, præter *Indum* (ita etiam legit Græcus) *magistrum* ac rectorem BESTIAE. Ex quo constat, elephantos hos non fuisse Africanos, qui iam vix senos aut septenos armatos ferrent in lignea turri: sed Indicos Africanis longe maiores, testibus Plinio, Livio, Gesnero *h*, Solino & Philostrato. Horum vero elephantorum maximum, insigni fortitudine animi

V. 43. Invasit, confodit & prostravit *Eleazarus* FILIUS SAURA. Hunc Iosephus *i* uterque asserit fratrem fuisse Iudæ Machabæi. Et Græca id insinuant, in quibus vocatur *Eleazarus Avaran*, eodem modo quo supra cap. II. 5. frater Iudæ vocatur *Eleazarus Abaron*, id est fortis ipsorum k, seu qui inter illos est fortissimus. Ad Latinam lectionem tutandam posset quis dicere, Mathathiæ cognomen a robore fuisse *Abaron*, vel litteræ unius adiectione *Saura*, & hoc filio eius Eleazaro adhæsisse. Erant enim olim polyonimi, & a variis eventibus varia nomina sortiebantur.

Verum licuitne Eleazaro, cum certissima vitæ iactura facinus istud aggredi? Licuit sane, ut bene docent Abulensis, Navarrus *l* & alii: immo ut summe laudabile celebrant SS. Ambrosius & Gregorius *m*, & alii SS. Patres, quod vitam pro publica salute prodegerit. At fecit hoc, *ut* ACQUIRERET SIBI NOMEN AETERNUM, vers. 44. quod meræ *ambitionis* fuit, inquit Lucas Osiander. Sed mala fide dissimulat hæreticus, hanc non nisi secundariam fuisse intentionem Eleazari; primariam vero fuisse quæ verbis immediate præcedentibus exprimitur, ipsum id fecisse UT LIBERARET POPULUM SUUM. Quod & consecutus est, inquit S. Ambrosius *n*: nam *rex territus unius fortitudine, pacem rogavit*, &c. Simile pene facinus edidit ille apud Xenophontem *o*, qui ventre equi, cui Cyrus insidebat, perfosso, Cyrum prostravit. Porro cæsis e regiis primo 600. ut hic dicitur vers. 42. deinde 400. ut Lib. II. cap. XIII. 15. *& summo metu ac perturbatione repletis castris* regiis: cum tamen *viderent* Iudæi, ut hic vers. 47. dicitur, tantam esse VIRTUTEM, seu potentiam REGIS, prudenti consilio declinaverunt ad tempus. Nec tamen ausus fuit rex vi aggredi secedentes: sed *arte*, ut Lib. II. cap. XIII. 18. dicitur, & astutia reliquum peragere decrevit: v. g. muneribus animos expugnando; rumores falsos spargendo, insidias struendo, aquam divertendo, cuniculos agendo, &c. His certe vel similibus viis

V. 49. PACEM FECIT CUM HIS QUI ERANT IN BETHSURA, quos etiam fames compulit, QUIA SABBATHA ERANT TERRAE; id est, erat tum annus septimus seu sabbathicus *p*, quo nec serere nec metere licebat Iudæis. Simili anno sabbathico cepit postea Herodes Ierosolymam, ut Iosephus *q* enarrat. Et iam quoque tentabat eamdem rex Antiochus, vel potius arcem illam quæ nuper in extima templi parte a Iudæis constructa fuit cap. VI. 60. quam hic

V. 51. LOCUM SANCTIFICATIONIS vocat. Adversus hanc SCORPIOS expedit, id est catapultas, ET FUNDIBULA; Græce, σφενδόνας, id est fundas, nempe balistas maiores, quæ lapides fundebant, inquit Lipsius & Vegetius *r*. SPICULA in Græco omittuntur. Interim prælio iterum *cum Iuda* inito, iterum *superatus* est rex, II. Machab. XIII. 23. Quando accessit & Philippi rebellio, quia moriturus Antiochus Epiphanes, ut hic vers. 14. dictum fuit,

summam administrationis regni, tamquam proregi commiserat. Hac occasione æmulus Philippi Lysias regi persuasit, ut inita cum Iudæis pace, Antiochiam sedem regni sui totis viribus aggrederetur, unde summa rei dependeret. Persuasus rex *Iudæos* pacem *precatur*, etiam *subdens* se *illis*, II. Machab. xiii. 23. Sed pace obtenta, dum in templum admittitur, & Deo sacrificat, perfidus iubet *destrui murum arcis in gyro*, ut hic vers. 62. dicitur. Sed cito pœnituit perfidiæ, cum videret valde utilem sibi futuram Iudæorum operam in bellis instantibus. Quare instaurato fœdere, & Iudæis quæcumque iusta essent concessis, Iuda quoque summis honoribus aucto *s*, Antiochiam adversus Philippum contendit:

V. 63. Quam, & Iudæis multum adiuvantibus, teste utroque Iosepho *t*, tandem victor obtinuit.

(a) Iustin. Lib. XXXIV. Appian. in Syriacis.
(b) I. Mach. i. 35.
(c) Ibid cap. iv. 60.
(d) Deut. xxxii. 14.
(e) Plin. XV. cap. xxiv.
(f) Vales. Sacræ Philosophiæ cap. lxxxii.
(g) AElian. de Animalib. Lib. VI.
(h) Plin. sup. & Lib. VII. cap. ii. Livius decad. iv. 7. Gesner. Lib. I. de Quadruped.
(i) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. xiv. Gorionid. Lib. III. cap. xx.
(k) Iosue xxiv. 19. & II. Reg. xxi. 7. Tobiæ iii. 4. 7. &c.
(l) Abulens. I. Reg. xv. quæst. lxxv. Navar. de finibus num. liii.
(m) Ambr. Lib. I. Offic. cap. xl. Gregor. XIX. Moral. cap. xiii.
(n) Ambr. sup.
(o) Xenoph. Lib. VII. Cyropæd.
(p) Chronici cap. xxi. & Exodi xxiii. & Levit. xxv.
(q) Ioseph. Lib. XIV. Antiq. cap. xxviii.
(r) Lipsius Lib. III Poliorceticon dial. iii. Veget. Lib. III. cap. xiv.
(s) II. Mach xiii. 23 & 24.
(t) Ioseph. Flavius sup. Ios. Gorionid. sup. c. xx.

GORDONI.

Vers. 1. & 4. DUm esset rediens (*ἀπῆρεν ἀποστρέψαι*) in itinere, pediculari morbo inter alia corripitur, Lib. II. ix. 9. Urbem eamdem, & Elymaidem & Persipolim vocari (quæ nominum varietas aliis etiam urbibus obvenit) docent hoc sextum caput & nonum Lib. II. Dici etiam potest Persipolim illi urbi esse nomen adiectitium, quasi Persidis urbem dicas: nec priori explicationi obstat, quod Curtius Lib. V. dicat eversam ab Alexandro Persipolim. Nam ex Diodoro Lib. XX. significatur restituta, quidquid dicat Curtius, qui putatur deceptus in sua topographia.

V. 16. Moritur in montibus, ut habet hic textus expressus, Lib. II. cap. ix. 28. de qua quæstione dixi in præloquio ad hunc librum: porro quo regni anno obierit constat ex diagrammate ibidem dato.

Additio. Ad hanc partem capitis sexti, reduci debent, quæ habentur Lib. II. toto cap. ix. de hac eadem profectione & morte Antiochi, ubi speciatim a vers. 18. ad 28. ponitur epistola Antiochi ad Iudæos de mutato animo erga Iudæos, & de Philippo cui filium commendat, vers. 29.

Pars altera cap. sexti.

V. 17. Lysias audita morte Antiochi, constituit filium Antiochum Eupatorem, regem impii Antiochi filium.

Explicantur tria cap. libri II.

Additio. Ad hanc capitis sexti partem reduci debent quæ narrantur Lib. II. cap. x. vers. a 10. usque ad vers. 37. sub finem illius capitis, ubi agitur de gestis sub Eupatore: quidem ab illo vers. 10. usque ad vers. 23. narratur de violenta morte Ptolemæi, qui Macer dictus est, & de munitionibus expugnatis a Machabæo. Tandem vers. 24. venitur ad Timotheum, qui prius a Machabæis superatus, nunc iterum divinitus fuso exercitu, fugatus primum, & deinde occisus est, vers. 31. & 37.

Additio. Ad res gestas sub Eupatore plene habendas addenda hic sunt recto ordine duo capita libri secundi; nempe undecimum & duodecimum, ubi de his quæ cum Lysia duce gesta sunt, qui alias victus fuit.

Itaque ex capite undecimo hæc habentur. Lysias cum ingenti exercitu Iudæos invadit, vers. 1. 3. & 4. Iudas it ad pugnam præeunte divinitus Angelo, vers. 5, 6. & 8. prosternuntur hostes, fugit Lysias, vers. 11. & 12. pacem petit; fit fœdus; firmantur conditiones, vers. 13. 15. & deinceps: recitantur epistolæ hinc inde anno 148. ad hæc etiam accedunt Romani, vers. 34. Hic quamvis in nominibus men-

mensium sit varietas, non parit difficultatem: constat enim nomina mensium esse diversa apud diversas nationes; immo aliquando in eadem gente, ut nihil dicam de Embolismo, unde oriri potest diversitas eadem.

At difficultatem habet quod hic habetur, vers. 21. & 33. de anno 148. utriusque epistolæ; immo & anno fœderis. Nam Lib. I. cap. VI. 16. obiit Antiochus, anno 149. & tamen epistolæ istæ scriptæ sub Eupatore post mortem patris, dicuntur scriptæ anno 148. Verum satis constat varium interdum notari annum, ob varium initium alicuius Epochæ; sic multum interest an incipias Epocham Christi a Martio, a nativitate, aut a Ianuario. Sane annus Græcorum apud Iudæos potest esse a Nisan vel Martio, & epocha Iudaica dicetur: potest etiam post sex menses incipere, ut dixi agendo de mensibus, & vocatur Antiochena, vel Alexandrina. Quis ergo non videt, fieri posse, ut qui secundum unam epocham est annus 148. sit secundum aliam 149. Nihil ergo incommodi est, si dicamus in annum 149. incidisse mortem Antiochi, principium regni Eupatoris, & pugnam hanc cum Lysia, ac Lysianum fœdus, cum idem annus 149. Iudaicus sit, 148. Antiochenus seu Alexandrinus: vide Præloq. num. 4. Ceterum fœdus hoc, non est idem cum eo de quo agitur capite hoc VI. Libri I. vers. 60.

Additio. Ad res gestas cum Lysia cap. VI. addenda etiam sunt quæ habentur Lib. II. toto capite XII. Illius autem capitis XII. hæc est Synopsis. Constituto cum Lysia fœdere (quod durasse putatur per octo menses, seu usque ad pugnam cum Timotheo) Iudas ferro animadvertit in eos Iudæos impios & alios ex occasione quæ hoc cap. XII. narratur: ergo agriculturæ vacare incipiunt Iudæi, vers. 1. sed eos vexabant Timotheus (non ille qui cap. X. occisus est) Apollonius (non ille de quo Lib. I. cap. III.) Gorgias quidam & alii hic recensiti, vers. 2. Sed in hac mora fœderis cum Eupatore Iudas castigat Ioppitas vers. 3. Iamnitas, vers. 8. Arabes superatos dimittit, vers. 10. & 12. Aggreditur urbem Casphin, vers. 13. eam capit, vers. 14. & deinceps. Venit in Characa, vers. 17. progreditur contra Timotheum, vers. 20. victum dimittit, vers. 23. & 24. Carnion occupat, vers. 26. capit Ephron vers. 27. & 28. Scythopolitas benigne relinquit, vers. 29. est Ierosolymis in Pentecoste, vers. 31. Itur contra Gorgiam Præpositum Idumææ, vers. 32. & 33. fugatur Gorgias, 37. peracto Sabbato parentatum est defunctis, 39. sacrificium paratur pro peccato invento, vers. 42. & 43. oratio pro defunctis, vers. 44.

Quod male habent Novatores, est hæc tam expressa mentio orationis & oblationis pro defunctis. Sane locus hic tam est apertus, ut ne veritatem admittant, coguntur negare huius libri auctoritatem, quam tamen hic initio in Præloquio satis asserui. Ceterum quam sit pium pro defunctis orare, ut solvantur a peccatis (τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι) alibi ex professo ostensum est, nec qui commentarios scribunt hoc prætererunt. Mihi pro instituto satis est, locum hunc non esse obscurum ostendere, & alibi probatum; sed ut adhuc clarior series narrationis appareat, ecce vers. 42. ubi Iudas agnoscit suorum delictum, violando legem de prædis idolorum (quæ habetur Deuter. VII. 25.) quos Deus hic castigat; Iudæ tamen permittendo victoriam, qui mox orat ut delictum oblivioni tradatur perfecte, τελείως ἐξαλειφθῆναι; quod fit, cum etiam cessat reatus pœnæ. Præterea designat sacrificium expiatorium pro defunctorum animabus, ut a pœnis eripiantur. An vero duo millia drachmas, an duodecim millia, est lectionis diversitas: nam Græcus habet 2000. Tandem velut epiphonema est, πάνυ καλῶς, καὶ ἀστείως πράττων, valde bene, & civiliter faciens, hoc est honeste. Quid drachma sit, dixi Gen. cap. XXIII.

Obiiciet hic aliquis, non videri superfluum, nec vanum orare pro mortuis, licet nulla futura esset resurrectio: nam adhuc posset anima separata solvi a peccatis, corpore numquam resurgente; quorsum ergo additur illud de resurrectione? Sed occurritur, duo hic esse connexa, & ex uno sequi alterum. Si enim anima est immortalis (ut vere est) sequi debet resurrectio ex appetitu nativo animæ, & natura beatitudinis, quæ debet esse completa. Porro ex fide est, animam redituram ad corpus: stante ergo necessitate huius connubii, & supposita lege de resurrectione, non frustra oraret, qui oraret pro mortuo. Denique

quamvis demus esse possibile Deo solvere animam, numquam resurgente corpore; non tamen ita fit, nec fiet. Figmentum est Calvini. Lege August. Lib. de cura, cap. I. & IV. Tertul. Lib. de Monogamia (monet ut uxores orent pro maritis defunctis.) Damasc. orat. pro defunctis. Inepte fingitur oppositum, contra Scripturæ verba, & sensum tot sæculorum: vide Lib. II cap. XII.

Pars tertia capitis sexti.

V. 18. Post bella Iudæ cum Timotheo, & Lysia sub Eupatore iam cum ipso Eupatore bellum gerit, ac primum Iudas, ann. 150. arcem Ierosolymis obsedit. Ita Lib. I. cap. VI. 18. & 20. *τὰ in circuitu Sanctorum*, id est obsidebant templum, qui erant in arce: ideo Iudas arcem conatur obsidere. Eupator excitatus ab Apostatis, ingentem eo ducit exercitum, vers. 21. & deinceps, usque ad vers. 24. Venitur primo ad Bethsuram: eam obsidet Rex v. 31. mox ad pugnam vers. 34. Pugnatur vers. 42. Eleazari facinus vers. 43. Iudas fugit aliquantulum, declinando ab impetu tanti exercitus vers. 47. Rex obsidet Ierosolymam & templum, ubi iterum a Iuda pugnatum est, vers. 48. & 51. Interim Rex audiens rebellasse Philippum: pace constituta cum Iuda, redit Antiochiam. Locus sanctificationis, vers. 51. est Ierusalem. Scorpii sunt catapultæ.

Additio. His addi debet caput XIII. Lib. II. ubi eadem historia narratur de morte Menelai, de magno exercitu Eupatoris, pugna cum Iuda, & tandem de pace cum illo, & reditu Regis Antiochiam, audita rebellione Philippi.

V. 30. ET ERAT NUMERUS EXERCITUS. Non est idem numerus, hic cap. VI. qui est Lib. II. cap. XIII. verum ut ex libris Regum apparuit compositis cum Paralipom. inæqualitas numeri aliquoties reperitur. Causæ diversæ esse possunt, præsertim hic, ubi pro vario tempore expeditionis, exercitus nunc maior, nunc minor esse potuit. Immo aliquando maior in principio expeditionis, quam tempore pugnæ. Legimus enim Gedeonem, & Machabæum ipsum elegisse ad pugnam pauciores. Sane ex magno numero militie potuit Eupator subsidia in aliam provinciam. Historicus porro noster non ait se narrare audita: quod autem ex se dicit, accipi debet, ut verum.

Ad Iudæos apostatas accessit Menelaus, de quo Lib. II. cap. XIII. Hic pseudopontifex auctor malorum, Rege iubente, periit misere. Hoc genus supplicii, *ὡς ἐργάνῳ περιφερεῖ*, ut habet Græcus, explicat Lib. IX. cap. II. puto hoc actum in reditu Regis, constituta iam pace.

V. 32. & 42. Videtur Iudas bis aggressus exercitum regium, ex his duobus locis. Et quia illi exiguus erat exercitus, nocte invasit regium tabernaculum, ex citato cap. XIII. 15. cæsi 4000. & elephantorum maximus. Post hanc nocturnam invasionem Rex vers. 33. instruit aciem, & iterum pugnatur, cæsis initio viris 600. a Iudæis, vers. 42. vide Iosephum Lib. XII. cap. XIV. BETHZACHARAM vers. 33. domum Zachariæ.

V. 37. Indici hi elephantes fortiores sunt Africanis. En ut gestant viros 32. mirum est. Suspicatur Mariana inversam esse constructionem, & esse legendum, super singulas triginta duas, viri fortes qui pugnabant. SABBATA TERRAE, vers. 49. annus septimus, de quo vide Levit. XXV.

V. 53. ESCAE AUTEM NON ERANT. Dat causam, quia annus septimus, & sabbatieus erat. Ceterum non utimur anno sabbatico pro charactere Chronologico. Res aperte colligitur in opere Chronologico qq. cap. IX. num. 3. & cap XII. num. 9. ac demum ad ann. mundi 2537.

V. 54. IN SANCTIS: in templo ad defensionem.

V. 55. ET AUDIVIT LYSIAS. En Philippi rebellionem, causam reditus Eupatoris, & pacis cum Machabæo. Est hoc fœdus omnino diversum ab eo, de quo supra, cap. XI. Lib. II. vers. 13. in hoc reditu putatur occisus impius Menelaus, de quo Lib. II. cap. XIII capta est in reditu Antiochia a rege adiuvantibus Iudæis: nondum enim violatum erat hoc fœdus. Obsessum fuisse templum a rege anno 150. scribit Iosephus cap. XIV. Ceterum narrant historici regem post reditum acerbius tractatum a legatis Romanorum: ipse legatum per suos occidit, & post moram aliquam, ipse cum Lysia a Demetrio regni æmulo occidetur.

V. 61. EXIERUNT: obviam regi honoris causa, ut apparet.

CA-

CAPUT VII.

Demetrius Seleuci filius, occisis Antiocho & Lysia, obtinet regnum patrum suorum: qui, accusato apud se Iuda Machabæo, mittit ducem Bacchidem & accusatorem Alcimum constitutum sacerdotem ad affligendum filios Israel: sed cum non possent adversus Iudam prævalere, missus est a rege Nicanor, qui, ut & priores, cum dolo nequiret, vi Iudam aggressus, semel atque iterum ab eo devictus est, & præmissis ad Deum precibus, cum toto suo exercitu occisus, amputato ipsius capite ac dextera, quam irrisis Iudæorum sacrificiis superbe contra locum sanctum extulerat: cuius victoriæ dies annuus apud Iudæos celebris instituitur.

1. ANno centesimo quinquagesimo primo, exiit Demetrius Se-
leuci filius ab urbe Roma, & ascendit cum paucis vi-
ris in civitatem maritimam, & regnavit illic. 2. Et
factum est, ut ingressus est domum regni patrum suo-
rum, comprehendit exercitus Antiochum & Lysiam, ut
adducerent eos ad eum. 3. Et res ei innotuit: & ait:
Nolite mihi ostendere faciem eorum. 4. Et occidit eos
exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui: 5. & venerunt ad
eum viri iniqui & impii ex Israel: & Alcimus dux eorum, qui volebat
fieri sacerdos. 6. Et accusaverunt populum apud regem, dicentes: Perdi-
dit Iudas, & fratres eius, omnes amicos tuos, * & nos dispersit de ter-
ra nostra. 7. Nunc ergo mitte virum, cui credis, ut eat, & videat ex-
terminium omne, * quod fecit nobis, & regionibus regis: & puniat om-
nes amicos eius, & adiutores eorum. 8. Et elegit rex ex amicis suis Bac-
chidem, qui dominabatur trans flumen, magnum in regno, & fidelem re-
gi: † & misit eum, 9. ut videret exterminium, quod fecit Iudas: sed &
Alcimum impium constituit in sacerdotium, & mandavit ei facere ultionem
in filios Israel. 10. Et surrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in
terram Iuda: & miserunt nuntios, & locuti sunt ad Iudam, & ad fratres
eius, verbis pacificis in dolo. 11. Et non intenderunt sermonibus eorum:
viderunt enim quia venerunt cum exercitu magno. 12. Et convenerunt ad
Alcimum & Bacchidem congregatio scribarum requirere quæ iusta sunt:
13. & primi, Assidæi qui erant in filiis Israel, & exquirebant ab eis pa-
cem. 14. Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non de-
cipiet nos. 15. Et locutus est cum eis verba pacifica: & iuravit illis, di-
cens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. 16. Et crede-
runt ei: Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una
die, secundum verbum quod scriptum est: 17. (a) Carnes sanctorum tuo-
rum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, & non erat
qui sepeliret. 18. Et incubuit timor & tremor in omnem populum: quia
dixerunt: Non est veritas & iudicium in eis: transgressi sunt enim consti-
tutum,

tutum, & iusiurandum quod iuraverunt. 19. Et movit Bacchides castra ab
Ierusalem, & applicuit in Bethzecha: & misit, * † & comprehendit mul-
tos ex eis qui a se effugerant, & quosdam de populo mactavit, & in pu-
teum magnum proiecit. 20. Et commisit regionem Alcimo, & reliquit
cum eo auxilium in adiutorium ipsi. 21. Et abiit Bacchides ad regem:
& satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotii sui: 22. & convenerunt
ad eum omnes, qui perturbabant populum suum, & obtinuerunt terram
Iuda, & fecerunt plagam magnam in Israel. 23. Et vidit Iudas omnia
mala quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant, filiis Israel, multo plus
quam Gentes: 24. & exiit in omnes fines Iudææ in circuitu, & fecit vin-
dictam in viros desertores, & cessaverunt ultra exire in regionem. 25.
Vidit autem Alcimus quod prævaluit Iudas, & qui cum eo erant: & co-
gnovit quia non potest sustinere eos, & regressus est ad regem, & accusa-
vit eos multis criminibus. 26. (b) Et misit rex Nicanorem, unum ex
principibus suis nobilioribus: qui erat inimicitias exercens contra Israel:
& mandavit ei evertere populum. 27. Et venit Nicanor in Ierusalem cum
exercitu magno, & misit ad Iudam & ad fratres eius verbis pacificis cum
dolo, 28. dicens: Non sit pugna inter me & vos: veniam cum viris pau-
cis, ut videam facies vestras cum pace. 29. Et venit ad Iudam, & salu-
taverunt se invicem pacifice: & hostes parati erant rapere Iudam. 30. Et
innotuit sermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum: & conterritus
est ab eo, & amplius noluit videre faciem eius. 31. Et cognovit Nicanor
quoniam denudatum est consilium eius: & exivit obviam Iudæ in pugnam
iuxta Capharsalama. 32. Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quin-
que millia viri, & fugerunt in civitatem David. 33. Et post hæc verba
ascendit Nicanor in montem Sion: & exierunt de sacerdotibus populi sa-
lutare eum in pace, & demonstrare ei holocautomata, quæ offerebantur pro
rege. 34. Et irridens sprevit eos, & polluit: & locutus est superbe. 35.
& iuravit cum ira, dicens: Nisi traditus fuerit Iudas, & exercitus eius in
manus meas, continuo cum regressus fuero in pace, succendam domum i-
stam. Et exiit cum ira magna: 36. & intraverunt sacerdotes, & steterunt
ante faciem altaris & templi: & flentes dixerunt: 37. Tu Domine elegisti
domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis
& obsecrationis populo tuo: 38. fac vindictam in homine isto, & exerci-
tu eius, & cadant in gladio: memento blasphemias eorum, & ne dederis
eis ut permaneant. 39. Et exiit Nicanor ab Ierusalem, & castra appli-
cuit ad Bethoron: & occurrit illi exercitus Syriæ. 40. Et Iudas applicuit
in Adarsa cum tribus millibus viris: & oravit Iudas, & dixit: 41. (c)
Qui missi erant a rege Sennacherib, Domine, quia blasphemaverunt te,
exiit angelus, & percussit ex eis centum octogintaquinque millia: 42. sic
contere exercitum istum in conspectu nostro hodie: & sciant ceteri quia
male locutus est super sancta tua: & iudica illum secundum malitiam il-
lius. 43. Et commiserunt exercitus prælium tertiadecima die mensis Adar:
& contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio. 44. Ut
autem vidit exercitus eius quia cecidisset Nicanor, proiecerunt arma sua,
& fugerunt: 45. & persecuti sunt eos viam unius diei, ab Adazer usque-
quo

quo veniatur in Gazara, & tubis cecinerunt post eos cum significationibus: 46. & exierunt de omnibus castellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & convertebantur iterum ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & non est relictus ex eis nec unus. 47. Et acceperunt spolia eorum in prædam: & caput Nicanoris amputaverunt, & dexteram eius, quam extenderat superbe, & attulerunt & suspenderunt contra Ierusalem. 48. Et lætatus est populus valde, & egerunt diem illam in lætitia magna. 49. & constituit agi omnibus annis diem istam, tertiadecima die mensis Adar. 50. Et siluit terra Iuda dies paucos.

(a) Psal. lxxviii. 1. 2. 3. (b) II Mach. xv. 1. (c) IV. Reg. xix. 35. Tob. 1. 21. Eccli. xlviii. 25. Isai. xxxvii. 36. II. Mach. viii. 19.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. Et nos dispersit de terra nostra. Pro *dispersit*, quod est eiecit, non scribas *disperdidit*.

Vers. 7. Quod fecit nobis & regionibus regis. Coniunctio *&* mutanda non est cum præpositione *in*

Vers. 19. Et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant. Ita est in quibusdam veteribus manuscriptis: in aliis legitur contrarium; *qui ad se refugerant.*

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 9. ET *misit eum ut videret exterminium quod fecit Iudas; sed & Alcimum.* Alii omittunt hæc verba, *ut videret exterminium quod fecit Iudas: sed*, Græco consentanee: quæ ab omnibus leguntur supra vers. 7. unde & facile hic subaudiuntur.

Vers. 19. Et comprehendit multos ex eis qui a se effugerant. Ita est in quibusdam veteribus manuscriptis: in aliis legitur contrarium *qui ad se refugerant.*

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. DEMETRIUS, scilicet frater Antiochi Illustris, secundum quosdam; aliis filius Seleuci fratris Antiochi Illustris, adeoque huius ex fratre nepos, non frater. Fuerat autem Seleucus Rex ante Antiochum. MARITIMAM. Tyrum quidam putant. Vide tamen Lib II.c.XIV.

V. 7. OMNES. Græc. *eos, & omnes ad iutores eorum.*

V. 8. FLUMEN, scilicet Euphratem.

V. 17. ET LOCUTUS, &c. quasi dicat, Fuerat enim locutus, &c. & iuraverat, &c.

V. 18. IUDICIUM, id est iustitia seu probitas. CONSTITUTUM, id est pactum.

V. 19. A SE. Græc. *qui apud ipsum erant transfugarum.*

V. 24. EXIRE, id est excurrere.

V. 30. CONTERRITUS EST, id est timuit sibi.

V. 32. CIVITATEM DAVID, scilicet in arcem, quam tenebant adhuc hostes.

V. 33. VERBA, id est gesta.

V. 34. POLLUIT, id est ignuminiose tractavit.

V. 37. NOMEN TUUM, id est te.

V. 38. IN GLADIO, id est cæsi. PERMANEANT, scilicet superstites.

V. 41. EXIIT, scilicet a te missus.

V. 42. SUPER SANCTA, id est contra templum. IUDICA, &c. id est, puni secundum quod meretur malitia. ADAR, scilicet Februarii.

V. 45. CUM SIGNIFICATIONIBUS. Græc. *signorum*, id est quibus dari solebat signum bellicum, seu classicum.

V. 46. VENTILABANT EOS CORNIBUS, id est vehementer evertebant. Metaphora a tauris. ITERUM, id est subinde, quasi dicat, Sæpe cædendo, tandem omnes interemerunt.

V. 47. CONTRA, id est e regione, scilicet prope.

V. 50.

V. 50. SILUIT, id est quievit, scilicet pacata fuit.

ESTII.

Vers. 5. ET VENERUNT AD EUM VIRI INIQUI ET IMPII EX ISRAEL: ET ALCIMUS DUX EORUM, QUI VOLEBAT FIERI SACERDOS. In Alcimo notandum exemplum huminis ambitiosi. Cuius ambitio in primis designatur dum dicitur; *quod volebat fieri sacerdos*. Intelligit autem Scriptura summum sacerdotium. Nam erat iam sacerdos, prout postea sequitur dixisse populum: *Homo sacerdos de semine Aaron non decipiet nos*. Et ostenditur hoc exemplo, ad quanta mala perpetranda impellat hominem cæca ambitio. Nam Alcimus iste, dum per fas, & nefas ad pontificatum contendit, primo populum suum Iudaicum apud regem ethnicum accusat, falsa & odiosa crimina imponens Iudæ, & fratribus eius religionis & patriæ defensoribus; secundo bellum concitat adversus patriam, & cives suos innocentes; tertio fraude accersitos ad se viros primarios, qui Assidæi vocantur, quorum consiliis respublica regebatur, omnes ad unum interfecit. Hi sunt portentosi fœtus insanæ ambitionis.

V. 27. ET VENIT NICANOR IN IERUSALEM CUM EXERCITU MAGNO, ET MISIT AD IUDAM, ET AD FRATRES EIUS VERBIS PACIFICIS CUM DOLO. In Nicanore exemplum est hominis fraudulenti, & maxime impii; qui & irrisisse legitur ritus sacros, & sprevisse, & polluisse, denique & superbe comminatus cum iureiurando se succensurum domum Dei. Sed sicut Sennacherib rex Assyriorum IV. Reg. XIX. non diu inultam tulerat blasphemiam, quam per oratores suos evomuerat in locum sanctum; ita & Nicanor iste, persequente eum vindicta divina, paulo post cum toto exercitu suo interiit, & caput impii & dextra in sublimi loco posita contra templum Domini, omnibus documento fuere iustissimæ Dei adversus impios ultionis. Sed quid est, quod sacerdotes in oratione ad Deum precantur hoc modo? *Fac vindictam in homine isto, & exercitu eius, & cadant in gladio. Memento blasphemias eorum, & ne dederis eis ut permaneant;* cum vindictam expetere non liceat? Respondeo, duobus modis vindicta expetitur; vel ex dolore privatæ iniuriæ; vel ex amore iustitiæ divinæ. Priori modo non licet, posteriori licet; sicut & Ezechias super Sennacherib vindictam expetiit, & Elizæus super pueris irridentibus eius calvitiem, & Martyres super persecutoribus Apoc. VI.

MARIANAE.

Vers. 1. DEMETRIUS SELEUCI FILIUS. *Seleucus* hic fuit frater Antiochi Epiphanis. *Demetrius* pro patruo obses Romæ: Appianus in Syriacis. Fallitur Iustinus Lib. XXXIV. cum Demetrium Antiochi Epiphanis fratrem facit. Fuit Eupatoris patruelis, & audita patrui morte, clam Roma & cum paucis discedit. IN CIVITATEM MARITIMAM appulit. Quæ ea civitas? Tripolis, II. Mach. XIV. 1. Phœniciæ urbs est.

V. 2. UT INGRESSUS EST DOMUM REGNI, id est regnum. COMPREHENDIT EXERCITUS ANTIOCHUM. Puto hunc exercitum fuisse, qui ductore Philippo ex Perside venerat. Eo victo & sublato quamvis, irritati manserunt, & occasione oblata contra Eupatorem rebellarunt.

V. 5. ET ALCIMUS DUX EORUM. Hic Menelao successerat anno superiore 150. ut Iosephus Lib. XII. cap. XV. VOLEBAT FIERI SACERDOS, id est in Pontificatu confirmari a Demetrio, quem ab Antiocho Eupatore iam acceperat. Erat quidem ex semine Aaron, vers. 14. tum Iosepho, Lib. ult. cap. pænultimo, sed intrusus tum Menelaus, tum ipse Nicephorus in Catalogo Alcimum alienigenam vocat. Legitimi sacerdotes, Mathathias & filii. Verum ob turbationem temporum non puto Mathathiam id munus exercuisse, & ob id neque a Iosepho, neque a Nicephoro Const. numerari inter Pontifices Hebraicos.

V. 6. ET NOS DISPERSIT, eiecit e terra nostra Iudas.

V. 8. DOMINABATUR TRANS FLUMEN MAGNUM, scilicet Euphratem. Mesopotamiæ Præfectus erat Bacchides.

V. 13. PRIMI, ASSIDAEI QUI ERANT IN FILIIS ISRAEL. Græce, *Primi Assidæi erant in filiis Israel*. De Assidæis dictum est cap. II. 42.

V. 18. NON EST VERITAS ET IUDICIUM: Κρίσις, *iudicium* hic sumitur pro iure, pro iustitia.

V. 19.

V. 19. Applicuit in Bethzecha; seu *castrametatus est in Bezeth*, ut est Græce. Num hic locus est, quem *Bethzaram* vocavit cap. vi. 33. prope Ierusalem? Nihil certi.

V. 20. Reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi, *exercitum ut auxiliaretur ei*: sic est Græce: reliquit Bacchides cum Alcimo.

V. 21. Satis agebat: vel *satagebat*, curabat diligenter, ἠγωνίζατο, Alcimus.

V. 24. Cessaverunt ultra exire. Græce, *ire*, id est aggredi regionem Iudææ non audebant.

V. 26. Misit rex Nicanorem, scilicet Demetrius. Venerat is cum eo Roma, ex Iosepho, eoque gratissimus erat ei.

V. 31. Capharsalama. Hæc est *Antipatris*, Palæstinæ urbs, hodie *Arsur*. Iosephus Lib. XVI. campum ubi erat Antipatris, *Capharsabam* vocat.

V. 34. Et polluit. Nicanor sacerdotes adigens, scilicet ad illicita & vetita in Lege.

V. 39. Castra applicuit; seu *posuit*, ad Bethoron. Urbs in tribu Ephraim: Iosue xvi. 3. Occurrit illi exercitus Syriae. Venerunt ad Nicanorem novæ copiæ.

V 40. Iudas applicuit. Castra posuit in Adarsa. Græc. *Adasa*. Gotth. *adversa*. Utrumque vitiose ex Hieronymo de Locis Hebr. Erant ea loca vicina, & castra castris collata. O Deus,

V. 42. Super sancta tua male locutus est: ἐπὶ τὰ ἅγιά σε, *contra sancta tua*. Sic Gotth.

V. 43. Tertiadecima die mensis Adar. Is est Februarius, anni Hebr. mensis ultimus. Victos Iudæi persecuti sunt

V. 45. Ad Adazer. Græc. *Adasa*: nempe ibi prælium fuit. Gazara. Urbs tribus Ephraim data Levitis Iosue xxi. 21. non procul Nicopoli. Tubis cecinerunt post eos cum significationibus, id est victoriam partam significantes. Varii sonus tubæ varia in bello significant, quibus pro voce utuntur.

V. 46. Ventilabant eos cornibus, ὑπερεκέρων, id est cornua utroque ex latere, omni ex parte fugientibus instabant. Id significat *ventilare cornibus*. Et convertebantur iterum ad eos. Græce, *Et convertebantur hi ad hos*, id est quisque feriebat quem poterat, & qui illi occurrebat.

V. 49. Constituit agi omnibus annis diem festum. De hoc Festo Lib. II. cap. ultimo vers. 37.

MENOCHII.

Vers. 1. Demetrius Seleuci filius: Seleuci qui fuit Antiochi Epiphanis frater. Ab urbe Roma: ubi obses fuerat pro Epiphane patruo, & unde cum paucis clam aufugit. In civitatem maritimam: Tripolim Syriæ. Regnavit illic; id est, ibi primum ut rex Syriæ acceptus, & salutatus est.

V. 2. Regni patrum suorum: sibi scilicet a patre Seleuco, & Antiocho magno avo debitum, tamquam primogenito Seleuci, eius primogeniti.

V. 5. Qui volebat fieri sacerdos: scilicet summus; iam enim erat ex ordine sacerdotali: vide II. Machab. xiv. 3.

V. 7. Virum cui credis: tibi fidum. Amicos eius, et adiutores eorum: intelligit Assidæos, ut patet ex II. Lib. cap. xiv. 6.

V. 8. Trans flumen; scilicet, Euphratem. Magnum in regno: virum primarium inter regios satrapas.

V. 11. Et non intenderunt sermonibus eorum. Iudas cum suis ex divino lumine, & rerum militarium peritia, intellexit fidem non esse adhibendam Bacchidi, nec Alcimo sacrilego. Alii vero viri minime mali, ex seipsis alios metientes fidem adhibendam putaverint, sed suo malo.

V. 13. Et primi Assidaei, &c. Ordo est: & Assidæi, qui primi erant in filiis Israel, exquirebant ab eis pacem.

V. 15. Et locutus est, &c. quasi dicat, Fuerat enim locutus, &c. & iuraverat.

V. 7. Carnes sanctorum, &c. Sancti erant Assidæi professione religionis, & fidei: sumptum est hoc testimonium ex Psalm. lxxviii. 2.

V. 18. Iudicium, id est iustitia, seu probitas. Constitutum, id est pactum.

V. 20. Commisit regionem Alcimo: ut scilicet eius gubernator esset, & Pontifex loco Iudæ, eumque omni ope, & studio prosequeretur. In adiutorium ipsi: ut Iudæ resistere posset.

V. 21. Et satis agebat Alcimus, &c. ſolicitus erat, & conabatur Pontificatu ſpoliare Iudam, eoque ſe, iuxta Demetrii voluntatem induere. Pro principatu sacerdotii: *περὶ ἀρχιερωσύνης, de ſummo ſacerdotio*.

V. 22. Fecerunt plagam magnam: excurſionibus faciendis, in quibus etiam cædes patrabant, rapinas, &c.

V. 24. Exire: excurrere, populari.

V. 26. Nicanorem: præpoſitum Elephantorum, ex Lib. II. xiv. 12. Qui erat inimicitias exercens contra Israel. Fortaſſe erat Iudæis infenſus, quia turpiter ab illis victus profugerat Antiochiam, ex Lib. II. cap. viii. 35.

V. 30. Conterritus est, id eſt timuit ſibi.

V. 31. Iuxta Capharsalama: quam urbem Adrichomius in tribu Manaſſis cis Iordanem collocat; poſteaque ait ab Herode reſtauratam; & a parente ſuo Antipatrida appellatam.

V. 32. In civitatem David; hoc eſt, in arcem, quam adhuc hoſtes tenebant.

V. 33. Verba, id eſt geſta.

V. 34. Polluit, id eſt ignominioſe tractavit: *ἐμίανεν αὐτούς*.

V. 36. Steterunt: non ſignificat erecto corpore fuiſſe, ſed *ſteterunt* poſitum eſt pro *manſerunt*, ſcilicet orantes, ut par eſt credere, flexis genibus. Ante faciem altaris: holocauſtorum, quod erat in atrio ſacerdotum ante ipſum templum.

V. 38. Ut permaneant: ut vivant, ut ſuperſtites ſint.

V. 39. Occurrit illi exercitus Syriae: incrementum copiarum ex Syria.

V. 40. In Adarsa. Hunc vicum triginta tantum ſtadiis a Bethoron abſuiſſe ſcribit Ioſephus; licet enim Adarſa in locis Samariæ, & tribu Ephraim eſſet, Bethoron autem in tribu Beniamin, contiguæ tamen erant tribus illæ, ut abſurdum non ſit tam exiguo ſpatio diſtaſſe inter ſe.

V. 41. Qui missi erant a rege Sennacherib, &c. Hiſtoria habetur IV. Reg. xix. 35.

V. 42. Super sancta, id eſt contra templum. Indica, &c. puni, vindica, ut exigit malitia eius.

V. 43. Mensis Adar: qui Februario noſtro reſpondet.

V. 45. Ab Adazer: loco prælii, qui num. 40. dictus eſt Adarſa. Cum significationibus: ut ſcilicet omnes undique convolarent ad fugientium hoſtium cædem. In Græco eſt, *ſignorum*, quibus ſcilicet dari ſolebat ſignum bellicum, ſeu claſſicum cani.

V. 46. Ventilabant eos cornibus, id eſt vehementer illos perſequebantur, & impetebant: metaphora ſumpta eſt a tauris. Iterum, id eſt ſubinde; quaſi dicat, Sæpe cædendo, donec tandem omnes deſerent.

V. 47. Quam extenderat superbe: ſcilicet contra domum ſanctam omnipotentis Dei, ut dicitur Lib. II. cap. xv. 32. Contra, id eſt e regione, ſcilicet prope.

V. 50. Siluit, id eſt quievit, pacata fuit.

TIRINI.

Verſ. 1. Demetrius Seleuci Philopatoris filius, extincto parente, fraude patrui ſui Antiochi Epiphanis ſpoliatus paterno, cum propter teneram ætatem minus idoneus eſſet rebus gerendis, Romæ tantiſper latuit dum adoleſceret, nemper per annos circiter quatuordecim. Adultior factus, anno centesimo quinquagesimo primo regni Græcorum exiit ab urbe Roma, et cum paucis viris, quo tutius lateret, ascendit in civitatem maritimam: Tripolim fuiſſe dicitur II. Mach. xiv. 1. ubi volentibus omnium animis pro legitimo rege agnitus & admiſſus regnavit ad tempus: nempe donec collectis copiis, & certior factus de mente ducum exercitus Syriaci, iis invitantibus.

V. 2. Ingressus est domum regni patrum suorum, id eſt Antiochiam urbem regiam, & ſedem regni paterni. Cum mox exercitus ab Antiocho ad Demetrium deficiens comprehendit et Antiochum iam undecennem *a*, et Lysiam proregem, ut captivos adducerent ad Demetrium. Qua re comperta, Demetrius,

V. 3. Nolite, inquit, mihi ostendere faciem illorum; quaſi dicat: Nolo vivos habere, ſed mortuos. Hoc accepto mandato:

V. 4. Occidit eos exercitus. Nec vero favit Iudæis Demetrius, tum ob auxilium

xilium Antiocho *b* submissum; tum ob fallas delationes ei factas ab *Alcimo* sacerdote *c*, sed apostata; interim pro pontifice summo *d* se iactitante, qui a Iuda tamen vero pontifice reliquisque probis Iudæis numquam admissus vel agnitus fuerat *e*. Huius Alcimi fraudulentis verbis seductus

V. 8. REX *mittit* ad Iudæos BACCHIDEM QUI *dominatur* TRANS FLUMEN Euphratem: præfectus erat Mesopotamiæ, inquit Iosephus *f*.

V. 9. ET ALCIMUM CONSTITUIT IN SACERDOTIUM Etsi enim ante iam ab Antiocho Eupatore, post cædem Menelai *g* constitutus fuisset summus sacerdos II. Mach. XIV. 3. quia tamen acta omnia Antiochi, utpote tyranni & usurpatoris regni, a Demetrio cassata & annullata fuerant, iterato debebat hæc pontificia dignitas per Demetrium legitimum regem conferri Alcimo, si vellet pro pontifice agnosci. Sed hæc omnia nihil præiudicare poterant legitimo pontificatui Iudæ Machabæi, ut iam dixi. Et vero cautior is fuit, quam ut Alcimo sibi blandienti finem haberet. Habuerunt tamen

V. 12. SCRIBAE complures, id est doctores & legisperiti Iudæorum, & inter hos

V. 13. PRIMI, seu primo loco, ASSIDAEI, sic dicti a radice *chasid*, id est misericors, sanctus, pius: quales hos fuisse testatur Iosephus *h* Et Psalm. LXXVIII. 2. & 3. (ubi de his agitur, ut hic vers. 17. explicatur) *hasid-cha* & ὅσιοι vocantur, id est *pii & sancti*, tum professione religionis & fidei, tum præstantia morum, inquit ibid. Genebrardus. Præ ceteris enim maiorem religionis zelum & sanctitatis studium præ se ferebant, speciali societatis vinculo inter se devincti, & specialibus institutis non minus quam nomine a reliquo populo distincti, fere ut nunc Religiosi. Id insinuatur II. Machab. XIV. *6.* & a Iosepho *i* passim, qui quos Scriptura & Gorionides *Assidæos* vocat, ipse *Essenos* ubique nominat: & eosdem fuisse sæpe demonstrat Serarius k: & olim *Rechabitas* ac *Cinæos* dictos, Ioannes Mariana *l* & alii nonnulli, ut dixi Num X. sub finem. Horum præfectus, seu præpositus generalis iam erat Iudas Machabæus, II. Mach. XIV. *6.* antea solum *decimus*, seu *decadarchus*, ibid. cap. V. vers. ult. id est, ex *decemviris* unus, qui cum præposito generali omnia eius ordinis administrabant, inquit Iosephus *m*. Ibidem insinuatur, *fœni cibo*, id est herbarum esu, contentos vixisse *in montibus* & speluncis. De *resurrectione* carnis, & animarum immortalitate, exemplo Iudæ præpositi sui *religiose & pie* sensisse, cap. XII. 43. uxores vel numquam, vel non nisi tarde duxisse, cap. XIV. 25. zelo religionis admirabili, & animi fortitudine incredibili fuisse, exemplo Iudæ, fratrumque illius, & Raziæ, cap. XIV. 58. Et eadem omnia de iisdem testantur Iosephus uterque iam sæpius citatus, Epiphanius, Eusebius, Plinius, Solinus, Baronius, Serarius, & alii.

V. 16. EX HIS primæ notæ viris summa perfidia OCCIDIT *Alcimus* prope Ierosolymam SEXAGINTA VIROS; sed multo plures *in Bethzecha*.

V. 19. MACTAVIT BACCHIDES EX IIS QUI ex Iudæis ad se *perfugerant*, sed territi perfidia *Alcimi*, iterum *a se* ad suos EFFUGERANT, seu effugere tentabant.

V. 26. REX Demetrius in Iudæam MISIT NICANOREM e potentioribus ducibus suis, qui peculiariter infensus erat Iudæis. Iosephus dicit, eum iam inde ab urbe Roma venisse cum Demetrio, & ideo gratissimum illi fuisse. Hic cæditur a Iuda

V. 31. IUXTA CAPHARSALAMA, urbem Palæstinæ, quæ postea *Antipatris*, hodie *Arsur* dicitur. Iosephus *n* campum ubi erat *Antipatris*, vocat *Capharsabam*. Qui vero evadere potuerunt ex sociis Nicanoris,

V. 32. & 33. FUGERUNT a campo IN CIVITATEM DAVID, id est in arcem, quam Gentiles habebant in monte Sion, I. Mach. I. 35. Quo & ipse Nicanor mox contendit: ubi & a sacerdotibus, quorum tunc vices erant in templo, honorifice salutatur, ostensis ei sacrificiis, quæ *pro* salute *regis* ipsius ibidem OFFEREBANTUR Deo. Sed ipse

V. 34. RIDENS ET *spernens* omnia, POLLUIT sacerdotes, ut est in Græco, cogens scilicet eos ad illicita & lege vetita, seu offerenda, seu comedenda.

V. 39. Egresso *Ierosolyma* Nicanori OCCURRIT EXERCITUS SYRIAE, id est ex Syria collectus & submissus, ut illi contra

Iudæos opem ferret. Sed omnes illæ copiæ

V. 40. In Adarsa; Græce, *in Adasa* (ut & vers. 45.) a tribus millibus viris Iuda, *tertiadecima die mensis Adar*. id est principio nostri Martii, vers. 43. cæso ante omnes ipso Nicanore,

V. 44. Fusæ, fugatæ, *contritæ sunt*. Iudæis fugientes persequentibus vers. 45. ab Adazer; Græce, *Adasa*, ubi pugna vers. 40. commissa fuerat, usque in Gazara, urbem tribus Ephraim, quæ Levitis cesserat Iosue xxi. 21. haud procul Nicopoli: et tubis post fugientium terga *canentibus*, cum significationibus partæ victoriæ: vel potius cum signo bellico, quod cantu tubarum dabant vicinis & accolis omnibus, ut & ipsi in hostes fugientes arma verterent; uti & fecerunt:

V. 46. Et ventilabant eos cornibus. Metaphora est a tauris desumpta, qua significare volunt Iudæos omni ex parte fugientibus institisse, nullo ad evadendum vel latitandum loco relicto. Nam post cæsos semel uno loco, convertebantur ad eos qui effugerant, seu in eodem, seu in vicino loco indagandos & iugulandos, adeo ut nec unus ex eis relictus sit in vivis. Fusius hæc omnia describuntur Lib. II. Machab. cap. ult. ubi prostrata dicuntur 35000. Addit Gorionides o, Nicanorem ipsiusmet Iudæ manu in duas partes dissectum fuisse.

V. 47. Porro caput et dexteram blasphemi tyranni suspenderunt Iudæi contra Ierusalem, id est e regione, seu prope urbem, nempe caput *in arce*, *manum* prope *templum*, ut dicitur II. Machab. ult. vers. 33. & 35. Idque in memoriam perpetuam tum victoriæ, tum ultionis divinæ, ut ibid. additur.

(a) I. Mach. vi. 17.
(b) Supra, in fine cap. vi.
(c) Infra hic, 14.
(d) II. Mach. xiv. 2.
(e) Ibid. vers. 7.
(f) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. xvi.
(g) II. Mach xiii. 4.
(h) Ioseph. sup.
(i) Ioseph. Lib. II. Belli cap. xii. Gorionid. Lib. I. cap. xxxi. Lib. IV. cap. vi.
(k) Serar. hic & in Trihæresio.
(l) Mariana in I. Mach. ii. 42.
(m) Ioseph. sup.
(n) Ioseph. Lib. XVI. Antiquit.
(o) Ioseph. Gorion. sup. cap. xxii.

GORDONI.

Huius argumenti sunt, quæ de Alcimo narrantur, Lib. II. cap. xiv. usque ad vers. 11. ubi notatur annus Græcorum 150.

V. 1. Demetrius hic Seleucum patrem habuit, fratrem Antiochi Epiphanis: ex Appia in Syriacis. Fuit pro Epiphane patruo obses Romam missus a Patre, & nunc Roma clam fugiens, recipitur a Syris, anno 151. & liber secundus cap. xiv. 1. dat in hunc primum annum Demetrii incidisse tertium annum Eupatoris: patrueles erant, & triennium accipe inchoatum: certe (ut apparet) a principio regni Eupatoris. Nam cœpit regnare Eupator paulo ante annum 150. hinc Eusebius in Chronico biennium tantum dat Eupatori: reliqua vide in opere Chron. an. 3841. & deinceps.

V. 5. Anno quo occisus est Menelaus sub Eupatore, eodem etiam æque impius Alcimus Pontificatum accipit: ex stirpe quidem Aaronis (Lib. I. cap. vii. 14.) tamen verus Pontificatus erat apud Machabeos. At a quo factus Pontifex Alcimus? certe primum ab Eupatore statim occiso Menelao. Deinde a Demetrio ut hic habetur. Hinc in Græco est (cap. xiv.) *προγενόμενος ἀρχιερεὺς*, hoc est ante factus summus sacerdos, scilicet a rege ethnico, alioqui legitime exclusus ab hac successione per apostasiam, citato etiam cap. xiv. 4. dicitur obtulisse regi tallos: θαλλός ramum significat, ramos aureos & aureas palmas obtulit: templo subductas has res intelligo. At qui sunt Assidæi c. illo xiv. vers. 6. certe qui præ ceteris maiorem religionis cultum præ se ferebant. Quasi benignitate & benevolentia insigniti. Hebr. חסיד, *benignus*, *beneficus* & חסד *hesed*, *benignitas*. Sed de Assidæis prolixe alii, & noster Serr. ad cap vii. Lib. I.

Pars altera capitis septimi.

Nicanor missus a Demetrio rege, cum exercitu venit in Iudæam, vers. 27. dolo agit. Sed detectus aperte grassatur, vers. 29. vers. 31. minatur ruinam templi post editum a pugna, 33. & 36.

Additio. Huc referenda sunt, quæ narrantur Lib. II. cap. xiv. a vers. 13. usque

ad

ad finem capitis, ubi prolixius narrantur, quæ hac parte II. cap. vii. sunt indicata.

V. 28. Pacem quidem, & amicitiam initio habuit cum Iuda. Sed ex citato hic cap. xiv. iubente rege mutata est in bellum. At quomodo vers. 25. cap. xiv. uxorem ducit Iudas, cum sit Assidæus, ut indicatum iam est, seu Essenus (Essenis omnia erant communia.) Certe demus duxisse uxorem; tamen institutum Essenorum retinuit; habens, inquam, omnia communia: quamvis revera de eius filio nullam faciat mentionem Scriptura. Quod si filium suscepit, vix potuit esse nisi posthumus, cum hinc ad mortem Iudæ vix superfint novem menses. Quæ vero Lib. II. cap. xiv. 25. dicuntur de communi vita retenta, eam intellige, quæ Essenorum propria erat; quam vitæ constantiam, & firmitatem designat, τὸ εὐςαθεῖν.

At quid illud hoc capite septimo, vers. 32. Capharsalamo. Iosephus Lib. XVI. vocat Capharsalamam Antipatris, urbs erat Palæstinæ.

Ceterum Razias, de quo Lib. II. cap. xiv. vers. 37 fuit primæ nobilitatis, φιλοπολίτης habitus, seu boni communis amator. Nam mirum videtur hunc qui seipsum occidit, laudari a Scriptura: de quo multa. Aug. de hæres. Hær. lxix. & Lib. II. contra Gaudentium cap. xx. circumcellionum insaniam damnans, præsertim epist. lxi. Sane Aug. magis videtur damnare hoc factum quam probare. Quod autem laudari nunc videatur, referunt aliqui ad merita eius in Rempub. anteacta, & quæ hic recensentur: nisi quis velit hic, factum hoc de quo agitur laudari, ut in Samsone, velut patratum peculiari aliquo instinctu divinitus immisso, ne forte reservatus ad tormenta incideret in perfidiam: aut etiam nisi quis dicat non laudari facinus hoc ut bonum, sed ut audax, & constantis animi indicium.

Pars tertia capitis vii. *Iudas.*

Nicanor castra movet in Iudam, vers. 39. orat Iudas 40. & 42. certatur 43. vincitur, & occiditur Nicanor, vers. 44. & 45. deletur exercitus 46. spolia, 47. dies festus instituitur, vers. 49.

Additio. Huc spectant quæ narrantur cap. ult. Lib. II. usque ad vers. 38. ubi Iudæi compulsi ad bellum cum Nicanore dissuadent illi bellum in Sabbato, vers. 3. & 4 insanus tamen blasphemator Nicanor pergit. Somnium Iudæ, vers. 12. hortatur suos, vers. 17. orat, vers. 22. pugnatur 25. victus & occisus Nicanor fuso exercitu, vers. 28. suspensum caput in arce, 32. & 33.

Clara hic sunt omnia, duo non placent fidei adversariis & Novatoribus. Primum, τὰ νικητήρια; nolunt enim ad divinum honorem & sanctorum dies aliquot certos designari. Sed passim sunt refutati, convicti, damnati: alterum quod displicet novis hominibus est somnium illud Iudæ divinitus immissum, in quo legunt sanctos pro nobis orare: valde hos vexat sacra libri auctoritas. Nam aliud quod contra hoc obganniant nihil habent; extrema hæc verba, *populi mei Israel*, non sunt in Græco, nisi per sensum priorum verborum, & proinde stat iusta versio nostri interpretis.

Ratio nominum propriorum.

V. 8. Trans flumen, Euphratem.

V. 13. Primi Assidaei: nobilium ordo: sic qui primi erant, exquirebant pacem.

V. 17. Carnes sanctorum. Assidæi sancti erant possessione religionis veræ.

V. 28. Constitutum: pactum.

V. 31. Capharsalama. Herodes Antipatrida vocavit; est cis Iordanem in Tribu Manassis.

V. 32. Civitatem David. Hanc arcem adhuc hostis tenebat.

V. 36. Altare est holocaustorum: in atrio sacerdotum.

V. 40. Adarsa. Vicus in confinio Tribus Beniamin, tamen in Tribu Ephraim & Samaria.

V. 41. Sennacherib. Vide IV. Reg. xix.

V. 43. Adar. Februarius est.

V. 45. Adazer. Est Adarsa, vers. 40. cum significationibus, dando signum, ut undique concurrerent in hostes.

V. 46. Ventilabant: Persequebantur vehementer, iterum, & sæpius instabant & occidebant.

CA-

CAPUT VIII.

Judas, audita celeberrima Romanorum fama ac virtute quæ hic recitantur, missis nuntiis fœdus cum illis percutit, ut ipsorum præsidio Iudæi a Græcorum iugo liberentur: Romani autem Iudæ remittunt ičli fœderis rescriptum in tabulis æreis sculptum, quod hic refertur.

1. ET audivit Iudas nomen Romanorum, quia sunt poten-
tes viribus, & acquiescunt ad omnia, quæ postulantur
ab eis: & quicumque accesserunt ad eos, statuerunt
cum eis amicitias, & quia sunt potentes viribus. 2.
& audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fe-
cerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt
sub tributum: 3. & quanta fecerunt in regione Hispa-
niæ, & quod in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic
sunt, & possederunt omnem locum consilio suo, & patientia: 4. locaque
quæ longe erant valde ab eis, & Reges qui supervenerant eis ab extremis
terræ, contriverunt, & percusserunt eos plaga magna: ceteri autem dant
eis tributum omnibus annis: 5. & Philippum & Persen Cetrorum regem,
& ceteros qui adversum eos arma tulerant, contriverunt in bello, & ob-
tinuerunt eos: 6. & Antiochum magnum regem Asiæ, qui eis pugnam in-
tulerat habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & e-
xercitum magnum valde, contritum ab eis: 7. & quia ceperunt eum vi-
vum, & statuerunt ei ut daret ipse, & qui regnarent post ipsum, tribu-
tum magnum, & daret obsides, & constitutum, 8. & regionem Indorum,
& Medos, & Lydos, de optimis regionibus eorum: & acceptas eas ab eis,
dederunt Eumeni regi: 9. & quia qui erant apud Helladam, voluerunt
ire, & tollere eos: & innotuit sermo his, 10. & miserunt ad eos ducem u-
num, & pugnaverunt contra illos, & ceciderunt ex eis multi, & captivas
duxerunt uxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum
possederunt, & destruxerunt muros eorum, & in servitutem illos redege-
runt usque in hunc diem: 11. & residua regna, & insulas, quæ aliquan-
do restiterant illis, exterminaverunt, & in potestatem redegerunt. 12. Cum
amicis autem suis, & qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt ami-
citiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longe:
quia quicumque audiebant nomen eorum, timebant eos: 13. quibus vero
vellent auxilio esse ut regnarent, regnabant: quos autem vellent, regno
deturbabant: & exaltati sunt valde. 14. Et in omnibus istis nemo porta-
bat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea. 15. Et
quia curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant trecentos viginti, consi-
lium agentes semper de multitudine, ut quæ digna sunt, gerant: 16. &
committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari uni-
versæ terræ suæ, & omnes obediunt uni, & non est invidia, neque zelus
inter

inter eos. 17. Et elegit Iudas Eupolemum, filium Ioannis, filii Iacob, & Iasonem, filium Eleazari; & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam, & societatem: 18. & ut auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel. 19. Et abierunt Romam viam multam valde, & introierunt curiam, & dixerunt: 20. Iudas Machabæus, & fratres eius, & populus Iudæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem & pacem, & conscribere nos socios & amicos vestros. 21. Et placuit sermo in conspectu eorum. 22. Et hoc rescriptum est, quod rescripserunt in tabulis æreis, & miserunt in Ierusalem, ut esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis. 23. BENE SIT ROMANIS, & genti Iudæorum, in mari & in terra in æternum: gladiusque & hostis procul sit ab eis. 24. Quod si institerit bellum Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum: 25. auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictaverit, corde pleno: 26. & præliantibus non dabunt, neque subministrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum, nihil ab eis accipientes. 27. Similiter autem & si genti Iudæorum prius acciderit bellum, adiuvabunt Romani ex animo, prout eis tempus permiserit: 28. & adiuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum absque dolo: 29. secundum hæc verba constituerunt Romani populo Iudæorum. 30. Quod si post hæc verba hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, facient ex proposito suo: & quæcumque addiderint, vel dempserint, rata erunt. 31. Sed & de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes: Quare gravasti iugum tuum super amicos nostros, & socios Iudæos? 32. Si ergo iterum adierint nos, adversum te faciemus illis iudicium, & pugnabimus tecum mari terraque.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. ACQUIESCUNT AD, id est facile concedunt.

V. 2. VIRTUTES BONAS, id est egregia facta. IN GALATIA, id est contra Gallos.

V. 3. LOCUM, scilicet Hispaniæ; vel quasi dicat, Omnia loca quæ possidebant, consilio sibi & patientia pararunt.

V. 4. SUPERVENERANT EIS, id est eos bello lacesserant. CETERI, scilicet a cæde superstites.

V. 7. CONSTITUTUM, scilicet quod sequitur.

V. 8. INDORUM. Ad veritatem historiæ sufficit, Iudam ita audisse; etsi aliter forte res haberet. EORUM, scilicet fuisse ablatas regiones has.

V. 9. HELLADAM, scilicet Græciam. TOLLERE, id est expugnare, seu interficere.

V. 12. REQUIEM; quasi dicat, Qui eis fidebant, vel acquiescebant.

V. 15. CURIAM, id est Senatum. MULTITUDINE, id est populo, scilicet recte gubernando.

V. 16. UNI, scilicet Consuli. At duo erant, sed sic audierat Iudas; ut & quod sequitur de invidia, &c. quod tamen falsum. ZELUS, id est æmulatio.

V. 23. BENE SIT, &c. Sententiam refert phrasi Hebraica.

V. 25. DICTAVERIT, id est ferret, seu postulabit. CORDE PLENO, id est promptissime.

V. 26. PROELIANTIBUS, scilicet Iudæis. DA-

Dabunt, scilicet Romani; quasi dicat, Suis impensis Iudæi bellum iuvabunt. Ab eis, scilicet Romanis.

V. 28. Dabitur, scilicet a Iudæis. Eorum, scilicet Iudæorum.

V. 30. Ex proposito, id est pro arbitratu.

V. 32. Faciemus illis, &c. id est defendemus eorum causam.

ESTII.

Vers. 1. ET audivit Iudas nomen Romanorum quia sunt potentes viribus, et acquiescunt ad omnia. Ac tandem vers. 16. Et committunt uni homini Magistratum suum per singulos annos. Quæritur, quomodo hic dicatur, uni apud Romanos commissum fuisse Magistratum? cum constet post exactos reges, per duos consules in singulos annos eorum rempublicam fuisse administratam? Aliqui respondent, administrationem quidem fuisse præcipue penes Senatum populumque Romanum; sed electos fuisse duos Consules, qui secundum leges, & ea quæ a patribus conscriptis decernerentur, Remp. ordinarie gubernarent: atque adeo, etsi duo essent consules; tamen, quia unus semper alterum aliquo modo præcellebat, & quia communi consensu sine æmulatione primis illis temporibus gubernabant, non aliter hoc fuisse, quam si ab uno homine tota Respublica regeretur. Vel etiam *dici potest*, Scripturam, ista non affirmare, sed tantum commemorare; & dicere, quod horum omnium fama venerit ad Iudam Machabæum & Iudæos: itaque non nimis anxie de singulorum exacta veritate laborandum. Et huic responsioni favet phrasis illa mox in initio huius narrationis: *Et audivit Iudas*, &c.

V. 17. & 18. Et elegit Iudas Eupolemum, et Iasonem, et misit eos Romam constituere cum illis amicitiam et societatem. Scriptura hoc factum ita commemorat, ut neque laudet, neque vituperet. Improbandum videri potest ex simili; quia II. Paralip. xvi. reprehenditur Asa rex Iuda, quod inito fœdere cum Benadab rege Syriæ, cum in auxilium vocaverit contra hostes suos, & cap. xx. etiam reprehenditur Iosaphat, quod impio Achab præberet auxilium; & similiter Sedechias rex, qui a rege AEgypti petiit auxilium. Et Rupertus Lib. X. de vict. verbi cap. ult. etiam non probat hoc fœdus Iudæ cum Romanis. Nihilominus Scriptura huius facti honestam causam reddere videtur, dum subiungit. Et ut auferrent ab eis iugum Graecorum, quia viderunt quod in servitutem premerent regnum Israel. Iugum scilicet illud, de quo toto hoc, & seq. libro: quo Israelitas quoque ad religionem Græcorum volebant transferre. Nec simile videtur de Asa, vel Iosaphat, qui nulla huiusmodi premebantur necessitate. Nec in Sedechia quoque simile erat. Nam vetitum erat expresse in lege, ne animo redirent in AEgyptum. Deinde auxilium petebatur in re iniusta, quia Sedechias periurus erat Nabuchodonosori, & contra prophetias Isaiæ & Ieremiæ nitebatur. Ac denique pro iustificatione Iudæ, & fratrum eius videntur etiam facere exempla sanctorum Patriarcharum, Abrahæ, Isaac, & Iacob, & sanctissimi regis Davidis, qui omnes confœderati fuerunt infidelibus, non tamen hostiliter odientibus populum Dei, nec eius religionem; sicut nec Romani tempore Iudæ & fratrum eius odiebant. Vide Molanum Lib. I. de fide servanda cap. xx. & xxi.

MARIANAE.

Vers. 1. AUdivit Iudas. Verum est, audivisse Iudam, quæ sequuntur omnia. Id Scriptura dicit. Non tamen sunt necessario credenda quæ illi narrata sunt. De quo Augustinus contra Priscill. cap. ix. Quia sunt potentes viribus. Bis hoc dicitur in uno versu. Frequentes in Sacris repetitiones sunt.

V. 2. Virtutes bonas audivit: ἀνδραγαθίας, *facinora*. Quas fecerunt in Galatia. Asiatica, an Europæ Gallia? Utraque *Galatia* vocatur, ut dicimus II. ad Timoth. iv. 10. De *Asiatica* agi puto, ubi bella a Romanis eo tempore gerebantur. Sic Græca non *fecerunt* habent, sed *faciunt*.

V. 3. Quanta fecerunt in regione Hispaniae, Annis 230. Romani Hispaniam subiecerunt, quantum tempus nulla alia Provincia subigenda posuerunt. Metalla argenti obtinuerunt. Dives olim

olim fuit Hispania iis venis: & nostra ætate Guadalcana fodina multis annis magnam argenti vim exhibuit. POSSEDERUNT OMNEM LOCUM; aut in Hispania, aut in toto orbe quem aggressi sunt.

V. 4. LOCAQUE QUAE LONGE ERANT VALDE. Græc. *Et locus erat valde distans*, id est quamvis locus valde distaret, eum obtinuerunt. Gotth. *locus qui longe erat valde ab eis*. CETERI; pro, & alii Reges dant tributum.

V. 5. PHILIPPUM ET PERSEN CETEORUM REGEM? Græc. *Citiorum*, id est Macedonum. *Citium* urbs & mons in Macedonia. Memento Alexandrum e Cethim prodiisse.

V. 6. CENTUM VIGINTI ELEPHANTOS habuit Antiochus. Polybius Lib. V. eduxisse eum contra Ptolemæum centum & duos ait.

V. 7. CEPERUNT EUM VIVUM. Sic dictum est Iudæ. Historici fuga elapsum Antiochum aiunt, & per Legatos de pace egisse. Aut certe aliquanto tempore fuit captus. DARET OBSIDES. Filium obsidem dedit. ET CONSTITUTUM. Græce, διαςολὴν, *divisionem*, id est Regni partem quam ex fœdere Romanis reliquit.

V. 8. ET REGIONEM INDORUM. Gotth *Medorum*: fortassis ea est vera lectio: quid enim Romanis cum Indis? ET MEDOS. Hoc Gotth. non est. ET LYDOS, scilicet statuerunt ut daret. Ab eo verba hæc omnia reguntur. DE OPTIMIS. Græc. *&* *de optimis regionibus eorum*; id est, alias optimas regiones statuerunt ut daret. ET ACCEPTAS EAS AB EIS. Græc. *ab eo* Antiocho DEDERUNT EUMENI. Is fuit Bithyniæ Rex, amicus Romanorum.

V. 9. QUI ERANT APUD HELLADAM. Græce, *ex Hellade*, id est Græci. TOLLERE EOS, scilicet liberare eas regiones, aut Romanos expellere. INNOTUIT SERMO, id est res illa. His, nempe Romanis.

V. 11. EXTERMINAVERUNT; seu *destruxerunt*.

V. 12. QUI IN IPSIS REQUIEM HABEBANT. Græc. *qui acquiescebant eis*, id est fœderati eorum, eisque obtemperantes. ET OBTINUERUNT REGNA; aut fœderati, aut Romani ipsi obtinuerunt proxima & longinqua Regna.

V. 15. CURIAM FECERUNT, seu *Senatum*. TRECENTI VIGINTI. Numerus Senatorum Romæ fuit varius. Romulus centum constituit, deinde ad trecentos, & quadringentos, & mille creverunt aliquando.

V. 16. COMMITTUNT UNI HOMINI MAGISTRATUM. Monarchia præstautior est aliis formis gubernandi. Verum eo tempore duo Consules Romæ erant, alternis tamen diebus imperantes, uti ex Livio colligitur, Lib. II. & XXII. atque ex Plutarcho in Numa.

V. 17. FILII IACOB. Græce, *filii Accos*. Parum refert. Certe *Eupolemus* & *Iason*, quos Iudas Romam misit, eximii viri & nobiles fuere, ideo maiores eorum designat. Miserunt Iudæi,

V. 20. CONSCRIBERE NOS SOCIOS: γραφῆναι, *scribi*. Gotth. *conscribi*. Sed perinde est.

V. 26. NIHIL AB EIS ACCIPIENTES: nempe, a Romanis; quasi dicat, Gratis id facient. Aut ab hostibus nihil accipient, ut nec dabunt, nullum cum eis erit commercium. Græce non est *cum eis*.

V. 28. ET ADIUVANTIBUS: συμμαχοῦσιν. Puto hoc loco eam vocem significare *compugnantibus*, scilicet contra Iudæos. NON DABITUR. Gotth. *non dabunt*, scilicet Romani, triticum. CUSTODIENT MANDATA, id est statuta. EORUM. Græce, *hæc*, sine fraude.

V. 29. SECUNDUM HAEC VERBA CONSTITUERUNT, id est fœdus fecerunt Romani cum Iudæis. Si mutare quid voluerint in eo,

V. 30. FACIENT EX PROPOSITO SUO. Græce, *ex beneplacito eorum*, id est utriusque partis consensu.

V. 32. SI ERGO ITERUM ADIERINT NOS. Forte legendum *vos*; id est, si vos denuo aggressi fuerint, si arma sumpserint contra vos. Græce neutrum est pronomen; & id videtur melius, quia sequitur *contra te*. Si contra te iverint hostes, FACIEMUS ILLIS IUDICIUM, id est contra illos facto decreto bellum geremus.

MENOCHII.

Vers. 1. ACQUIESCUNT AD OMNIA QUAE POSTULANTUR AB EIS. In Græco est, εὐδοκοῦσιν ἐν πᾶσι τοῖς προστιθεμένοις αὐτοῖς, quod verti potest, *Benevolos se prabent iis qui se illis adiungunt*, scilicet

licet acquiescendo iustis eorum postulatis. AD OMNIA QUAE POSTULANTUR, id est non semel, aut in uno aliquo eventu, sed perpetuo.

V. 2. VIRTUTES BONAS, id est egregia facinora. IN GALATIA: Gallia, nam Gallos Græci γαλάτας appellant. Vel respicit bellum gestum contra Gallogræcos, qui & Galli, & Galatæ dicti sunt, qui in bello contra Antiochum magnum a Romanis gesto a patribus regis steterunt. METALLA: fodinas.

V. 3. OMNEM LOCUM; scilicet Hispaniæ. Vel generatim sensus est; quasi dicat: Omnia loca, quæ possidebant, consilio sibi, & patientia pararunt.

V. 4. SUPERVENERANT EIS: qui cos bello lacessiverant. CETERI AUTEM: qui scilicet ab eis armis domiti sunt.

V. 5. CETEORUM REGEM, id est Macedoniæ; nam huius libri cap. 1. statim initio Macedonia, & Græcia terra Cethim dicitur. OBTINUERUNT EOS: debellarunt, vel sibi subiecerunt.

V. 7. ET CONSTITUTUM. In Græco est διαστολὴ: significat autem aliquando διαστολὴ pacificationem, & reconciliationem animorum. Salianus putat idem valere διαστολὴν quod διαθήκην, pactum, fœdus, sive fœderis conditiones constitutas.

V. 8. ET REGIONEM INDORUM, &c. Mirum est hic dici regionem Indorum, &c. ereptam ab Antiocho, & datam Eumeni, nam Indiam neuter umquam possedit. Ad veritatem historiæ sufficit Iudam ita audivisse, etsi aliter res forte haberet.

V. 9. QUI ERANT APUD HELLADAM, id est Græciam; ab accusandi casu formatus nominativus, sicut & Ptolemaida, & Lampada. AEtolos intelligit, qui Antiochum, & Philippum ad arma capienda contra Romanos solicitarunt. TOLLERE EOS: expugnare.

V. 12. QUI IN IPSIS REQUIEM, &c. sociis, & fautoribus, qui illis fidebant, & spem in eorum auxilio ponebant.

V. 14. ET IN OMNIBUS ISTIS: eum scilicet tantum opibus, & potentia præstarent.

V. 15. CURIAM, id est senatum. DE MULTITUDINE, id est de populo, scilicet recte gubernando.

V. 16. UNI: scilicet consuli. At duo erant: sed sic audiverat Iudas, ut etiam quod sequitur de invidia, &c. quod tamen falsum est. ZELUS: æmulatio.

V. 23. BENE SIT ROMANIS, &c. sententiam rescripti refert phrasi Hebraica.

V. 25. DICTAVERIT, id est feret, aut postulaverit. CORDE PLENO, id est promptissime.

V. 26. PRAELIANTIBUS, scilicet Iudæis. NON DABUNT, scilicet Romani; quasi dicat: Suis impensis Iudæi copias auxiliares mittent. Tota sententia decreti est, ut Iudæi pro Romanis, & vice versa Romani pro Iudæis, suis sumptibus militare teneantur, pro arbitrio eorum, in quorum utilitatem pugnabitur: hoc enim est quod dicitur, *Custodient mandata eorum*. Nam quibus in bello necessaria suppeditanda sunt, ii non amici, aut socii, sed conductitii milites videntur.

V. 30. EX PROPOSITO SUO, id est arbitratu, consentientibus tamen partibus.

V. 32. SI ITERUM ADIERINT NOS: Iudæi; expostulantes quod male tractentur. FACIEMUS ILLIS IUDICIUM: eos tutabimur, & vindicabimus. Respondet phrasi Ital. *Faremo loro ragione*.

TIRINI.

Vers. 1. AUDIVIT IUDAS; & vers. 2. AUDIERUNT Iudæi. Certum ergo hæc omnia fuisse Iudæis enarrata de Romanis: sed necessum non est, ut quæ narrata illis sunt, omnia vera sint. Sic certum est, blasphemos Iudæos dixisse de Christo, *potatorem vini, populi seductorem*, *dæmonio plenum*: non tamen ideo vera erant quæ dicebantur. Nam Scriptura, quid narretur, enuntiat: non tamen affirmat, verum esse quod narratur. Hoc responso eludi possent, si quæ in his quæ de Romanis hic sane ampla & magnifica narrantur, deprehendi contingeret quæ probatis historiographis adversarentur. Ego tamen nihil eiusmodi deprehendere possum, & vera esse omnia ex sequentibus manifestum faciam. Nam quod *de Galatis* subactis narratur, sive per hos intelligas Asiaticos, sive Europæos Gallos, certum est ex Livio, Diodoro, Iustino, Floro, Iosepho, *a* & aliis, vere utrosque a Romanis tum subactos fuisse, paulo ante hoc tem-

tempus. Quando & Punica bella, quæ hic verſ. 4. obſcure, ſed clare apud Ioſephum Iudæis enarrantur, cooſecta conſtat.

V. 3. LOCUM OMNEM HISPANIAE pru denti CONSILIO SUO ET ſingulari PATIENTIA, poſt 230. annos tandem ſibi ſubieciſſe, quantum tempus nulla alia provincia ſubigenda poſuerunt; iidem auctores di ſerte enarrant: uti & de *fodinis* AURI ET ARGENTI in Hiſpania, Strabo, Plinius *b* & alii. Et noſtra quoque ætate, inquit Mariana, *Guadalcana* fodina magnam nobis argenti vim exhibuit.

V. 5. PHILIPPUM Epiri & Macedonia regem, eiuſque filium nothum PERSEN, ſeu Perſeum, CETAEORUM *c*, id eſt Macedonum, REGEM bello OBTINUERUNT Romani per L. AEmilium Paulum, qui & devictum Perſeum in triumphum duxit, & Macedoniam in provinciam redegit. Quæ mox

V. 6. & 7. De *Antiocho Magno*, ASIAE *rege* narrantur, vera eſſe patet ex dictis Danielis xi. 10. & Chronici cap. xl. Hunc Polybius *d* dicit adverſus Ptolemæum eduxiſſe in aciem ELEPHANTOS centum & duos; quid mirum, ſi contra Romanos, ut hic dicitur, eduxerit CENTUM VIGINTI? Quod VIVUM *ceperint*, fateor, non aſſerunt Livius, Florus, Appianus. Dicunt nihilominus a L. Scipione ita preſſum & in arctum redactum, ut inſtar captivi ceſſerit Romanis quæcumque petierunt, nempe TRIBUTUM bis mille talentorum quotannis, proprium inſuper filium inter obſides. CONSTITUTUM quoque; Græce, *διαςολὴν*, id eſt diviſionem, ſe licet regnorum ſuorum, pati debuit, & ut *optimæ regiones* ſuæ, nempe *Meſia*, *Lydia*, & *India* (quo nomine videntur deſignari remotiores provinciæ ultra montes Tauri ſitæ, ut ex Strabone, Procopio & aliis fuſe docet Serarius) ſibi ſubtraherentur, & EUMENI Pergami & Bithyniæ REGI, hoſti & æmulo ſuo, ſed Romanorum amico dimitterentur: ipſe ſola Syria & aliis ignobilioribus regnis cis Taurum contentus viveret, ut Dan. xi. 18. expoſui. Quis has tam duras, tam probroſas conditiones, niſi captus, vel quaſi captus ſubeat? Fieri etiam potuit, ut ad breve ſpatium revera captus fuerit, ſed iuſſu Scipionis ſtatim dimiſſus. Cur enim alioquin adeo ſuſpectus fuit poſtea Romanis Scipio? cur in ius pertractus?

V. 9. & 10. ET QUIA QUI ERANT APUD HELLADAM; Græce, *in Hellade*, id eſt Græcia, VOLUERUNT IRE & bellare adverſum Romanos, ET TOLLERE EOS de medio, nempe Romanas legiones illic in vicinia degentes; MISERUNT AD EOS debellandos Romani DUCEM UNUM ſuum Nabidem, & poſt hunc alios, qui variis prælis omnes paulatim ſubegerunt, teſte Livio, Floro *e* & aliis.

V. 12. *Amicos* autem ET QUI IN IPSIS REQUIEM HABEBANT, id eſt *qui acquieſcebant* Romanis, ut eſt in Græco, fidentes illis, & iuſſis & monitis illorum obtemperantes, opibus auxerunt & regnis. Exemplo ſit Eumenes, de quo verſ. 6. & tot alii.

V. 15. ET CURIAM FECERUNT SIBI Romani, id eſt ſenatum conſtituerunt ex *trecentis viginti* capitibus. Qui numerus non ſemper idem fuit: primo enim centum dumtaxat a Romulo conſtituti, mox ducenti, paulo poſt trecenti. Et hic numerus cum aliquo ſubinde auctario, (ut ex hoc loco colligitur,) uſque ad Gracchi ſeditiones duravit, quando 600. fuerunt ſenatores: poſt etiam 900. immo mille, & plures, teſte Livio *f* & aliis.

V. 16. COMMITTUNT UNI HOMINI MAGISTRATUM SUUM PER SINGULOS ANNOS. Verum id eſt non de ſolo Dictatore, ſed & de Conſule Romano. Nam licet duo quotannis crearentur, numquam tamen ambo ſimul uno eodemque loco imperabant: ſed unus in urbe, alter in exercitu: unus in una orbis parte, alter in altera. Quod ſi uterque ſimul vel in urbe eſſent, vel in uno eodemque exercitu, ſinguli alternis diebus imperabant, & alteri ſoli faſces illo die præferebantur, inquit Livius & Sigonius *g*. Et huius rei nimis evidens teſtis fuit infelix illa dies, qua contra Hannibalem ad Cannas pugnatum a Romanis fuit, iubente Varrone Conſule, *cui ſors eius diei imperii* erat, nihil conſulto collega ſuo Paulo, penes quem pridie ſumma imperii fuerat, & poſtridie rurſum futura erat, ut ait idem Livius *h*: qui & alibi *i* in M. Livio Conſule ſimile quid notat, & Plutarchus in Numa & Fabio. Idem in ſuis Strategis obſervabant Græci, in Epiſtatis ſuis Athenienſes, in Decemviris ſuis antiqui Romani, teſtibus iiſdem Plutarcho, Sigonio, Livio k & aliis. *Decimo* enim *die ius po-*

 pulo

pulo singulis reddebant: quo *die penes præfectum iuris fasces duodecim erant : collegis novem singuli accensi apparebant* . ET NON EST INVIDIA, NEQUE ZELUS INTER EOS; nempe publica, & quæ remp. in apertas factiones vel bella traherent, ut postea sub Gracco, Mario, Iulio Cæsare & aliis contigit. Eamdem Romanorum concordiam sub hæc tempora eximie commendat Aristides apud Plutarchum, Iosephus, S. Augustinus *l* & alii. Cum Romanis ergo tam potentibus, tam æquis, tam laudatis amicitiam & fœdus ineundum putavit Iudas Machabæum, eo maxime consilio, ut auctoritate illorum compesceret insolentiam Demetrii regis Syriæ, cui alioquin humanis viribus se diu resistendo non esse sentiebat. Inter pacis, seu fœderis, conditiones una erat, ut, si bellum Romanis, sociisve Romanorum aliunde ingrueret, Iudæi illis

V. 25. AUXILIUM FERANT CORDE PLENO, id est promptissime & alacerrime: Iudæis tamen sic pro Romanis

V. 26. PRAELIANTIBUS NON DABUNT Romani TRITICUM, ARMA, PECUNIAM, NAVES: sed de his omnibus aliisque necessariis ipsimet Iudæi suis prospicient, NIHIL *a* Romanis ACCIPIENTES, sed gratis, ac propria impensa illis succurrentes.

V. 27. SIMILITER vicissim SI GENTI IUDAEORUM PRIUS ACCIDERIT BELLUM, ADIUVABUNT eos ROMANI EX ANIMO:

V. 28. ET ADIUVANTIBUS NON DABITUR seu commeatus, seu apparatus bellicus a Iudæis: sed his Romani succurrent gratuito & propriis impensis. Sic exigit vera amicitia: durumque esset afflictis & laborantibus, nullam ab amicis opem sperare vel accipere, nisi quantam proprio ære coemptum ab illis vellent.

(a) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. xvii.
(b) Strabo Lib. III. Plin. in fine sui operis.
(c) Sup. i. i. & in Chron. xli.
(d) Polyb. Lib. V.
(e) Livius Lib. XXXIV. XXXV. &c. Flor. Lib. II. cap. vii.
(f) Livius sup. VIII. &c.
(g) Livius Lib. II. Sigon. Lib. II. de Antiquo Iure Roman. cap. ii.
(h) Livius Lib. XXII. (i) Lib. XXVIII.
(k) Plutarch. in Aristide. Sigon. Lib. IV. de Rep. Athen. cap. ii. Livius Lib III.
(l) Ioseph. Lib. II. Capt. cap. xviii. & xlii. August. Lib. II. de Civ. cap. xvii. & xviii. & Lib. V. cap. xii. xv. avi. xvia.

GORDONI.

Vers. 2. ET AUDIERUNT. Quæ hic de Romanis bellis narrantur, sunt in Chronologicis ad singulos annos expansos notata cum annis V. C. & Olympiadum: hic etiam universe observa, dici hæc omnia narrata Iudæ; quamvis historicus facer non interponat suam de omnium veritate auctoritatem, & hoc spectat ad quarundam rerum explicationem, quæ hic dicuntur. Ceterum hæc legatio instituta post devictum Nicanorem non potuit accidisse ante hunc annum 152.

Verum ut occurratur calumniis Novatorum quærentium in scirpo nodum; ibo hic paucis per aliquot capita, ut veritas historiæ clare appareat. Primum ergo Romani hic dicuntur acquiescere ad omnia quæ postulantur. Quis sanæ mentis non intelliget, hic legitime postulata, præsertim in societate ineunda? nam de hac nunc agitur. Secundum est de bello in Galatia. Certe contra Antiochum magnum pugnatum est anno V. C. 563. ut ibidem notavi ad ann. orbis 3814. item contra Perseum, ann. 3834. & 3838. bella Hispanica nota sunt tempore Hannibalis & Scipionum. Tertium, an vivus captus Antiochus, ut hic dicitur, vers. 7. Resp. hoc quidem narrari, non proponi tamen ut verum, sed ut auditum. Quid vetat autem narratoribus addi, vel mutari adiuncta aliqua, seu circumstantiam. Evasit quidem fuga, ut narrat Livius; sed cur non etiam captus dimitti clam potuit a Scipione? Quartum 120. elephantos habuisse narratur Antiochus, nimirum vel in acie, vel alibi. Quintum, quale fuit illud tributum magnum. Resp. fuisse quindecim millia talentum Euboicorum, & præter alia accedebant 12. millia talentum, numeranda intra annos 12. vide annum orbis 3814. hæc & similia intellige hic, nomine constituti, seu fœderis. Græce ϛάσις, διαϛολὴ, & διαθήκη, fœdus designant, vel pacificationem. Sextum de Indis, Medis, & Lydis, vers. 8. ereptis Antiocho. Sane ut dixi anno 3814. variis provinciis mulctatus est Antiochus. Media hic est Thraciæ provincia: sic Ortelius dat Medos Thracicos, & Asiaticos. Lydiam inter Asiæ minoris provincias numero: de Indica provincia varii

var.

varia pronunciant: probabiliter Salianus dat ex Stephano, regionem dictam Indicam circa Pontum.

V. 5. CETEORUM: Macedoniæ: vide cap. 1. de Cethim.

V. 9. ET QUI ERANT APUD HELLADAM. Hellada intellige Graeciam: hic de rebus transactis cum AEtolis agitur in Græcia: vide annum orbis 3813. & V. C. 561. & 564. quod vero additur (VOLUERUNT IRE ET TOLLERE EOS) hi a Romanis defecerunt ad Antiochum; & minabantur se ad Tyberis ripam castra posituros. Sed victi sunt a M. Acilio Glabrione anno citato. *Hellada* nominativus formatus ab accusandi casu Græco.

V. 13. QUIBUS VERO VELLENT. En Demetrium de quo nunc agimus, regno dum obses esset, privatum; & Antiochum Epiphanem iubente Popilio, coactum in AEgypto respondere e circulo: sic Livius, & pleraque similia.

V. 14. NEMO PORTABAT. Sic Livius Lib. II. id modo cautum est (sub Consulibus) ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente collega, fasces habuit: auctor porro est Halicar: trecentorum numerum a Tarquinio Prisco institutum fuisse, tamen censorum arbitrio poterat hic numerus interdum augeri; semper tamen retinebatur numerus trecentorum, sicut solet retineri numerus 70. interpretum, vel discipulorum. De purpura Consulum vide Sigonium Lib. III. de iudiciis cap. VIII. Sane ex Halic. Consules non gestabant coronam, nec togam pictam purpuream: toga prætexta purpura (quamvi daretur Consulibus) non est purpurea: erat περιπόρφυρος solum.

At, quid illud est vers. 16. OMNES OBEDIUNT UNI, ET NON EST INVIDIA? Certe hoc de invidia facile potest admitti, humano quodam modo & politico; quamdiu stat Respublica bene instituta: uni vero obediebant, sive quia ita narratum est, & ferebatur in Iudæa, ut dixi vers. 2. initio; vel quia sæpe fiebat, ut Consules alternis imperarent; præsertim in bello, ut narrat Livius de pugna Cannensi. Est hic porro magistratus annuus: certe ex hoc anno & singulorum imperio; sive ex unico dictatore qui interdum ad aliquot menses creabatur, facile fuit ut Iudæi ex auditu haberent pro re probabili, quæ hic de Romanæ Reipublicæ administratione narrantur.

V. 21. ET PLACUIT SERMO. Ante hoc fœdus omnia satis fœliciter Iudæ obvenerunt, dum in suo Deo auxilium collocaret; at post hoc fœdus cum Gentilibus non sic: quæstio proinde est, an recte inierint hanc societatem Iudæi. Sane Rupert. Lib. X. cap. ult. de vict. vitio vertit Iudæ hoc fœdus: recte tamen, ut existimo, opinatur Salianus ann. 3894. num. 38. nullam hic culpam esse semotis periculis & scandalo, talem cum infidelibus habere societatem pro defensione iusta patriæ & regni suceptam. Nam & belluarum etiam ope utimur; & stat cum Gentilibus humana societas etiam hodie, non interdicta per ullam, aut censuram Ecclesiasticam, aut divinam prohibitionem (qualis est quæ nobis prohibetur cum dæmonibus:) & aperta sunt illa ex Libris Regum, & Genesi exempla de Davide & Abraham, nec improbata; cum fuerint non ad protectionem impietatis, sed ad legitimam iustamque innocentis defensionem.

V. 26. Sensus est. Suis propriis sumptibus, tam Romani pro Iudæis, quam Iudæi pro Romanis militabunt; hoc est, neutri erunt, ut conductitii milites, & res geretur pro arbitrio illorum in quorum utilitatem pugnabitur.



CAPUT IX.

Bacchide & Alcimo contra Iudæam missis a Demetrio, Iudas minimo exercitu fortissime resistens occiditur, ac lugetur: graviterque afflictis piis Israelitis frater ipsius Ionathas in eius locum sufficitur: qui ob fratris Ioannis mortem percutit filios Iambri in nuptiis: rursumque percussis de Bacchidis exercitu mille viris, Alcimus ob impia in locum sanctum opera percussus a Deo paralysi, mortuus est: sed & Bacchides cum nec dolo nec vi posset Ionathan perdere, inito cum eo fœdere discessit, nec amplius in Iudæam reversus est.

1. INterea ut audivit Demetrius, quia cecidit Nicanor &
exercitus in prælio, * apposuit Bacchidem & Alcimum
rursum mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum il-
lis. 2. Et abierunt viam, quæ ducit in Galgala, &
castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis: &
occupaverunt eam, & peremerunt animas hominum
multas. 3. In mense primo anni centesimi & quinqua-
gesimi secundi, applicuerunt exercitum ad Ierusalem: 4. & surrexerunt, &
abierunt in Beream viginti millia virorum, & duo millia equitum. 5. Et
Iudas posuerat castra in Laisa, & tria millia viri electi cum eo: 6. &
viderunt multitudinem exercitus quia multi sunt, & timuerunt valde: &
multi subtraxerunt se de castris, & non remanserunt ex eis nisi octingenti
viri. 7. Et vidit Iudas quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat
eum, & confractus est corde, quia non habebat tempus congregandi eos,
& dissolutus est. 8. Et dixit his qui residui erant: Surgamus, & eamus
ad adversarios nostros, si poterimus pugnare adversus eos. 9. Et averte-
bant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo,
& revertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus adversus eos: nos
autem pauci sumus. 10. Et ait Iudas: Absit istam rem facere ut fugiamus
ab eis: & si appropiavit tempus nostrum, moriamur in virtute propter
fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. 11. Et movit e-
xercitus de castris, & steterunt illis obviam: & divisi sunt equites in duas
partes, & fundibularii & sagittarii præibant exercitum, & primi certami-
nis omnes potentes. 12. Bacchides autem erat in dextro cornu, & proxi-
mavit legio ex duabus partibus, & clamabant tubis: 13. exclamaverunt
autem & hi, qui erant ex parte Iudæ, etiam ipsi, & commota est terra
a voce exercituum: & commissum est prælium a mane usque ad vesperam.
14. Et vidit Iudas, quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris,
& convenerunt cum ipso omnes constantes corde: 15. & contrita est dex-
tera pars ab eis, & persecutus est eos usque ad montem Azoti. 16. Et
qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu,
& secuti sunt post Iudam, & eos qui cum ipso erant, a tergo: 17. &
ingravatum est prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his & ex illis.

18. Et

18. Et Iudas cecidit, & ceteri fugerunt. 19. Et Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem suum, & sepelierunt eum in sepulcro patrum suorum in civitate Modin. 20. Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos, 21. & dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel! 22. Et cetera verba bellorum Iudæ, & virtutum quas fecit, & magnitudinis eius, non sunt descripta: multa enim erant valde. 23. Et factum est: post obitum Iudæ emerserunt iniqui in omnibus finibus Israel, & exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. 24. In diebus illis facta est fames magna valde, & tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis. 25. Et elegit Bacchides viros impios, & constituit eos dominos regionis: 26. & exquirebant, & perscrutabantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos, & illudebat. 27. Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israel. 28. Et congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ: 29. Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, & eos qui inimici sunt gentis nostræ. 30. Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum. 31. Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, & surrexit loco Iudæ fratris sui. 32. Et cognovit Bacchides, & quærebat eum occidere. 33. Et cognovit Ionathas, & Simon frater eius, & omnes qui cum eo erant: & fugerunt in desertum Thecuæ, & consederunt ad aquam lacus Asphar. 34. Et cognovit Bacchides, & die sabbatorum venit ipse, & omnis exercitus eius, trans Iordanem. 35. Et Ionathas misit fratrem suum ducem populi, & rogavit Nabuthæos amicos suos, ut commodarent illis apparatum suum, qui erat copiosus. 36. Et exierunt filii Iambri ex Madaba, & comprehenderunt Ioannem, & omnia quæ habebat, & abierunt habentes ea. 37. Post hæc verba, renuntiatum est Ionathæ, & Simoni fratri eius, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madaba, filiam unius de magnis principibus Chanaan, cum ambitione magna. 38. Et recordati sunt sanguinis Ioannis fratris sui: & ascenderunt, & absconderunt se sub tegumento montis. 39. Et elevaverunt oculos suos, & viderunt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius, obviam illis cum tympanis & musicis, & armis multis. 40. Et surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & residui fugerunt in montes: & acceperunt omnia spolia eorum: 41. & conversæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum. 42. Et vindicaverunt vindictam sanguinis fratris sui: & reversi sunt ad ripam Iordanis. 43. Et audivit Bacchides, & venit die sabbatorum usque ad oram Iordanis in virtute magna. 44. Et dixit ad suos Ionathas: Surgamus, & pugnemus contra inimicos nostros: non est enim hodie sicut heri & nudiustertius: 45. ecce enim bellum ex adverso, aqua vero Iordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & saltus: & non est locus divertendi. 46. (*a*) Nunc ergo clamate in cælum, ut liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bel-

bellum. 47. Et extendit Ionathas manum suam percutere Bacchidem; &
divertit ab eo retro: 48. & dissiliit Ionathas, & qui cum eo erant, in Ior-
danem, & transnataverunt ad eos Iordanem. 49. & ceciderunt de parte
Bacchidis die illa mille viri. Et reversi sunt in Ierusalem, 50. & ædifi-
caverunt civitates munitas in Iudæa, munitionem, quæ erat in Iericho,
& in Ammaum, & in Bethoron, & in Bethel, & Thamnata, & Phara,
& Thopo muris excelsis, & portis, & seris. 51. Et posuit custodiam in
eis, ut inimicitias exercerent in Israel: 52. & munivit civitatem Bethsu-
ram, & Gazaram, & arcem, & posuit in eis auxilia, & apparatum esca-
rum: 53. & accepit filios principum regionis obsides, & posuit eos in ar-
ce in Ierusalem in custodiam. 54. Et anno centesimo quinquagesimo tertio,
mense secundo, præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris,
& destrui opera prophetarum: & cœpit destruere. 55. In tempore illo
percussus est Alcimus: & impedita sunt opera illius, & occlusum est os
eius, & dissolutus est paralysi, nec ultra potuit loqui verbum, & manda-
re de domo sua. 56. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tor-
mento magno. 57. Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus: &
reversus est ad regem, * & siluit terra annis duobus. 58. Et cogitave-
runt omnes iniqui dicentes: Ecce Ionathas, & qui cum eo sunt, in si-
lentio habitant confidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, & compre-
hendet eos omnes una nocte. 59. Et abierunt, & consilium ei dederunt.
60. Et surrexit ut veniret cum exercitu multo: & misit occulte epistolas
sociis suis, qui erant in Iudæa, ut comprehenderent Ionathan, & eos qui
cum eo erant: sed non potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum. 61.
Et apprehendit de viris regionis, * qui principes erant malitiæ, quinqua-
ginta viros, & occidit eos: 62. & secessit Ionathas, & Simon, & qui
cum eo erant, in Bethbessen, quæ est in deserto: & extruxit diruta eius,
& firmaverunt eam. 63. Et cognovit Bacchides, & congregavit universam
multitudinem suam: & his, qui de Iudæa erant, denuntiavit. 64. Et
venit, & castra posuit desuper Bethbessen: & oppugnavit eam dies mul-
tos, & fecit machinas. 65. Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum
in civitate, & exiit in regionem, & venit cum numero, 66. & percussit
Odaren, & fratres eius, & filios Phaseron in tabernaculis ipsorum; &
cœpit cædere, & crescere in virtutibus. 67. Simon vero, & qui cum ipso
erant, exierunt de civitate, & succenderunt machinas, 68. & pugnave-
runt contra Bacchidem, & contritus est ab eis: & afflixerunt eum val-
de, quoniam consilium eius, & congressus eius erat inanis. 69. Et ira-
tus contra viros iniquos, qui ei consilium dederant ut veniret in regio-
nem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitavit cum reliquis
abire in regionem suam. 70. Et cognovit Ionathas, & misit ad eum le-
gatos componere pacem cum ipso, & reddere ei captivitatem. 71. Et li-
benter accepit, & fecit secundum verba eius, & iuravit se nihil facturum
ei mali omnibus diebus vitæ eius. 72. Et reddidit ei captivitatem, quam
prius erat prædatus de terra Iuda: & conversus abiit in terram suam, &
non apposuit amplius venire in fines eius. 73. Et cessavit gladius ex Israel:
& ha-

& habitavit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum, & exterminavit impios ex Israel.

(a) II. Par. xx. 3.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 1. *Apposuit Bacchidem*. Non interponas &c.

Vers 57. *Et siluit terra annis duobus*. Non facile addas voci *terra* nomen *Iuda*, etiamsi Græce addatur.

Vers. 61. *Qui principes erant malitiæ*. Legendum est *malitiæ* quod est insidiarum, non *militiæ* quod est exercitus, id est legenda est *a* prima vocalis non *i* tertia.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. Cum illis, id est illis commissum.

V. 2. Animas hominum; pro, homines, vel *animas*, pro, vitas.

V. 7. Dissolutus, id est consternatus animo. Not. hic, post fœdus initum cum Romanis res eis infeliciter successisse. Itemque postea Ionathæ & Simoni. Vide infra cap. xii. & xiv. ut videatur factum non placuisse Deo, cui fuerat magis fidendum.

V. 8. Si poterimus; pro, si forte possimus.

V. 10. Absit. Mihi certe probatur illorum consilium. Tempus, scilicet moriendi. In virtute, id est fortiter. Crimen. Græc. *αἰτίαν*, id est *accusationem*, seu *reprehensionem*; quasi dicat: Nequid minuamus gloriam nostram, eoque reprehendamur. Equidem non video quid gloriæ deperibat, si sibi tam sociisque consuluisset, seque servasset ad tempora meliora. Scio D. Ambrosium laudare factum hoc, sed ego rudior sum quam ut capiam: laudarem, si suorum fuisset consilium secutus.

V. 13. Commota, id est concussa. Hyperbole.

V. 22. Verba, id est gesta.

V. 23. Exorti sunt, id est prodierunt.

V. 31. Surrexit, id est exhibuit.

V. 36. Madaba. Urbs est in tribu Ruben.

V. 37. Verba, id est gesta.

V. 38. Sanguinis, id est cædis. Tegumento, id est latebra.

V. 39. Processit; pro, procedebat.

V. 42. Vindicaverunt; pro, fecerunt.

V. 43. In virtute, id est cum exercitu.

V. 45. Ex adverso. Græc. *a fronte, & a tergo*.

V. 46. In caelum, id est ad Deum.

V. 47. Divertit, scilicet Bacchides.

V. 48. Et transnataverunt. Græc. *non transierunt*, scilicet hostes.

V. 49. Reversi sunt. Græc. *reversus est*, scilicet Bacchides cum suis.

V. 51. Ut inimicitias, &c. id est ut bello infestarent Israelem.

V. 54. Domus sanctae interioris. Græc. *atrii interioris*, scilicet sacerdotum. Prophetarum, scilicet Aggæi & Zachariæ, quorum exhortatione ædificatum templum.

V. 55. Mandare, id est disponere, ut solet a morientibus.

V. 57. Siluit, quievit a bellis.

V. 58. Silentio, id est quiete.

V. 61. Apprehendit. Græc. *apprehenderunt*, scilicet hostes: quidam tamen ad Ionathan referunt. Malitiae: non *militiæ*; quasi dicat, Qui dederant Bacchidi illud consilium.

V. 63. De Iudaea; pro, in Iudæa, scilicet sociis, vel militibus.

V. 65. Numero, scilicet militum.

V. 66. Virtutibus, id est viribus, seu fortiter gestis.

V. 68 Quoniam; pro, itaque, vel coniunge cum sequenti versu.

V. 70. Et, scilicet Ionathæ. Græc. *eis*, scilicet invicem. CAPTIVITATEM, id est captivos.

V. 73. GLADIUS, id est bellum. IUDICARE, id est gubernare, seu ius dicere.

ESTII.

Vers. 10. ET AIT IUDAS; ABSIT ISTAM REM FACERE, UT FUGIAMUS AB EIS, ET NON INFERAMUS CRIMEN GLORIAE NOSTRAE. D. Ambros. Lib. I. offic. cap. XLI. non dubitavit hoc factum Iudæ laudare, dicitque eum gloriosam potius mortem, quam turpem fugam suasisse illis verbis: *Ne crimen nostræ relinquamus gloriæ*, sic enim ille legit pro eo quod habemus, *inferamus*. Et concludens; Habes, inquit, fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti, ac decori forma est: quod mortem servituti præferat, ac turpitudini. Hæc Ambrosius; quæ etiam publice legit ecclesia in officio Matutinarum dominica tertia Octobris. Ex quibus etiam perspicuum fit, Iudam in hoc suo facto nec temeritate, nec tentatione Dei peccasse. Quia enim sæpe divinam opem sibi præsentem senserat in rebus valde dubiis, cum iam causa iusta esset periculo se committendi, non dubitavit, rebus humano iudicio deploratis, opem & salutem a Deo exspectare; nec in hoc tentatur Deus, sed magis honoratur. Cur igitur, inquies, frustratus fuit hac sua exspectatione, & in periculo derelictus? Resp. iustos proprie sua exspectatione numquam frustrari, nec in periculis deseri a Deo; quia vel hoc ipsum quod petunt, consequuntur; vel visibiliter deserti, invisibiliter consolantur, & coronantur.

MARIANAE.

Vers. 1. INTEREA UT AUDIVIT DEMETRIUS. Gotth. *ubi audivit Demetrius*. Sed perinde est. DEXTRUM CORNU, id est tertiam sui exercitus partem. In acie duo erant cornua, & medium corpus. In dextro cornu lectissimi milites.

V. 2. VIAM QUAE DUCIT IN GALGALA. Urbs erat hoc nomine ultra Iordanem, Iosue IV. 20. Hic tamen pro Galilæa sumitur, ex Iosephi Lib. XII. cap. XVIII. Et alioqui quorsum Bacchides iret ultra Iordanem petens Ierosolymam? CASTRA POSUERUNT IN MASALOTH. Iosephus, *in Arbella*; sed oppida erant coniuncta, & *Masaloth in Arbellis*, ut hic dicitur.

V. 3. IN MENSE PRIMO: is erat *Nisan*, veris initio, bello sumendo idoneus. APPLICUERUNT EXERCITUM, seu *castra posuerunt* ad Ierusalem hostes: παρενέβαλον.

V. IUDAS POSUERUNT CASTRA IN LAISA. Urbs in tribu Iuda, Iosephus *in Berzetho* ait. Eadem urbs aut vicus fortassis alio nomine. TRIA MILLIA: *mille* tantum Iosephus, scilicet habuit Iudas.

V. 7. DISSOLUTUS EST, scilicet Iudas: timuit, concidit animo, quia paucos secum milites habebat.

V. 11. MOVIT EXERCITUS DE CASTRIS. Temerarius videatur conatus. Nec est minoris virtutis recusare aliquando certamen, quam sumere. Iudas tamen virtute suorum fidebat, quos electos habuit, vers. 5. ac præsertim ope Dei, cui facile est, paucorum armis multitudinem sternere. PRIMI CERTAMINIS. Græc. *primi pugnatores*. OMNES POTENTES. In prælio fortissimi milites ponuntur in primo ordine & acie, duces, centuriones, antesignani.

V. 12. PROXIMAVIT LEGIO. Phalanx, agmen, acies. EX DUABUS PARTIBUS, id est divisa in duo cornua: sic erant hostium copiæ.

V. 15. USQUE AD MONTEM AZOTI Iudas secutus est hostes. *Azotus* in tribu Iuda: Ios. XV. 46. Una e quinque urbibus Philisthinorum, templo Dagon nobilis: I. Reg. VI. 17. Cadit Iudas.

V. 19 IONATHAS ET SIMON TULERUNT IUDAM, induciis cum hoste factis: Iosephus Lib. XII. cap. XIX.

V. 22. NON SUNT DESCRIPTA Iudæ omnia bella: quod de Christi miraculis dixit Ioan. XX. 30. Fuit dux populi & Pontifex, non post Alcimum, nec triennio tantum, ut dicit Iosephus Lib. XII. cap. XVII. & XIX. sed a morte patris sui, qui fuit etiam Pontifex. Iosephus Lib. XX. cap. pænultimo utrumque e numero Pontificum eximit, sibi contrarius.

V. 24. TRADIDIT SE BACCHIDI OMNIS REGIO: ηὐτομόλησεν, *defecit*, scilicet ad Bacchidem, ut noster ait. EORUM CUM IPSIS, scilicet Iudæorum cum ipsis habitatoribus eius, se Bacchidi tradidit. Talis afflictio non fuit

V. 27.

V. 27. Ex die qua non est visus Propheta. Ultimus Prophetarum fuit Malachias, quem Hebræi Esdram putant, ut ex Hieronymo diximus initio eius Prophetæ. E quinque rebus quæ in secundo templo defuerunt, una fuit Prophetia.

V. 31. Suscepit Ionathas .... principatum, seu *ducatum*. Suscepit etiam sacerdotium: Iosephus Lib. XX. cap. pænultimo. Fugit Ionathas

V. 33. In desertum Thecuae. Urbs erat prope Bethleem, unde Thecuites femina prudens, II. Reg. xiv. 2. Verum hæc *Thecua* alia urbs erat, & trans Iordanem, ut colligitur ex vers. 34.

V. 35. Et Ionathas misit. Græce & Goth. *Et misit*: sed necessario suppletur *Ionathas*. Fratrem suum: nempe Ioannem, qui primus ponitur inter fratres filios Mathathiæ, cap. ii. 2. An natu maximus? non omnes consentiunt. Nabuthaeos: seu *Nabathæos* rogavit. *Naboth* seu *Nabo* erat in tribu Ruben, Num. xxxii. 38. Apparatum commodarent, scilicet bellicum, arma, machinas.

V. 36. Filii Iambri ex Madaba: seu *Medaba*, Nabathæorum urbs in Arabia Stephano, in Arabia Petræa Ptolomæo *Medaba*. Comprehenderunt Ioannem, & occiderunt. Filii Iambri

V. 37. Cum ambitione, *παραπομπῆς*, *pompa*, apparatu magno ducunt sponsam.

V. 43. In virtute magna, id est eum exercitu magno venit Bacchides. Goth. *in virtute multa*: sic Græc.

V. 44. Non est enim hodie sicut heri, ait Ionathas, id est non est locus quieti uti antea. Neque locus fugæ est: hinc hostes, inde fluvius, paludes & saltus. Superest cæleste præsidium; illud clamore invocate.

V. 47. Divertit ab eo retro; seu *declinavit*, fugit Bacchides.

V. 48. Dissiliit Ionathas, seu *insiliit*. In Iordanem: cessit loco, ut fluvium hosti opponeret. Et transnataverunt ad eos. Ad quos? Græce: *& transnatarunt in ulteriorem partem*; additurque, *Et non transierant ad eos Iordanem*, scilicet ad Iudæos adversarii.

V. 49. Reversi sunt in Ierusalem: hostes scilicet; nam in eorum ditione erat.

V. 50 Portis, et seris, seu *vectibus* Bacchides munivit: *μοχλοῖς, serrois, candados*.

V. 51. Et posuit custodiam, id est præsidium militare. Ut inimicitias: *τῇ ἐχθραίνειν*, inimico in Israel animo.

V. 52. Bethsuram munivit. De hac arce cap. iv. 60. Et arcem: nempe Ierosolymitanam, propter articulum *τὴν ἄκραν*, *arcem illam*.

V. 54. Mense secundo: nempe *Iiar*, Aprili. Muros domus sanctae interioris, seu *interiores*, ut Regia, præcepit Alcimus destrui. Peribolo pepercit: verum murum qui atria circumdabat, everti voluit. Erat templum instar arcis; ne ergo Iudæi eo præsidio rebellarent, providebat. Opera prophetarum. Plerique e Prophetis minoribus, ut id templum extrueretur, impense curarunt, uti ex eorum vaticiniis constat.

V. 57. Siluit terra annis duobus. Sic Goth. quievit, non fuit bellum. Græce *terra Iuda*. Sed vox *Iuda* addititia videtur. Quæ tamen in multis Latinis codicibus legitur.

V. 61. Et apprehendit. Quis? Ionathas. Qui principes erant malitiae. Sic lege, non *militiæ*, ut plerique codices habent.

V. 62. Bethbessen. Palæstinæ urbs in deserto. In quo deserto, non explicant: eius hoc tantum loco mentio extat.

V. 63. His, qui in Iudaea erant, denuntiavit: Bacchides, nempe ut ipsum sequerentur.

V. 65. Venit cum numero: militum scilicet, id est multis militibus: *ἀριθμῷ*, pro *μετ᾽ ἀριθμῶν*, *cum numeris*.

V. 66. Coepit caedere. Græce, *percutere*. Et crescere in virtutibus, id est augeri copiis militaribus. Græce, *& ascendit cum copiis*.

V. 68. Consilium eius et congressus: *ἔφοδος*, exitus eius vanus. Initium expeditionis & finis non successerunt. Bacchides

V. 69. Iratus est contra viros iniquos. Proditor exosus est iis etiam quibus gratificari vult, ac præsertim si conatus fallit.

V. 70. Reddere captivitatem, id est captivos in eo bello dimitteret Bacchides, impetratum.

V. 73. Cessavit gladius: non fuit bellum, sed quies.

MENOCHII.

Verf. 1. DEXTRUM CORNU CUM ILLIS, id eſt & illis eam partem copiarum attribuit, quæ in dextro cornu pugnare ſolebat.

V. 2. CASTRA POSUERUNT IN MASALOTH, QUAE EST IN ARBELLIS. Arbellam provinciam facit Scriptura, in qua oppidum Maſaloth collocat. Ioſephus Arbellam oppidum Galilææ ſuperioris facit, & Maſaloth miſſam facit. Adrichomius utramque in tribu Nephthali conſtituit. ANIMAS HOMINUM, id eſt homines.

V. 3. APPLICUERUNT EXERCITUM AD IERUSALEM: quærebant enim Iudam cum copiis ſuis. Ipſo enim incolumi nihil ipſis tutum in Iudæa fore merito arbitrabantur.

V. 4. SURREXERUNT, ET ABIERUNT: Iuda non invento. IN BEREAM: videtur fuiſſe oppidulum aliquod non longe poſitum a Ieruſalem. Ioſephus Berzethum appellat.

V. 5. IN LAISA. Græci textus habent *Eleaſa*; nec eſt eadem hæc Laiſa cum illa, quæ erat ad Libanum montem, & fontes Iordanis, quæ etiam Dan dicta eſt.

V. 7. DISSOLUTUS EST: animo conſternatus.

V. 8. SI POTERIMUS PUGNARE ADVERSUS EOS. In Græco eſt, *ſi forte poſſimus debellare eos*.

V. 10. IN VIRTUTE, id eſt fortiter. CRIMEN. Græce αἰτίαν, id eſt accuſationem, ſeu reprehenſionem; quaſi dicat: Ne minuamus gloriam noſtram, eoque reprehendamur; licet enim nullum eſſet dedecus tam impares viribus ad tempus cedere, immo id recta ratio poſtularet, erat tamen in eius opinione, idque in Deum redundare exiſtimabat, cui vitæ ſuæ terminos committebat cum dicebat, SI APPROPIAVIT TEMPUS NOSTRUM, MORIAMUR.

V. 11. MOVIT EXERCITUS; ſcilicet, Bacchidis. ET STETERUNT ILLIS OBVIAM: ex adverſo Iudæis. EQUITES, regii. IN DUAS PARTES: in duo cornua. PRIMI CERTAMINIS: qui in primis erant ordinibus fortiſſimi erant.

V. 12. ET PROXIMAVIT LEGIO: phalanx Græce, more Macedonico, hæc erat gravis armatura peditum, & præcipuum robur exercitus. Ex DUABUS PARTIBUS: utrumque cornu contra Iudæos promovens. Acies enim regiorum erat lunata.

V. 13. COMMOTA: concuſſa, reddito ſono, & per montes, & valles repercuſſo.

V. 18. IUDAS CECIDIT, ET CETERI FUGERUNT: ut fere accidit cum Dux exercitus in prælio occiditur.

V. 22. VERBA, id eſt geſta.

V. 23. EXORTI SUNT: coorti ſunt, emerſerunt: qui ſcilicet metu Iudæ aut abſcondebant ſe, aut pietatem ſimulabant.

V. 29. VINDICABAT IN ILLOS, ET ILLUDEBAT. *Et is tortos primum, cruciatosque ad libitum, & poſtremo omnes ad unum enecabat*, inquit Ioſephus.

V. 27. EX DIE, QUA NON EST VISUS PROPHETA IN ISRAEL: ſcilicet a tempore reædificati templi, quando nimirum ultimi prophetæ floruerunt, ſive, ut habet Ioſephus, poſt captivitatem *Babylonicam*.

V. 33. IN DESERTUM THECUAE: iam deſertum Thecuæ, quam lacus Aſphar erat in tribu Iuda, non longe a Bethlehem: vide Adrichom. in Iuda num. 39.

V. 34. DIE SABBATORUM: vel in contemptum legis Iudaicæ, ut Nicanor infra Lib. II. xv. 1. vel, ut quietos Iudæos, incautoſque opprimat; exiſtimans non repugnaturos propter religionem Dei.

V. 35. FRATREM SUUM, DUCEM POPULI: fratrem ſuum Ioannem cum manu militum, ideoque eum vocat *ducem populi*. NABUTHAEOS AMICOS SUOS: qui longius trans Iordanem habitabant verſus Orientem. UT COMMODARENT ILLIS APPARATUM SUUM. Ad verbum ex Græco habetur: *Deponere apud ipſos apparatum*, id eſt impedimenta, ſupellectilem ſuam, ut nimirum ad pugnandum eſſent expeditiores. Ioſephus habet: *Miſit fratrem ſuum Ioannem ad Nabathæos, Arabas, ut apud vos impedimenta deponeret*. Quare, quod in textu noſtro dicitur, *commodarent*, aliqui legunt *commendarent*, propius ad ſenſum Græc. textus, in quo habemus παραθέσθαι.

V. 36. EX MADABA. Sita erat ea urbs trans Iordanem in tribu Ruben, ad torrentem Arnon, in tabulis Adrichomii.

V. 37. VERBA, id eſt geſta.

V. 38. SANGUINIS, id eſt cædis. TEGUMENTO, id eſt latebra.

V. 43.

V. 43. Venit die sabbatorum: vide dicta supra num. 34.

V. 44. Non enim est hodie sicut heri, et nudiustertius: cum scilicet eramus in deserto Thecuæ, & liberum erat nobis prælium aut admittere, aut declinare. Nunc autem hostem ex adverso, hoc est a fronte habemus, & idcirco necessario nobis pugnandum est, cum flumine, & paludibus interclusi evadere alia ratione non possimus.

V. 46. In caelum: ad Deum.

V. 49. Percutere Bacchidem: ut sublato duce reliquum exercitum in fugam verteret. Divertit: Bacchides ictum declinavit.

V. 48. Dissilit Ionathas: iam de victoria desperans. Et transnataverunt ad eos. In Græco est καὶ οὐ διέβησαν ἐπ' αὐτούς, *& non transierunt ad eos*, id est milites Bacchidis Iudæos ultra Iordanem non sunt persecuti.

V. 49. Reversi sunt, scilicet, milites Bacchidis.

V. 50. Aedificaverunt civitates munitas, id est ædificando munierunt.

V. 51. Ut inimicitias exercerent in Israel; id est, ut bello infestarent Israelem, & hostiliter se gererent; hoc enim est ἐχθραίνειν.

V. 54. Muros domus sanctae interioris: atrii scilicet interioris Levitarum, & Sacerdotum. Prophetarum; scilicet Aggæi, & Zachariæ, quorum exhortatione post captivitatem Babylonicam templum reædificatum.

V. 55. Occlusum est os eius: usu vocis privatus. Mandare de domo sua: disponere domui suæ: testamentum condere.

V. 57. Siluit, id est quievit a bellis.

V. 58. In silentio, id est quiete.

V. 61. Apprehendit; scilicet, Ionathas. Principes malitiae: qui auctores fuerant pravi illius consilii Bacchidi dati.

V. 62. In Bethessen: in deserto Iericho, in tribu Beniamin, non longe a Iordane.

V. 63. Denunciavit: ut præsto essent ad expugnandam Bethbessen.

V. 65. Cum numero: scilicet, militum.

V. 66. Odaren, &c. Erant hi ex Bacchidis exercitu. Caedere, hostes. Crescere in virtutibus: rebus præclare gestis clarescere.

V. 68. Consilium eius, et congressus eius erat inanes, irrita scilicet tanti apparatus expeditio, quæ in dedecus, & cladem eius cederet.

V. 70. Reddere et captivitatem: captivis utrinque redditis: ut fit cum pax cum hostibus initur, etiam Bacchidem captivos reddidisse constat ex num. 72.

V. 72. In terram suam: Antiochiam scilicet, ad regem Demetrium.

V. 73. Gladius, id est bellum. In Machmas: oppidum, quod erat in confinio tribuum Beniamin, & Ephraim. Iudicare, id est gubernare, seu ius dicere.

TIRINI.

Vers. 3. Mense primo Nisan, anni centesimi et quinquagesimi secundi regni Græcorum applicuerunt Bacchides & Alcimus exercitum ad Ierusalem, triginta armatorum millia enumerat Gorionides *a*. Quid istic egerint, vel quamdiu hæserint incertum. Forte spe potiundæ urbis exclusi, Iudæ cum suis advenianti procedendum obviam putarunt. Ergo relictis hinc inde pro præsidio, vel in arcibus octo millibus, soluta obsidione Ierosolymæ,

V. 4. *Abeunt* in Beream obviam Iudæ, ducentes secum viginti millia peditum, et duo millia equitum, cum Iudas

V. 5. In Laisa, Græce, *in Eleasa*, non haberet universum nisi tria millia, sed fortium & *electorum virorum;* tunc tamen temporis minus constantium, minus fidelium: nam duo millia & ducenti conspecta hostium tanta multitudine, suorum vero paucitate, panico correpti timore, desertis in præsenti periculo sociis, obliti fiduciæ in Deum, subtraxerunt se de castris Iudæ, et non remanserunt cum eo nisi octingenti viri.

V. 7. Hic Iudas confractus est corde et dissolutus est: nempe perturbato naturaliter animo, dubius quid in tantis angustiis ageret, & inops consilii hærebat, ac pene concidebat. Sed rebus humana via desperatis, mentem mox erigit ad Deum, & ex certa in ipsum fiducia,

cia, simul & ex ipsa necessitate animum recipiens,

V. 8. Dixit *residuis*, sociis suis: EAMUS AD profligandum ADVERSARIOS NOSTROS, non nostris nixi viribus, sed ope cælesti: tentemus *si possimus* prospere PUGNARE, & victoriam ADVERSUS EOS obtinere. Neque enim Deo vel difficile, vel insolitum esse, ipsimet sæpius experti sumus *b*, per paucos profligare etiam maximas hostium copias. Olim vero tantis adversariorum exercitibus ut obviam irent Abraham, Iosue, Gedeon, Ionathas, David, & tot alii, quantillas ipsi copias eduxerunt? His, simul & magnificis Dei promissis Deuter. xxviii. & passim in Prophetis, animatus Iudas, potuit prudenter, pie & fortiter, etiam cum tam paucis incurrere in confertos hostes. Heroica enim fortitudo, non communem tritamque viam, sed arduam magis ac difficiliorem ingreditur, Dei potius quam humano robore confisa.

Dices, Fugere dum necessitas urget, non minoris virtutis est, quam certamen inire. Respondeo, Nulla hic absoluta necessitate putabat Iudas se premi: fidebat enim virtute & robore suorum, quos etsi paucos, tamen selectos habuit, fidebat & ope divina, ut dixi. Et certe eventus, & victoria docuit, non temere tale ab ipso consilium susceptum fuisse.

Dices secundo, Fugere noluit, ne, ut dicitur, *maculam inferret gloriæ suæ*. Respondeo, Gloria illa ipsius non erat vana & futilis gloriola mundana, sed vera, religiosa & solida gloria, quam Lib. II. cap. ult. vers. 18. & alibi *c* diserte explicuit, nempe quæ ex defensione gloriæ Dei, veræ religionis, templi, patriæ, & piorum civium subnascebatur: ita S. August. Ambr. *d* & alii SS. Patres. Ergo, *Moriamur*, inquit, *in virtute*, id est fortiter, generose, gloriose, *si* ex decreto divino *appropiavit tempus nostrum*, ut ex hac vita excedamus. Neque enim gloriosiore morte defungi possumus, quam pro sacris aris, pro focis, pro Deo.

V. 18. At CECIDIT IUDAS, ET CETERI eius socii vel tum saltem FUGERUNT. Respondeo, Fugerunt certe, sed post gloriosissimam victoriam, post contritum cornu dextrum exercitus regii, post cæsa tot hostium millia, cum viribus iam exhausti, diutius arma tractare non possent. Quod vero dux omnium Iudas cadere a Deo permissus sit, altioris consilii fuit, quam ut a nobis capi possit. Auguratur Rupertus, Petrus Blesensis *e*, Emanuel Sa, & quidam alii, displicuisse Deo fœdus initum cum Romanis. Addit Lucas Osiander & alii hæretici, aliquid humani passum hic fuisse Iudam, debuisse plus fidere divino auxilio: Ionathæ quoque & Simoni fratribus eius ab innovato fœdere cum Romanis omnia infelicius cessisse, immo cito extinctos esse. Verum temerarium videtur ex eventu consilia metiri. Et quis tantos viros ausit tantæ vecordiæ, vel de Deo diffidentiæ accusare? Cur vero & hos potius damnemus, quam Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Davidem Asam, & tot alios, qui cum Gentilibus fœdera societatemque inierunt? An non permittunt divinæ leges, an non suadet ratio naturalis, ut ad sui suorumque defensionem, humana divinis præsidia iungantur? Vita, patria, religio mediis omnibus (quæ vetita esse non constet) propugnentur? Potius dixerim, mortem in forti pugna & pleno victoriæ prælio Iudæ nostro, & omnibus viris cordatis non inter adversa vel pœnas, sed inter trophæa adnumerandam esse, uti merito adnumeratur Samsoni, Ionathæ, Sauli, Iosiæ & tot aliis heroibus. Vide de hoc fusius Serarium *f*.

V. 22. CETERA VERBA BELLORUM IUDAE, id est plurimæ aliæ res in bello fortiter gestæ a Iuda, NON SUNT *descripta*. Hic enim liber non nisi breve quoddam excerptum, seu compendium est heroicarum virtutum. Exstincto Iuda,

V. 23. EMERSERUNT & cristas erigere cœperunt INIQUI apostatæ, qui antea metu illius nec hiscere audebant. Sed &

V. 24. FAMES exorta EST MAGNA, forte frugibus ab hoste protritis. Cum ergo gemino hosti, bello simul & fami, resistendo non essent Iudæi, urgerentque apostatæ ut pacem cum hostibus, etsi iniquis conditionibus, inirent, TRADIDIT SE BACCHIDI OMNIS REGIO EORUM CUM IPSIS incolis, exceptis Machabæis, eorumque asseclis, quorum iussu

V. 31. SUSCEPIT IONATHAS PRINCIPATUM tum Ecclesiasticum, tum politicum, LOCO IUDAE FRATRIS SUI. Qui mox una cum sociis, quod pauci admodum essent,

nec

nec tuti in urbibus Bacchidi iam devotis, FUGERUNT *trans Iordanem g*.

V. 33. IN DESERTUM THECUAE, quæ alia urbs est ab illa Thecua cis Iordanem prope Bethlehem, unde Thecuitis femina prudens, II. Reg. XIV. 2.

Cum arma & instrumenta bellica deessent fugitivis Machabæis; ex Thecuæ deserto.

V. 35. MISIT IONATHAS FRATREM SUUM Ioannem, an seniorem incertum, certum primo loco inter fratres numeratum cap. II. 2. & hic POPULI DUCEM a Ionatha designatum fuisse, missumque *ad* NABUTHAEOS sic dictos ab urbe *Nabo* in tribu Ruben, Num. XXXII. 38. vicinos & AMICOS SUOS, UT *commodata* Iudæis *darent* APPARATUM SUUM bellicum, arma, machinas. Sed *Iambritæ*, Bacchidi magis quam Iudæis addicti,

V. 36. Ex oppido MADABA hostiliter aggressi IOANNEM, eiusque socios, & impedimenta OMNIA rapuerunt, & Ioannem occiderunt. Cuius mortem ultus egregie Ionathas

V. 42. Rediit obviam Bacchidi AD RIPAM IORDANIS. Ubi suos ad fortiter præliandum inflammat.

V. 44. NON EST HODIE, inquiens, SICUT HERI ET NUDIUSTERTIUS, ut pro libito declinare possimus impetum hostilem, vel fuga nobis consulere. Necessitas nos cogit, & quidem inevitabilis, cum hoste confligere. Mox impetu in hostes facto, perruptis aciebus,

V. 47. EXTENDIT IONATHAS MANUM SUAM ut *percuteret* & occideret BACCHIDEM, qui Iudam nuper devicerat & occiderat. Sed Bacchides effugit ictum, ET DIVERTIT AB EO RETRO: cumque in Ionatham eiusque socios agmina hostilia undique incurrerent,

V. 48. DISSILIIT ex composito IONATHAS eiusque socii IN IORDANEM, ET TRANSNATAVERUNT in ulteriorem ripam, ut est in Græco: nec amplius reversi sunt ad Bacchidem impugnandum. Quid vero hic hostes? Non *transnataverunt* ipsi IORDANEM AD EOS persequendos, nam assequi non potuissent. Ita in Græco & apud Iosephum. Ergo desideratis *ex* sua *parte mille viris*, Iosephus *b* ponit duo millia.

V. 49. REVERSI SUNT Bacchides & exercitus IN IERUSALEM, subditam sibi tum urbem. Nec ausus exinde bello lacessere Ionatham, *munitiones* solum construxit hinc inde, *& custodiam*, id est præsidiarios, iis *imposuit*:

V. 51. UT INIMICITIAS EXERCERENT IN ISRAEL, id est excursionibus inde factis divexarent Iudæos.

V. 52. *Imposuit* etiam *apparatum escarum* frumentum, vinum & commeatum omnigenum, ut obsidionem ferre possent, si a Ionatha urgerentur.

V. 53. ACCEPIT quoque FILIOS PRINCIPUM totius REGIONIS Iudææ in OBSIDES, ne parentes ipsorum rebellare, & cum Ionatha conspirare auderent. Quid inter hæc pseudopontifex *Alcimus?*

V. 54. Is eodem ANNO CENTESIMO QUINQUAGESIMO TERTIO, MENSE SECUNDO, PRAECEPIT DESTRUI MUROS DOMUS SANCTAE INTERIORIS. Græce, *aulæ*, seu atrii templi. Nempe iussit deiici muros interiores arcis quam in atrio templi Iudas Machabæus cap. IV. 60. adversus munitionem hostilem construxerat, non propria inventione, sed ad exemplum *operum* olim a *prophetis* Aggæo, Zacharia & aliis designatorum, ut præsidium & tutelam perpetuam haberent sacerdotes & Levitæ in suo templo. Hoc præsidio ne iam gauderent, & adversus arcem regiam se turarentur Iudæi, iussit impius Alcimus muros ab intus destrui: sed destructionis initio, divina vindicta

V. 55. PARALYSI PERCUSSUS interiit. Cœpto tamen operi institerunt ipsius asseclæ. Nam septimo demum post anno restauravit muros illos Ionathas, cap. X. 11. Interim *Alcimi* huius morte territus

V. 57. BACCHIDES recurrit in Syriam AD REGEM suum Demetrium. Et sic biennio toto pax & quies a bello Iudæis fuit, quam etiam Florius *i* describit. Quamdum ægre ferrent impii apostatæ, Machabæorum æmuli, revocant Bacchidem.

V. 61. Sed PRINCIPES tantæ MALITIAE pacisque publicæ turbatores APPREHENDIT Ionathas, ET OCCIDIT QUINQUAGINTA VIROS. Advolat interim *Bacchides cum exercitu multo:* sed a Machabæis vers. 68. cæsus ET CONTRITUS, in impios apostatas,

V. 69. QUI CONSILIUM EI DEDERUNT, UT REDIRET IN Iudæam, iras omnes vertit, & MULTOS EX EIS OCCIDIT. Inde a *Ionatha*

V. 70.

V. 70. Interpellatus de *pace*, ultro dedit, captivis omnibus ei redditis, neque amplius in Iudæam rediit. Gorionides k dicit, fugientem *Bacchidem* in desertum, a Ionatha eiusque fratribus captum, cum supplex iis esset, iurasse, se quæ e Iudæa abduxerat, omnia redditurum, atque ita firmata cum illis pace liberum in Syriam demissum esse. Fides sit penes auctorem.

(a) Gorion. Lib. III. cap. xxiii.
(b) I. Mach. ult. vers. 7. & 19.
(c) I. Mach. xii. 59.
(d) August. Lib. V. de Civ. cap. xii. 13. 14. 15. &c. Ambr. Lib. I. Offic. cap. xli.
(e) Rupert. Lib. X. de Vict. verbi Dei cap. ult. Blesensis epist. cxlvi.
(f) Serarius cap. vii. a fine sui Comm. in libros Machab. quæst. xxiii.
(g) Hic vers. 34.
(h) Ioseph. XII. Antiquit.
(i) Florus initio c. iii. Lib. II.
(k) Gorion. Lib. IV. cap. i.

GORDONI.

Vers. 48. DISSILIIT IONATHAS, &c. ET *&* 49. TANSNATAVERUNT AD EOS IORDANEM; In Græco est negatio, *ϗ οὐ διέβησαν ἐπ' αὐτούς*, ut sit sensus: Ionathas frustrato ictu contra Bacchidem, natando traiecit, & Bacchidæi non sunt persecuti Machabæum natatu; & hunc sensum dat Iosephus. Hostis redit in Ierusalem, vers. 49. nam erat in hostium ditione.

V. 52. Muniendis locis vacat hostis: cessatum ab excursionibus, quando hostis totam regionem, & firmiora loca occupasset. Dum vero Alcimus lætum sibi pollicetur Ierosolymis pontificatum, en tibi funestum casum, ac demum pacem per duos annos, ut habet hic reliquum caput, & mox subiiciam.

V. 4. SURREXERUNT: videntes non esse ibi Iudam.

V. 5. LAISA: est ex Tribu Iuda urbs.

V. 11. EQUITES: scilicet regii.

V. 15. AZOTUS. Etiam in Tribu Iuda est, & una ex quinque Philisthinorum urbibus, Iosue xv. 46. Porro

V. 33. DESERTUM THECUAE: urbis iuxta Bethleem. Erat etiam in alia Thecua.

V. 35. NABATHAEOS. Erat Nabo, vel Naboth in Tribu Ruben. Num. xxxii. vers. 38. COMMODARENT APPARATUM, deponerent ibi impedimenta: hinc aliqui legunt *commendarent*. Græc. *παραθέσθαι*.

V. 36. MADABA NABATHAEORUM: urbs in Arabia.

V. 48. Desperans de victoria.

V. 52. BETHSURA: urbs montana prope Ierusalem.

V. 50. *&* 54. AEDIFICAVERUNT, id est muniverunt. PROPHETARUM Aggæi & Zachariæ.

V. 62. BETBESSEN: urbs Palæstinæ.

V. 70. REDDERE CAPTIVITATEM: restituere captivos.

V. 71. Captivi utrinque redditi.

CA-



CAPUT X.

Alexandro Nobilis Antiochi filio occupante Ptolemaida, conatur Demetrius ferire fœdus cum Ionatha, semel ac iterum plurima pollicens: at ille praelegit oblatas ab Alexandro amicitias; qui Alexander, devicto occisoque Demetrio, ducit uxorem Cleopatram Ptolemæi regis AEgypti filiam, plurimum Ionathan honorans: porro Apollonium ducem iunioris Demetrii devicit Ionathas, succensa Azoto & templo Dagon: rursumque ab Alexandro honoratur, data sibi Accaron ac fibula aurea.

1. ET anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: & occupavit Ptolemaidam: & receperunt eum, & regnavit il. lic. 2. Et audivit Demetrius rex, & congregavit exercitum copiosum valde, & exivit obviam illi in prælium. 3. Et misit Demetrius epistolam ad Ionathan verbis pacificis, ut magnificaret eum. 4. Dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro adversum nos; 5. recordabitur enim omnium malorum, quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius. 6. Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & esse ipsum socium eius: & obsides, qui erant in arce, iussit tradi ei. 7. Et venit Ionathas in Ierusalem, & legit epistolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant. 8. Et timuerunt timore magno, quoniam audierunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum. 9. Et traditi sunt Ionatæ obsides, & reddidit eos parentibus suis: 10. & habitavit Ionathas in Ierusalem, & cœpit ædificare & innovare civitatem. 11. Et dixit facientibus opera, ut extruerent muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt. 12. Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificaverat: 13. * & reliquit unusquisque locum suum, & abiit in terram suam: 14. tantum in Bethsura remanserunt aliqui, ex his qui reliquerant legem & præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugium. 15. Et audivit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Ionathæ: & narraverunt ei prælia, & virtutes, quas ipse fecit, & fratres eius, & labores, quos laboraverunt, 16. & ait: Numquid inveniemus aliquem virum talem? & nunc faciemus eum amicum, & socium nostrum. 17. Et scripsit epistolam, & misit ei secundum hæc verba, dicens: 18. REX Alexander fratri Ionathæ salutem. 19. Audivimus de te, quod vir potens sis viribus, & aptus es ut sis amicus noster: 20. & nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, * & ut amicus voceris regis, (& misit ei purpuram, & coronam auream) & quæ nostra sunt sentias nobiscum, & conserves amicitias ad nos. 21. Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die sollemni sce-

nopegiæ: & congregavit exercitum, & fecit arma copiosa. 22. Et audivit Demetrius verba ista, & contristatus est nimis, & ait: 23. Quid hoc fecimus, quod præoccupavit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen sui? 24. Scribam & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: ut sint mecum in adiutorium. 25. Et scripsit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Iudæorum salutem: 26. Quoniam servastis ad nos pactum, & mansistis in amicitia nostra, & non accessistis ad inimicos nostros, audivimus, & gavisi sumus. 27. Et nunc perseverate adhuc conservare ad nos fidem, & retribuemus vobis bona pro his quæ fecistis nobiscum. 28. Et remittemus vobis præstationes multas, & dabimus vobis donationes. 29. Et nunc absolvo vos & omnes Iudæos a tributis, & pretia salis indulgeo, & coronas remitto, & tertias seminis: 30. & dimidiam partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die, & deinceps, ne accipiatur a terra Iuda, & a tribus civitatibus, quæ additæ sunt illi ex Samaria & Galilæa, ex hodierna die & in totum tempus: 31. & Ierusalem sit sancta, & libera cum finibus suis: & decimæ & tributa ipsius sint: 32. Remitto etiam potestatem arcis, quæ est in Ierusalem: & do eam summo sacerdoti, ut constituat in ea viros quoscumque ipse elegerit, qui custodiant eam. 33. Et omnem animam Iudæorum, quæ captiva est a terra Iuda in omni regno meo, relinquo liberam gratis, ut omnes a tributis solvantur, etiam pecorum suorum. 34. Et omnes dies sollemnes, & sabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem sollemnem, & tres dies post diem sollemnem, sint omnes immunitatis & remissionis omnibus Iudæis, qui sunt in regno meo: 35. & nemo habebit potestatem agere aliquid, & movere negotia adversus aliquem illorum, in omni causa. 36. Et ascribantur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia virorum, & dabuntur illis copiæ ut oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni: 37. & ex his constituentur super negotia regni, quæ aguntur ex fide, & principes sint ex eis, & ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Iuda. 38. Et tres civitates, quæ additæ sunt Iudææ ex regione Samariæ, cum Iudæa reputentur: ut sint sub uno, * & non obediant alii potestati, nisi summi sacerdotis. 39. Ptolemaida, & confines eius, quas dedi donum sanctis, qui sunt in Ierusalem, ad necessarios sumptus sanctorum. 40. Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt: 41. & omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erant annis prioribus, & hoc dabunt in opera domus. 42. Et super hæc quinque millia siclorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: & hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur. 43. Et quicumque confugerint in templum, quod est Ierosolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxii regi in omni negotio dimittantur, & universa, quæ sunt eis in regno meo, libera habeant. 44. Et ad ædificanda vel restauranda opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis: 45. * & ad extruendos muros Ierusalem, & communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, & ad construendos muros in Iudæa. 46. Ut audivit autem Io-

Ionathas & populus sermones istos, (a) non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israel, & tribulaverat eos valde. 47. Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, & ipsi auxilium ferebant omnibus diebus. 48. Et congregavit rex Alexander exercitum magnum, & admovit castra contra Demetrium. 49. Et commiserunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrii, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos. 50. Et invaluit prælium nimis, donec occidit sol: & cecidit Demetrius in die illa. 51. Et misit Alexander ad Ptolemæum regem AEgypti legatos secundum hæc verba, dicens: 52. QUONIAM regressus sum in regnum meum, & sedi in sede patrum meorum, & obtinui principatum, & contrivi Demetrium, & possedi regionem nostram, 53. & commisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra eius, a nobis ; * & sedimus in sede regni eius: 54. & nunc statuamus ad invicem amicitiam: & da mihi filiam tuam uxorem, & ego ero gener tuus, * & dabo tibi dona, & ipsi, digna te. 55. Et respondit rex Ptolemæus, dicens: FELIX dies, in qua reversus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorum. 56. Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, ut videamus invicem nos, & spondeam tibi sicut dixisti. 57. Et exivit Ptolemæus de AEgypto, ipse, & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidam, anno centesimo sexagesimo secundo. 58. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopatram filiam suam: & fecit nuptias eius Ptolemaidæ, sicut reges, in magna gloria. 59. Et scripsit rex Alexander Ionathæ, ut veniret obviam sibi. 60. Et abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, & aurum, & dona: & invenit gratiam in conspectu eorum. 61. Et convenerunt adversus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes adversus eum: & non intendit ad eos rex. 62. Et iussit spoliari Ionathan vestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum. 63. Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium civitatis, & prædicate, ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam ei molestus sit de ulla ratione. 64. Et factum est, ut viderunt qui interpellabant gloriam eius, quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes: 65. & magnificavit eum rex, & scripsit eum inter primos amicos, & posuit eum ducem, & participem principatus. 66. Et reversus est Ionathas in Ierusalem cum pace, & lætitia. 67. In anno centesimo sexagesimo quinto, venit Demetrius filius Demetrii a Creta in terram patrum suorum. 68. Et audivit Alexander rex, & contristatus est valde, & reversus est Antiochiam. 69. Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cœlesyriæ: & congregavit exercitum magnum, & accessit ad Iamniam: & misit ad Ionathan summum sacerdotem, 70. dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium, propterea quia tu potestatem adversum nos exerces in montibus. 71. Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, & comparemus illic invicem: quia mecum est virtus bellorum. 72. Interroga, & disce quis sum ego, & ceteri, qui auxilio sunt mihi, qui & di-

dicunt quia non potest stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conversi sunt patres tui in terra sua: 73. & nunc quomodo poteris sustinere equitatum & exercitum tantum in campo, ubi non est lapis, neque saxum, neque locus fugiendi? 74. Ut audivit autem Ionathas sermones Apollonii, motus est animo: & elegit decem millia virorum, & exiit ab Ierusalem, & occurrit ei Simon frater eius in adiutorium: 75. & applicuerunt castra in Ioppen, & exclusit eum a civitate (quia custodia Apollonii Ioppe erat) & oppugnavit eam. 76. Et exterriti qui erant in civitate, aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas Ioppen. 77. Et audivit Apollonius, & admovit tria millia equitum, & exercitum multum. 78. Et abiit Azotum tamquam iter faciens, & statim exit in campum, eo quod haberet multitudinem equitum, & confideret in eis. Et insecutus est eum Ionathas in Azotum, & commiserunt prælium. 79. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occulte. 80. Et cognovit Ionathas quoniam insidiæ sunt post se, & circuierunt castra eius, & iecerunt iacula in populum a mane usque ad vesperam. 81. Populus autem stabat, sicut præceperat Ionathas: & laboraverunt equi eorum. 82. Et eiecit Simon exercitum suum, & commisit contra legionem: equites enim fatigati erant: & contriti sunt ab eo, & fugerunt. 83. Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, & intraverunt in Bethdagon idolum suum, ut ibi se liberarent. 84. Et succendit Ionathas Azotum, & civitates, quæ erant in circuitu eius, & accepit spolia eorum, & templum Dagon: & omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni. 85. Et fuerunt qui ceciderunt gladio, cum his qui succensi sunt, fere octo millia virorum. 86. Et movit inde Ionathas castra, & applicuit ea Ascalonem: & exierunt de civitate obviam illi in magna gloria. 87. Et reversus est Ionathas in Ierusalem cum suis, habentibus spolia multa. 88. Et factum est: ut audivit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionathan. 89. Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum. Et dedit ei Accaron, & omnes fines eius, in possessionem.

(a) Sup. VII. 22.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 13. *Et reliquit unusquisque locum suum*: Non omittas pronomen *suum*.

Vers. 20. *Et ut amicus voceris regis*. Nec hic omittenda est coniunctio *&*.

Vers. 38. *Et non obedians alii potestati*. Non commutes *alii* cum *alienæ*.

Vers. 45. *Et ad extruendos muros Ierusalem*. Non præponas nomini *Ierusalem* præpositionem *in*.

Vers. 53. *Et sedimus in sede regni eius*. Non est mutandum præteritum *sedimus* in præsens *sedemus*.

Vers. 54. *Et dabo tibi dona, & ipsi digna te*. Duæ voces *digna te*, quo est decentia te, non sunt contrahenda in unam, quod vulgo fit, dignitatem.

COM.

C O M M E N T A R I A

S A.

Verf. 1. QUI, fcilicet Antiochus: fic enim ait Iofephus, fcilicet fuiffe Antiochi Epiphanis filium. Græc. tamen videtur ad Alexandrum referri, & forte is idem habuit cum patre cognomen.

V. 3. UT MAGNIFICARET; pro, magnificans; quafi dicat, Quibus illum magnificare præfeferebat.

V. 4. DIXIT, id eft cogitavit.

V. 11. AD MUNITIONEM, id eft ut ci vitati effent munimento.

V. 15. VIRTUTES, id eft facta fortia.

V. 20. ET QUAE NOSTRA, &c. id eft ut faveas rebus noftris.

V. 21. STOLA SANCTA, id eft veftem facerdotalem, fcilicet Pontificiam.

V. 24. DONA, fcilicet promittam, vel dabo.

V. 28. PRAESTATIONES, id eft quæ folebatis nobis præftare.

V. 29. PRETIA, id eft penfiones. INDULGEO, id eft condono. REMITTO, fcilicet ne pofthac eas dare debeatis. Vide cap. XI. TERTIAS, id eft tertiam partem, fcilicet frugum, quæ in feminatis agris proveniebant.

V. 30. LIGNI, id eft arborum. CIVITATIBUS. Græc. *regionibus*, feu *præfecturis*: fic inf. ILLI, fcilicet eius ditioni.

V. 31. SIT SANCTA, id eft gaudeat immunitate, quæ decet fanctum locum.

V. 33. ANIMAM, id eft perfonam, ut vulgo dicitur. UT; pro, utque.

V. 34. DECRETI, id eft ftati, feu ftatuti.

V. 35. ET NEMO, &c. Explicat præcedentem immunitatem. OMNI CAUSA, id eft re, feu negotio: *omni* vero, pro, ulla, pofitum, more Hebr.

V. 36. COPIAE. Græc. *munera*, fcilicet ftipendia. ORDINABUNTUR, id eft conftituentur. MAGNI. Græc. *magnis*.

V. 37. AGUNTUR EX FIDE, id eft fidem poftulant.

V. 39. QUAS DEDI; pro, præterea dedi. SANCTIS, id eft templo.

V. 40. QUAE ME CONTINGUNT, id eft ad me pertinent. Græc. *a locis attinentibus*, id eft qui folvere debent.

V. 41. REDDIDERANT, id eft folverant; fcilicet Regi, indicat fe remittere fibi a Iudæis debita fuperiorum annorum. EX HOC, id eft ex nunc. DOMUS, id eft templi.

V. 42. ACCIPIEBANT, fcilicet tributorum Regis exactores. SANCTORUM, id eft fanctuarii, feu templi.

V. 43. OMNIBUS FINIBUS; pro, omnes fines. DIMITTANTUR, fcilicet liberi.

V. 44. RATIONE, fcilicet ex erario.

V. 47. IN ALEXANDRUM. Græc. *in Alexandro*, id eft amicos effe Alexandri. PRINCEPS; quafi dicat, Primus egerat cum ipfis bona fide.

V. 56. SPONDEAM TIBI, fcilicet filiam. Græc. *fim tibi focer*.

V. 58. REGES, fcilicet folent.

V. 63. PRAEDICATE, fcilicet per præconem denuntiate.

V. 70. IN OPPROBRIUM; quafi dicat, Contemnor.

V. 71. VIRTUTIBUS, id eft viribus, vel exercitibus. BELLORUM Græc. *urbium*.

V. 75. EXCLUSIT. Græc. *excluferunt*, fcilicet Ioppenfes.

V. 80. EIUS, fcilicet Ionathæ.

V. 81. EORUM, fcilicet hoftium.

V. 83. BETHDAGON, id eft *ædem Dagonis*, fcilicet idoli Azotiorum. Idolum Græc. εἰδωλεῖον, id eft *templum idoli*.

V. 86. IN; pro, cum.

E S T I I.

Verf. 18. REX ALEXANDER FRATRI IONATHAE SALUTEM. Et verf. 20. ET NUNC CONSTITUIMUS TE HODIE SUMMUM SACERDOTEM GENTIS TUAE. De hoc Ionathæ facto quæri poteft, an iufta reprehenfione careat, quod ab ethnico rege, cui in facra Iudaica ius nullum effet, acceperit fummum facerdotium? Et fane fupra legimus vehementer culpatum Alcimum, qui apud Demetrium regem pro fummo facerdotio follicitaffet. Refpondendum videtur, nihil aliud hic fignificari verbis Alexandri regis, quam Ionathæ confirmatum fuiffe facerdotium, quo iam antea fungebatur. Simul enim cum principatu

tu sacerdotium] acceperat post Iudam fratrem suum, ut clare & distincte narrat Iosephus Lib. XII. antiq. cap. XVII. & Lib. seq. cap. v. Sed utrumque Alexander sua regia auctoritate confirmat, quam quidem confirmationem etiam Ionathas non petierat. Sic & postea cap. seq. Demetrius quod ei statuit sacerdotium & similiter Antiocus; quæ non potuit impedire Ionathas. Neque obstat, quod legitur paulo post induisse se Ionathas stola sancta in die solemni scenopegiæ: non enim tunc primum cœpit fungi sacerdotii munere; sed tum primum indutus est ea stola, quæ facta erat ex purpura, quam rex Alexander ei dono miserat.

MARIANAE.

Vers. I. ALEXANDER ANTIOCHI FILIUS. Cuius Antiochi? Epiphanis: Iosephus Lib. XIII. cap. II. Iustinus Lib. XXXV. & Appianus in Syriacis negant fuisse eius filium, sed mendacio id finxisse, & *Prompanum* fuisse eius nomen ait Iustinus. Mihi huius libri & Iosephi auctoritas potior est, ut credam fuisse Antiochi filium. QUI COGNOMINATUS EST NOBILIS. Antiochus Epiphanes, id est *nobilis*. OCCUPAVIT PTOLEMAIDAM. Urbs Phœniciæ fuit, nunc *Accon* seu *Acre* vocatur. RECEPERUNT EUM, odio Demetrii voluptatibus & ignavia fœdi, ut Iosephus ait. Pollicetur Ionathæ,

V. 3. UT MAGNIFICARET EUM. Id epistolæ Demetrii pollicebantur fore, ut magnum faceret.

V. 5. IN FRATREM EIUS, scilicet Iudam. Græce, *in fratres eius*, quæ fecimus mala recordabitur.

V. 7. EORUM QUI IN ARCE ERANT. Arx Ierusalem erat in potestate Demetrii. Ergo litteras Demetrii præsidiariis legit, scilicet ut quod iubebatur, illi obsides darent.

V. 15. AUDIVIT ALEXANDER. Facile se iunxit Ionathas Alexandro, a quo læsus non erat, memor Demetrii iniuriarum. Eleganter quidam, Benefacta cito oblivioni tradi, malorum perpetua memoria est.

Debita præclaris meritis est gratia lausque

Perbrevis: æternum sed malefacta dolent.

VIRTUTES QUAS IPSE FECIT Ionathas, seu *facinora*, ἀνδραγαθίας narraverunt Alexandro.

V. 20. CONSTITUIMUS TE HODIE SUMMUM SACERDOTEM. Iam erat Pontifex a morte fratris Iudæ; confirmat tantum id, & ratum habet. ET QUAE NOSTRA SUNT SENTIAS. Gotth. & Regia: *ut quæ nostra sentias nobiscum*. Vox *nobiscum* non est Græce, nec in Gotth. & videtur redundare.

V. 21. INDUIT SE IONATHAS STOLA. Forte eatenus non fecerat, quoniam Ierusalem erat in hostium potestate; tunc tamen sumpsit pontificium ornatum. SEPTIMO MENSE. Is est *Tisri*, cuius die 15. Scenopegia, Festum Tabernaculorum celebrabatur, & in eo se Pontifices in stola pontificia populo ostendebant, ex Iosepho Lib. XV. cap. III.

V. 24. ET DIGNITATES, ET DONA, scilicet polliceor.

V. 26. PRETIA SALIS vobis INDULGEO. Vendebatur a Rege carius. Genus tributi & monopolii. ET CORONAS. Pro regia corona exigebatur aliquid. Et tertia seminis pars. Et ex fructibus arborum dimidium. Id significant illa verba, ET DIMIDIAM PARTEM FRUCTUS LIGNI, id est lignorum, arborum. Græce, *fructus lignei*. Gravissima tributa Iudæis imposuerunt.

V. 34. DIES DECRETI. Festa quæ denuo indicebantur. Itaque in festis omnibus, ut ait Iosephus Lib. XV. cap. III. Iudæos a tributis immunes esse volebat, ut fit in nostris nundinis: tum etiam a litibus iis diebus liberabat.

V. 36. DABUNTUR ILLIS COPIAE. Græce, *dona*: nempe commeatus, stipendia. QUI SINT IN MUNITIONIBUS. In arcibus ex Iudæis constituentur, non ex alia gente.

V. 37. SUPER NEGOTIA REGNI. Non erunt alii publicani, Iudæi ipsi vectigalia administrabunt. Quod proximum libertati est. Tres civitates Iudæis additæ,

V. 38. UT SINT SUB UNO; aut, *in unum corpus*, scilicet redigantur eis tres civitates.

V. 40. ET EGO DO. Sic Græc. at Gotth. & Regia, *dabo*. DE RATIONIBUS REGIS, id est de tributis.

V. 41. IN OPERA DOMUS, id est templi, publicanorum debita tribuit.

V. 42. ET SUPER HAEC; id est, præterea

terea sacerdotibus dat alia quinque millia siclorum, quæ ex templo annua accipiebat.

V. 47. Ipse fuerat eis princeps, id est primus de pace fuerat locutus Alexander. Et ipsi, scilicet Alexandro ferebant opem Iudæi.

V. 49. Fugit exercitus Demetrii. Græc. & Goth. *Alexandri*. Et insecutus est eum Alexander. Demetrium, Iosephus Lib. XIII. cap. xv. ait, cornu dextrum Alexandri fugatum a sinistro Demetrii; contra dextrum cornu Demetrii fugatum, tum ipsum equo cadente occisum. Sic victoria Alexandri fuit.

V. 51. Misit Alexander ad Ptolemaeum. Hic fuit *Ptolemæus Philometor*, qui filiam Cleopatram Alexandro uxorem dedit. Occurre mihi

V. 59. Et spondeam tibi; pro, despondeam, scilicet filiam tibi. Novus Demetrius

V. 69. Accessit ad Iamniam; seu *castra posuit in Iamniam*. Civitas erat maritima in Iudæa, ubi novus Demetrius posuit castra, seu Apollonius eius dux. Ad Ionathan misit, qui diceret:

V. 70. Potestatem adversum nos exerces in montibus. Ierusalem in montibus est Psal. cxxiv. 2. *Montes in circuitu eius*. Demetrius cum locorum asperitate pugnare recusabat.

V. 71. Comparemus; seu *comparemur*, confligamus: sic Apollonius. Mecum est virtus bellorum, id est exercitus bellax. Græce, *mecum est exercitus urbium*. Noster πολέμων legit, pro πόλεων ut nunc est.

V. 73. Non est lapis, id est nullæ rupes, ad quas se fugientes recipiant, nullæ silvæ, nullus fugiendi locus.

V. 75. Exclusit eum a civitate, scilicet Ionathan. Quis exclusit? Ioppe a civitate, id est a se.

V. 79. Reliquit Apollonius in castris. Vox *in castris* Græce non est, & videtur redundare. In castris insidiæ non ponuntur.

V. 80. Et iecerunt iacula in populum: hostes in Iudæos.

V. 81. Laboraverunt equi eorum: hostium.

V. 82. Contra legionem, seu *phalangem*, contra pedites. Equites enim; pro, etiam, fatigati erant; & victi sunt a Simone, & in fugam coniecti.

V. 83. Intraverunt in Bethdagon, id est *domum*, *templum Dagon*, quod Azoti erat: de quo diximus I. Reg. vi. Quid Alexander?

V. 89. Misit ei fibulam auream. Torquem fuisse puto, ex quo fibula pendebat, qualis est in Gallia torquis D. Michaelis, in Burgundia Aurei velleris: qui pro magno munere a Regibus danrur e prima nobilitate viris. Quid si πόρπην, bullam, monile dicamus; nam hoc etiam significat.

MENOCHII.

Vers. 1. Alexander Antiochi filius: filius Antiochi Epiphanis, quem aliqui nothum fuisse aiunt; alii se quidem venditasse ut filium, sed fuisse hominem ignotum, & stirpis incertæ. Ptolemaidam: Syriæ urbem.

V. 3. Ut magnificaret eum: in quibus eum se magnificare ostendebat, & ad maiora velle promovere.

V. 5. In arce: in civitate David.

V. 11. Muros et montem, id est muros montis. Ad munitionem, id est ut civitati essent munimento.

V. 14. Erat haec eis ad refugium: propter eximiam loci firmitatem, qui, ut vidimus supra cap. vi. 30. & seq. maximum exercitum Antiochi Eupatoris contempserunt, irritosque plane reddidisset eius conatus, nisi fames Bethsuræ propugnatores ad deditionem coegisset.

V. 15. Virtutes: facta fortia.

V. 20. Constituimus te summum sacerdotem gentis tuae. Fungebatur Ionathas iam inde a fratris morte summo sacerdotio, sicut & principatu; erant enim eo tempore hæc officia copulata, & ab uno eodemque gerebantur. Itaque illud Ionathas non accipit ab Alexandro profano rege, sed illius adiutus favore publice Pontificem egit, quod prius non poterat, cum Ierusalem, & Iudæa erat in Gentilium potestate. Misit ei purpuram, et coronam auream. Purpura hæc, & corona aurea nihil pertinent ad amictum Pontificium, nec iis Rex ornare voluit Pontificem, cum eius ornatum ignoraret; sed ad eorum Dynastarum amictum, qui amici

regis,

regis, & ex amictu purpureo, purpurati dicebantur: sic de Mardochæo legimus Esther. VIII. eum processisse de palatio, coronam auream portantem in capite, & amictum serico pallio, atque purpureo. STOLA SANCTA, id est habitu sacerdotali, seu Pontificio IN DIE SOLEMNI SCENOPEGIAE: in festo tabernaculorum, de quo vide dicta Levit. XXIII. Videtur Ionathas argui posse, quod acceptis ab Alexandro muneribus Demetrii paulo ante initam amicitiam, quæ potior esse debuit, violarit; sed dicendum est Ionatham regio quidem favore Demetrii usum esse, sed non promisisse se a partibus illius staturum. Cum vero Obsides accepit, quos illi reddi iussit Demetrius, iure suo usus est; nam eos ad eam diem iniuste rex retinuerat, ut etiam iniuste Iudææ dominatum sibi vendicabat.

V. 23. PRAEOCCUPAVIT NOS: mittendis scilicet donis, & conferenda Pontificia dignitate. Nam alioqui Demetrius antevenerat Alexandrum in ambienda Ionathæ amicitia. VERBA DEPRECATORIA. Græce λόγους παρακλήσεως, *verba exhortatoria*, quibus scilicet ad iungendam mecum amicitiam exhortatur. DIGNITATES ET DONA, scilicet promittam, & dabo.

V. 26. QUONIAM SERVASTIS AD NOS PACTUM, &c. callida captatio benevolentiæ, & dissimulatio gestorum a Ionatha, ut tempus & locum tribuat mutandæ sententiæ.

V. 28. PRAESTATIONES: res quas Iudæi Demetrio præstare tenebantur, quas mox recenset.

V. 29. PRETIA SALIS: vectigal salis condono, & remitto. CORONAS: aurum coronarium, quod dudum a Provinciis ultro oblatum, postea quasi debitum exigebatur. Vide Carolum Paschalium de corona Lib. VIII. capite VI. TERTIAS SEMINIS: si enim quis duodecim modios tritici, verbi gratia seminasset, quatuor modios dabat tempore messis tributi nomine.

V. 30. DIMIDIAM PARTEM FRUCTUS LIGNI QUOD EST PORTIONIS MEAE: non omnes fructus, quarumcumque arborum pertinebant ad regem, sed aliquarum tantum; horum ergo fructuum regiæ portionis dimidiam partem remittit. Vel, remittit totam portionem regiam, quæ erat pars dimidia illorum fructuum. EX TRIBUS CIVITATIBUS, QUAE ADDITAE SUNT ILLI: vel ab Antiocho, vel a Ptolemæo; vel ab aliquo additæ fuerant provinciæ Iudææ tres civitates ex Samaria, & Galilæa, quas eodem privilegio frui vult Demetrius.

V. 31. SIT SANCTA, id est gaudeat immunitate, quæ decet sanctum locum.

V. 33. OMNEM ANIMAM, id est personam, ut vulgo dicitur.

V. 34. NEOMENIAE: festum Calendarum: primus enim cuiusque mensis dies festus erat apud Hebræos. DIES DECRETI, id est stati, seu statuti.

V. 35. ET NEMO, &c. Explicat præcedentem immunitatem, ut scilicet nemo Iudæos ad iudicum tribunalia se diebus illis sistere, possit compellere.

V. 36. COPIAE. Græce ξένια, *munera*, *stipendia*. ORDINABUNTUR, id est constituentur. REGIS MAGNI. In Græco est, ὀχυρώμασι μεγάλοις, *munitionibus magnis*.

V. 37. AGUNTUR EX FIDE, id est fidem postulant. PRINCIPES, id est præfecti, & præsides. SICUT PRAECEPIT REX, &c. contra quam nuper edixerat Antiochus Epiphanes.

V. 38. ET TRES CIVITATES, &c. quas ante declaraverat tributorum immunes, nunc in eas ius summum, ac regium tribuit Pontifici.

V. 39. QUAS DEDI DONUM SANCTIS: quam dono templo. Donat Ptolemaida, & eius agrum, in ea quippe infensus erat, ut quæ prima recepisset hostem suum Alexandrum, qui & regni sui sedem ibi collocarat. Itaque eam quasi proscriptam Iudæis tradit, si forte eam eorum ope recuperare posset, vultque redditus illos templi sumptibus, & sacrificiis addici.

V. 40. QUINDECIM MILLIA SICLORUM. Siclus unus æquivalet quatuor Iuliis Romanis. Itaque quindecim millia sicli efficiunt sex millia scutorum eiusdem monetæ Romanæ. DE RATIONIBUS REGIS, QUAE ME CONTINGUNT. In Græco est, *ex locis quæ me contingunt*, id est quæ ad me spectant, quæ proprii iuris sunt Regum Syriæ.

V. 41. ET OMNE QUOD RELIQUUM FUERIT, &c. significat se remittere sibi a Iudæis debita superiorum annorum. IN OPERA DOMUS: ad expensas templi.

V. 42. ET SUPER HAEC. Est alia largitio quinque millium siclorum, qui de templi redditibus quotannis accipiebantur. Quin-

Quinque millia ficlorum efficiunt duo millia scutorum Romanorum.

V. 43. ET QUICUMQUE CONFUGERUNT, &c. Templum Asyli iure donat, ut scilicet non solum personæ, quæ fugerint in templum, violari non possint, sed nec eorum bona, quocumque in loco sita fuerint. OBNOXII REGI: obligati regi.

V. 44. DE RATIONE REGIS: ex ærario regio; ex proventibus regiis.

V. 46 NON CREDIDERUNT EIS. Hæc tam profusa promissionum copia, hoc ipso parum probabilis visa est, quod ab homine proficisceretur, qui rebus ipsis docuisset se odisse Iudæos. MALITIAE MAGNAE, &c. multorum damnorum, quæ intulerat, præsertim occiso a Bacchide Iuda Machabæo, & variis illatis cladibus, quæ toto capite IX. memorantur.

V. 47. IN ALEXANDRUM. Græce, *in Alexandro*, id est amicos esse Alexandri. PRINCEPS SERMONUM PACIS; quasi dicat, Primus egerat cum illis bona fide, & amicitiam eorum ambiverat prior. OMNIBUS DIEBUS: quibus scilicet rerum potius est Alexander.

V. 50. INVALUIT PRAELIUM: In Græco est, ἐστερέωσε τὸν πόλεμον, *confirmavit prælium*, fortiter pugnavit.

V. 56. SPONDEAM TIBI; id est, dem tibi sponsam filiam meam, & asciscam te mihi in generum; in Græco enim est, ἐπιγαμβρεύσω σοι: *Ero tibi socer*, vel, *faciam te generum meum*.

V. 58. SICUT REGES: sicut reges solent, conviviis, ludis, certaminibus &c. celebratis.

V. 59. UT VENIRET OBVIAM SIBI: invitatus scilicet ad nuptias honoris causa.

V. 61. VIRI PESTILENTES, &c. Apparet hos fuisse de Apostatis, quos Ionathas persequebatur, quem ipsi vice versa apud novum regem calumniis traducere nitebantur. INTERPELLANTES ADVERSUS EUM: regem interpellantes, & accusationes proferentes contra eum. NON INTENDIT AD EOS: reiecit accusatores, & calumnias eorum.

V. 62. SEDERE SECUM: quasi eiusdem consortem imperii.

V. 63. PRAEDICATE: scilicet per præconem denunciate, & edicite. DE ULLO NEGOTIO, &c. quasi negotia regia, aut rationes minus fideliter administraverit.

V. 64. FUGERUNT OMNES: sibi ab illius potentia timentes.

V. 65. PARTICIPEM PRINCIPATUS. Non quidem regni sui socium, sed quasi proregem in omni regione Iudæorum, quæ regi Syriæ subesset.

V. 67. VENIT DEMETRIUS, &c. nimirum paterni regni recuperandi causa.

V. 68. REVERSUS EST ANTIOCHIAM: ut scilicet Antiochenorum defensionem impediret.

V. 69. AD IAMNIAM: erat urbs maritima Palæstinæ egregie munita.

V. 70. TU SOLUS RESISTIS NOBIS. In Græco est, *extolleris*, *sive elevaris super nos*, intumescis, & superbis. IN OPPROBRIUM, id est contemptor.

V. 71. VIRTUTIBUS, id est viribus, seu exercitibus. COMPAREMUS ILLIC INVICEM: decertemus cominus. VIRTUS BELLORUM. In Græco est πόλεων, *civitatum*, sed vulgatus legit, πολέμων, *bellorum*.

V. 73. IN CAMPO, UBI NON EST LAPIS, &c. quasi dicat, ut habet Iosephus, *Provoco te in eum locum, ubi armis, non saxis pugnandum est, & in quo nullum præsto est victis refugium*.

V. 75. ET EXCLUSIT EUM A CIVITATE. In Græco est, *excluserunt*, scilicet Ioppenses. CUSTODIA APOLLONII: præsidium Apollonii.

V. 77. ADMOVIT: instruxit ad pugnam, ET EXERCITUM MULTUM: pedestrem, quem Iosephus ait fuisse octo millium.

V. 78. ET ABIIT AZOTUM, TAMQUAM ITER FACIENS. Situs, & dispositio harum urbium Ioppe, Iamnia, & Azotus erat qualis est harum litterarum A. B. C. Ionathas potius erat Ioppe, Apollonius castra metatus erat in Iamnia, ibique abiens versus Azotum reliquerat occulte mille equites, in quodam torrente, ut ait Iosephus, ut cum Ionathas sequens Appollonium prætergressus esset Iamniam, illi ex insidiis emergerent, & Iudæorum terga cæderent. ET COMMISERUNT PRAELIUM. In Græco est, καὶ συνῆψαν αἱ παρεμβολαί εἰς πόλεμον: quod verti potest, *& appropinquaverunt exercitus ad committendum prælium*. Agnovit enim insidias Ionathas antequam pugnaretur.

V. 80. COGNOVIT IONATHAS QUONIAM INSIDIAE SUNT POST SE. Cognovit postquam iam superaverat Iamniam, & illam fue-

fuerat prætergressus. CIRCUIVERUNT: equites illi, qui ab Apollonio relicti fuerant in insidiis. IN POPULUM: in exercitum Ionathæ.

V. 81. POPULUS: stabat sicut præceperat Ionathas. Præceperat autem, ut ait Iosephus, ut objectis scutis exciperent tela ab equitibus immissa. LABORAVERUNT EQUI EORUM, scilicet alienigenarum, fatigati sunt diuturna iaculatione.

V. 82. EIECIT: educit in aciem. CONTRITI SUNT, scilicet legionarii pedites.

V. 83. BETHDAGON, id est ædem Dagonis, scilicet idoli Azotiorum. IDOLUM. Græce εἰδωλεῖον, id est templum idoli.

V. 86. IN MAGNA GLORIA: magno scilicet eum honore afficientes.

TIRINI.

Vers. 1. ANNO CENTESIMO SEXAGESIMO, cum ab ultimo Bacchidis abscessu Iudæa toto quinquennio egisset in pace, rebus Machabæorum iam plane stabilitis; ecce tibi ex improviso ALEXANDER *Balles* Iosepho, *Balas* Straboni *a*, aliis *Veles* dictus, ANTIOCHI *b* Epiphanis, seu NOBILIS illius tyranni FILIUS frater *Eupatoris c*: ita etiam Iosephus. Nescio vero unde Iustinus, Appianus & Livii *d* Epitome habeant, infimæ sortis hominem fuisse, *Prompanum* nomine, mentitumque se ex nobili Seleucidarum stirpe procreatum. Credo, ad exemplum *Pseudophilippi*, qui hoc eodem tempore contra Romanos bellum Macedonicum tertium excitavit, teste Floro & Epitome Livii *e*: vel certe alterius *Pseudoalexandri*, de quo multis post annis Iosephus *f*, voluisse etiam nostrum hunc *Alexandrum Veles* fictitiis & falsariis regibus adcensere. Sed standum Scripturæ, quæ cum Iosepho diserte affirmat, *filium* fuisse *Antiochi Nobilis*. Igitur Demetrio propter superbiam, luxum & ignaviam suis admodum exoso, volentibus Syris ASCENDIT in thronum regium *Alexander*, ET primo OCCUPAVIT PTOLEMAIDAM Phœniciæ urbem, nunc *Accon* vel *Acre*: ubi incolæ illius & vicinæ regionis RECEPERUNT EUM in regem & dominum suum. Mox uterque rex *Ionatham* sibi adiungere, multis magnificque promissis ac donis studet. *Rex Alexander* vers. 38. vocat eum *fratrem g* suum, id est singularem amicum & socium, qui fratris instar esset.

V. 20. UT QUAE NOSTRA SUNT SENTIAS, id est, adhæreas partibus nostris adversus Demetrium, faveas & opituleris causæ nostræ. Oblata ab utroque rege beneficia admittit Ionathas. Sed ob iniustam tyrannidem & hostilitatem, adversus Iudæos iam inde ab initio exercitam, merito deserit Demetrium, adhæret Alexander. Ac tum demum

V. 21. INDUIT SE IONATHAS STOLA SANCTA, id est veste pontificali, SEPTIMO MENSE, die 15. IN festo SCENOPEIAE. Hactenus enim occupata ab hostibus Ierosolyma *h*, non usus fuerat ornatu pontificio. Demetrius postpositum se dolens, novis beneficiis tentat animos Iudæorum. Et quasi nescires a se delapsos ad Alexandrum, alloquitur tamquam fideles amicos, vers. 26.

V. 28. REMITTEMUS VOBIS PRAESTATIONES, id est tributa nobis præstari solita a Iudæis.

V. 29. PRETIA SALIS, id est vectigal & alia emolumenta quæ ex salis confectione *i* & venditione & devectione mihi obveniebant. Item CORONAS quæ mihi quotannis deferri debent, cap. seq. vers. 35. aureas utique *k* & gemmeas, iam REMITTO: uti & TERTIAS SEMINIS, id est tertiam partem omnium, quæ ex agris sementine consitis colligi solent. Item

V. 30. DIMIDIAM PARTEM FRUCTUS LIGNI, seu omnium fructuum qui ex arboribus colliguntur; quæ portio hactenus ad me spectabat. Nihil horum volo DEINCEPS exigi vel A TERRA IUDA, vel A TRIBUS CIVITATIBUS, seu præfecturis, illi adiunctis, quæ cap. seq. vers. 34. recensentur.

V. 31. ET IERUSALEM, non amplius profanetur aut refrænetur a præsidariis arcis *l* meæ, sed SIT SANCTA ET LIBERA, gaudeatque plena immunitate, qualis decet locum tam sanctum. Unde DECIMAE ET TRIBUTA, quæ ex illa urbe, totaque vicinia colligebantur, & in meum ærarium inferebantur, iam deinceps *sint* IPSIUS reip. Ierosolymitanæ.

V. 32. POTESTATEM vero, id est imperium, ARCIS meæ QUAE EST IN IERUSALEM in monte Sion, DO SUMMO SACERDOTI.

V. 33. OMNEM ANIMAM IUDAEORUM, QUAE

QUAE CAPTIVA EST A TERRA IUDA, id est omnes Iudæos captivos, qui tamquam mancipia hinc inde detinentur in toto regni mei districtu, & duram serviunt servitutem, absque pretio libertati pristinæ restituo, Neque volo ut quisquam illorum, seu suo, seu pecorum suorum nomine quidquam tributi pendat.

V. 34. OMNIBUS vero IUDAEIS, 'QUI SUNT & manere volunt IN REGNO MEO, ne in exercendo cultu suo divino præpediantur, volo ut *omnia* SABBATHA ET DIES DECRETI, seu destinati, certis festivitatibus, SINT OMNES hoc meo statuto dies IMMUNITATIS, REMISSIONIS & quietis. Eodemque privilegio gaudeant TRES DIES antecedentes, & *tres* subsequentes aliquem solemniorem diem.

V. 35. Explicat in quo consistat hæc immunitas, quam diebus istis omnibus concessam vult Iudæis, nempe nemini liceat ullam ipsis litem vel molestiam movere, quocumque iuris pretextu.

V. 36. ADSCRIPTIS IUDAEIS IN EXERCITUM REGIS DABUNTUR COPIAE, id est copiose ac liberaliter curabuntur stipendia, aliaque omnia necessaria. Ex EIS desumentur qui PRAESINT MUNITIONIBUS REGIS MAGNI; Græce, *magnis*, id est præcipuis arcibus & urbibus regni.

V. 37. Ex iisdem Iudæis desumentur qui præsint arcanis regis *negotiis*, *quæ constituuntur* EX FIDE, id est quæ summam fidem & taciturnitatem requirunt. ET PRINCIPES ac magistratus etiam *ex eis* deligantur: LEGIBUS interim SUIS omnibus passim toto regno meo utantur, perinde atque IN propria TERRA IUDA ex præcepto regis uterentur.

V. 39. PTOLEMAIDA urbem, quam nunc *Alexander m* hostis noster occupat, eiusque confinia *dono do* SANCTIS QUI, Græce, *quæ*, SUNT IN IERUSALEM (ut est vers 42. & 44.) id est templo Ierosolymitano, & quidem in eum finem ut ex his proventibus foveatur cultus divinus.

V. 41. OMNE QUOD ANNIS PRIORIBUS quæstores mei subtraxerunt proventibus templi ad illius fabricam fovendam destinatis, volo reddant IN OPERA DOMUS sanctæ prosequenda.

V. 42. ET SUPER HAEC, QUINQUE MILLIA SICLORUM ARGENTI, seu florenorum Belgicorum, QUAE mei quæstores ACCIPIEBANT quotannis DE SANCTORUM RATIONE, id est ex ærario & proventu templi, & in usus profanos convertebant iubeo reddi & impendi in stipendia *sacerdotum*.

V. 43. TEMPLUM eiusque confinia privilegium habeant asyli, etiam pro omnibus exteris, quorum seu vitam, seu bona, licet alibi sita, nemo interim infestet. Hæc & plura alia privilegia Iudæis offerebat tyrannus Demetrius. Sed hi iam pridem perspectum habentes hominis ingenium inconstans & fallax, memores quoque

V. 46. MALITIAE MAGNAE & tyrannidis QUAM *exercuerat* IN ISRAEL: illo deserto deflexerunt *in Alexandrum*:

V. 47. QUIA IPSE FUERAT EIS PRINCEPS SERMONUM PACIS; id est, ipse prior Iudæos de pace & amicitia interpellarat, neque eos umquam læserat. Ergo iuvantibus Alexandrum Iudæis, pugna inter duos reges commissa, victus, cæsus, vita exutus est Demetrius vers. 50. equo ipsius cadente, & telis ipsum obruentibus, inquit Iosephus *n*.

Victori Alexandro *rex AEgypti Ptolemæus* Philometor *filiam suam Cleopatram* dat uxorem. *Occurre*, inquiens,

V. 56. MIHI PTOLEMAIDAM, UT SPONDEAM TIBI, seu despondeam filiam meam; Græce, *ut sim tibi socer*. Accessit eodem

V. 60. Etiam *Ionathas* evocans ab Alexandro rege. Ubi PURPURA vers. 62. id est regio amictu, INDUI *iubetur*: eiusque *gloria* per *medium civitatis* publice per præcones *prædicatur*, vers. 64. id est, dignitas eius regia, qua (si non quoad nomen, certe quoad rem) decoratus fuerat ab Alexandro, iubetur toto oppido per primarios *principes*, quasi per publicos præcones, denuntiari ac divulgari

V. 67. Triennio post regis nuptias, DEMETRIUS iunior, FILIUS senioris DEMETRII Seleuci, nuper ab Alexandro profligati &, occisi, VENIT ex insula *Creta*, ubi hactenus latitarat, IN TERRAM PATRUM SUORUM, id est in Syriam, regnum suum hereditarium recuperaturus, & cædem patris ulturus. Quo *audito* vers. 68. REX ALEXANDER CONTRISTATUS VALDE, ob novam quam regno suo sentiebat imminere calamitatem, mox Ptolemaide *recurrit* ANTIOCHIAM. Sed iam in armis & in agro erat

V. 69. DEMETRIUS novus REX, pro *duce* exercitus sui habens APOLLONIUM quemdam, QUI ante pro Alexandro PRAEERAT COELESYRIAE, sed iam ab Alexandro defecerat ad illius hostem Demetrium. Ionathas in fide persistens Alexandri, eo absente se opponit Apollonio: vers. 70. TU SOLUS RESISTIS NOBIS, & novi regis regnique quietem perturbas. Cur non ut ceteri omnes, tu quoque accommodas te tempori? Ego cum rege meo *derideor* a te & contemnor, immo probris afficior, QUIA POTESTATEM EXERCES IN MONTIBUS. Montuosa enim est Iudaea: & facile est inter montium angustias, etiam cum exiguis copiis maximorum exercituum vim eludere. Sed si vir fortis es, &

V. 71. SI CONFIDIS IN VIRTUTIBUS TUIS, seu copiis militaribus, age, e latebris erumpe, ex angustiis prosérpe, e montibus DESCENDE AD NOS IN CAMPUM, ET COMPAREMUS ILLIC INVICEM; id est, copias copiis opponamus, periculum faciamus uter alteri virtute praestet. Quo si

V. 72. PATRES, id est maiores, TUI a nostris Syris BIS IN FUGAM CONVERSI SUNT, idque IN TERRA SUA, inter illas montium angustias:

V. 73. QUOMODO POTERIS IN aperto CAMPO SUSTINERE EXERCITUM nostrum, & TANTUM? UBI NON EST LAPIS, NEQUE SAXUM; id est, ubi nulla reperies latibula, nulla loca petrosa & cavernosa, ad quae te recipias vel tuos.

Acris certe provocatio, nec frustranea. Quid enim timeat leo?

V. 74. COMMOTUS ANIMO IONATHAS ita incandescens, & zelo exardescens, cum *decem millibus & Simone fratre*, suo, obviam it *Apollonio* etiam *in* apertum *campum*:

V. 78. Ubi equitibus Syris a fronte & a tergo, immo undique

V. 80. *Iaculis* & spiculis Iudaeos infestantibus A MANE AD VESPERAM, immotos, neque ulla ex parte turbatis ordinibus, fortissime resistit, donec tandem vers. 81. LABORAVERUNT, id est valde delassati sunt, EQUI Syrorum. Tunc enim ex praescripto Ionathae,

V. 82. SIMON expansis subito alis EIECIT omnem EXERCITUM SUUM in hostes, fundens, caedens, fugans pedites, equites omnes. Qui evadere potuerunt,

V. 83. & 84. FUGERUNT IN AZOTUM urbem loco pugnae vicinam; nec in urbe sat tuti, INTRAVERUNT IN BETHDAGON o, id est in domum seu templum *Dagon* ad IDOLUM SUUM, sibi (ut sperabant) tutelare; Graece est, in εἰδωλεῖον p suum, id est in templum idoli sui. Sed quomodo tutabitur clientes suos Dagon, qui seipsum tutari non potuit? Nam subiectis a Ionatha flammis, & idolum, & idolium, ET OMNES QUI FUGERUNT IN ILLUD, & urbs universa Azotus, & vicinae omnes conflagrarunt. Prudentiores Ascalonitae, qui

V. 86. *Ionathae* ad urbem oppugnandam CASTRA *applicanti* OBVIAM EXIERUNT, portarum claves ei offerentes, & MAGNA GLORIA atque honore eum excipientes. His a Ionatha adversus Apollonium ac Demetrium tam praeclare gestis,

V. 88. ALEXANDER REX mire laetatus, ADDIDIT ADHUC longe magis GLORIFICARE, honorare IONATHAN.

V. 89 ET MISIT EI FIBULAM AUREAM. Graece, πόρπην, quod *monile*, verti posse censet Mariana, putatque ex torque dependisse, ut in Gallia *S. Michael*, in domo Burgundica *vellus aureum*. Serarius vult vel ad pectus, vel ad cingulum, vel ad quamcumque aliam vestium partem applicatum fuisse monile, quo tamquam fibula, subnecterentur longiora & fluxiora vestimenta. Unde Virgilius q:

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Ut ut est, constat, primae notae ornamentum fuisse, etiam *militare*, teste Livio r, & paucis admodum, nec nisi REGUM consanguineis *concedi* solitum, ut ex hoc loco colligitur.

(a) Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. II. Strabo Lib. XVI.
(b) I. Mach. VI. I. &c.
(c) Ibid. vers. 17. &c.
(d) Iustin. Lib. XXXV. Appian. in Syriacis. Livii Epitome Lib. II.
(e) Florius Lib. II. cap. XIV. Livii Epit. Lib. XLIX.
(f) Ioseph. Lib. XVII. cap. XIV.
(g) II. Mach. XI. 22.
(h) Cap. IX. vers. 24.
(i) Lib. I. cap. XI. 35.
(k) Lib. I. Mach. XIII. 37.
(l) I. Mach. I. 35. (m) Sup. vers. 8.
(n) Ioseph. Lib. XIII. cap. V.
(o) I. Reg. V. 2.
(p) I. Cor. VIII. 10.
(q) Æneid. IV.
(r) Livius Lib. XXXIX.

GOR-

GORDONI.

IAm hoc caput decimum orditur narrationem ab anno 160. (qui videtur octavus, vel nonus Ionathæ) de bello mato inter Alexandrum (qui se dicebat Antiochi Epiphanis filium) & Demetrium vers. 1. & 2. uterque sollicitat societatem Ionathæ, vers. 3. & deinceps. Sed Ionathas adhæret Alexandro (qui dictus est Balas) vers. 46. occisus in acie Demetrius, vers. 50. cum filio Ptolemæi. Alexandri nuptiæ celebratæ (vers. 57.) anno 162. sic Ionathas Iudæam totam urbes, & coronam accepit, vers. 62. verum anno 165. Iunior Demetrius dictus Nicanor, & prioris Demetrii filius invertit omnia, vers. 67. & deinceps. Sed missus Apollonius a Demetrio, vincitur a Ionatha vers. 77. & deinceps. Ionathas rerum potitur lætante Alexandro, vers. 89.

V. 7. Nunc arx Ierusalem erat in potestate Demetrii.

V. 21. Induit se stola: habitu pontificio.

V. 29. Pretia salis: tributi genus. Sequuntur hic alia quoque laxata tributa, & aurum coronarium, coronas vocat, quod initio ultro, postea ut debitum dabatur.

V. 34. Dies decreti. Ampla immunitas etiam quoad solemnitates, ne cogantur causas agere, diebus decretæ alicuius solemnitatis. Hinc apparet, quanta & quam gravia fuerint tributa Iudæorum, copiæ hic sunt largitiones militares.

V. 69. Iamniam: urbs Iudææ maritima.

V. 75. Exclusit eum: urbs Ioppe noluit eum recipere.

V. 86. Fibulam auream: putatur torques, unde pendebat fibula.

CAPUT XI.

Mortuo Alexandro, & similiter Ptolemæo qui Alexandri regnum dolo invaserat, ablata ab eo filia sua & tradita in uxorem Demetrio, hic Demetrius Ionathan honorat datis litteris immunitatis a tributis: Ionathas autem mittit ei auxiliares milites, qui occisis uno die centum millibus, regem a civibus Antiochiæ liberarunt, & Antiochiam incenderunt: illo autem fœdus cum Ionatha initum prævaricantes, Antiochus filius Alexandri devicto Demetrio regnans, fœdus init cum Ionatha, qui una cum fratre Simone sæpius victor evadit adversus alienigenas.

1. ET rex AEgypti congregavit exercitum, sicut arena quæ est circa oram maris, & naves multas: & quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno suo. 2. Et exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei civitates, & occurrebant ei: quia mandaverat Alexander rex exire ei obviam, eo quod socer suus esset. 3. Cum autem introiret civitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis civitatibus. 4. Et ut appropiavit Azoto, ostenderunt ei templum Dagon succensum igni, & Azotum & cetera eius demolita, & corpora proiecta, & eorum qui cæsi erant in bello tumulos, quos fecerant secus viam. 5. Et narraverunt regi quia hæc fecit Ionathas, ut invidiam facerent ei: & tacuit rex. 6. Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, & invicem se salutaverunt, & dor-

dormierunt illic. 7. Et abiit Ionathas cum rege usque ad fluvium, * qui vocatur Eleutherus: & reversus est in Ierusalem. 8. Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium civitatum usque Seleuciam maritimam, & cogitabat in Alexandrum consilia mala. 9. Et misit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui: 10. pœnitet enim me quod dederim illi filiam meam: quæsivit enim me occidere. 11. Et vituperavit eum, propterea quod concupierat regnum eius. 12. Et abstulit filiam suam, & dedit eam Demetrio, & alienavit se ab Alexandro, & manifestatæ sunt inimicitiæ eius. 13. Et intravit Ptolemæus Antiochiam, & imposuit duo diademata capiti suo, AEgypti & Asiæ. 14. Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erant in locis illis. 15. Et audivit Alexander, & venit ad eum in bellum: & produxit Ptolemæus rex exercitum, & occurrit ei in manu valida, & fugavit eum. 16. Et fugit Alexander in Arabiam, ut ibi protegeretur: Rex autem Ptolemæus exaltatus est. 17. Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & misit Ptolemæo. 18. Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia: & qui erant in munitionibus, perierunt ab his qui erant intra castra. 19. Et regnavit Demetrius anno centesimo sexagesimo septimo. 20. In diebus illis congregavit Ionathas eos qui erant in Iudæa, ut expugnarent arcem, quæ est in Ierusalem: & fecerunt contra eam machinas multas. 21. Et abierunt quidam qui oderant gentem suam viri iniqui ad regem Demetrium, & renuntiaverunt ei quod Ionathas obsideret arcem. 22. Et ut audivit, iratus est: & statim venit ad Ptolemaidam, & scripsit Ionathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinato. 23. Ut audivit autem Ionathas, iussit obsidere: & elegit de senioribus Israel, & de sacerdotibus, & dedit se periculo. 24. Et accepit aurum, & argentum, & vestem, & alia xenia multa, & abiit ad regem Ptolemaidam, & invenit gratiam in conspectu eius: 25. Et interpellabant adversus eum quidam iniqui ex gente sua. 26. Et fecit ei rex, sicut fecerant ei qui ante eum fuerant: & exaltavit eum in conspectu omnium amicorum suorum, 27. & statuit ei principatum sacerdotii, & quæcumque alia habuit prius pretiosa, & fecit eum principem amicorum. 28. Et postulavit Ionathas a rege, ut immunem faceret Iudam, & tres toparchias, & Samariam, & confines eius: & promisit ei talenta trecenta. 29. Et consensit rex: & scripsit Ionathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes: 30. REX Demetrius fratri Ionathæ salutem, & genti Iudæorum. 31. Exemplum epistolæ, quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos ut sciretis: 32. Rex Demetrius Lastheni parenti salutem. 33. Genti Iudæorum, amicis nostris, & conservantibus quæ iusta sunt apud nos, decrevimus benefacere, propter benignitatem ipsorum, quam erga nos habent. 34. Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ, & tres civitates, Lydan, & Ramathan, quæ additæ sunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum, sequestrari omnibus sacrificantibus in Ierosolymis, pro his quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos, & pro fructibus terræ & pomorum. 35. Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum & tributorum, ex hoc tempore re-

mit-

mittimus eis: & areas salinarum, & coronas quæ nobis deferebantur, 36. omnia ipsis concedimus: & nihil horum irritum erit ex hoc, & in omne tempus. 37. Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Ionathæ, & ponatur * in monte sancto, in loco celebri. 38. Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, & nihil ei resistit, dimisit totum exercitum suum, unumquemque in locum suum, excepto peregrino exercitu, * quem contraxit ab insulis Gentium: & inimici erant ei omnes exercitus patrum eius. 39. Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius: & vidit * quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium, & ivit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri: 40. & assidebat ei, ut traderet eum ipsi, ut regnaret loco patris sui: & enuntiavit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum eius adversus illum. Et mansit ibi diebus multis. 41. Et misit Ionathas ad Demetrium regem, ut eiiceret eos, qui in arce erant in Ierusalem, & qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israel. 42. Et misit Demetrius ad Ionathan dicens: Non hæc tantum faciam tibi, & genti tuæ, sed gloria illustrabo te, & gentem tuam, cum fuerit opportunum. 43. Nunc ergo recte feceris, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus. 44. Et misit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad regem, & delectatus est rex in adventu eorum. 45. Et convenerunt qui erant de civitate, centum viginti millia virorum, & volebant interficere regem. 46. Et fugit rex in aulam: & occupaverunt qui erant de civitate, itinera civitatis, & cœperunt pugnare. 47. Et vocavit rex Iudæos in auxilium, & convenerunt omnes simul ad eum, & dispersi sunt omnes per civitatem: 48. & occiderunt in illa die centum millia hominum, & succenderunt civitatem, & ceperunt spolia multa in die illa, & liberaverunt regem. 49. Et viderunt qui erant de civitate, quod obtinuissent Iudæi civitatem sicut volebant: & infirmati sunt mente sua, & clamaverunt ad regem cum precibus, dicentes: 50. Da nobis dextras, & cessent Iudæi oppugnare nos & civitatem. 51. Et proiecerunt arma sua, & fecerunt pacem, & glorificati sunt Iudæi in conspectu regis, & in conspectu omnium qui erant in regno eius, & nominati sunt in regno: & regressi sunt in Ierusalem habentes spolia multa. 52. Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: & siluit terra in conspectu eius. 53. Et mentitus est omnia quæcumque dixit, & abalienavit se a Ionatha, & non retribuit ei secundum beneficia quæ sibi tribuerat, & vexabat eum valde. 54. Post hæc autem reversus est Thryphon, & Antiochus cum eo puer adolescens, & regnavit, & imposuit sibi diadema. 55. Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos disperserat Demetrius, & pugnaverunt contra eum: & fugit, & terga vertit. 56. Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam: 57. & scripsit Antiochus adolescens Ionathæ, dicens: Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quatuor civitates, ut sis de amicis regis. 58. Et misit illi vasa aurea in ministerium, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream: 59. & Simonem fratrem eius constituit ducem a terminis Tyri usque ad fines Ægypti. 60. Et exiit Ionathas, & perambulabat trans flumen civitates:

tates: & congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, &
venit Ascalonem, & occurrerunt ei honorifice de civitate. 61. Et abiit
inde Gazam: & concluserunt se qui erant Gazæ: & obsedit eam, & suc-
cendit quæ erant in circuitu civitatis, * & prædatus est ea. 62. Et roga-
verunt Gazenses Ionathan, & dedit illis dexteram: & accepit filios eorum
obsides, & misit illos in Ierusalem: & perambulavit regionem usque Da-
mascum. 63. Et audivit Ionathas quod prævaricati sunt principes Deme-
trii in Cades, quæ est in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum re-
movere a negotio regni: 64. & occurrit illis: fratrem autem suum Simo-
nem reliquit intra provinciam. 65. Et applicuit Simon ad Bethsuram, &
expugnabat eam diebus multis, & conclusit eos. 66. Et postulaverunt ab
eo dextras accipere, & dedit illis: & eiecit eos inde, & cepit civitatem,
& posuit in ea præsidium. 67. Et Ionathas & castra eius applicuerunt ad
aquam Genesar, & ante lucem vigilaverunt in campo Asor: 68. & ecce
castra alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei insidias in
montibus: ipse autem occurrit ex adverso. 69. Insidiæ vero exurrexerunt
de locis suis, & commiserunt prælium. 70. Et fugerunt qui erant ex par-
te Ionathæ omnes, & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Ab-
solomi, & Iudas filius Calphi, princeps militiæ exercitus. 71. Et scidit
Ionathas vestimenta sua, & posuit terram in capite suo, & oravit. 72.
Et reversus est Ionathas ad eos in prælium, & convertit eos in fugam,
& pugnaverunt. 73. Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reversi
sunt ad eum, & insequebantur cum eo omnes usque Cades ad castra sua,
& pervenerunt usque illuc: 74. & ceciderunt de alienigenis in die illa tria
millia virorum: & reversus est Ionathas in Ierusalem.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 7. Qui vocatur Eleutherus. Non surroges imperfectum *vocabatur* in locum præsentis.

Vers. 37. In monte sancto, in loco celebri. Non interiicias coniunctionem *&*.

Vers. 38. Quem contraxit ab insulis gentium, Verbum compositum *contraxit* non est mutandum in simplex *traxit*.

Vers. 39. Quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetrium. Præteritum imperfectum non mutetur cum perfecto, *murmuravit*.

Vers. 61. Et prædatus est ea. Neutrum plurale *ea* non est vertendum in singulare eminimum *ea*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 4. CETERA. Græc. *suburbia*. TUMULOS, id est acervos cadaverum, vel lapidum super sepultos.

V. 11. EIUS, scilicet Alexandri.

V. 18. PERIERUNT, id est occisi sunt. INTRA CASTRA. Græc. *in ipsis munitionibus*.

V. 23. OBSIDERE, scilicet arcem.

V. 24. XENIA, idest munera.

V. 28. TOPARCHIAS, id est præfecturas: vide sup. cap. x. & infra.

V. 31. PARENTI. Græc. *cognato*.

V. 32. PARENTI, id est velut patri.

V. 33. BENIGNITATEM. Græc. *benevolentiam*.

V. 34. CIVITATES. Græc. *præfecturas*.

Lx-

LYDAN. Græc. *Apharèma & Lydan*. PRO HIS, id est in compensationem eorum.

V. 36. Ex HOC, scilicet tempore.

V. 38. SILUIT, id est quievit, scilicet a bellis. ET INIMICI; pro, ideo inimici, vel, quia inimici.

V. 46. AULAM, scilicet regiam.

V. 49. INFIRMATI, id est consternati.

V. 60. FLUMEN, scilicet Iordanem, vel Euphratem.

V. 63. PRAEVARICATI SUNT. Græc. *adessent*. EUM, scilicet Ionathan. NEGOTIO REGNI. Græc. *regione*.

V. 64. PROVINCIAM, scilicet Iudææ.

V. 67. VIGILAVERUNT, &c. id est summo mane se consuluerunt in campum.

V. 70. PRINCEPS. Græc. *principes*.

V. 72. PUGNAVERUNT. Græc. *fugerunt*.

V. 73. FUGIEBANT; pro, fugerant. ILLIUS, scilicet Ionathæ. SUA, id est ipsorum.

E S T I I.

Vers. 70. & 71. ET FUGERUNT, QUI ERANT EX PARTE IONATHAE OMNES. ET SCIDIT IONATHAS VESTIMENTA SUA, ET POSUIT TERRAM IN CAPITE SUO: Quæritur an Ionathas hoc licite fecerit? cum esset summus sacerdos, de quo scriptum est Levit. XXI. *Caput suum non discooperiet, vestimenta sua non scindet*, &c. Respondeo, Locus ille Levitici non prohibet, nullo omnino casu summum sacerdotem vestimenta scindere; sed loquitur totum illud caput de diversis funeribus; & præcipit Moyses, ne summus sacerdos ad ullum omnino mortuum ingrediatur, nec ullo funere polluatur, ne quidem patris aut matris; idque ob certa mysteria ibi explicata: alioqui IV. Reg. XVIII. Eliacim præpositus domus, audita blasphemia, scidit vestimenta sua; & Caiphas etiam, cum diceret Christum blasphemasse. Et fit etiam in periculo isto, quod blasphemandum timebatur nomen Domini a gentibus, propter tantam cladem, non male videtur Ionathas scidisse vestimenta sua; maxime cum non solum esset summus sacerdos, sed etiam princeps. Sic & Esdras sacerdos I. Esdræ IX. scribit se scidisse pallium suum & tunicam.

M A R I A N AE.

Vers. 1. REX AEGYPTI. Omnia iura subvertit regnandi cupiditas: ignis est, nullis finibus resistit; socer in generum insurgit.

V. 3. CUM AUTEM INTROIRET IN CIVITATEM PTOLEMAEUS: quamvis Græce, *in civitates Ptolemaidis*. Sic in Regiis: Romana cum nostra editione consentiunt.

V. 4. ET CETERA EIUS DEMOLITA: περιπόλια, *suburbia* destructa a Ionatha Ptolemæo ostenderunt.

V. 8. PTOLEMEUS OBTINUIT DOMINIUM CIVITATUM. Græce, *civitatum littoris*, παραλίας, seu *maritimarum*, usque Seleuciam.

V. 9. MISIT LEGATOS AD DEMETRIUM, filium prioris Demetrii, qui venerat ex Creta, cap. X. 67.

V. 17. QUAESIVIT ENIM ME OCCIDERE, ait Ptolemæus per Ammonium Ptolemaide: Iosephus Lib. XIII. cap. VIII. Fugit Alexander. Caput Alexandri

V. 17. ABSTULIT ZABDIEL. Iosephus loco citato *Zabelum* vocat, is Alexandro caput abstulit in Arabiam profugo.

V. 18. PTOLEMAEUS MORTUUS EST IN DIE TERTIA post allatum ad eum caput Alexandri, ex vulneribus quæ in pugna cum eo accepit, quinto die post pugnam, ut ait Iosephus.

V. 23. IUSSIT OBSIDERE. Non intermissa obsidione arcis, Ionathas tamen ivit ad Regem, qui multa ei dedit.

V. 28. ET TRES TOPARCHIAS. Vox *tres* in Goth. non est, nempe vers. 34. duas nominat, *Lydan* & *Ramathan*. Verum codices omnes *tres* habent, & cap. X. 38. tres urbes ex Samaria contribuuntur Iudææ; & de iis nunc loquitur. ET SAMARIAM. Goth. *id est Samariam*. Sic Regia. Nimirum eas tres toparchias volunt in Samaria & confinibus contineri.

V. 34. TRES CIVITATES. Græce; νόμους; sed perinde est. LYDAN, ET RAMATHAN. Adiice Ἀφαίρεμα, quæ Græc. est, ut sint tres numero. An hæc *Apharema* est, quæ Ioan. XI. vers. 54. vocatur *Ephrem*? Concedit Demetrius Iudæis.

V. 35. AREAS SALINARUM. Græce est,

fla-

stagna salinarum. Aqua maris in areas seu lacunas redigitur, ut vapore solis concrescat in sal.

V. 45. QUI ERANT DE CIVITATE. Græce additur, *in medium civitatis*, scilicet convenerunt contra Regem.

V. 51. ET NOMINATI SUNT IN REGNO. Hoc est Græce.

V. 56. ACCEPIT TRYPHON BESTIAS: elephantos scilicet Demetrii.

V. 61. QUAE ERANT IN CIRCUITU CIVITATIS. Περίπολια, *suburbia* succendit. PRAEDATUS EST EA: sic lege, non *eam*, ut Regia, nec *eas*, ut Gotth. Audivit Ionathas.

V. 63. QUOD PRAEVARICATI SUNT, id est rebellarunt Demetrii duces contra Antiochum. Græce, παρῆσαν, *aderant*, noster legit, παρέβησαν. VOLENTES EUM REMOVERE Ionathan.

V. 67. IN CAMPO ASOR. Melius sic quam *Nasor*, ut est Græce: sic Masius Iosue XI. Et sane *Asor* erat prope *Cades*, ubi hostes erant. *Cedasam* vocat urbem *Cades* Lib. XIII. cap. IX. Iosephus.

V. 70. PRINCEPS MILITIAE. Græce, *Principes militiæ*, scilicet Mathathias & Iudas. EXERCITUS. Græce, *exercituum*.

V. 72. ET REVERSUS EST IONATHAS AD EOS, scilicet hostes. ET PUGNAVERUNT. Græce, *& fugerunt hostes*.

V. 73. ET VIDERUNT QUI FUGIEBANT, scilicet Iudæi, Ionathæ milites. INSEQUEBANTUR CUM EO, cum Ionatha. OMNES: nec Græce nec Gotth. est: & sine ea voce constat sententia. PERVENERUNT USQUE ILLUC. Græc. *castrametati sunt ibi*.

MENOCHII.

Vers. 4. CETERA. In Græco est, τὰ περιπόλια, *suburbia*. TUMULO, id est acervos cadaverum vel lapidum super sepultos.

V. 5. TACUIT REX: sicut Alexandri ruinam quam moliebatur dissimulabat, ita & Ionathæ amici eius.

V. 6. CUM GLORIA: magnifico scilicet apparatu, & comitatu.

V. 7. AD FLUMEN, QUI VOCATUR ELEUTHERUS: quem Adrichomius ultra Prolemaidem, & Tyrum collocat, non longe a Sidone ex Libano monte prorumpentem. Vide eundem in tribu Aser num. 37. Ptolemæus tamen ultra Libanum collocat.

V. 8. DOMINUM CIVITATUM: quas præsidiis occuparat. USQUE SELEUCIAM MARITIMAM: est enim in maris mediterranei littore prope Orontem fluvium, non longe ab Antiochia.

V. 9. IN REGNO PATRIS TUI: quod scilicet occupat Alexander, quem regno tibi debito extrudam.

V. 10. QUAESIVIT ME OCCIDERE: calumnia est. VITUPERAVIT EUM: criminatione conficta. EIUS; scilicet, Alexandri.

V. 12. DEDIT EAM DEMETRIO: non quod Demetrium magis amaret quam Alexandrum; neutrum enim cupiebat regnum Syriæ possidere, ad quod ipse oculos adiecerat; sed noluit utrumque simul habere adversarium sperans altero sublato, se etiam alterum eversurum.

V. 17. ET ABSTULIT ZABDIEL, &c. sive sponte id fecit Ptolemæo gratificaturus, sive ab eo redemptus sicarius.

V. 18. REX PTOLEMEUS MORTUUS EST: ex vulnere accepto in pugna, ut auctores sunt Ioseph, Strabo, & Florus. PERIERUNT, id est occisi sunt. AB HIS, QUI ERANT INTRA CASTRA. In Græco est, *In ipsis munitionibus*; quasi dicat: Qui erant in præsidiis, & munitis locis, iam ex parte Demetrii, sive Ptolemæi, quam Alexandri, alteri ab alteris interfecti sunt.

V. 21. QUIDAM: Iudæi patriæ inimici.

V. 22. IRATUS EST: nolens sibi eripi præsidium illud, quo Ierusalem, & Iudæam habebat in potestate.

V. 23. IUSSIT OBSIDERE, id est urgeri obsidionem. ELEGIT DE SENIORIBUS, &c. Omnino probabile est Ionathan parasse quid responderet regi de obsidione arcis. Nimirum se id aggressurum necessitate compulsum, propterea quod multis quotidie iniuriis afficeretur a præsidiariis militibus, essetque id perfugium omnium sceleratorum gentis suæ. Huius ergo rei ut fidem faceret, secum duxit viros primarios seniores scilicet, & sacerdotes fide dignissimos. DEDIT SE PERICULO: commisit se periculo:

V. 24. XENIA: munera

V. 25. INTERPELLABANT: eum accusabant apud regem.

V. 26. SICUT FECERANT, &c. Ptolemæus videlicet Philometor, & Alexander.

V. 27.

V. 27. STATUIT: confirmavit. ET QUAECUMQUE HABUIT PRIUS PRETIOSA: dignitatis insignia, & gentis suae principatum.

V. 28. TRES TOPARCHIAS. Intelligit tres civitates, de quibus supra x. 30. vide infra nu. 34. SAMARIAM: civitatem Samariae cum suis confinibus, & subiectis locis.

V. 29. EPISTOLAS: litteras patentes.

V. 31. LASTHENI PARENTI NOSTRO: instar parentis Lasthenem colebat Demetrius, quod eius ope adiutus, ex Creta cum exercitu veniens regnum recuperasset. Vide Iosephum Libr. XIII. cap VIII. in Graeco tamen non est, *parenti*, sed *συγγενεῖ*, id est *cognato*. Utrumque verum esse potest, ut scilicet quis propinquus sit, & colatur loco parentis. Adde hoc eodem versiculo Lasthenem vocari *συγγενῆ*, & *πατέρα* in Graeco textu.

V. 33. CONSERVANTIBUS QUAE IUSTA SUNT APUD NOS: ius nostrum sartum tectum custodientibus, nec illud violantibus.

V. 34. ET TRES CIVITATES LYDAN, ET RAMATHAN. In Graeco est, *καὶ τοὺς τρεῖς νόμους Ἀφαίρεμα, καὶ Λύδδαν, Ῥαμαθὲμ*; id est, *Et tres praefecturas* (hoc enim significant *νόμοι*) *Aphaerema, Et Lyddan, Et Rhamathem*. Adrichomius Aphaerema in tribu Ephraim collocat, iuxta Lyddam, quae etiam dicta est Diospolis, & Rhamatham Samuelis natalibus, habitatione, & sepultura illustrem. Vide infra cap. XV. 5. a civitatibus praefecturae nomen accipiunt, & promiscue accipiuntur. Sic eum dicit rex Neapolis, intelligitur etiam totius regni dominus. SEQUESTRARI. In Graeco non est hoc verbum; sententia videtur esse, voluisse regem tres illas civitates, sive praefecturas obligari ad praebendos sumptus sacrificiorum in Ierusalem. PRO HIS, QUAE AB EIS PRIUS ACCIPIEBAT REX, &c. id est, ut proventus regius ex illis civitatibus non iam in aerarium regis inferretur, sed sacro usui sacrificiorum deserviret.

V. 35. AREAS SALINARUM. In Graeco, *stagna salis*, *λίμνας ἁλὸς*, id est conceptacula aquarum marinarum, quae solis aut ignis ardore excoctae concrescunt in duritiem salis.

V. 37. IN MONTE SANCTO: in templo, vel in atrio aliquo templi, quod a multitudine populi celebratur.

V. 38. SILUIT TERRA, id est quievit a bellis. EXCEPTO PEREGRINO EXERCITU: quem scilicet e Creta secum duxerat, & ex vicinis insulis. ET INIMICI ERANT EI, &c. id est, ideoque odium incurrit proprii exercitus e sua ditione collecti; dolebant enim milites quod stipendiis privarentur, quibus hactenus se aluerant.

V. 40. ASSIDEBANT EI, illum urgebant. UT TRADERET EUM IPSI, Antiochum, scilicet Tryphoni.

V. 42. GLORIA ILLUSTRABO TE: honores tibi addam; augebo te dignitate.

V. 46. ITINERA CIVITATIS: vicos urbis, ne quis ferre posset auxilium Demetrio, qui se in regiam receperat.

V. 47. DISPERSI SUNT OMNES PER CIVITATEM: ut eos qui variis locis vias civitatis obsidebant, de medio tollerent.

V. 49. INFIRMATI SUNT, id est consternati.

V. 50. DA NOBIS DEXTRAS: in signum pacis, & reconciliationis.

V. 52. SILUIT TERRA: quievit a bellis.

V. 54. PUER ADOLESCENS. Graecus textus vocat, *παιδάριον νεώτερον*, adolescentulum, sive potius puerulum, decem scilicet, aut duodecim scilicet annorum.

V. 55. QUOS DISPERSERAT DEMETRIUS; id est, quos stipendiis fraudaverat, & dimiserat a militia.

V. 56. BESTIAS: elephantos.

V. 57. SUPER QUATUOR CIVITATES: superius num. 34. trium tantum civitatum mentio facta fuerat, sed novus rex addit quartam.

V. 58. IN MINISTERIUM: domus scilicet, aut mensae suae, ut patet ex sequentibus. ESSE IN PURPURA, &c. ut purpuram, & fibulam auream gestaret.

V. 59. A TERMINIS TYRI USQUE AD FINES AEGYPTI; id est, dedit totam oram maritimam Palaestinae, ut eam sibi Iudaeorum armis subiectam redderet.

V. 60. TRANS FLUMEN: Iordanem.

V. 61. QUAE ERANT IN CIRCUITU CIVITATIS, id est suburbia.

V. 63. PRAEVARICATI SUNT. In Graeco est, *παρῆσαν*, id est *adessent*. Noster videtur legisse, *παρέβησαν*, vel *παρενόμησαν*. EUM: scilicet, Ionathan. A NEGOTIO REGNI: volebant enim Ionathan in suam Iudaeam cogere, ne se regni Syriae negotiis immisceret.

V. 64. PROVINCIAM, id est Iudæam.

V. 65. EXPUGNABAT: oppugnabat. CONCLUSIT: obsidione cinxit.

V. 66. DEXTERAS ACCIPERE: pacem facere, ut supra num. 50.

V. 67. AD AQUAM GENESAR: ad stagnum Genesareth, quod etiam vocatur mare Galilææ, estque in tribu Zabolon. ANTE LUCEM VIGILAVERUNT, id est summo mane se contulerunt in campum. IN CAMPO ASOR. Asor gloriosa quondam civitas ante ipsa Iosue tempora, ut patet Iosue XI. I. 10. cum campo suo Nephtalim, ad quem locum nocturno itinere summo mane pervenerunt.

V. 68. TENDEBANT: tetenderant.

V. 70. NISI MATHATHIAS, &c. Hi soli cum suis remanserunt.

V. 72. PUGNAVERUNT. In Græco est, *καὶ ἔφυγον*, *& fugerunt*.

V. 73. PARTIS ILLIUS, scilicet Ionathæ.

TIRINI.

Vers. 1. REX AEGYPTI Ptolemæus ambitione exæstuans, inhiat regno Syriæ. Ergo socer in generum armatur. Prius tamen rem DOLO tentat, & amicitiæ atque affinitatis prætextu abusus, Syriam cum validissimis copiis ingreditur, usus ubique

V. 2. VERBIS PACIFICIS, quasi generum suum revisurus, & maximi momenti negotia cum eo tractaturus. Quamcumque interim

V. 3. CIVITATEM INTROIRET, *imponebat* ei præsidium *militare*. Nec diu latuit dolus: mox enim ut vers. 12. FILIAM SUAM Cleopatram ABSTULIT *Alexandro*, ET DEDIT EAM æmulo eius DEMETRIO, MANIFESTAE SUNT omnibus INIMICITIAE EIUS adversus Alexandrum. Et ecce honestum prætextum. Vers. 10. *Quæsivit* Alexander ME *interficere* veneno, vel per sicarios; ideo, scilicet *vituperavi*, id est repudiavi, EUM, & a thoro filiæ repuli, & regno exui. Sed vera causa fuit, vers. 11. QUOD Ptolemæus CONCUPIERAT REGNUM Alexandri, velletque illud annectere regno AEgypti. Unde utriusque regni *diadema*

V. 13. AEGYPTI, scilicet ET ASIAE, IMPOSUIT *Antiochiæ* CAPITI SUO. Neque vero intendebat Ptolemæus tradere regnum Asiæ novo genero suo Demetrio, licet hoc illi promisisset vers. 9. sed illo solum pro vasallo uti volebat.

V. 14. ALEXANDER absens tum IN CILICIA ut *rebellantes* istic compesceret, auditis dolis & perfidia soceri, voluit bello cum ipso congredi; sed primo congressu fusus fugatusque; vers. 16. IN ARABIAM se recepit, UT IBI PROTEGERETUR a *Zabdiele Arabum* rege, Iosephus *a Zabelum* vocat. Sed hic veritus, ne hac occasione Ptolemæus tot iam regnorum potentia auctus, ac proinde insuperabilis, etiam regnum Arabiæ invaderet, prævertit inhumano scelere, *præciso capite Alexandri*, & ad *Ptolemæum transmisso*, illum sibi hoc munere divincire & periculum a suis finibus amovere. Sed en celerem Numinis vindictam.

V. 18. PTOLEMAEUS a conspectu generi capite non supervixit nisi usque ad *tertiam diem*, vulneribus exstinctus, inquit Iosephus quæ in nupera cum Alexandro pugna acceperat. Inchoabatur tunc annus Græcorum 167. regni Philometoris 36. Quo exstincto milites AEgyptii, QUI a Ptolemæo relicti erant IN MUNITIONIBUS Syriæ nuper ab illo occupatis, mox iubente Demetrio invasi sunt & occisi AB HIS QUI ERANT INTRA CASTRA, id est a Syriis & Asiaticis, quos *Demetrius* tum temporis habebat secum in castris. Atque ita regnum universum Syriacum cessit Demetrio anno 167. Græcorum.

V. 20. Horum tumultuum occasione usus IONATHAS ARCEM obsedit *Ierosolymitanam*, quæ Syriaco præsidio etiam tum insidebatur. Nam licet *Demetrius* senior cap. præced. vers. 32. dederit hanc arcem Ionathæ; donatio tamen ista, quia conditionata erat (nempe, si Iudæi faverent Demetrio adversus Alexandrum) nec conditio hæc acceptata fuerat, in rem deducta non fuit. Dum ergo Ionathas arcem sibi iam vindicare conatur, en tibi perfidos apostatas

V. 21. QUI *oderant* propriam GENTEM SUAM Iudaicam, AD DEMETRIUM novum REGEM querelas deferentes.

V. 22. IRATUS Demetrius inhibet IONATHAE NE ARCEM *obsideat*, sed PTOLEMAIDAM mox advolet, collaturus secum super hoc & aliis pluribus negotiis. Sed Ionathas nil territus litteris regiis, suis in obsidenda arce occupatis,

V. 23.

V. 23. IUSSIT porro OBSIDERE, & strenue in opere bene cœpto progredi. Ipse interim excurrit ad regem Ptolemaidam a quo honorificentissime exceptus, & amplissimis dignitatibus auctus est. Atque hac occasione obtinuit a rege non quidem *arcem* prædictam, (nam ex vers. 41. contrarium colligitur: unde verisimile est Ionathan a reditu suo solvisse obsidionem arcis,) sed alia longe maiora: nempe

V. 28. UT *immunis* esset tota *Iudæa* ab omni externo præsidio, ab omni tributo, ab omni onere. Nec Iudæa solum, sed & omnia quæ annexa erant Iudææ, puta *tres toparchiæ*, seu præfecturæ, vers. 34. nominatæ: item *Samaria* ET EIUS CONFINES civitates. Porro ad hanc immunitatem facilius extorquendam PROMISIT Ionathas regi TALENTA TRECENTA pro honorario munere.

V. 31. EXEMPLUM EPISTOLAE QUAM SCRIPSIMUS nos rex Demetrius LASTHENI PARENTI NOSTRO, seu instar parentis charo & grato, (vicario nostro in finibus Iudææ, vel etiam Syriæ proregi,) MISIMUS AD VOS, o Iudæi, UT SCIRETIS quid in usum & commodum vestrum illi mandaverim.

V. 34. STATUIMUS ERGO genti Iudæorum immunes deinceps relinqui OMNES FINES IUDAEAE, item TRES CIVITATES, seu præfecturas, (Iosephus *satrapias* vocat,) nempe ἀ'ϛαρχιμα (hæc enim ex Græco supplenda) LYDAN, ET RAMATHAN, cum *omnibus confinibus* EARUM. Et omnia, quæ inde quotannis, seu *tributa*, seu *decimæ*, seu regalia colligebantur, volumus SEQUAESTRARI, & cedere deinceps in usus *sacrificantium* sacerdotum Ierosolymis, eo sensu quo cap. præced. vers. 28. & seqq. addixerat Iudæis senior Demetrius, & iam Ionathas a iuniore deposcebat hoc cap. XI. vers. 28.

V. 35. *Remisit* quoque Iudæis rex AREAS SALINARUM. Græce, *stagna salis*. Solet enim aqua maris in areas, seu lacunas, vel stagna redigi, ibique evaporare, & calore solis coucrescere in sal. De salariis reditibus multa refert Lipsius in Admirandis *b*.

V. 38. DEMETRIUS REX cum nullum amplius haberet regni æmulum, exauctorat TOTUM EXERCITUM SUUM, quem ex Syris & Asiaticis civibus & subditis suis collectum habuerat, qui strenuam ipsius parentibus operam perpetuo navarat: retinuit autem penes se *peregrinum exercitum* QUEM AB INSULIS, seu regionibus externarum GENTIUM secum *traxerat* in Syriam: quasi plus fidens externis militibus, quam propriis subditis & civibus suis. Et vero debebat magnis sumptibus alere externum illum militem, cum posset longe minore impensa subditorum suorum favore ac benevolentia frui, quæ nunc in odium commutata fuit, nam idcirco INIMICI facti sunt ET OMNES EXERCITUS PATRUM EIUS, omnes antiquæ legiones Syriacæ & Asiaticæ.

V. 39. Usus est occasione TRYPHON QUIDAM, dictus antea *Diodotus*, inquit Appianus, natione *Apamæus*; vel saltem educatione, ut Ioseph. Strabo & Iustinus *d* volunt; homo potens & factiosus, & ope harum legionum viam stravit ad regnum *Antiocho* iuniori *filio* ALEXANDRI Velis, tecens a Zabdiele Arabe capite plexi, apud alium principem ARABEM nomine EMALCHUEL secreto latitanti. Sed de hoc infra. Usi sunt & cives Antiocheni,

V. 45. Qui seditioso furore CONVENERUNT *in medium civitatis* (ut additur in Græco) id est in forum, ad CENTUM VIGINTI MILLIA, ET VOLEBANT INTERFICERE REGEM Demetrium: & iam cœperant

V. 46. *Oppugnare* AULAM, seu arcem, in quam rex confugerat. Sed ope *trium militum Iudæorum* a Ionatha vers. 44. Antiochiam submissorum, liberatus est rex, cæsis Antiochenorum facile *centum millibus*. Sed parta rursum quiete

V. 53. MENTITUS EST *rex* Demetrius, nihil præstans eorum omnium quæ Ionathæ & Iudæis vers. 34. & 42. amplissimis verbis addixerat. Quin potius VEXABAT EUM VALDE, pro bonis referens mala benefactori & conservatori suo. Unde & Ionathas cum suis adhæsit deinceps æmulo Demetrii, Antiocho iuniori, quem *Tryphon* ex Arabia

V. 54. In Syriam eduxit, & regio diademate insignivit, Demetrio prima pugna in fugam abacto:

V. 56. ET BESTIIS, id est elephantis omnibus territis, & machinis, & impedimentis, adeoque & regia sede *Antiochia*, victori

victori in spolium cedentibus. Victoriæ causa non minima fuerant *Ionathas & Simon;* unde mox insignibus a novo rege muneribus atque honoribus decorantur vers. 57. & 59. Et prosecutus victoriam Ionathas pro Antiocho, ut ait Iosephus *e*

V. 60. TRANS FLUMEN Iordanem, adiutus omnibus Syriacis legionibus, omnia *Damascum usque* detraxit Demetrio, & novo regni Antiocho subiecit. Interea

V. 63. PRINCIPES exercitus DEMETRII PRAEVARICATI SUNT IN CADES, id est ad rebellionem concitarunt incolas *Cades*, Iosepho *Cedasa*; QUAE sita EST IN GALILAEA, persuadentes eis ut pro Demetrio arma sumerent adversus Antiochum; VOLENTES hoc stratagemate revocare e Syria & REMOVERE Ionatham A NEGOTIO REGNI pro Antiocho conquirendi & stabiliendi: ne, dum aliena curatum iret, propria perderet. Sed Ionathas, rebus in Syria compositis,

V. 64. OCCURRIT cum victore exercitu suo ILLIS Demetrii ducibus, relicta *fratri suo Simoni* INTRA PROVINCIAM Iudæam cura expugnandæ *Betsuræ* iuxta Ierosolymam *f*, quod illi successit ex animi sententia vers. *66.*

V. *67.* Sed IONATHAS cum suis AD lacum GENEZAR, seu Genezareth, ANTE LUCEM VIGILAVERUNT IN CAMPO; Græce, *in campum*. ASOR: nam eo festinabant Iudæi. Cumque eo appulissent summo mane aciem instruunt: sed dum ab insidiis a tergo positis non sat cavent, circumventi vers. 70. aguntur in fugam, nemine apud signa militaria reliquo præter *Mathathiam filium* ABSALOMI, forsan illius cuius mentio est cap. XIII. 11. vel II. Machabæorum XI. 17. *& Iudam filium* CALPHI, *principes* MILITIAE *exercituum* (ut est in Græco:) sed cum duobus his principibus manserunt verosimilius illorum quoque milites, saltem fortiores & nobiliores. Quomodo enim duo isti soli cum Ionatha potuissent *prælium* instaurare & continuare, donec hostes *in fugam* verterentur? inquit Serarius. Iosephus dicit cum duobus istis ducibus ad signa remansisse circiter quinquaginta milites. Quid vero ad hæc Ionathas?

V. 71. *Scindit* VESTIMENTA, *pulverem capiti* inspergit, *orat* supplex Deum, ut in rebus deploratis ipse succurrat e machina. Sic novis animis, novo robore, novo impetu recurrit cum suis in hostes, cædit, sternit, fugat: nec prius urgere desinit, quam.

V. 73. & 74. Reversis e fuga Iudæis, & in hostes iam fugientes revectis, sterneret ILLA DIE TRIA MILLIA VIRORUM.

(a) Ioseph. Lib. XIII. cap. VIII.
(b) Lib. II. cap. 1.
(c) Appian. in Syriacis.
(d) Ioseph. Lib. XIII. cap. XIV. Strabo Lib. VI. Iustin Lib. XXXVI.
(e) Ioseph. sup. cap IX.
(f) Cap. IV. in fine.

GORDONI.

Vers. 4. CETERA. τὰ περιπόλια, *superbia*.

V. 12. Neutrum regem amabat Ptolemæus; sed callide prius unum, & postea alterum volebat regno Asiæ privare.


V. 18. Ptolemæum obiisse ex vulnere scribunt Iosephus & Strabo. Milites horum regum non cessarunt a mutua cæde.

V. 23. IUSSIT OBSIDERI. Mirantur hic aliqui Ionatham iussisse obsideri arcem contra regis mandatum, & tamen adiisse regem; quamvis sane hoc ascribi possit fiduciæ quam concepit ex causæ æquitate & benevolo rege: tamen aliqui legunt in Græco codice per negationem, *iussit non obsidere*, ἐκέλευσε μὴ περικαθῆσθαι.

V. 30. Tres dat civitates; duas tantum habet Latinus codex, sed tertiam addit Græcus. EPISTOLAE, sunt litteræ patentes.

V. 34. Tertia civitas habetur in Græco, scilicet ἀφαίρεμα. Ioan. XI. Ephrem vers. 35. AREAS, ex Græco *stagna*, vers. 56. ACCEPIT BESTIAS, elephantes, vers. 67. ASOR, nempe prope Cades, ubi erant hostes. Vers. 72. Dum Iudæi vident Ionathan mansisse in prælio, convertuntur a fuga, & pugnant.

CA-



CAPUT XII.

Ionathas cum Romanis ac Spartiatis fœdus renovat: Principes Demetrii ipsum invadentes fugat: percussisque Arabibus ordinat ædificare præsidia in Iudæa, & muros contra arcem in Ierusalem: sed a Tryphone cupiente regnum Antiochi invadere, & fingente se amicum, apud Ptolemaida dolo captus est, omnesque qui cum eo erant, interfecti.

1. ET vidit Ionathas quia tempus eum iuvat, * & elegit viros, & misit eos Romam, statuere & renovare cum eis amicitiam: 2. & ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolas secundum eamdem formam. 3. Et abierunt Romam, & intraverunt curiam, & dixerunt: Ionathas summus sacerdos, & gens Iudæorum miserunt nos, ut renovaremus amicitiam & societatem secundum pristinum. 4. Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, ut deducerent eos in terram Iuda cum pace. 5. Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas Spartiatis: 6. IONATHAS summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus salutem. 7. Iampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem * ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut rescriptum continet, quod subiectum est. 8. Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolas, in quibus significabatur de societate & amicitia. 9. * Nos, cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, 10. maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem, & amicitiam, ne forte alieni efficiamur a vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis nos. 11. Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus sollemnibus, & ceteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, & in obsservationibus, sicut fas est & decet meminisse fratrum. 12. Lætamur itaque de gloria vestra. 13. Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnaverunt nos reges, qui sunt in circuitu nostro. 14. Noluimus ergo vobis molesti esse, neque ceteris sociis & amicis nostris, in his præliis: 15. habuimus enim de cælo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri. 16. Elegimus itaque * Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iasonis filium, & misimus ad Romanos renovare cum eis amicitiam & societatem pristinam. 17. Mandavimus itaque eis ut veniant etiam ad vos, & salutent vos: & reddant vobis epistolas nostras de innovatione fraternitatis nostræ. 18. Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc. 19. * Et hoc est rescriptum epistolarum, quod miserat Oniæ: 20. Arius, rex Spartiatarum, Oniæ sacerdoti magno salutem. 21. Inventum est in scriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham. 22. Et nunc ex quo hæc cogno-

cognovimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra. 23. Sed & nos
rescripsimus vobis: Pecora nostra, & possessiones nostræ, vestræ sunt; &
vestræ, nostræ: mandavimus itaque hæc nuntiari vobis. 24. Et audivit Io-
nathas, quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo su-
pra quam prius, pugnare adversus eum: 25. & exiit ab Ierusalem, & oc-
currit eis in Amathite regione: non enim dederat eis spatium ut ingrede-
rentur regionem eius. 26. Et misit speculatores in castra eorum: & rever-
si renuntiaverunt quod constituunt supervenire illis nocte. 27. Cum occi-
disset autem sol, præcepit Ionathas suis vigilare, & esse in armis paratos
ad pugnam tota nocte, & posuit custodes per circuitum castrorum. 28. Et
audierunt adversarii quod paratus est Ionathas cum suis in bello: & timue-
runt, & formidaverunt in corde suo: & accenderunt focos in castris suis.
29. Ionathas autem, & qui cum eo erant, non cognoverunt usque mane:
videbant autem luminaria ardentia: 30. & secutus est eos Ionathas, & non
comprehendit eos: transierant enim flumen Eleutherum. 31. Et divertit
Ionathas * ad Arabas, qui vocantur Zabadæi, & percussit eos, & accepit
spolia eorum. 32. Et iunxit, & venit Damascum, & perambulabat omnem
regionem illam. 33. Simon autem exiit, & venit usque ad Ascalonem, &
ad proxima præsidia: & declinavit in Ioppen, & occupavit eam (34. au-
divit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii) & posuit
ibi custodes ut custodirent eam. 35. Et reversus est Ionathas, & convo-
cavit seniores populi, & cogitavit cum eis ædificare præsidia in Iudæa,
36. & ædificare muros in Ierusalem, * & exaltare altitudinem magnam in-
ter medium arcis & civitatis, ut separaret eam a civitate, ut esset ipsa sin-
gulariter, & neque emant, neque vendant. 37. Et convenerunt, ut ædifi-
carent civitatem: & cecidit murus, qui erat super torrentem ab ortu so-
lis, & reparavit eum, qui vocatur Caphetetha: 38. & Simon ædificavit A-
diada in Sephela, & munivit eam, & imposuit portas & seras. 39. Et cum
cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema, & extendere ma-
num in Antiochum regem: 40. timens ne forte non permitteret eum Io-
nathas, sed pugnaret adversus eum, quærebat comprehendere eum, & oc-
cidere. Et exurgens abiit in Bethsan. 41. Et exivit Ionathas obviam illi
cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Beth-
san. 42. Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exercitu multo * ut
extenderet in eum manus, timuit, 43. & excepit eum cum honore, &
commendavit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera: & præcepit
exercitibus suis ut obedirent ei, sicut sibi. 44. Et dixit Ionathæ: Ut quid
vexasti universum populum, cum bellum nobis non sit? 45. Et nunc re-
mitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum
sint, & veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præsi-
dia, & exercitum, & universos præpositos negotii, & conversus abibo:
propterea enim veni. 46. Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit exer-
citum, & abierunt in terram Iuda. 47. Retinuit autem secum tria millia
virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt
cum eo. 48. Ut autem intravit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas
civitatis Ptolemenses: & comprehenderunt eum: & omnes, qui cum eo
intra-

intraverant, gladio interfecerunt. 49. Et misit Tryphon exercitum & equites in Galilæam, & in campum magnum, ut perderent omnes socios Ionathæ. 50. At illi cum cognovissent quia comprehensus est Ionathas, & periit, & omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium. 51. Et videntes hi, qui insecuti fuerant, quia pro anima res est illis, reversi sunt: 52. illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda. Et planxerunt Ionathan, * & eos qui cum ipso fuerant, valde: & luxit Israel luctu magno. 53. Et quæsierunt omnes gentes, quæ erant in circuitu eorum, conterere eos: dixerunt enim: 54. Non habent principem, & adiuvantem: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 1. *Et elegit viros*. Non est omittenda coniunctio.

Vers. 7. *Ab Ario qui regnabat apud vos*. Patres legendum censuerunt *Ario*, prima littera alphabeti existente prima vocis, non *Dario* præposita *d* quarta alphabeti.

Ibidem. *Sicut rescriptum continet quod subiectum est*. Pro nomine composito *rescriptum*, non est substituendum simplex *scriptum*.

Vers. 9. *Nos cum nullo horum indigeremus*. Non est addenda coniunctio *enim*.

Vers. 16. *Numenium Antiochi filium & Antipatrem Iasonis filium*. Non omittas vocem *filium* repetitam.

Vers. 19. *Et hoc est rescriptum epistolarum quod miserat Oniæ*. Præteritum plusquam perfectum *miserat*, non est mutandum in imperfectum *misit* multoque minus dativus *Oniæ* in nominativum *Onias*.

Sequitur *Vers.* 20. *Arius rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti magno salutem*. Triplex correctio est hic observanda, ne in vetera vitia recedatur. Prima nomen *Arius* nec omittendum esse, nec augendum, sive littera una *Darius*, sive syllaba *Oniares*. Altera, nomen Oniæ legendum esse casu tertio, non primo *Onias*. Tertia, nullo modo hic addendum esse nomen *Ionathæ*.

Vers. 31. *Ad Arabes, qui vocantur Zabadæi*. Præsens *vocantur* non est mutandum cum imperfecto *vocabantur*.

Vers. 36. *Et exaltare altitudinem magnam*. Accusativi *altitudinem magnam*, nullo modo vertendi sunt in ablativos.

Vers. 42. *Ut extenderet in eum manus timuit*. Non est addenda coniuntio *&* ante *timuit*.

Vers. 52. *Et eos qui cum ipso fuerant*. Retinendum est plusquam perfectum *fuerant*, non substituendum imperfectum *erant*.

Notatio.

Vers. 19. **E***T hoc rescriptum* (*est* o.) *epistolarum quod miserat Onias*:. *Rex Spartiatarum Oniai Ionathæ sacerdoti magno salutem. Inventum est in scriptura de Spartiatis & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham. Et nunc ex quo hæc cognovimus bene facitis scribentes nobis de pace vestra. Sed & nos rescripsimus vobis. Pecora nostra* (*vestra* Gr.) *& possessiones nostræ* (*vestræ* Gr.) *vestra* (*nostræ* Gr.) *sunt, & vestræ nostræ* (*nostræ vestræ* Gr.) *Mandavimus itaque hæc nuntiari vobis*. Arbitrantur Glossematici Lyranus, & Richelius epistolam hanc responsionem esse Spartiatarum ad superiores Ionathæ litteras: nimirum quod id producta iam verba significare videantur. Verum suspicio mihi est, temerata ea verba ab iis esse, quorum hæc fuerit præoccupata opinio, responsionem esse ad litteras Ionathæ, quæ litteris Ionathæ subiiciatur. At quomodo sit responsio ad litteras Ionathæ, quæ ad eorum nihil, quæ Ionathas scripserat, respondet? Scripserat missas iampridem litteras a Dario Spartiatarum rege, quibus certiores Iudæos fecerat, fratres Iudæorum esse Spartiatas. Hic vero scribunt Spartiatæ repertum esse in monumentis scriptorum, fratres esse Iudæos & Spartiatas, ac ex eodem Abrahæ genere originem ducere, subduntque: *Et nunc ex quo hæc* (*hoc* 3. MS.) *cognovimus, &c.* tamquam qui iam primum id novetint, non monitu Iudæorum, sed ex monumentis quæ legi congerat; ipsique priores id Iudæis scribant. Scripserat scriptas a Spartiatis litteras de ineunda cum Iu-

Iudæis amicitia ac societate. Hic vero quasi numquam antea primum cum Iudæis societatem inire videntur, qui posteaquam cognoverint ex eodem secum genere Iudæos esse, pecora & facultates suas omnes cum Iudæis communes esse statuant. Nam quod habemus: *Sed & nos rescripsimus vobis*, intelligendum est his litteris: & certe præsens est Græce ἀντιγράφομεν *rescribimus*, quod est vicissim scribimus, scribimus ipsi ut vos ad scribendum hortemur; non quod respondeant litteris a Iudæis datis. Scripserat Ionathas de Iudaicæ Reip. statu; hic vero Spartiatæ tamquam qui nihil litterarum acceperant, ad scribendum ea de re hortantur, quod fratres fratribus de rerum suarum statu scribere congruat. *Et nunc ex quo hæc cognovimus bene factatis scribentes nobis de pace vestra*: sic enim Nurenburgensis editio anni 1478. & manuscriptum D. littera notatum legunt, *benefaciatis*. Græce est καλῶς ποιήσετε *benefacietis*, id quod alius reddit, *existimavimus vos recte facturos esse*. Quod si *benefacitis* quis legendum contendat, atque ad superiores Ionathæ litteras respici, animadvertat, quam non de pace sua ac Iudæorum Ionathas scripserit, sed de bellis potius quibus continuo appetebantur, quamvis tunc, ut sæpe alias, divino ipsi auxilio liberati, hostesque ipsorum depressi essent. Observandumque est, omnino nihil in hac Spartanorum ad Iudæos epistola, de bellis, quibus multo iam tempore Iudæi fuerant divexati, mentionis esse. Utique si iis responderent litteris, quibus id scripserat Ionathas, haud prætermisissent, quin fratribus congratulati de adepta sępe victoria fuissent, atque ad agendum semper fortiter animum addidissent, ac auxilium, si opus esset, ad facultatum, quas communes esse volebant, defensionem promisissent, aut saltem aliquid huiuscemodi significassent. Quare non Spartiatarum ad Ionatham responsionem hanc esse existimo: sed eas ipsas litteras, quas scribit Ionathas, a Dario Spartiatarum rege ad Oniam summum sacerdotem fuisse iampridem missas, quibus declaratum fuerit, fratres esse Iudęorum Spartiatas, & de amicitia ac societate significatum: quarum exemplum, ut Ionathas suis subiecit litteris, ita hic subiectum legitur. Hęc sunt litterarum Ionathę verba: *Iampridem missæ erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem, a Dario qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut scriptum* (vel quod est in plerisque emendatioribusque manuscriptis *rescriptum*: id enim Interpres posuit pro ἀντίγραφον, sive *exemplum*, hic, ut inferius, ubi ante exempli huius subiectionem, pręmittitur, *Et hoc rescriptum*) *continet quod subiectum est. Et suscepit Onias* (*Adonias* o.) *virum qui fuerat missus cum honore, & accepit epistolas in* (5. MS.) *quibus significabatur de societate & amicitia*. Vides quam omnia huic sententiæ respondeant? Accedit vero Iosephi historia, (Lib. XI. antiq. Iud. cap. v.) quæ eo loco, quo gesta sub Onia pontifice narrat, litteras recitat Lacedæmoniorum regis, Ad Oniam sensu reque ipsa cum his quæ hic recitantur per omnia convenientes. Verba hæc sunt: „ Rex Lacedæmoniorum Arius Oniæ salutem. Legentes scripturam quamdam, invenimus ex „ uno esse genere Iudæos, & Lacedæmones „ (ἐκ τῆς πρὸς ἀβραὰμ οἰκειότητος) ex ea „ cum Abraham cognatione. Iustum est ergo, ut fratres existentes transmittatis ad „ nos, de quibuscumque velitis. Faciemus „ vero & nos idem: & ea quæ vestra sunt, „ propria ducemus; & ea quæ nostra ipsorum communia vobiscum habebimus. " Suffragantur eidem sententiæ codices Græci, qui non ut Latini, *Et hoc rescriptum epistolarum quod miserat Onias. Rex Spartiatarum Onias Ionathæ; sed quas miserat Oniares. Rex Spartiatarum Oniæ*, habent. Pagnini vero nova versio manifestius: *Quas Darius misit ad Oniam. Rex Spartiatarum Oniæ*: his ergo adductus arbitror, Latinum textum, ut vulgo legitur, & quidem in omnibus nostris tam scriptis, quam impressis libris, depravatum hic corruptumque esse; quod, ut dixi citra dubium aliquibus persuasum fuerit responsionem esse ad Ionathę litteras, quæ Ionathę litteris subiiciatur. Priusquam vero quomodo restitui hac parte textus possit, videamus, de quibusdam diversitatibus est disferendum. Nonnulli libri: *Et hoc rescriptum epistolarum quod misit Onias* legunt: sed manuscripti plerique atque emendatissimi quique *miserat* habent, id quod in textum Hentenius, & Parisienses castigatores retulerunt. Aoristum ἀπέστειλεν, Interpres plusquam perfecto *miserat* vertit; agnoscens eas has esse litteras, quarum suarum litterarum initio Ionathas mentionem fecerat. Aliqui ex eodem quem supra diximus errore *misit* substituere. Altera est varietas distinctionis: quidam codices interpungunt: *Quod miserat Onias rex* (*Rex Onias* o) *Spartiatarum. Onias Ionathæ*; quidam: *Quod miserat Onias. Rex Spartiatarum Onias Ionathæ*. Huic secundo interpungendi modo adstipulantur Aldi præsertim & Germanorum Greca Biblia: καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον τῶν ἐπιστολῶν ὧν ἀπέστειλεν ὀνίαρης. Βασιλεὺς σπαρτιατῶν ὀνίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν: *Et hoc exemplum litterarum quas miserat Oniares. Rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno gaudere*. Regia editio ex Complutensi

habet:

habet: *ὧν ἀπέςειλαν ὀνιάρη: Βασιλεὺς σπαρτιατῶν ὀνίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν, quas miserant. Oniares Rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno gaudere.* Tertia demum est diversitas in proprio Regis Spartiatarum nomine. In Ionathæ epistola prius *δαρεῖος* sive *Darius* vocatur; postea ubi subiicitur exemplum epistolæ ad Oniam, *Oniares*, nam *Onias* in Latino corrupte legi non dubitamus. Porro Iosephus *ἄρειον Arium* appellat, & in Ionathæ ad Spartiatas, & in Spartiatarum ad Oniam litteris: quo nomine sextus Babyloniæ rex apud Berosum legitur nuncupatus *Arius* & *Darius* satis mihi manifestum videtur, idem huius esse nomen, sive alteri vel desit, vel redundet *D*, sive utrumque in usu fuerit. *Oniares* vero & *Darius* sive *Arius* an duo sint eiusdem nomina, an unum idemque, cuius principio nunc præponi, nunc auferri soleat oni: certe enim *Oniares* interpreteris, *fortitudo mea Arius* : און *On* siquidem *fortitudinem* signat (possit &, si id velis, *fortitudo mea Ares*, sive *Mars* a quo *ἄρειος* Martius dicitur) an vero *Oniares* mutatum sit ex *Ariaves* aut *Dariaves* quomodo ab Hebreis nomen *Darius* effertur, ignoro. Utut sit, existimarim ab Interprete nostro lectum versumque ante epistolam a Spartanis missam, *Oniares*: id quod depravatores mutarint cum *Onias*, addito nomine *Ionathæ*: hanc enim coniecerim germanam esse Interpretis scripturam: *Et hoc rescriptum epistolarum, quod miserat Oniares. Rex Spartiatarum Oniæ Sacerdoti magno salutem*: quæ ut cum Græcorum editionum Aldi & Germanorum scriptura omnino convenit, ita ad Latinorum codicum vulgarem lectionem proxime accedit.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. TEMPUS, id est opportunitas.

V. 4. DEFERUNT, scilicet Romanis. PER LOCA, id est per quos transibant.

V. 10. EFFICIAMUR, id est habeamur.

V. 11. QUIBUS OPORTET, id est opportunis. OBSERVATIONIBUS. Græc. *obsecrationibus*. FAS EST; pro, par est, seu oportet.

V. 15. HUMILIATI, id est afflicti, seu depressi.

V. 19. RESCRIPTUM, id est exemplum, scilicet de quo supra.

V. 21. SCRIPTURA, scilicet rerum nostrarum; quasi dicat, Annalibus.

V. 24. SUPRA, id est maiori.

V. 25. EIUS, scilicet Ionathæ.

V. 26. ILLIS, scilicet Iudæis. Græc. *irruere in ipsos*.

V. 28. IN BELLO; pro, ad bellum. TIMUERUNT, ET FORMIDAVERUNT; pro, timuerunt valde. FOCOS, id est ignes.

V. 29. COGNOVERUNT, scilicet illos fugisse.

V. 32. IUNXIT, id est castra movit.

V. 36. IPSA, scilicet arx. SINGULARITER, id est seorsim, seu semota prorsus: vulgo, *per se*. EMANT, scilicet qui in arce; quasi dicat, Commercio prohibeantur & commeatu.

V. 37. ET CECIDIT; pro, nam ceciderat. AB ORTU SOLIS, id est ad Orientem.

V. 38. SEPHELA, id est planitie, seu valle.

V. 42. MULTO UT; pro, maiori quam ut.

V. 50. PERIIT. Ita audierant, sed falsum.

V. 51. PRO ANIMA, &c. id est sibi vitæ periculum imminere, vel illos paratos esse vitam defendere.

V. 54. DE HOMINIBUS, id est ex hominum mentibus.

E S T I I.

Vers. 9. NOS CUM NULLO HORUM INDIGEREMUS, HABENTES SOLATIO SANCTOS LIBROS, QUI SUNT IN MANIBUS NOSTRIS, MALUIMUS MITTERE AD VOS, &c. Ex hoc loco discimus, & admonemur in omni afflictione, solatio nobis esse debere sanctos libros, sive Scripturam sacram, id est eam doctrinam, quæ sacris litteris continetur. Id quod ab Apostolo Paulo manifestius dictum est ad Rom. xv. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Ea autem consolatio in hoc potissimum consistit, quod Scriptura sacra certos non facit eos omnes qui tribulationem patiuntur in hoc sæculo, propter leges Dei, &

 fidem

fidem Christi: atque in genere, quotquot persecutionem patiuntur propter iustitiam, mercedem & gloriam adepturos esse aeternae felicitatis. *Nam si compatimur, & conglorificabimur. Non enim condignae sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Unde idem Apostolus non tantum consolationem nos accipere dicit in tribulationibus, sed etiam gloriandi materiam nobis subministrari, *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit*. Vide nostra ad Rom. xv.

V. 50. CUM COGNOVISSENT, QUIA COMPREHENSUS EST IONATHAS, ET PERIIT. Sic & Simon cap. seq. *Horum gratia perierunt fratres mei omnes, & relictus sum ego solus*. Quaeritur quomodo his locis dicitur Ionathas periisse, qui tamen adhuc vivit capite proxime sequenti? Sic enim ibi dicitur vers. 12. *Et movit Tryphon cum exercitu, & Ionathas cum eo in custodia*. Et tandem legitur occisus cum filiis in Bascaman. Sed respondeo quod Scriptura ipsa prioribus illis locis non asserat illum periisse, sed dicit tantum, & narrat quid socii Ionathae fecerint; tunc scilicet cum *cognovissent*, id est cum intellexissent ex vulgi fama certo praesupponentis Ionathan periisse. Et similiter quoque intelligenda sunt verba Simonis.

MARIANAE.

Vers. 1. AD SPARTIATAS misit Ionathas viros, seu epistolas. Gotth. *ad Spartas*.

V. 7. MISSAE ERANT EPISTOLAE AD ONIAM. Tres fuerunt Pontifices hoc nomine: ad quem ex illis regiae epistolae missae fuerint, non explicatur. Credam ad primum, qui vixit circa Alexandri tempora, quia ait iam pridem missas fuisse. Eusebius in Chron. ait, ad Oniam filium Simonis, nempe secundum, qui vixit tempore Ptolemaei Philopatoris. AB ARIO. Sic lege: plerique codices, etiam Graeci, *a Dario* habent: sic ex Iosepho colligitur Lib. XIII. cap. IX. ex Pausania in Laconicis, ex Plutarcho in Pyrrho, ex Eusebio in Chron. vocari *Arium*, *Darii* nomine nullus Lacedaemone Rex. SICUT RESCRIPTUM CONTINET. Hoc rescriptum seu exemplum in fine epistolae Ionathae vers. 19. subiicitur.

V. 19. HOC EST RESCRIPTUM EPISTOLARUM, QUOD MISERAT ONIAE. Hic finitur hic versus. Plerique codices Graeci & Latini *Oniares* habent, duabus vocibus, ultima huius versus & prima sequentis, in unam conflatis: male; sic enim habet:

V. 20. ARIUS, REX SPARTIATARUM, ONIAE SACERDOTI MAGNO. Graeca: *Oniares Rex Spartiatarum Onia sacerdoti magno*. Regia & Lovan. *Rex Spartiatarum Onias Ionathae sacerdoti magno*. Nugae. Vera lectio restituta est in Bibliis Romanis.

V. 21. INVENTUM EST. Hic post salutationem incipit epistola Regis. IN SCRIPTURA: nempe in archivis, seu tabulariis. QUONIAM SUNT FRATRES. Multae migrationes Gentium extiterunt; ex aliqua a posteris Isaac aut Ismaelis Lacedaemon fundata est; quo tempore & duce, divinare non est opus.

V. 23. SED ET NOS RESCRIPSIMUS. Graece, *rescribimus*: VOBIS, scilicet hanc epistolam.

V. 25. OCCURRIT EIS IN AMATHITE. Amatha regio Arabiae apud Stephanum. Simul adverte, Ducis prudentis esse, extra fines suos in hostico bellum gerere.

V. 30. FLUMEN ELEUTHERUM. Syriae fluvius, hodie *Vellania*.

V. 32. IUNXIT, Ἀναζεύξας, motis castris venit Damascum Ionathas.

V. 36. UT ESSET IPSA SINGULARITER, scilicet arx esset ab urbe seiuncta. NEQUE EMANT, NEQUE VENDANT; id est, nempe arx erat in hostium potestate, volebat ut fame laborarent.

V. 37 ET CECIDIT MURUS. Graece, *Et appropinquavit muro torrentis*, scilicet Cedron. Noster Graece legit καὶ ἔπεσεν. Sic etiam hodie legitur in quibusdam codicibus Graecis. Tryphon

V. 40. ABIIT IN BETHSAN. Alio nomine *Scytopolis*, urbs Syriae, non procul Tiberiade.

V. 42. UT EXTENDERET IN EUM MANUS, TIMUIT. Graece, *Et extendere in eum manus timuit*, id est noluit cum eo pugnare, Tryphon cum Ionatha.

V. 51. QUIA PRO ANIMA RES EST ILLIS. Magnum telum desperatio.

ME

MENOCHII.

Verf. 1. TEMPUS, id eft opportunitas.

V. 4. DEDERUNT, fcilicet Romani. DEDERUNT ILLIS EPISTOLAS AD IPSOS PER LOCA, id eft ad præfides locorum, per quæ tranfituri erant; nam οἱ κατὰ τόπον, funt fingulorum locorum præpofiti.

V. 7. IAMPRIDEM: ante annos fere nonaginta. ESTIS FRATRES NOSTRI: vide infra num. 21.

V. 9. NOS CUM NULLO HORUM INDIGEREMUS: nec focietate armorum, debellatis inimicis noftris; nec amicitia, cum & vicinos reges, Antiochum fcilicet, & Tryphonem, & Romanos amicos habeamus. HABENTES SOLATIO SANCTOS LIBROS, &c. id eft, cum Dei beneficio, quiete, & pace fruatur refpublica noftra, & divino cultu operam dare poffimus, & lectione facrorum librorum nos oblectare, nullo nos interpellante; non tamen veftri obliti fumus, &c. NE FORTE ALIENI EFFICIAMUR A VOBIS: amicitiæ enim ficut mutua communicatione firmantur, ita filentio, & defuetudine diftrahuntur.

V. 10. MULTA ENIM TEMPORA; hoc eft, anni circiter nonaginta. IN OBSERVATIONIBUS. In Græco eft, προσευχαῖς, *orationibus*, *obfecrationibus*.

V. 15. HUMILIATI, id eft afflicti, feu depreffi.

V. 18. BENEFACIETIS, id eft gratum nobis facietis.

V. 21. IN SCRIPTURA: in antiquis Spartanorum monumentis. SUNT DE GENERE ABRAHAM: quomodo hoc verum fit, & fieri potuerit, fufe difputant Serarius ad hunc locum, & Salianus tom. 5. anno mundi 3821. num. 8. & deinceps. Nihil eft certi.

V. 24. REGRESSI SUNT PRINCIPES DEMETRII, &c. Bellum inftaurant Demetrii duces contra Ionathan, quod fcilicet Tryphoni, & Antiocho adhæfiffet. SUPRA QUAM PRIUS, id eft maiori quam prius.

V. 25. IN AMATHITE REGIONE. Regio eft iuxta montem Libanum ab urbe Amath, quæ frequentius Emath appellatur in Scriptura, nomen habens. REGIONEM EIUS; fcilicet, Ionathæ.

V. 26. ILLIS, Iudæis.

V. 28. ACCENDERUNT FOCOS IN CASTRIS SUIS: ut videntes Iudæi frequentes ignes non fufpicarentur hoftes fugiffe.

V. 29. NON COGNOVERUNT; fcilicet, illos fugiffe.

V. 30. FLUMEN ELEUTHERUM: de quo fuperiori capite num. 7.

V. 32. PERAMBULABAT OMNEM REGIONEM ILLAM: Demetrianos inquirens, & perfequens.

V. 33. EXIIT: expeditione bellica. OCCUPAVIT EAM: erat illa quidem in poteftate Ionathæ, ut conftat ex capite x. 73. & 76. fed dicitur occupaffe, quia Ioppenfes ad defenfionem inclinabant, ideoque Simon adfuit, ut illos in fide contineret.

V. 35. REVERSUS EST IONATHAS: ab expeditione fua in Iudæam.

V. 36. EXALTARE: attollere. IPSA, fcilicet arx. SINGULARITER, id eft feorfim, feu femota prorfus. EMANT, &c. fcilicet, qui in arce; quafi dicat, Commercio prohibeantur, & commeatu. Ita ftatuunt, quia arcis expugnatio diuturnioris erat laboris, & temporis.

V. 37. ET CECIDIT MURUS; pro, nam ceciderat. AB ORTU SOLIS: verfus Orientem.

V. 38. ADIADA: urbs in tribu Dan, de qua Adrichomius in Dan, num. 3. SEPHELA: nomen regionis, in qua fita erat Adiada.

V. 40. PUGNARET ADVERSUS EUM: pro defenfione nimirum regis adolefcentis bene de fe, & Simone fratre fuo meriti: fciebat enim Tryphon Ionathan virum effe fortem, ac potentem, & qui pietatem, ac fidem ambitioni, & rebus omnibus anteferret. IN BETHSAN: quæ erat civitas in tribu Manaffis citra Iordanem.

V. 42. UT EXTENDERET IN EUM MANUS. In Græco eft, *Et extendere in eum manus timuit*. PRAEPOSITOS NEGOTII: & omnes qui regia negotia curant, tibi fubiiciam.

V. 49. IN CAMPUM MAGNUM: proprium eft loci nomen, qui etiam dicitur campus Efdrelon, & Mageddo, & Planicies Galilææ. Vide Adrichomium in tribu Iffachar.

V. 50. PERIIT: ita audierant, fed falfum.

V. 51.

V. 51. Pro anima, &c. rati sub cum desperatis, & pro vita pugnantibus certamen fore.

V. 53. Conterere eos; scilicet Iudæos.

TIRINI.

Vers. 1. Romanis, vers. 2. *Spartiatis*, seu Lacedæmoniis novo fœdere Ionathas coniungitur. Dicuntur *Spartiatæ*, seu *Spartani*, ab urbe *Sparta* in Achaia regione Laconiæ in Peloponneso. Dicuntur & Lacedæmones ab urbe Laconica λᾶ, seu λάας, id est lapis, & κάδμη; quasi dicat: *Lapis Cadmi*, ut ex Clemente Alexandrino *a* & aliis fuse Serarius. Ab aliis *Lacones* vocantur, & erant posteri *Heraclidarum*, Agidæ dicti. De quibus fuse Pausanias, Euseb. *b* Sigonius & alii. Horum rex *Arius*, vel, ut alii,

V. 7. Areus, quartus a fine inter *Agidarum* reges, contra Phyrrum Epiri, & Antigonum Gonatam Macedoniæ reges multa bella gessit, & amicas dedit litteras ad Oniam secundum (teste Eusebio) Iudæorum pontificem, quæ hic citantur vers. 20. ubi & Spartanos fratres vocat Iudæorum, & *de genere Abraham*, puta ex *Cetura*, quam post partum Saræ secundariam uxorem duxit Abraham, Genes. xxv. 1. ita Iosephus supra. Ita *inventum est in scriptura*, non sacra, sed profana, nempe in antiquis Spartanorum annalibus. Alii volunt, eos ex posteris esse Agar ancillæ Saræ, eiusque filii Ismaelis, Gen. xxv. 12. & his subscribit etiam Matthæus Dresserus *c*.

V. 8. Spartanorum *societatem*, *& amicitiam* ambabus ulnis amplexi sunt Iudæi. Quia tamen a bellis tunc feriabantur, addunt

V. 9. *Se* nullo horum *indigere*, nempe quoad opem vel subsidium ultro a Spartanis tamquam amicis & sociis oblatum, ut explicant vers. 14. pro solatio suo habentes sanctos libros, quibus tempore pacis securi incumbebant. Iam vero

V. 10. Maluimus, inquiunt, mittere legatos ad vos, ad renovandam amicitiam pristinam, ne diuturniore mora forsan illa intercidat, & nos sic loco fratrum, alieni efficiamur a vobis & peregrini. Licet nos numquam vestri deponamus.

V. 11. *Memoriam* in sacrificiis, et observationibus sacrarum ceremoniarum nostrarum. Græce & melius, *in obsecrationibus*.

V. 23. Possessiones nostrae, vestrae sunt, et vestrae nostrae; quasi dicat: Amicorum omnia sunt communia. Formula hæc fuisse videtur arctissimæ amicitiæ explicandæ. Copias interim suas nuper *d* a Ionatha fusas fugatasque instaurant.

V. 24. Principes exercitus Demetrii, supra quam prius, id est longe maiore numero quam antea. Quo comperto, Ionathas

V. 25. Occurrit eis extra Iudæam in Amathite Arabiæ regione: prudentis enim duces est, extra fines suos in hostes bellum gerere. Sed timidiores hostes, non ausi palam manus conserere cum Iudæis, fugam capessunt.

V. 30. *Trans* flumen Eleutherum *e* in Syria, nune *Vellomia* dictum. Ergo Ierosolymam reversus Ionathas.

V. 35. Cum arcem istic a Gentilibus adhuc infessam expugnare se posse diffideret, statuit *altissimo muro*.

V. 36. Illam a civitate *separare* ac discludere, ut ipsa singulariter ac seorsim *relinqueretur*: & qui in ea essent præsidiarii, neque *emere* quidquam a civibus, neque *vendere*, neque commercium aliud exercere possint: felici sane consilio, ut cap. seq. vers. 50. videbimus.

V. 39. Interea Tryphon bis perduellis, non sat habuit defecisse a Demetrio, in eiusque locum intrusisse iuniorem Antiochum, ut supra *f* vidimus; nunc in ipsum quoque insurgit *Antiochum*, sibique imperium Asiae rapere conatur. Conatui obstiturus erat præ ceteris Ionathas. Ergo & hic de medio tollendus.

V. 41. Ionathas nil veritus mali, summa magnificentia Tryphoni occurrit in Bethsan, alias Scythopoli, Syriæ oppido, non procul Tiberiade. Quia tamen de amicitia Tryphonis non prorsus securus erat, e præstantissimis suis militibus secum duxit

duxit 40. millia. Sed mox suasu versipellis tyranni

V. 46. *Remissis* pene omnibus *in Iudæam*, cum solis *mille viris* vers. 47. se fidei illius credidit in urbe *Ptolemaide:* ubi iussu tyranni

V. 48. Comprehensus ipse a præsidiariis, socii vero ipsius omnes gladio cæsi sunt. En divinam vindictam, ait Osiander, prosequentem Ionatham, quod nulla cogente necessitate, ad humana Romanorum aliarumque impiarum & idololatricarum gentium præsidia nuper (g) respexerit, nec in solo Deo spem & fiduciam suam collocarit. Sed adversus eiusmodi hæreticorum calumniam iam supra respondi cap. IX. vers. 18.

(a) Clem. Lib. I. Stromat.
(b) Pausan. in Laconicis. Euseb. in Chronico.
(c) Dresser. in epist. ad amicum contra Reineccium.
(d) Cap. XI. 71.
(e) Cap. XI. 7.
(f) Cap. XI. 54.
(g) Sup. vers. 1. &c.

GORDONI.

Vers. 2. DUm renovatur fœdus cum Romanis inchoatum anno Græcorum 152. iubentur Legati obiter salutare Lacedæmonios socios.

V. 7. In hoc Onia hallucinatur Scaliger; nam hic Onias ad quem missi sunt Arii litteræ, est Onias huius nominis secundus qui floruit (ut notat Salianus an. Grec. 79.) ab Olympiade 133. ad Olymp. 136. exeuntem. Recte ergo iam pridem, cum fluxerint anni multi, certe tempore tertii Oniæ non vivebat Arius rex. Ceterum hic vers. 7. & 8. attingitur epistola Ionathæ nunc data ad Lacedæmonios cum antiquo rescripto Arii regis ad Oniam, quod autem nunc rescripserunt Lacedæmonii, extat infra cap. XIV. 20.

V. 25. AMATHITAE. Amatha Arabiæ regio est.

V. 30. FLUMEN ELEUTHERUM. Fluvius est in Syria.

V. 36. SINGULARITER: ut arx esset separata ab urbe. BETHSAN, est Scythopolis.

V. 39. Nunc anno 170. scripta est epistola Ionathæ, ineunte hoc anno 170. ante captivitatem Ionathæ, sumpto anni principio Iudaico, quod sex mensibus antecedit initium Chaldaicum, ut dixi in prælo-quiis.

CA-

CAPUT XIII.

Suscepto Simon principatu pro fratre Ionatha misit petitam a Tryphone pecuniam una cum filiis Ionathæ, ad eius redemptionem: Tryphon autem, accepta pecunia, patrem occidit cum filiis: quibus sepultis ac defletis, Simon magnificum extruxit parentibus ac fratribus sepulcrum in Modin: Tryphon vero, occiso Antiocho, regnum eius invasit: & Simon, impetratis a rege Demetrio litteris fœderis ac immunitatis, expugnavit Gazaram, & arcem Ierosolymorum obtinuit: propter quod lætum agunt festum, quod etiam quotannis apud Iudæos agi præcipitur.



1. ET audivit Simon quod congregavit Tryphon exercitum copio-
sum, ut veniret in terram Iuda, & attereret eam. 2. Videns
quia in tremore populus est, & in timore, ascendit Ierusa-
lem, & congregavit populum: 3. & adhortans dixit: Vos
scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, feci-
mus pro legibus, & pro sanctis prælia, & angustias quales
vidimus: 4. horum gratia perierunt fratres mei omnes pro-
pter Israel, & relictus sum ego solus. 5. Et nunc non mihi
contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior
sum fratribus meis. 6. Vindicabo itaque gentem meam, & sancta, * natos quoque
nostros, & uxores: quia congregatæ sunt universæ gentes conterere nos inimicitiæ
gratia. 7. Et accensus est spiritus populi simul ut audivit sermones istos: 8. & re-
sponderunt voce magna dicentes: Tu es dux noster loco Iudæ & Ionathæ fratris
tui: 9. pugna prælium nostrum: & omnia, quæcumque dixeris nobis, faciemus.
10. Et congregans omnes viros bellatores, acceleravit consummare universos mu-
ros Ierusalem, & munivit eam in gyro. 11. Et misit Ionathan filium Absalomi,
& cum eo exercitum novum, in Ioppen; * & eiectis his, qui erant in ea, re-
mansit illic ipse. 12. Et movit Tryphon a Ptolemaida cum exercitu multo,
ut veniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in custodia. 13. Simon autem ap-
plicuit in Addus contra faciem campi. 14. Et ut cognovit Tryphon quia surrexit
Simon loco fratris sui Ionathæ: & quia commissurus esset cum eo prælium, misit
ad eum legatos, 15. dicens: Pro argento, quod debebat frater tuus Ionathas in ra-
tione regis, * propter negotia quæ habuit, detinuimus eum. 16. Et nunc mitte ar-
genti talenta centum, & duos filios eius obsides, ut non dimissus fugiat a nobis,
& remittemus eum. 17. Et cognovit Simon quia cum dolo loqueretur secum, ius-
sit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam sumeret ad populum
Israel, dicentem: 18. Quia non misit ei argentum, & pueros, propterea periit.
19. Et misit pueros, & centum talenta: & mentitus est, & non dimisit Ionathan.
20. Et post hæc venit Tryphon intra regionem, ut contereret eam: & gyraverunt
per viam quæ ducit Adot: & Simon, & castra eius ambulabant in omnem locum
quocumque ibant. 21. Qui autem in arce erant, miserunt ad Tryphonem legatos,
ut festinaret venire per desertum, & mitteret illis alimonias. 22. Et paravit Try-
phon omnem equitatum, ut veniret illa nocte: erat autem nix multa valde, &
non venit in Galaaditin. 23. Et cum appropinquasset Bascaman, occidit Iona-
than & filios eius illic. 24. Et convertit Tryphon, & abiit in terram suam. 25.
Et misit Simon, & accepit ossa Ionathæ fratris sui, & sepelivit ea in Modin civi-
tate patrum eius. 26. Et planxerunt eum omnis Israel planctu magno, & luxerunt
eum

cum dies multos. 27. Et ædificavit Simon super sepulcrum patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro & ante ? 28. Et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus: 29. & his circumposuit columnas magnas; & super columnas arma, ad memoriam æternam; & iuxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare: 30. hoc est sepulcrum, quod fecit in Modin, usque in hunc diem. 31. Tryphon autem cum iter faceret cum Antiocho rege adolescente, dolo occidit eum: 32. Et regnavit loco eius, & imposuit sibi diadema Asiæ, & fecit plagam magnam in terra. 33. Et ædificavit Simon præsidia Iudææ, muniens ea turribus excelsis, & muris magnis, & portis, & seris: & posuit alimenta in munitionibus. 34. Et elegit Simon viros, & misit ad Demetrium regem, ut faceret remissionem regioni: quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant gesti. 35. Et Demetrius rex ad verba ista respondit ei, & scripsit epistolam talem: 36. Rex Demetrius Simoni summo sacerdoti, & amico regum, & senioribus & genti Iudæorum, salutem. 37. Coronam auream, & bahem, quam misistis, suscepimus: & parati sumus facere vobiscum pacem magnam, & scribere præpositis regis remittere vobis quæ indulsimus. 38. Quæcumque enim constituimus, vobis constant. Munitiones, quas ædificastis, vobis sint: 39. remittimus quoque ignorantias, & peccata usque in hodiernum diem, & coronam quam debebatis; & si quid aliud erat tributarium in Ierusalem, iam non sit tributarium. 40. Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter nostros, conscribantur, & sit inter nos pax. 41. Anno centesimo septuagesimo ablatum est iugum Gentium ab Israel. 42. Et cœpit populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo sacerdote, magno duce, & principe Iudæorum. 43. In diebus illis applicuit Simon ad Gazam, & circumdedit eam castris, & fecit machinas, & applicuit ad civitatem, & percussit turrem unam, & comprehendit eam. 44. Et eruperant qui erant intra machinam in civitatem: & factus est motus magnus in civitate. 45. Et ascenderunt qui erant in civitate, cum uxoribus & filiis supra murum, scissis tunicis suis, & clamaverunt voce magna, postulantes a Simone dextras sibi dari, 46. & dixerunt: Non nobis reddas secundum malitias nostras, * sed secundum misericordias tuas. 47. Et flexus Simon, non debellavit eos: eiecit tamen eos de civitate, & mundavit ædes in quibus fuerant simulacra, & tunc intravit in eam cum hymnis benedicens Dominum: 48. & eiecta ab ea omni immunditia, collocavit in ea viros qui legem facerent: & munivit eam, & fecit sibi habitationem. 49. Qui autem erant in arce Ierusalem, prohibebantur egredi & ingredi regionem, & emere, ac vendere: & esurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt. * 50. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent: & dedit illis: & eiecit eos inde, & mundavit arcem a contaminationibus: 51. & intraverunt in eam tertia & vigesima die secundi mensis, anno centesimo septuagesimo primo, cum laude, & ramis palmarum, * & cinyris, & cymbalis, & nablis, & hymnis, & canticis, quia contritus est inimicus magnus ex Israel. 52. Et constituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum lætitia. 53. Et munivit montem templi, qui erat secus arcem, & habitavit ibi ipse, & qui cum eo erant. 54. Et vidit Simon Ioannem filium suum, † quod fortis prælii vir esset: & posuit eum ducem virtutum universarum: & habitavit in Gazaris.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verf. 6. Natos quoque noſtros. Non ſcribas pronomen ſecundæ perſonæ *veſtros*, pro primæ *noſtros*.

Verf. 11. Et eiectis his qui erant in ea remanſit illic ipſe. Pronomen *ea* nequaquam commutandum eſt eum nomine *arce*.

Verf. 15. Propter negotia quæ habuit. Non ſunt hęc verba e textu auferenda iudicio correctorum.

Verf. 46. Sed ſecundum miſericordias tuas. Non ſubiungas *& ſerviemus tibi*.

V. 50. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent. Non mutes pluralem numerum in ſingularem *acciperet*.

Verf. 51. Et cinyris & cymbalis. Seribendum eſt *cinyris* vel *cinnyris* vocali media ypſilon, non alpha.

LECTIONUM VARIETAS.

Verf. 54. QUod *fortis prælii vir eſſet*. Latinorum librorum quos vidi, quidam illud ſolum legunt *quod vir eſſet*, conſentanee Grǽco; quidam addunt, *quod vir fortis eſſet*, quidam, *quod vir prælii eſſet*. Hic omnia copulantur.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 5. ANIMAE, id eſt vitæ.

Verf. 6. SANCTA, id eſt templum. INIMICITIAE GRATIA, id eſt hoſtiliter, ſcilicet tamquam hoſtes.

V. 11. IN EA, ſcilicet Ioppe. IPSE, ſcilicet Ionathas.

V. 13. CONTRA FACIEM, id eſt in proſpectu.

V. 16. FUGIAT, id eſt deficiat.

V. 20. IBANT, ſcilicet hoſtes. Græc. *ibat*, ſcilicet Tryphon.

V. 22. ILLA NOCTE, &c. Græc. *& illa nocte fuit valde multa nix, & non venit propter nivem, ſed abiit in Galaaditim.*

V. 24. CONVERTIT, id eſt revertit.

V. 27. VISU, id eſt aſpectu, ſcilicet qui longe videri poſſet.

V. 28. STATUIT. Græc. *ſtatuit ſuper ea*. SEPTEM, id eſt multas.

V. 29. QUAE, ſcilicet ædificia, nempe tota illa moles.

V. 30. DIEM, ſcilicet extans.

V. 34. REGIONI, ſcilicet Iudææ.

V. 37. BAHEM, id eſt torquem, vel balteum, vel ſmaragdum.

V. 42. ANNO PRIMO; quaſi dicat, Incepit numerare annos a principatu Simonis.

V. 44. ET ERUPERANT QUI, &c. Græc. *& qui erant intra machinam, eruperunt in civitatem.*

V. 48. IMMUNDITIA, ſcilicet idololatriæ. SIBI. Græc. *ſibi in ea*.

V. 50. CONTAMINATIONIBUS, ſcilicet gentilicis.

V. 51. INIMICUS, ſcilicet arx illa erat velut hoſtis infenſiſſimus.

V. 54. VIRTUTUM, id eſt exercitus. GAZARIS, id eſt Gaza.

E S T I I.

Verf. 17. & 18. ET COGNOVIT SIMON, QUOD CUM DOLO LOQUERETUR SECUM, JUSSIT TAMEN DARI ARGENTUM ET PUEROS. Quæritur an in hoc facto Simon non peccarit, filios fratris mittendo in tam certum diſcrimen? Cognovit enim, ut Scriptura loquitur, Tryphonem dolo agere; ſciebat etiam omnes comites Ionathæ fuiſſe interfectos; & proinde falſum eſſe prætextum Tryphonis de Ionatha detento, quod pro debitis in ratione regis detineretur. Reſpondeo Scripturam ipſam addere rationem: NE, inquit, INIMICITIAM MAGNAM SUMERET AD POPULUM ISRAEL, DICENTES; QUIA NON MISIT EI ARGENTUM ET PUEROS, PROPTEREA PERIIT. Itaque debebat Simon ex duobus incommodis & malis eligere quod minus erat. Atqui minus erat pueros perire; quam tumultum populi tempore tam difficili expectare; & quando nihilominus futurum erat, ut pueri mitterentur. Id enim

nim populus omnino volebat. Adde quod nec omnino certum erat pueros perituros. Potuisset enim Tryphon pueros detinere vivos ad extorquendum plus argenti. Nec mittendo pueros cooperabatur Simon homicidio, quia illum actum non tenebatur omittere, sed potius, ut iam diximus, facere causa publici boni, seu potius permittere.

V. 28. & 29. ET STATUIT SEPTEM PYRAMIDAS, UNAM CONTRA UNAM PATRI ET MATRI, ET QUATUOR FRATRIBUS; ET HIS CIRCUMPOSUIT COLUMNAS MAGNAS, &c. Sine dubio, scilicet Simon septimam pyramidem sepulcralem sibi statuit. Verum qui sint fratres eius quatuor, confer ea quæ sunt cap. II. huius libri, cum iis quæ annotavimus ad cap. VI. vers. 43. de Eleazar.

MARIANAE.

Vers. 5. NON ENIM MELIOR. Sic Simon: aut *maior*, potior, κρείσσων, fratribus meis sum, maioris pretii.

V. 6. NATOS QUOQUE NOSTROS vindicabo. Goth. *filiosque vestros:* sic Græce in Regiis.

V. 8. TU ES DUX NOSTER. Simon constituitur princeps & pontifex. Gorion. Lib. III. cap. IX. videtur eum facere primogenitum inter fratres.

V. 11. EIECTIS HIS, QUI ERANT IN EA. Sic etiam Goth. & Græc. scilicet Ioppe: remansit ibi Ionathas. Non legendum *in arce*, ut quidam.

V. 13. SIMON AUTEM APPLICUIT, aut *castra posuit*, παρεμέβαλεν. IN ADDUS: cap. XII 38. vocatur *Adiada*. Iosephus Lib. XIII. cap. XI. vocat *Addida*: hic Græce est Ἀδιδὰ. In Ptolomæo est *Adada in Palmyrena*, quæ est in Phœnicia. *Palmyra* est etiam prope Euphratem, alio nomine *Thadamor*, a Salomone ædificata, ubi Odenatus Zenobiæ vir, de qua III. Reg. IX. 18. nos.

V. 20. GYRAVERUNT, id est non recta iverunt, sed circulo facto. PER VIAM QUAE DUCIT ADOR. Græce, *Adora*. *Dor* sive *Dora* Ptolomæo urbs est in Phœnicia maritima prope Carmelum ex Iosepho II. contra Apionem. Duos fuisse Carmelos, dixi Isaiæ XXIX. 18. Hic mons Carmelus in tribu Aser propter Ptolemaidam.

V. 21. QUI AUTEM IN ARCE ERANT, scilicet Ador.

V. 22. ERAT AUTEM NIX MULTA VALDE, ET NON VENIT, scilicet Tryphon in arcem eam. IN GALAADITIM, scilicet abiit. Græce, *Nocte illa fuit nix multa: & non venit propter nivem, & abiit in Galaaditim*, id est in Galilæam.

V. 22. CUM APPROPINQUASSET BASCANAN. Iosephus Lib. XIII. cap. XI. *Basca*. OCCIDIT IONATHAN ET FILIOS EIUS. Græc. *occidit Ionathan, & sepultus est ibi*: de filiis nihil.

V. 28. STATUIT SEPTEM PYRAMIDAS, scilicet Simon. Extabant Hieronymi tempore; extant nunc, ut cap. II. diximus. PATRI ET MATRI, ET QUATUOR FRATRIBUS, unam sibi, ut sint septem, de qua siletur.

V. 34. ACTUS OMNES TRYPHONIS PER DIREPTIONEM. Græc. *actus Tryphonis erant rapina*, id est tyrannice regnabat.

V. 37. CORONAM AUREAM, ET BAHEM. Græce, *bainem*. Quid hoc? Quidam monile putat, alius palmam, nempe ex auro, victoriæ symbolum. βάϊον Græce *ramus palmæ* est: sic infra vers. 51.

V. 42. COEPIT POPULUS ISRAEL SCRIBERE. Ratio annorum est immutata, neque deinde annos Græcorum numerabant in Actis. Simon obsidet Gazam,

V. 44. ET ERUPERANT; seu *eruperunt*, ut est Græce; hoc est, ingressi sunt in civitatem. In Regiis, *Et qui erumperant*: male.

V. 51. SECUNDI MENSIS, scilicet *Iiar*, Aprilis, a Simone capta est arx Ierusalem, CINYRIS, genus citharæ, ut antea diximus: plectro an digitis pulsaretur, incertum.

V. 53. MUNIVIT MONTEM TEMPLI, id est montem Moria. QUI ERAT SECUS ARCEM, id est prope arcem. Olim arx erat in monte Sion ex adversum templi, sed Gentes prope templum videntur extruxisse arcem: sed cap. XIV. 36. fuisse eam arcem ait in civitate David.

V. 54. DUCEM VIRTUTUM Simon constituit filium, id est exercituum & copiarum omnium.

MENOCHII.

Vers. 4. HORUM GRATIA PERIERUNT, &c. per has angustias, & prælia.

V. 5. Animae meae, id est vitæ meæ. Non enim melior sum fratribus meis: etsi præ ceteris ut vir consilii celebratus fuerat a patre suo supra cap. II. 65. & 70.

V. 6. Sancta, templum. Inimicitiae gratia; quasi dicat: Non quia offensi sunt a nobis, sed quia hostili nos odio prosequuntur, & quia veram religionem abolere, & idololatriam inducere nituntur.

V. 7. Accensus est spiritus populi, alacer factus est populus, & excitatus ad reipublicæ defensionem.

V. 11. Eiectis his qui erant in ea: quorum fortasse fides erat suspecta. Remansit illic ipse, id est Ionathas.

V. 13. In Addus contra faciem campi: iuxta oppidum Addida, inquit Iosephus, in monte situm, cui Iudæorum campi subiecti sunt; ita etiam Græci codices vocant. Adrichomius id opprobrium in tribu Ephraim collocat. Serarius eamdem putat cum Adiada, cuius mentio superiori cap. num. 38. sicque campi facies, quæ hic dicitur, erit Sephela, quæ eodem loco memoratur.

V. 15. In ratione regis, &c. mentitur Ionathan detineri tantisper dum debitam regi pecuniam solvat.

V. 16. Ut non dimissus fugiat a nobis: ne deficiat a nobis, & fiat inimicus, cum fuerit dimissus. In Græco enim est, ὅπως μὴ ἀφεθεὶς ἀποςατήσῃ ἀφ' ἡμῶν.

V. 18. Quia non misit argentum, &c. Videbat se accusatum in avaritia, quod vitæ fratris pecuniam prætulisset; & ambitionis, quod, ut rerum ipse potiretur, fratrem vinculis eximi noluisset.

V. 19. Mentitus est: Tryphon.

V. 20. Intra regionem: Iudææ. Ibant; scilicet hostes: in Græco est, *ibat*, scilicet, Tryphon. In arce: urbis Ador.

V. 22. Illa nocte, &c. In Græco est: *Et illa nocte fuit valde multa nix, & non venit propter nivem, sed abiit in Galaaditim.*

V. 25. Accepit ossa Ionathae, &c. & Ionathæ, & filiorum. Quod dicit *ossa*, non autem *corpora*, significat non ita statim post illorum cædem adducta fuisse.

V. 28. Unam contra unam: singulas singulis adversas, vel alteram e regione alterius, recto videlicet ordine, ut prænavigantibus a fronte singulæ apparerent.

V. 29. Et super columnas arma, &c. Hæc arma videntur sculpta fuisse, sicut & naves, eo genere sculpturæ quod vocant semitoreuma, & Italice dicimus, *Mezzo rilievo*, vel, *basso rilievo*.

V. 30. Usque in hanc diem; scilicet, extans.

V. 32. Plagam magnam in terra, id est magna clade, & perturbatione Syriam affecit.

V. 34. Faceret remissionem regioni, id est vacationem daret ab oneribus, & tributis. Per direptionem fuerant gesti, id est fuerant rapinæ, & direptiones.

V. 37. Bahem, quam misistis. In Græco est βαΐνην, qua voce videtur significari palma, vel aliquid ad palmam spectans, quia βαΐς, & βαΐον, ramus est palmæ arboris, Ioan. XII. 13. fortasse fuit aureus palmæ ramus missus cum corona. Pacem magnam; firmam, & perennem. Remittere vobis quae indulsimus. In Græco est: *& scribere eis, qui præsunt negotiis, remittere nobis remissiones*, id est ut vobis vocationes, & immunitates concedant, nihil a vobis exigendo.

V. 38. Vobis constant, id est rata esse volo.

V. 39. Remittimus quoque ignorantias, &c. quæcumque contra me peccastis condono. Tribuit ignorantiæ, ut culpam extenuare videatur.

V. 40. Conscribi inter nostros: aulicos, vel domesticos.

V. 42. Scribere in tabulis, et gestis publicis, &c. In Græco est, ἐν ταῖς συγγραφαῖς, καὶ συναλλάγμασι, *in syngraphis, & contractibus*, cœperunt scribere, scilicet initium, ut sequitur; hoc est, *Anno primo*, &c. vide cap. sequenti num. 27.

V. 44. Et eruperant, &c. In Græco est, *& in qui erant intra machinam, eruperunt in civitatem.*

V. 45. Dextras sibi dari: pacem sibi dari.

V. 47. Mundavit aedes: eiecta idolorum immunditia, ut dicitur num. seq.

V. 49. Prohibebantur egredi, &c. vide superiori cap. vers. 36. & ibi dicta.

V. 51. Cinyris, &c. vide dicta cap. IV. 54. Nablis. Quid sint dixi I. Paral. XV. 6. ubi etiam explicavi quid sit cymbalum. Inimicus magnus: intelligit militem

litem præsidiarium urbi, & civibus infestum.

V. 54. FORTIS PRAELII VIR ESSET. Vox *fortis*, non est in Græco. VIRTUTUM, id est exercitus. IN GAZARIS, id est in Gaza; patet autem ita interpretandum esse, quia cap. sequenti num. 34. dicitur. *Quæ est in finibus Azoti*.

TIRINI.

Vers. 1. SIMON dux & pontifex Iudæorum anno Græcorum 170. finiente *a* loco Ionathæ delectus vers. 8. inchoatos cap. præced. vers. 36. muros Ierosolymis

V. 10 *Accelerat* CONSUMMARE, seu perficere: nempe ne quid adversi, eo absente, civibus accideret ab iis qui erant in arce. Mox

V. 13. Adversum Tryphonem movet, *applicans* exercitum suum IN ADDUS, quam urbem cap. XII. 38. ipsemet communierat. Sed ibi vocatur *Adiada;* Græce, *Adida;* Ptolemæo, *Adada:* in Palmyrena est Phœniciæ regione. Est & mentio Palmyræ III. Reg. IX. 18. iuxta Euphraten, a Salomone exædificatæ: unde *Odenatus* Zenobiæ maritus, de quo ibi Mariana. Hic castra metatur Simon CONTRA FACIEM CAMPI, id est in prospectu, vel iuxta campum latissimum, irritans hoc modo Tryphonem ad prælium. Sed is

V. 14. Diffisus suis viribus, dolum excogitat, quo & impetum Simonis elusit, & capti Ionathæ filios ambos obtinuit, & insuper grandem pecuniæ summam Iudæis extorsit. Fingit paratum se liberare Ionatha, quasi non hostili animo captum, sed solum

V. 15. PRO ARGENTO, quo *in rationibus regiis* compertum fuerat *Ionathan debere* regi, detentum penes se in custodia. Exsolvat ergo

V. 16. Simon hoc fratris sui debitum, nempe CENTUM TALENTA auri: quæ si Attica fuerint, faciunt sexcenta millia aureorum in auro: sin Hebræa, duplam summam. Mittantur insuper mihi in OBSIDES ambo EIUS *filii*, quibus quasi compedibus patrem mihi advinctum teneam, UT DIMISSUS & liberati suæ redditus, ad ulciscendam hanc captivitatem, NON FUGIAT & abalienet se A NOBIS, atque ad hostes nostros transfugiat, illis adversum nos adhærens & studens.

V. 17. ET COGNOVIT quidam sat probe SIMON, Triphonem non sincere, sed fraudulenter SECUM agere. Ne tamen populo ansam daret querirandi, quasi ex avaritia neglexisset fratri succurrere, ut ipse principatu frueretur: & quia pietas in fratrem omnia, ut in vivis conservaretur, tentare suadebat: neque certus omnino erat, Tryphonem consilia tam perfida & crudelia capturum, inquit S. Thom.

V. 19. MISIT *Simon* petitam pecuniam, ET PUEROS; sed, heu! ad lanienam, ut dicitur vers. 23. Accepta enim pecunia & obsidibus, non abiit retrorsum, ut convenerat, sed porro perrexit

V. 20. *Intrare* REGIONEM Iudæorum, non quidem recto itinere pergens (sic enim incurrisset in Simonem) sed *gyrans* PER VIAM QUAE DUCIT *in* ADOR: Ptolomæo *Dor*, seu *Dora*: urbs est in Phœnicia maritima non ita procul a Ptolemaide; Iosephus *b* urbem Idumææ esse dicit. Igitur semicirculo facto circum fines Iudææ, ductabat exercitum suum Tryphon; Simone vestigiis eius ubique insidiante, ne qua irrumperet. Interim muris altissimis obsepti, & fame pressi præsidiarii Gentiles

V. 21. QUI ERANT IN ARCE Ierosolymitana, rogant per LEGATOS. TRYPHONEM, festinet ALIMONIAS submittere, & viam qua inferri possint, suggerunt, nempe PER DESERTUM. Sed submissos equites, utique cum sacculis frumento vel alia annona plenis

V. 22. Præpedivit nimia NIX nocte illa delapsa. Unde *non pervenit* ad arcem Ierosolymitanam: *sed* (ut in Græco est, & apud Iosephum) *abiit & venit in Galaaditim*; ubi cum non posset alia ratione Iudæis nocere, ut saltem aliquo ægre illis faceret,

V. 23. OCCIDIT quem captivum hucusque secum traxerat, IONATHAN, ET EIUS FILIOS, cum pontificatum & principatum Iudæorum is administrasset annis omnino 19. Occisorum cadavera, post Tryphonis in Asiam recessum,

V. 25. SEPELIVIT SIMON IN patria sua MODIN, constructis illic pro mausoleis *septem* altissimis nobilissimisque e secto, inciso, *politoque lapide pyramidibus*, *una contra*

tra unam, id est sibi mutuo e regione apte oppositis, una *patri* suo Mathathiæ, altera *matri*, *quatuor* aliis *quatuor fratribus* suis, Iudæ, Ionathæ, Ioanni, Eleazaro *c*, septima sibi: pyramidibus

V. 29. HIS CIRCUMPOSUIT alias COLUMNAS MAGNAS, ET SUPER COLUMNAS affixit ARMA suorum bellica, ET SCULPTAS e marmore NAVES, quibus designabat partas terra marique victorias per Machabæos. De hoc mausolæo aliquid dixi in fine capitis II.

V. 31. & 32. TRYPHON AUTEM capta opportunitate, CUM ITER quoddam per Asiam FACERET CUM NOVO REGE ANTIOCHO adhuc ADOLESCENTE, forsan ut variis in provinciis solemni ritu novus rex inauguraretur, clam & DOLO OCCIDIT EUM, seu veneno, seu laqueo, seu alio genere mortis: & assumpto, immo rapto, SIBI *diademate* ASIAE, REGNAVIT LOCO EIUS. ET FECIT PLAGAM, seu afflictionem, MAGNAM IN omni TERRA sua, & persequens & exscindens quotquot sibi adversari compererat. Hic a tempore Alexandri Magni primus est qui extra ordinem & stirpem Seleucidarum vi se ingessit in regnum Syriæ & Asiæ, tenuitque triennio: quo evoluto occisus ab *Antiocho Sedete* filio Demetrii Nicanoris, sceptrum Seleucidis restituit. Adversus hunc tyrannum ut magis se communiat,

V. 34. SIMON, amicitiam acceptat *Demetrii* Nicanoris, nuper a Tryphone *d* regno pulsi, & a Ionatha semel *e* iterumque *f* cæsi vel fugati, & nunc Iudæorum auxilia solicitantis. Sed inter amicitiæ & fœderis leges hanc unam a rege Demetrio deposcit, UT REGIONI Iudæorum *faciat* REMISSIONEM ab exactionibus, a tributis, a iugo Gentilium: QUIA ACTUS TRYPHONIS, quibus Iudæam de novo gravarat, OMNES PER DIREPTIONEM, subreptionem & tyrannidem GESTI FUERANT, ac proinde rescindi iure merito debebant. Rescidit omnia Demetrius,

V. 37. Accepta a Iudæis in benevoli animi signum *corona aurea*, qua regnum illi postliminio stabilitum seu gratulabantur, seu vovebant: miserant item Iudæi Demetrio BAHEM; Græce, βαΐνην, id est ramum palmarem, utique aureum, victoriæ de tyranno symbolum vel omen. *Baii* enim & *balon* ramum palmæ significat, ut etiam Noster hic vers. 51. vertit. Neque solam remissionem onerum quam Simon postularat, indulsit rex Iudæis, sed & alia omnia, inquit,

V. 38. QUAECUMQUE VOBIS CONSTITUIMUS iam olim capite XI. 34. *constare* iam & firma ac rata esse volumus.

V. 39. REMITTIMUS QUOQUE IGNORANTIAS ET PECCATA, id est quidquid adversum nos, seu per imprudentiam, seu alio modo peccastis. Nam post iniurias a Demetrio acceptas cap. XI. 53. hostes illi se semper exhibuerant Iudæi: ibid. vers. 63. & cap. XII. vers. 24. Ex illo itaque tempore liberati sunt Iudæi

V. 41. AT omni *iugo* GENTIUM, nempe ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO regni Græcorum iam finiente. Interim occasione horum inter novos reges & Iudæos tumultuum, Gazenses nuper *g* a Ionatha subacti, iugum rursus excusserant. Sed a Simone vi ad officium reducti, vers. 43. & alio migrare iussi, suffectis illorum loco *viris qui legem* Dei *facerent*, id est Israelitis *h* vel proselytis divinæ legis studiosis.

V. 49. QUI ERANT IN ARCE IERUSALEM, cincti & conclusi muris *i* altissimis & fame iam enecti, deditionem tandem faciunt Simoni *anno centesimo septuagesimo primo mensis secundi* Isar *die vigesima tertia*, cum gentiles totis 26. annis, nempe ab anno 145. *k* usque ad 171. eam tenuissent. Addit Iosephus *l*, eam a Simone funditus eversam esse, utpote

V. 51. *Inimicum magnum* Israeli, & templo, totique Iudææ infestissimum. De CINYRIS *m* & NABLIS *n* alibi dixi. Ex opposito dirutæ arcis Gentilium

V. 53. & 54. Communit alteram Iudæorum arcem in *monte* TEMPLI nuper a Iuda exstructam, sed ab Alcimo *p* destructam, rursumque a Ionatha *q* instauratam, nunc novis munitionibus auctam & perfectam. Et hic sedem fixit Simon domicilio *Gazara r* Ierosolymam translato, & *filio suo Ioanne* Hyrcano, iam *duce* VIRTUTUM UNIVERSARUM, id est præfecto copiis omnibus militaribus, loco suo *Gazaræ* collocato.

(a) Cap. XIII. 22. & XXIII. & 41.
(b) Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. XIII.
(c) I. Mach. II. 2. &c. (d) Cap. XI. & IV.
(e) Ibid. vers. ult. (f) Cap. XII. 28. &c.
(g) Cap. XI. 61. (h) Cap. XIV. 34.
(i) Cap. XII. 36. (k) Cap. I. 21. 30. 35.
(l) Ioseph. Lib. XIII. cap. XI. (m) I. Mach. IV. 54.
(n) I. Par. XV. 20. (o) I. Mach. IV. 60.
(p) Cap. IX. 54. (q) Cap. X. 11. (r) Hic vers. 1.

GOR-

GORDONI.

Vers. 20. ADor, vel Dora, urbs est Phœniciæ maritima.

V. 28. Septem pyramidas. Extabant ætate Hieronymi.

V. 51. Cinyris: genus citharæ.

V. 54. Ducem virtutum: exercituum.

CAPUT XIV.

Demetrio a duce Arsacis devicto & capto, Simon cum suo populo magna pace fruitur, ad quem missæ sunt litteræ renovati fœderis a Spartiatis & Romanis cum maxima laude Simonis, qui Romanis clypeum aureum mnarum mille miserat.

1. ANno centesimo septuagesimo secundo congregavit rex Demetrius exercitum suum, & abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, ut expugnaret Tryphonem. 2. Et audivit Arsaces rex Persidis & Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos, & misit unum de principibus suis ut comprehenderet eum vivum, * & adduceret eum ad se. 3. Et abiit, & percussit castra Demetrii: & comprehendit eum, & duxit eum ad Arsacen, & posuit eum in custodiam. 4. Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæsivit bona genti suæ: & placuit illis potestas eius, & gloria eius, omnibus diebus. 5. Et cum omni gloria sua accepit Ioppen in portum, & fecit introitum in insulis maris. 6. Et dilatavit fines gentis suæ, & obtinuit regionem. 7. Et congregavit captivitatem multam, & dominatus est Gazaræ, & Bethsuræ, & arci: & abstulit immunditias ex ea, & non erat qui resisteret ei. 8. Et unusquisque colebat terram suam cum pace: & terra Iuda dabat fructus suos: & ligna camporum fructum suum. 9. Seniores in plateis sedebant omnes, & de bonis terræ tractabant, & iuvenes induebant se gloriam & stolas belli. 10. Et civitatibus tribuebat alimonias, & constituebat eas ut essent vasa munitionis, quoadusque nominatum est nomen gloriæ eius usque ad extremum terræ. 11. Fecit pacem super terram, & lætatus est Israel lætitia magna. 12. Et sedit unusquisque sub vite sua, & sub ficulnea sua: & non erat qui eos terreret. 13. Defecit impugnans eos super terram: reges contriti sunt in diebus illis. 14. Et confirmavit omnes humiles populi sui & legem exquisivit, & abstulit omnem iniquum & malum: 15. sancta glorificavit, & multiplicavit vasa sanctorum. 16. Et auditum est Romæ quia defunctus esset Ionathas, & usque in Spartiatas: & contristati sunt valde. 17. Ut audierunt autem quod Simon frater eius factus esset summus sacerdos loco eius, & ipse obtineret omnem regionem, & civitates in ea; 18. scripserunt ad eum in tabulis æreis, ut renovarent amicitias & societatem, quam fecerant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus eius. 19. Et lectæ sunt in conspectu ecclesiæ in Ierusalem. Et hoc exemplum epistolarum, quas Spartiatæ miserunt: 20. Spartianorum principes, & civitates, Simoni Sacerdoti magno, & senioribus, & sacerdotibus, reliquo populo Iudæorum, fratribus, salutem. 21. Legati, qui missi sunt ad populum nostrum, nuntiaverunt nobis de vestra gloria, & honore, ac lætitia: & gavisi sumus in introitu eorum. 22. Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi, sic: Numenius Antiochi, & Antipater Iasonis filius, legati Iudæorum, venerunt ad nos, renovantes nobiscum amicitiam pristinam. 23. Et placuit populo excipere viros gloriose, & ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi

libris,

libris, ut sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti. 24. Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo mnarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audisset populus Romanus 25. sermones istos, dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis ejus? 26. Restituit enim ipse fratres suos, & expugnavit inimicos Israel ab eis: & statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion. 27. * Et hoc est exemplum scripturæ: OCTAVA decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel, 28. in conventu magno sacerdotum, & populi, & principum gentis, & seniorum regionis, nota facta sunt hæc: Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra. 29. Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Jarib, & fratres ejus dederunt se periculo, & restiterunt adversariis gentis suæ, ut starent sancta ipsorum, & lex: & gloria magna glorificaverunt gentem suam. 30. Et congregavit Ionathas gentem suam, & factus est illis sacerdos magnus, & appositus est ad populum suum. 31. Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipsorum; & extendere manus in sancta eorum. 32. Tunc restitit Simon, & pugnavit pro gente sua, & erogavit pecunias multas, & armavit viros virtutis gentis suæ, & dedit illis stipendia: 33. & munivit civitates Judææ, & Bethsuram, quæ erat in finibus Judææ, ubi erant arma hostium antea: & posuit illic præsidium viros Judæos. 34. Et Ioppen munivit, quæ erat ad mare; & Gazaram, quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant, & collocavit illic Judæos: & quæcumque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis. 35. Et vidit populus actum Simonis, & gloriam quam cogitabat facere genti suæ, & posuerunt eum ducem suum, & principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat hæc omnia, & justitiam, & fidem, quam conservavit genti suæ, & exquisivit omni modo exaltare populum suum. 36. Et in diebus ejus prosperatum est in manibus ejus, ut tollerentur gentes de regione ipsorum, & qui in civitate David erant in Ierusalem, in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati: 37. & collocavit in ea viros Judæos ad tutamentum regionis, & civitatis, & exaltavit muros Ierusalem. 38. Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium. 39. Secundum hæc fecit eum amicum suum, & glorificavit eum gloria magna. 40. Audivit enim quod appellati sunt Judæi a Romanis amici, & socii, & fratres, & quia susceperunt legatos Simonis gloriose: 41. & quia Judæi, & sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis: 42. & ut sit super eos dux, & ut cura esset illi pro sanctis, & ut constitueret præpositos super opera eorum, & super regionem, & super arma, & super præsidia: 43. & cura sit illi de sanctis: & ut audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine ejus omnes conscriptiones in regione: & ut operiatur purpura, & auro: 44. & ne liceat ulli ex populo, & ex sacerdotibus, irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso; & vestiri purpura, & uti fibula aurea: 45. qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit. 46. Et complacuit omni populo statuere Simonem, & facere secundum verba ista. 47. Et suscepit Simon, & placuit ei ut summo sacerdotio fungeretur, & esset dux & princeps gentis Judæorum, & sacerdotium, & præesset omnibus. 48. Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo sanctorum, in loco celebri: 49. exemplum autem eorum ponere in erario, ut habeat Simon, & filii ejus.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. *Et adduceret eum ad* se. Correctores hæc verba ex veteribus manuscriptis addiderunt.

Vers. 27. *Et hoc est exemplum scripturæ*. Ne quaquam omittenda sunt hæc verba.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 4. QUAESIVIT BONA; quasi dicat, Diligens fuit in promovendo statu bono.

V. 5. ET CUM OMNI, &c. quasi dicat: Accessitque eius gloriæ, quod Ioppe portu usus est ad navigandum ad insulas.

V. 6. OBTINUIT, id est pacifice possedit, vel gubernavit.

V. 7. CAPTIVITATEM. Vel Iudæos e captivitate liberatos intelligit, vel hostes captivos factos.

V. 8. LIGNA, id est arbores.

V. 9. BONIS, id est utilitate, seu commodis. GLORIAM, id est splendide. BELLI, id est bello partas.

V. 10. VASA, id est receptacula; quasi dicat, Ut asservarent instrumenta bellica. QUOADUSQUE; pro, adeo quod.

V. 14. HUMILES, id est afflictos. LEGEM EXQUISIVIT, id est legi studuit, seu curavit ut observaretur.

V. 15. SANCTA GLORIFICAVIT, id est templum decoravit.

V. 26. TITULIS, id est columnis.

V. 27. ELUL, id est Augusti, vel Septembris. ASARAMEL. Quidam legunt *Ierusalem*.

V. 28. NOTA FACTA SUNT, id est acciderunt.

V. 32. VIRTUTIS, id est fortes.

V. 34. CORREPTIONEM, id est directionem. Græc. ἐπανόρθωσιν.

V. 35. ACTUM. Græc. *fidem*.

V. 36. CASTITATI, id est loci sanctitati.

V. 39. SECUNDUM HAEC; pro, ad hæc, id est præterea. Græc. *per omnia:* ut iungatur superioribus; quasi dicat, Cum summa potestate.

V. 41. DONEC. Not. *æternum* cum *donec surgat*, &c. quasi dicat: Eousque dum Christus veniret, voluerunt illum eiusque familiam populum regere, etsi essent de tribu Levi; principatus enim ad Iudam spectabat, cuius partem administrabat Sanhedrim, scilicet Iudicum cœtus.

V. 48. DIXERUNT, id est constituerunt. PERIBOLO, id est ambitu seu porticu.

V. 49. HABEAT, scilicet unde possit sumere.

E S T I I.

Vers. 4. ET SILUIT OMNIS TERRA IUDA OMNIBUS DIEBUS SIMONIS, ET QUAESIVIT BONA GENTI SUAE, &c. Sciendum est hunc Simonem, cuius hoc capite beneficia in populum suum, & laudes recensentur, diversum esse ab illo Simone, cuius decantat Ecclesiasticus cap. L. Hic enim Simon fuit frater Iudæ Machabæi, & filius Matathiæ, ille autem filius Oniæ; ut ex dicto loco est manifestum, cuius pater cognominatus fuit Priscus, quod cognomen & ipse accepit. Ceterum sub filio huius Simonis Prisci, nomine Eleazaro, putantur Biblia sacra rogatu Ptolemæi Philadelphi a Septuaginta interpretibus Iudæis in linguam græcam conversa: inter quos interpretes putant nonnulli unum etiam fuisse Iesum filium Sirach, auctorem, vel collectorem libri Ecclesiastici. Itaque Simon ille Oniæ filius antiquior fuit hoc Simone fratre Iudæ Machabæi annis plus minus centum quinquaginta. Sane nisi auctor libri Ecclesiastici antiquior esset Machabæis, numquam laudes Machabæorum tantas & tam multas tacuisset.

V. 40. & 41. ET QUIA SUSCEPERUNT LEGATOS SIMONIS GLORIOSE; ET QUIA IUDAEI ET SACERDOTES EORUM CONSENSERUNT EUM ESSE DUCEM SUUM, ET SUMMUM SACERDOTEM IN AETERNUM, DO-

DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS. Quidam hunc prophetam Christum intelligunt, de quo Deut. XVIII. *Prophetam suscitabit vobis Deus*, &c. dicuntque filios Simonis tenuisse principatum, & sacerdotium usque ad Herodem Ascalonitam, cuius tempore natus est Christus. Verum in Græco non est articulus; ut proinde non videatur excellens ille propheta intelligi, sed propheta quicumque fidelis & doctus, ad eum modum, quo dicitur Nehemiæ VII. *donec surgeret sacerdos doctus & eruditus*. Ubi sermo est de iis, qui non potuerunt reperire genealogiam suam, cum tamen dicerent, se stirpis esse Leviticæ. Et similiter I. Esdræ II. Vide ea loca. Sic igitur & hic, cum non satis liqueret, ad quem iure pertineret summum sacerdotium, propter gravem & longam reip. Iudaicæ perturbationem, cumque Iudæa tunc temporis non haberet prophetas, qui possent super hac difficultate Deum consulere, placuit, (ut hic scribitur) & consenserunt Iudæi & sacerdotes eorum, ut Simon esset dux & sacerdos in æternum, donec surgeret propheta aliquis qui de hoc posset per os Domini respondere. Et sic hæc accipienda esse, innuunt illa verba, *consenserunt Iudæi & sacerdotes*. Nam si aliquando iure id ei competiisset, nequaquam suffragiis sacerdotum & populi opus fuisset.

MARIANAE.

Vers. 1. CONGREGAVIT REX DEMETRIUS EXERCITUM SUUM. Gotth. & Græc. *exercitus suos*.

V. 2. ET AUDIVIT. Gotth. *& ut audivit*. ARSACES REX PERSIDIS. Parthorum etiam, quod nomen *Arsaces* declarat, Parthorum Regibus familiare. ET MISIT. Gotth. *misit*.

V. 7. CONGREGAVIT CAPTIVITATEM, scilicet ex hostibus multos in servos cepit.

V. 8. TERRA IUDA, &c. Gotth. & Græc. *terra dabat fructus suos*.

V. 9. IUVENES INDUEBANT SE GLORIAM, id est vestem pretiosam, ornatum.

V. 10. UT ESSENT VASA MUNITIONIS, civitates, id est eas munivit & annonam eis tribuit. QUOADUSQUE; pro, sic factum ut nomen eius (Simonis) extenderetur usque ad fines terræ.

V. 24. CLYPEUM AUREUM MAGNUM, PONDO MNARUM MILLE, misit Simon Romam. De his mnis seu minis quo pondere essent, diximus libro de Pond. & mens. cap. VI.

V. 26. RESTITUIT ENIM IPSE FRATRES SUOS. Græce, *firmavit ipse & fratres eius, & domus patris eius*, pro *firmatus est*, aut *firmavit suos*. POSUERUNT IN TITULIS. Græce, *in columnis*. Sed *titulus* pro *columna*. Gen. XXVIII. vers. 18. *Erexit eum in titulum*.

V. 27. MENSIS ELUL, sextus mensis, Augustus. IN ASARAMEL. Græce, *Saramel:* loci nomen, aut oppidi, ubi ille conventus fuit.

V. 34. AD CORREPTIONEM EORUM, quæ apta erant, collocavit: dicerem, ut prospere seu bene agerent, ἐπανόρθωσιν.

V. 35. VIDIT POPULUS ACTUM SIMONIS, id est acta. Græce, *fidem Simonis*.

V. 39. SECUNDUM HAEC. Græca Regia, κατὰ πάντα, *secundum omnia*. Romana, κατὰ ταῦτα, *secundum hæc*, id est post hæc, præterea Demetrius Simonem amicum fecit.

V. 41. DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS. Gotth. *donec surgat Christus*. Usque ad ea tempora Simon & eius posteri tenuere sacerdotium & principatum gentis.

V. 46. STATUERE SIMONEM, ET FACERE. Græca Regia, *Statuere Simonem facere*, id est ut decreta in eo conventu ipse confirmaret.

V. 48. IN PERIBOLO SANCTORUM. Erat *peribolus* & quasi lorica circum atria templi, & intervallum inter peribolum & atria. In ea platea volunt hoc decretum affigi. De *peribolo* & templi partibus plura ad cap. LX. Ezechielis.

MENOCHII.

Vers. 4. SILUIT: quievit a bellis. QUAESIVIT BONA; quasi dicat, Diligens fuit in promovendo statu bono reipublicæ. POTESTAS EIUS: gubernationis ratio, qua usus est. GLORIA EIUS: vel idem est quod *potestas eius*, vel significavit gentem Iudæorum delectatam esse ducis sui gloriosis gestis, & fama sapientiæ, & potentiæ.

V. 5. ET CUM OMNI GLORIA SUA, gloriosum enim erat Iudæis potiri celeberrimo portu, ex quo in mare, & insulas, sive ad auxilia petenda, sive ad celebranda

da commercia liceret excurrere. Hoc enim est quod dicitur, FECIT INTROITUM, &c. sic Itali portus vocant, *Scale di mare*, per quos scilicet ad insulas, & longe dissitas regiones gradum facere licet.

V. 6. OBTINUIT, id est pacifice possedit, vel gubernavit.

V. 7. CAPTIVITATEM: vel Iudæos e captivitate liberatos intelligit; vel hostes captivos factos: prior sensus verior videtur. ET DOMINATUS EST GAZARAE, &c. Hæc tria loca tamquam omnium munitissima commemorat, quorum possessio præbebat securum urbis Ierusalem dominatum Iudææ, & Palæstinæ. IMMUNDITIAS: idola.

V. 8. LIGNA, id est arbores.

V. 9. SENIORES IN PLATEIS SEDEBANT, &c. Seniores consultabant de utilitate reipublicæ, & iuvenes armati, si opus esset, deliberata exequebantur. GLORIAM, id est splendide.

V. 10. VASA MUNITIONIS, id est receptacula; quasi dicat, Ut asservarent instrumenta bellica. Vel instruebat urbes armis, & commeatu in omnem belli eventum. QUOADUSQUE, &c. quasi dicat: Ita ut sit consecutus ut nomen eius esset ubique inclytum. Respicit ad ea quæ paulo post de Romanis, & Spartanis dicet: & rursus cap. sequenti de litteris Roma scriptis ad plurimas gentes in gratiam Simonis, & Iudæorum.

V. 11. FECIT PACEM SUPER TERRAM; scilicet Iudæam.

V. 14. HUMILES, id est afflictos. LEGEM EXQUISIVIT, id est legi studuit, seu curavit, ut lex servaretur.

V. 15. SANCTA GLORIFICAVIT, &c. ornavit templum, & sacram eius suppellectilem auxit.

V. 19. ECCLESIAE: cœtus Seniorum, & populi.

V. 21. IN INTROITU EORUM, id est in adventu ad nos.

V. 22. SCRIPSIMUS: scilicet in annalibus, & monumentis nostris ad rei memoriam.

V. 24. PONDO MNARUM MILLE. Mina Hebræa ex Cornel. a Lapide in opusculo de mensuris, & ponderibus, continebat sexaginta siclos, id est drachmas 240. uncias triginta, duas nimirum libras, cum dimidia. Dicitur Mina, vel Mna a מנה *manah*, id est *numeravit*. Salianus tamen tomo 6. anno mundi 3914. num. 12. locum hunc explicans, minam putat uni fere libræ respondere, totiusque clypei pretium fuisse existimat circiter centum millium coronatorum.

V. 25. POPULUS ROMANUS. Vox *Romanus* abest a Græcis omnibus, & Latinis codicibus, putantque Serarius & Salianus ex margine, ubi ab aliqua explicationis causa esset adscripta, in textum irrepsisse. Voluntque hi auctores verba hæc populi Iudaici esse, non Romanorum; nam responsio populi Romani habetur capite sequenti num. 16.

V. 26. RESTITUIT ENIM IPSE, &c. Totus hic versiculus in Græco sic habet, ἐστήριξε γὰρ αὐτὸς, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ. καὶ ὁ οἶκος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ ἐπολέμησαν τοὺς ἐχθροὺς Ἰσραὴλ ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἔστησαν αὐτῷ ἐλευθερίαν; *Nam ipse cum fratribus suis, domoque paterna sua constabilivit Israelem, & hostibus bello propulsatis libertatem eidem peperit*. IN TITULIS: in columnis.

V. 27. MENSIS ELUL: qui est sextus, & respondet ex parte Augusto. ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SECUNDO: regni Græcorum. ANNO TERTIO SUB SIMONE, &c. Confirmatur, & revocatur ad praxim, quod dictum est superiori capite vers. 42. observatum iri a populo, in tabulis publicis, privatisque annos Simonis. IN ASARAMEL: vel, ut habent Græca, *Saramel*. Vatablus vocem corruptam putat, & legendum *Ierusalem*. Serarius ait retentam vocem Hebræam, quæ significat, *In principe Deo*, ut Simon dicatur sacerdos magnus in Domino Deo, sive Domini Dei.

V. 28. IN CONVENTU MAGNO, &c. Hoc est exordium ad recolendam expositionem rerum hactenus bene gestarum, quibus populus excitatus est ad gratias Simoni referendas. Tantus porro personarum apparatus ostendit hanc non esse promulgationem Romani decreti, sed proprii. Adde quod decretum hoc lex quædam est: at legem accipere a Romanis non esset eos habere amicos, & socios, sed dominos. NOTA FACTA SUNT HAEC: In aliquibus Græcis codicibus est, *innotuit nobis*; in aliis, *Notum facimus vobis*.

V. 29. SANCTA IPSORUM: templum eorum, & sacræ legis ceremoniæ.

 V. 30.

V. 30. Appositus est ad populum suum, id est mortuus est.

V. 31. Calcare: ἐμβατεῦσαι, *invadere, penetrare*.

V. 32. Viros virtutis, id est fortes.

V. 33. Arma hostium: præsidium hostium.

V. 34. Gazaram. Gazam intelligit, ut patet ex eo quod additur, quæ est in finibus Azoti. Correptionem. In Græco est ἐπανόρθωσιν, id est instaurationem, restitutionem in bonum statum. Aliqui putant in nostro textu legendum *correctionem*. Ita Vatablus, Em. Sa, & Salianus.

V. 35. Actum Simonis: res gestas. In Græcis Vaticanis est, τὴν πρᾶξιν, *actum*; in aliquibus aliis τὴν πίστιν, *fidem*.

V. 36. Castitati, id est loci sanctitati.

V. 39. Secundum haec, id est ad hæc, prætetea.

V. 41. Donec surgat propheta fidelis; quasi dicat: Eo usque dum Christus veniat voluerunt illum eiusque familiam populum regere, licet sint de tribu Levi, & principatus spectet ad Iudam Vel sensus est, donec Deus prophetam aliquem populo suo concedat, & per eum nobis declaret quomodo constituenda respublica; & ad quem regni administratio pertineat Vide supra cap. iv. 46.

V. 42. Pro sanctis, id est sanctorum, scilicet templi, & sacri cultus. Super opera eorum: ad fabricam, & farta tecta.

V. 43. Audiatur ab omnibus: omnes illi obediant. Scribantur in nomine eius, &c. vide dicta num. 27.

V. 48. Dixerunt, id est constituerunt.

V. 49. Peribolo, id est ambitu, seu porticu. Vide supra vers. 26. Habeat: habeat in potestate, ut possit inspicere, aut aliis ostendere.

CAPUT XV.

Vers. 2. Arsaces rex Persidis et Mediae, (utique & *Parthorum* rex: quod nomen *Arsaces* indicat, Parthorum regibus familiare:) cognito quia Demetrius Syriæ & Asiæ rex se inconsulto *fines* suos intravit cum exercitu, ut maiores inde copias sibi colligeret; mittit præfectum militiæ suæ, qui Demetrium vi aggrederetur, &, si posset, vivum capere. Aggressus est, vivum capit, regi Arsaci sistit, & custodiæ mandat. Capto Demetrio, uxor *a* eius *Cleopatra* Seleuciam ad se fratrem illius *Antiochum* evocat, eumque ex leviro virum suum facit, Iosepho teste *b*. Sequitur felix imperium Simonis.

V. 5. Ioppen civitatem maritimam, per *Ionathan Absalomi filium*, vicarium suum, accepit *c* in portum, certe Iudæis valde oportunum, ut introitum haberent in insulis maris, id est ex hoc portu solverent in alias regiones, etiam remotissimas.

V. 7. Et congregavit captivitatem multam, id est captivos multos Iudæos e manibus hostium liberavit: hostes vero ipsos maximo numero captivos fecit. Ipso remp. administrante, aurea erant tempora.

V. 9. Iuvenes induebant se gloriam, id est ornabant se veste pretiosa & triumphali, nempe spoliis hostilibus, & *stolis bello* partis.

V. 10. Urbes Iudææ minus ante munitas, novis muris, vallis & arcibus adiectis, effecit ut essent vasa munitionis, seu receptacula munitissima.

V. 14. Omnes humiles populi sui, id est afflictos Iudæos, seu a contribulibus suis, seu ab hostibus, confirmavit opportunis remediis & auxiliis: & abstulit omnem iniquum et malum, id est facinorosos & publico bono noxiose medio sustulit.

V. 15. Sancta glorificavit; id est, auxit gloriam, ornatum, splendorem sanctuarii & templi Dei, eiusque vasa, id est supellectilia sacra, magno numero auxit.

V. 20. Gratulantur illi *Spartiatæ d*, seu Lacedæmonii: dicta legatorum Iudaicorum conscribentes ad perpetuam memoriam,

V. 22. In conciliis populi, id est in publicis libris, quibus acta reipublicæ nostræ continentur.

V. 24. & 25. Cum *Romanis* quoque renovavit fœdus & societatem, misso eis *clypeo magno aureo* mnarum *e* mille, id est centum millium aureorum. Cum au-

AUTEM AUDISSET POPULUS ROMANUS SERMONES ISTOS, seu res præclare gestas Simonis. In Græco solum legitur, *populus*, non addito, *Romanus*. Et vero ex sequenti serie tota videtur subintelligi hic debere, non *Romanum*, sed *Iudaicum* populum, qui de principe & pontifice suo, quibus potuit modis, etiam ipse bene mereri voluit: publico *sanedrim* decreto, concessa *ei*, eiusque toti familiæ plena libertate, non a solis tributis, aut aliis publicis & communibus oneribus, sed etiam ab omni subiectione. Nempe, constituerunt illum principem suum supremum, in eiusque posteros voluerunt hanc dignitatem æternum derivari, adeo ut omnes Iudæi illi subiicerentur, ipse nulli subiaceret. Patet ex publicis tabulis hac de re confectis, vers. 35. 42. & sequentibus. Publicæ autem tabulæ sic incipiunt:

V. 27. MENSIS ELUL sexti apud Hebræos, DIE DECIMA OCTAVA (sub initium nostri Septembris) ANNO Græcorum CENTESIMO SEPTUAGESIMO SECUNDO, pontificatus *Simonis* ANNO TERTIO, IN urbe ASARAMEL: forte legendum *Ierusalem*: vel dic, *Asaramel* denotare locum publici synedrii, seu conventus, in quo hæc decreta a comitiis generalibus concepta & firmata sunt. In quibus primum a

V. 29. usque 35. recensent præclara facta & merita Simonis, eiusque fratrum, ac præ aliis *Ionathæ*. Cumque in his omnibus

V. 35. SIMONIS *actibus* VIDIT sensitque POPULUS universus Iudæorum, non alium scopum ab illo heroe intendi, quam publicum commodum ET GLORIAM GENTIS Iudaicæ; detulit illi communibus suffragiis in præmium rei bene gestæ summum sacerdotium, & supremum principatum *f*. Qua dignitate non minus feliciter, quam prudenter usus est, adeo ut ipso demum imperante, sublatæ sint

V. 36. GENTES, earumque imperium ac dominatus, DE REGIONE *g* Iudæorum, coactis ad deditionem iis quæ ultimæ supererant IN CIVITATE DAVID *h*, id est in arce Sion *i*, E QUA perpetuo prosiliebant in Iudæos, ET CONTAMINABAT OMNIA QUAE IN CIRCUITU SANCTORUM, seu sanctuarii, vel templi, SUNT, ET INFEREBANT PLAGAM MAGNAM CASTITATI, seu puritati loci sancti. Nempe scelerati milites isti subito erumpebant ex arce, & rapinis, cædibus, constuprationibus polluebant ac profanabant templum, ministros templi, sacrificia & sacrificantes. Et in hæc populi Iudaici suffragia consensit quoque

V. 38. DEMETRIUS Syriæ & Asiæ REX, maxime cum audisset tam arctam Iudæis amicitiam esse cum Romanis: & Iudæos omnes

V. 41. In id conspirasse, ut *Simonem* DUCEM haberent, ET SUMMUM SACERDOTEM IN AETERNUM, & dignitas utraque perpetuo in ipsius familiæ & posteritate permaneat, DONEC SURGAT PROPHETA FIDELIS; id est, donec veniat in orbem magnus ille Propheta *k* Messias, a Moyse *l*, aliisque Prophetis toties promissus. Et vero mansit uterque principatus in Hasamonæorum familia ac posteris usque ad Herodem *m*, cuius tempore natus est Christus summus princeps & Pontifex totius Ecclesiæ & populi Dei. Ergo omnium prorsus consensus, & Iudæorum & Gentium, unanimiter decretum,

V. 42. UT *Simon* SIT DUX SUPER Iudæos, ET UT CURA suprema PRO SANCTIS, id est sanctuario, seu templo, SIT penes *illum*,

V. 43. ET UT AUDIATUR, obediaturque ei AB OMNIBUS, ET SCRIBANTUR IN NOMINE EIUS OMNES CONSCRIPTIONES IN REGIONE, Græce, *omnes syngraphæ*, mandata & edicta publica, Quin & æra & subductio annorum apud Iudæos fiat secundum annos principatus Simonis. Atque ita deinceps factum patet ex initio harum tabularum vers. 27. & iam ante factitari cœptum dicitur cap. XIII. 42. De *purpura n*, de *fibula aurea o* alibi diximus. Denique

V. 48. & 49. SCRIPTURAM ISTAM, id est decreta hæc totius populi Iudaici, TABULIS AEREIS incidi iubent, & *poni* IN PERIBOLOS SANCTORUM, id est in una porticuum templi, quæ sanctuarium undique ambiebant. Iubent postremo, ut eorumdem decretorum exemplar reponatur IN AERARIO, seu gazophylacio, id est in publicis templi thesauris & archiviis, ut sit quando SIMON vel FILII, vel posteri

EIUS

EIUS illo egerent, inde depromere possent.

(a) Cap. XI. 12.
(b) Ioseph. Lib. I. cap. XIII. & in Chron. nostro cap. XL.
(c) Cap. XIII. 11.
(d) Cap. XII. 1.
(e) In Proleg. de Ponderibus & monetis.
(f) Cap. XIII. 8.
(g) Cap. XIII. 41.
(h) Cap. I. 35.
(i) Cap. XIII. 50.
(k) Cap. IV. 46.
(l) Deut. XVIII.
(m) Chronici cap. XLII.
(n) Exodi XXV. 4.
(o) I. Mach. X. ult.

GORDONI.

Vers. 24. MNA. Quid sit vide Esdræ I. cap. VIII.

V. 26. ET STATUERUNT EI LIBERTATEM. Notatur vers. 27. firmatam fuisse omnium consensu auctoritatem Simonis, anno Græcorum 172. qui dicitur tertius annus Simonis, sed quid illud est, STATUERUNT EI LIBERTATEM? Sane ut apparet, Romani statuerunt; idque Simoni, & cum plena potestate libere regendi: vox Asaramel corrupta putatur, & legendum est Ierusalem; alii retentam vocem Hebræam putant.

V. 27. ELUL. Augustus. IN ASARAMEL. Aliqui legunt Ierusalem, ut iam dixi.

V. 48. IN PERIBOLO SANCTORUM. De his peribolis circa templum, & templi partibus, vide Ezechiel. XL.

V. 28. & 48. Decretum Iudæorum hic proponitur in gratiam Simonis, ad perpetuam rei memoriam: non ergo est hæc publicatio Romani decreti, & videntur finire hæ tabulæ, vers. 46.



CAPUT XV.

Antiochus Demetrii filius litteras amicitiarum mittit ad Simonem: Romani fœderatos sibi Iudaeos ceteris nationibus per litteras commendant: Antiochus dum Tryphonem insequitur, missum a Simone militum auxilium recusat, mittitque ad eum Athenobium qui multa tamquam debita reposcat; & Simonis responso accepto, constituit adversus eum Cendebaum ducem exercitus, ipse vero Tryphonem persequitur.

1. ET misit rex Antiochus filius Demetrii epistolas ab insulis maris Simoni sacerdoti, & principi gentis Iudæorum, & universæ genti: 2. & erant continentes hunc modum: REX Antiochus Simoni sacerdoti magno, & genti Iudæorum, salutem. 3. Quoniam quidem pestilentes obtinuerunt regnum
patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum, & restituere illud sicut erat antea: & electam feci multitudinem
exercitus, & feci naves bellicas. 4. * Volo autem procedere
per regionem, ut ulciscar in eos, qui corruperunt regionem nostram, & qui desolaverunt civitates multas in regno meo. 5. Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, & quæcumque alia dona remiserunt tibi: 6. & permitto tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tua:
7. Ierusalem autem sanctam esse, & liberam: & omnia arma quæ fabricata sunt, & præsidia quæ construxisti, quæ tenes, maneant tibi. 8. Et omne debitum regis, & quæ futura sunt regi, ex hoc & in totum tempus remittuntur tibi. 9. Cum autem obtinuerimus regnum nostrum, glorificabimus te, & gentem tuam, & templum gloria magna, ita ut manifestetur gloria vestra in universa terra. 10. Anno centesimo septuagesimo quarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, & conve-

venerunt ad eum omnes exercitus, ita ut pauci relicti essent cum Tryphone. 11. Et insecutus est eum Antiochus rex, & venit Doram fugiens per maritimam: 12. sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, & reliquit eum exercitus. 13. Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum belligeratorum, & octo millibus equitum: 14. & circuivit civitatem, & naves a mari accesserunt: & vexabant civitatem a terra & mari, & neminem sinebant ingredi vel egredi. 15. Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab urbe Roma, habentes epistolas regibus & regionibus scriptas, in quibus continebantur hæc: 16. LUCIUS consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem. 17. Legati Iudæorum venerunt ad nos amici nostri, renovantes pristinam amicitiam & societatem, missi a Simone principe Sacerdotum, & populo Iudæorum. 18. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille. 19. Placuit itaque nobis scribere regibus, & regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, & civitates eorum, & regiones eorum: & ut non ferant auxilium pugnantibus adversus eos. 20. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum. 21. * Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, ut vindicet in eos secundum legem suam. 22. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, * & Attalo, & Ariarathi, & Arsaci, 23. & in omnes regiones: † & Lampsaco, & Spartiatis, * & in Delum, & in Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & Alicarnassum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaselidem, & in Gortynam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenen. 24. Exemplum autem eorum scripserunt * Simoni principi sacerdotum, & populo Iudæorum. 25. Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admovens ei semper manus, & machinas faciens: & conclusit Tryphonem, ne procederet: 26. & misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, & argentum, & aurum, & vasa copiosa: 27. & noluit ea accipere, sed rupit omnia, quæ pactus est cum eo antea, & alienavit se ab eo. 28. Et misit ad eum Athenobium unum de amicis suis, ut tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Ioppen, & Gazaram, & arcem quæ est in Ierusalem, civitates regni mei: 29. fines earum desolastis, & fecistis plagam magnam in terra, & dominati estis per loca multa in regno meo. 30. Nunc ergo tradite civitates, quas occupastis; & tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Iudææ: 31. sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, & exterminii, quod exterminastis, & tributorum civitatum alia talenta quingenta: sin autem], veniemus, & expugnabimus vos. 32. Et venit Athenobius amicus regis in Ierusalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro & argento, & apparatum copiosum: & obstupuit: & retulit ei verba Regis. 33. Et respondit ei Simon, & dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque aliena detinemus: sed hereditatem patrum nostrorum, quæ iniuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est. 34. Nos vero tempus habentes, vindicamus hereditatem patrum nostrorum. 35. Nam de Ioppe & Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum. 36. Reversus autem cum ira ad regem, renuntiavit ei verba ista, & gloriam Simonis, & universa quæ vidit: & iratus est rex ira magna. 37. Tryphon autem fugit navi in Orthosiada. 38. Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum & equitum dedit illi. 39. * Et mandavit illi movere castra contra faciem Iudææ: & mandavit ei ædificare Gedorem, & obstruere portas civitatis, & debellare populum. Rex autem persequebatur Tryphonem. 40. Et pervenit Cendebæus Iamniam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Iudæam, & captivare populum, & interficere, & ædificare Gedorem. 41. Et collocavit equites, & exercitum: ut egressi perambularent viam Iudææ, sicut constituit ei rex.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Volo autem procedere per regionem*. Non mutes numerum ſingularem in pluralem *regiones*.

Verſ. 21. *Si qui ergo peſtilentes refugerunt*. Non commutes verbum compoſitum *refugerunt* cum ſimplici fugerunt.

Verſ. 22. *Et Attalo, & Ariarathi, & Arſaci*. Media vox quinque ſylaba eſt, aut certe quadriſylaba, *Ariarathi*, a nominativo *Ariarathes*: pro qua Græce legitur triſſylaba *Aratha* latine a pleriſque mendoſe *Araba*.

Verſ. 23. *Et in Delum & in Myndum & in Sicyonem & in Cariam, & in Samum, & in Pamphiliam & in Lyciam & in Alicarnaſſum & in Coo, & in Siden, & in Aradon & in Rhodum & in Phaſelidem, & in Gortynam & Gnidum*. Prima aliquot horum nominum propriorum multi latini libri legunt tertio caſu, omiſſa præpoſitione, *Et Delo & Mydo* &c. Ceterum *Myndum* ſcribendum eſt & *Aradon*, non *Mydo & Arado*, omiſſa littera *n*. Rurſus *Gortynam* non *Cortynam*: *g* ſeptima non tertia alphabeti littera *c*.

Verſ. 24. *Simoni principi ſacerdotum & populo Iudæorum*. Vetera manuſcripta addunt illud & *populo Iudæorum*.

Verſ. 39. *Et mandavit ei ædificare Gedorem*. Pro eo quod Latini fere libri græcis conformiter legunt *cedronem*, Romani Patres emendarunt *Gedorem* tum hoc, tum proximo verſu 40.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 23. ET *Lampſaco & Spartiatis*. Pro *Lampſaco* alii Latini libri, Græco conformiter, habent *Samſamæ*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. INSULIS, id eſt una ex inſulis.

V. 2. HUNC; pro, in hunc.

V. 5. DONA, id eſt penſiones.

V. 7. SANCTAM, &c. Græc. & *ſancta eſſe libera*.

V. 8. FUTURA SUNT, id eſt debebuntur.

V. 34. TEMPUS, id eſt opportunitatem.

V. 39. OBSTRUERE. Græc. *munire*.

V. 40. IRRITARE, id eſt provocare, ſeu vexare. CONCULCARE. Græc. *intrare*, ſeu *invadere*.

V. 41. VIAM. Græc. *vias*, ſeu *itinera*.

E S T I I.

Verſ. 5. & 6. NUNC ERGO STATUO TIBI OMNES OBLATIONES, QUAS REMISERUNT TIBI ANTE ME OMNES REGES: ET PERMITTO TIBI FACERE PERCUSSIONEM PROPRII NUMISMATIS IN REGIONE TUA, &c. Ex eo quod dicitur; *quas remiſerunt tibi ante me omnes reges*, ſatis colligitur ordinarie conceſſas fuiſſe a regibus immunitates ſupradictas populo Iudaico; & præcipue civitati Ieroſolymitanæ; idque religionis cauſa, quod in ea civitate eſſet templum, quod etiam apud externos reges ac principes in ſumma veneratione haberetur. Quæ cum facta ſint a regibus ethnicis, obſcuram tantum imaginem religionis menti impreſſam habentibus; ſatis liquet, id multo magis obſervandum a principibus Chriſtianis erga eccleſiam Dei, ut velint ſcilicet, ac ſtatuant Ieruſalem, id eſt eccleſiam eſſe *ſanctam ac liberam*, ut hic Scriptura loquitur. *Sanctam*, id eſt inviolabilem; quod præſtant, dum neminem ſinunt impune ſacra, aut iura eccleſiaſtica violare, ſed etiam armis iniuriam omnem ab ea propulſare conantur: *liberam*, dum privilegia libertatis concedunt, aut ab aliis conceſſa conſervant. Utriuſque certe habemus illuſtria exempla in rege noſtro catholico Philippo.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. ET MISIT REX ANTIOCHUS. Gotth. & Græce non eſt vox *Rex*.

Rex. Hic *Antiochus* prioris Demetrii filius, frater posterioris eius qui in Perside captus tenebatur. Eius uxor Cleopatra, viro capto, in Seleuciam se recepit; inde Antiocho huic suum coniugium & regnum obtulit. Sic ex leviro factus maritus, Tryphoni bellum intulit, qui se Regem dicebat, & captum tandem Apameæ occidit. Sic Iosephus Lib. XIII. cap. XII. a quo *Soter* vocatur, ab Eusebio in Chron. *Sedetes*. Vocatus est etiam *Pius*. Causas & origines horum cognominum non perscrutamur. Sic Antiochus.

V. 3. ELECTAM FECI. Græce *elegi* multitudinem exercituum. PROCEDERE PER REGIONEM volo. Gotth. *per regiones*. Sic multi alii Latini codices habent.

V. 6. PERCUSSURAM PROPRII NUMISMATIS permitto. Monetam cudere, lege Imperatoria inter Regalia numeratur.

V. 8. QUAE FUTURA SUNT REGI, id est regalia omnia iura & tributa remitto vobis Iudæis.

V. 11. VENIT DORAM Tryphon. Quam cap. XIII. 20. vocavit *Adoram*, nunc *Doram* vocat. FUGIENS PER MARITIMAM. Gotth. *per maritima*. Græce, *per mare fugit Tryphon*.

V. 14. CIRCUIVIT CIVITATEM Antiochus, pro, obsedit.

V. 16. LUCIUS CONSUL. Hic fuit *Lucius Furius*, de quo Cicero meminit III. de Officiis, & in Bruto. Car. Sigonius hunc fuisse Consulem ait ab Urbe cond. anno 617. in quem incidere debet annus 174. Regni Græcorum. Quidam ex hoc numero annorum urbis unum annum demunt, non magno discrimine: neque mirum variare computationes. Romani aiunt:

V. 18. MNARUM MILLE clypeum attulerunt. Græca Regia, *minarum quinque millium*. Error est corrigendus ex Romana editione, & cap. superiori, vers. 24.

V. 23. LAMPSACO. Mysiæ urbs est. Græce, *Sampsamæ*: quæ lectio vitiata obtinuit in omnibus fere codicibus Latinis.

V. 25. CONCLUSIT TRYPHONEM, NE PROCEDERET, id est ne fugeret. Græce, *conclusit Tryphonem ingredi & egredi*, id est ne quis ingredi eo, aut inde egredi posset. Antiochus ad Iudæos:

V. 31. ET EXTERMINATI, QUOD EXTERMINASTIS, id est pro exterminio, scilicet damnis quæ intulistis. ET TRIBUTORUM pro, & pro tributis quæ occupastis. Videt Regis Legatus Simonis

V. 32. CLARITATEM IN AURO. Græce, *abacum cum vasis aureis & argenteis*.

V. 35. HORUM DAMUS (aut *dabimus*) TALENTA CENTUM, id est pro his, scilicet Ioppe & Gazara, damus talenta centum pro earum possessione. ET NON RESPONDIT EI ATHENOBIUS. Græce & Gotth. non est *Athenobius*, sed bene suppletur.

V. 37. TRYPHON AUTEM FUGIT NAVI IN ORTHOSIADA. An hæc urbs est Apamea, in quam Tryphonem fugisse & ibi occisum Iosephus ait Lib. XIII. cap. XII.

V. 39. AEDIFICARE GEDOREM mandavit Rex, nimirum ut ex eo Iudæi vexarentur. ET OBSTRUERE PORTAS CIVITATIS. Gotth. *extruere portas civitatis*. Græce, *munire portas*, nempe Gedoris mandavit.

MENOCHII.

Vers. 1. FILIUS DEMETRII: Demetrii cognomento Soteris, quem Alexander interfecerat, frater autem Demetrii, qui Nicanor dictus est. AB INSULIS MARIS: scilicet Rhodo, ut habetur ex Appiano in Syriacis.

V. 3. PESTILENTES: scelerati. Tryphonem intelligit, & asseclas eius.

V. 4. PROCEDERE PER REGIONEM, id est Syriam ingredi.

V. 5. OMNES OBLATIONES. In Græco est, πάντα τὰ ἀφαιρέματα, id est *omnes oblationes*; quasi dicat, Quæcumque nomine vectigalium, aut tributi auferenda erant, & in fiscum regium deferenda, ea remitto. Iuxta eundem sensum explicanda Latina versio, ut sit sententia: omnia quæ offerre, id est repræsentare tenebamini regio fisco, vobis remitto. QUAECUMQUE ALIA DONA: quale erat aurum coronarium, de quo diximus supra cap. X. 29.

V. 6. PERCUSSURAM PROPRII NUMISMATIS: quod signum est supremi dominii permissi Iudæis.

V. 7. SANCTAM, ET LIBERAM. In Græco est, *& sancta esse libera*, id est est templum, & quæ ad pietatem, & cultum Dei pertinent.

V. 8. QUAE FUTURA SUNT REGI, id est quæ debebuntur, vel quæ deberentur. In Græco est, βασιλικά, *regia*: vulgo *re-*

galia dicuntur, &] Italice etiam eamdem vocem retinuimus, appellamus enim *Reg aglie*.

V. 11. DORAM: quæ est prope Ioppen, in littore maris mediterranei.

V. 16. LUCIUS. Salianus cum aliis putat hunc esse Lucium Calphurnium Pisonem.

V. 21. PESTILENTES: scelerati homines, publici boni, & patriæ hostes. VINDICET: puniat.

V. 24. EXEMPLUM EORUM: exemplum litterarum scriptarum ad reges recensitos, populos, & insulas, &c.

V. 25. NE PROCEDERET: ne exire posset; ne fuga se inde proriperet.

V. 27. RUPIT OMNIA: fidem violavit in omnibus, quæ fuerat pollicitus.

V. 28. GAZARAM, id est Gazam, ut supra non semel.

V. 29. FECISTIS PLAGAM MAGNAM: intulistis magnam cladem.

V. 31. ET EXTERMINII QUOD EXTERMINASTIS, &c. id est, pro clade, & vastitate, & damnis illatis, pendite alia quinquaginta talenta.

V. 32. CLARITATEM. In Græco est, κυλικεῖον, id est abacum in quo calices, pateræ, & alia vasa aurea, & argentea in usum mensæ reponuntur.

V. 34. TEMPUS, id est opportunitatem καιρός.

V. 35. NAM DE IOPPE, &c. Ioppitarum in Iudæos flagitium, cum ducentos eorum submerserunt, habes in secundo libro cap. XII. Quid autem a Gazensibus contra Iudæos peccatum sit, non facile reperitur. IN POPULO, ET IN REGIONE: & personis nocentes, & locis nostris. HORUM DAMUS TALENTA CENTUM: redimendæ vexationis gratia, horum causa offert talenta centum.

V. 36. REVERSUS EST CUM IRA AD REGEM: putavit enim se contemptum, quod decima tantum pars eorum, quæ postulaverat, fuisset oblata.

V. 37. ORTHOSIADA: quæ est urbs Phœniciæ.

V. 39. CONTRA FACIEM IUDAEAE: contra Iudæam. AEDIFICARE GEDOREM: ut scilicet inde impune posset ex propinquo vexare Iudæos. Gedor est civitas in tribu Dan, quæ Iosue XV. 58. Gedor dicitur, & I. Paral. IV. 39. Gador.

V. 40. IRRITARE PLEBEM: vexare plebem, quæ habitabat in pagis. ET CONCULCARE IUDAEAM: in fines Iudææ irrumpere, in Græco est, ἐμβατεύειν.

V. 41. PERAMBULARENT VIAM IUDAEAE: in Iudæam excurrerent, & eam populationibus infestam haberent.

TIRINI.

Vers. 1. ANTIOCHUS, capto fratre suo Demetrio Nicanore, regnum illius, simul & uxorem sibi vindicat, ut supra *a* dixi. Et iam AB INSULIS MARIS, nempe ex Rhodo, ubi eum fuisse scribit Appianus, litteras honoris plenas mittit ad Simonem, & Iudæos, ut eos sibi adversus æmulum suum Tryphonem devinciat: alioquin hostis infestissimus Iudæorum, ut patebit vers. 27. Inter alia vers. 5. *statuit Simoni* OMNES OBLATIONES. Græce, ἀφαιρέματα, id est *ablationes*, supple, onerum, seu immunitates a præcedentibus regibus indultas Iudæis. Has nempe ratas esse vult Antiochus. Porro Tryphon impar copiis Antiochi

V. 11. *Fugit* DORAM, urbem Phœniciæ maritimam, quam cap. XIII. 20. *Adoram* vocavit. Sed Antiochus mox

V. 14. CIRCUIT, id est circumdat, cingit, obsidet, undique CIVITATEM TERRA ET MARI. Interim

V. 15. NUMENIUS a Simone missus Romam legatus, redditas a S. P. Q. R. litteras in favorem Iudæorum ad varios *reges ac regiones*, seu respublicas Simoni refert. Litteris nomen suum inscribit *Consul Romanorum Lucius*, utique *Furius*, cuius consulatus incidit in annum conditæ Urbis 617. teste Sigonio, Cicerone *b* & aliis. Qui annus cum posteriore sui parte concurrat cum anno 174. Græcorum, cuius hic vers. 10. fit mentio; certum hinc habes vinculum sacræ chronologiæ cum profana. Eiusdem prorsus formæ litteras dant Romani

V. 16. Ad PTOLEMAEUM Evergetem AEgypti *regem*:

V. 22. Ad *Demetrium* Nicanorem Syriæ, licet apud *Arsacen* in carcere regem: ad *Attalium* Asiæ: ad *Ariarathem* Cappado-

dociæ: ad *Arsacen* Persarum & Parthorum reges. Item ad respubl. Primo, *Lampsacenam*, in Syria (liberam tum) regionem Ptolemæo teste *c*; secundo, *Spartiatum d*; tertio, in insulam *Delum*, &c. Sed hæ Romanorum litteræ ad tot tamque potentes reges & resp. Romanorum quidem tum temporis potentiam arguunt: sed Iudæis exiguo solatio, nulli prorsus usui, nulli auxilio fuerunt, ut ex sequentibus patebit. Bilem potius Antiocho, Iudæis odium crearunt. Nam

V. 27. Antiochus, repulsis Iudæorum auxiliis, repudiatis muneribus, hostem se illis apertum declarat, misso in Iudæam

V. 28. *Athenobio* legato, qui cum eis de iniuriis & damnis regno Syriæ illatis expostulet, ablata repetat, tributa deposcat: sin autem, bellum indicat. Nihil interritus minis

V. 33. SIMON, generose RESPONDIT: NEQUE ALIENAM TERRAM SUMPSIMUS, seu occupavimus, *neque aliena* intuito titulo DETINEMUS: SED HEREDITATEM PATRUM NOSTRORUM; id est, quæ nobis hereditario iure debentur, opportunum tempus nacti, armis repetivimus AB INIMICIS NOSTRIS qui ea INIUSTE *possidebant*.

V. 35. Quod vero de occupatis a nobis IOPPE ET GAZARA conquereris, summa necessitas nos coegit, eas urbes occupare: incolæ enim earum perpetuis eruptionibus maxima nobis damna dabant: unde si velim s in pace esse, cogimur eas urbes nobis detinere. Sed earum ratione parati sumus *dare* regi Antiocho CENTUM TALENTA argenti, id est centum & viginti millia aureorum, pro grati animi & beneficii quasi ab ipso accepti recognitione. Hæc modesta Simonis responsio iram tyranni non restinxit, sed auxit. Cumque non posset ipsemet expeditionem in Iudæam suscipere, præpeditus prosecutione *Tryphonis*, qui ex urbe Dora clam elapsus, NAVI *profugerat* IN ORTHOSIADA, (quæ Ptolemæo *e* in Phœnicia est,) loco suo misit eo CENDEBAEUM classis suæ præfectum supremum, seu archithalassum, cum validis copiis, iubens ei *Iudæam* vastare universam: communita initio urbe *Gedore*; G ęce, *Cedrone*, in finibus & in ressu Iudææ, *& obstructis*; Græce, *munitis*, portis eiusdem *civitatis*, ut eruptiones inde & incursiones in Iudæam reliquam tuto facere posset.

(a) Cap. xiv. 11.
(b) Cicero III. de Officiis, & in Bruto.
(c) Ptolem. Lib. V. cap. xv.
(d) Supra xii. 2.
(e) Ptolem. Lib. V. Geogr. cap. xxv.

GORDONI.

Iam huius Antiochi epistola ad Simonem refertur hic vers. 1. & 2. exit in bellum contra Tryphonem anno 174. Græcorum vers. 10. rex cum ingenti exercitu obsidet Doram, vers. 13. Litteræ Romanorum ad reges Orientales, & alios ne vexent Iudæos. Lucio Cos. vers. 16. usque ad 25. Antiochus obsidet Doram contra Tryphonem, vers. 25. Simon mittit Antiocho suppetias, vers. 26. eas reiicit Antiochus, violando promissa, 27. Simon negat reddere civitates Ioppen & Gazaram, vers. 33. & 35. immittit rex Cendebæum in Iudæos, vers. 38.

V. 11. DORAM: cap. xiii. Adoram vocavit.

V. 18. Dum anno Græc. 174. Antiochus persequitur Tryphonem, redeunt Roma legati Simonis: quo anno notatur Lucius Consul; quis hic Consul fuerit certatur. Serrarius putat pro Lucio legi debere Lepidum, qui anno Græc. 176. Consul fuit. Verum si nomen consulis mutare licer, potius Lælius legi debet qui anno Græc. 173. Consul scribitur: puto tamen nihil mutandum, nam (ut observavi ad annum mundi 3865.) ad annum Græc. 174. Consul ponitur Calphurnius Piso. Lucium vocat Valer. Max. Lib. I. cap. iv. & ita in fastis legit Sigonius: item Onuphr. & Genebrar. in Chron. en interim nostræ Chronologiæ firmamentum. MNARUM MILLE, non quinque millia: vide cap. xiv. vers. 24.

V. 22. Scripsere Romani, ut vides, ad quinque reges, & loca alia, licet aliqua in Græco sint omissa, & immutetur numerandi ordo.

V. 23. LAMPSACO: urbs in Mysia est.

V. 25. Hanc obsidionem Doræ refert Salianus ad an. Græc. 175. saltem inchoari potuit anno 374. ut satis docet versiculus 10. In hac parte historiæ passim hal-

lucinatur Iosephus, sicut etiam omisit Athenobii legationem, de qua vers. 28.

V. 35. HORUM DAMUS TALENTA CENTUM. Poterant iure belli obtenta hæc loca sine pretio retineri: attamen Simon, ut vel sic redimeret vexationem, offert centum talenta: vide valorem cap. XIII. & an. mundi 3879.

V. 37. IN ORTHOSIDA. Hæc forte Phœniciæ est, de qua mox.



CAPUT XVI.

Simon senex mittit exercitum suum cum filiis suis Iuda & Ioanne adversus Cendebæum: quo devicto, Ptolemæus gener Simonis dominandi ambitione inflammatus, acceptos convivio socerum eiusque filios Mathathiam & Iudam dolo interfecit, ut ita Iudææ provincias obtineret: porro nuntii quos ad Ioannem dolo interimendum miserat, sunt ab illo interfecti, & Ioannes patri in summo sacerdotio successit.



1. ET ascendit Ioannes de Gazaris, & nuntiavit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum. 2. Et vocavit Simon duos filios seniores, Iudam & Ioannem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei, expugnavimus hostes Israel ab adolescentia usque in hunc diem: & prosperatum est in manibus nostris liberare Israel aliquoties. 3. Nunc autem senui, sed estote loco meo, & fratres mei, & egressi pugnate pro gente nostra: auxilium vero de cælo vobiscum sit. 4. Et elegit de regione viginti millia virorum belligeratorum, & equites; & profecti sunt ad Cendebæum: & dormierunt in Modin. 5. Et surrexerunt mane, & abierunt in campum: & ecce exercitus copiosus in obviam illis peditum, & equitum, & fluvius torrens erat inter medium ipsorum. 6. Et admovit castra contra faciem eorum ipse, & populus eius, & vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretavit primus: & viderunt eum viri, & transierunt post eum. 7. Et divisit populum, & equites in medio peditum: erat autem equitatus adversariorum copiosus nimis. 8. Et exclamaverunt sacris tubis, & in fugam conversus est Cendebæus, & castra eius: & ceciderunt ex eis multi vulnerati: residui autem in munitionem fugerunt. 9. Tunc vulneratus est Iudas frater Ioannis: Ioannes autem insecutus est eos, donec venit Cedronem, quam ædificavit: 10. & fugerunt usque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reversus est in Iudæam in pace. 11. Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Iericho, & habebat argentum & aurum multum: 12. erat enim gener summi sacerdotis. 13. Et exaltatum est cor eius, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum adversus Simonem, & filios eius ut tolleret eos. 14. Simon autem, perambulans civitates, quæ erant in regione Iudææ, & solicitudinem gerens earum, descendit in Iericho ipse, & Mathathias filius eius, & Iudas, anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo: hic est mensis Sabath. 15. Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificavit: & fecit eis convivium magnum, & abscondit illic viros. 16. Et cum inebriatus esset Simon, & filii eius, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpserunt arma sua, & intraverunt in convivium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quosdam pueros eius: 17. & fecit deceptionem magnam in Israel, & reddidit mala pro bonis. 18. Et scripsit hæc Ptolemæus,

& mi-

& misit regi, ut mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & civitates eorum, & tributa. 19. Et misit alios in Gazaram tollere Ioannem: & tribunis misit epistolas, ut venirent ad se, & daret eis argentum, & aurum, & dona. 20. Et alios misit occupare Ierusalem, & montem templi. 21. Et præcurrens quidam, nuntiavit Ioanni in Gazara, quia periit pater eius, & fratres eius, & quia misit te quoque interfici. 22. Ut audivit autem, vehementer expavit: & comprehendit viros, qui venerant perdere eum, & occidit eos: cognovit enim quia quærebant eum perdere. 23. Et cetera sermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum virtutum, quibus fortiter gessit, & ædificii murorum, quos extruxit, & rerum gestarum eius: 24. ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 4. ELEGIT, scilicet Simon, vel potius Ioannes.

V. 9. AEDIFICAVIT, scilicet ipse Ioannes, id est instauravit, vel potius Cendebæus, ut supra dictum cap xv.

V. 14. UNDECIMO, scilicet Ianuario.

V. 23. BONARUM VIRTUTUM, id est egregie factorum.

V. 24. LIBRO DIERUM, id est Annalium.

E S T I I.

Vers. 11. & 13. ET PTOLEMEUS FILIUS ABOBI CONSTITUTUS ERAT DUX, ET HABEBAT ARGENTUM ET AURUM MULTUM. ET EXALTATUM EST COR EIUS, &c. Enim Ptolemæo genero Simonis, rursum nobis ostenditur exemplum, & fœtus ambitionis. Ille enim, ut ait Scriptura, cum esset gener summi sacerdotis, exaltavit, seu elevavit cor suum. En superbia. ET VOLEBAT OBTINERE REGIONEM. Ecce ambitio. ET COGITABAT DOLUM, ADVERSUS SIMONEM ET FILIOS EIUS, UT TOLLERET EOS. Ecce ambitionis fructus, seu fœtus, quem animo conceptum, paulo post etiam peperit, & in publicum protulit; dum scilicet Simonem cum duobus filiis convivio exceptum crudeliter trucidavit, simul & affinitatis, & hospitalitatis iura violans. Hic sane illud poetæ completum est: *Non hospes ab hospite tutus: Non socer a genero.* utrumque enim in hoc exemplo concurrit.

M A R I A N AE.

Vers. 1. ET ASCENDIT IOANNES DE GAZARIS. Ex hoc capite constat, tres filios habuisse Simonem, *Ioannem*, *Iudam*, & *Mathathiam*, eo ut videtur ordine natos, quo eos hic numeramus. An plures? Iosephus Lib. XIII. cap. xv. indicat habuisse alios. IN POPULO IPSORUM. Hoc non est Goth. neque Græce.

V. 2. LIBERARE ISRAEL ALIQUOTIES. Græce, *multoties*, id fecimus, dicit Simon filiis.

V. 3. ESTOTE LOCO MEO, ET FRATRES MEI: lege *fratris mei*, ut est Græce, & in Vulgata Regia, scilicet Ionathæ aut Iudæ.

V. 6. ET ADMOVIT CASTRA. Quis? Ioannes, qui propter ætatem erat præcipuus dux, patris loco.

V. 10. SUCCENDIT EAS, scilicet turres, ad quas hostes confugerant. Græce, *eam*, scilicet Azotum succendit.

V. 14. ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SEPTIMO: nempe ab Urbe condita 620. Consulibus P. Mutio Scævola & Luc. Calpurnio; cum Simon præfuisset annis octo, ut Iosephus ait Lib. XIII. cap. xiv. nam anno 170. post Ionathæ mortem cœpit, & anno 177. extremo est occisus. Computato utroque anno, octo anni emergunt. Accepit Ptolemæus Simonem in arce

V. 15. QUAE VOCATUR DOCH, scilicet illa arx. Iosephus vocat *Dagon*.

V. 16. CUM INEBRIATUS ESSET SIMON, id est potu satiatus, se poculis invitasset. Nonius Marcellus: *Ebrios, non vinolentos, sed expletos qualibet re possumus dice-*

dicere. De quo plura Augustinus quæst. XLIV. in Genes. in illa verba, *Biberunt* (fratres Ioseph) *& inebriati sunt*.

V. 23. CETERA SERMONUM, (id est rerum gestarum) IOANNIS. Hic patri in Pontificatu & Principatu successit. A Iosepho sæpe vocatur *Hircanus*, cognomine ab Hircanis devictis facto, uti Eusebius in Chron. ait.

MENOCHII.

Vers. 1. DE GAZARIS. De Gaza, in qua cum pater constituerat supra XIII. 54.

V. 3. ET FRATRIS MEI: Ionathæ.

V. 4. ELEGIT: scilicet Ioannes dux a patre constitutus. IN MODIN: loco vicino Gedori.

V. 8. EXCLAMAVERUNT SACRIS TUBIS, &c. & impletum est quod promiserat Dominus, Num. x. 9. *Si exieritis ad bellum*, &c. *clangetis ululantibus tubis*, *& erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro*, *ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum*. IN MUNITIONEM: Gedor.

V. 9. CEDRONEM: idem locutus est cum Gedor. QUAM AEDIFICAVIT: scilicet Cendebæus.

V. 10. FUGERUNT USQUE AD TURRES, &c. qui scilicet in munitione Gedor admitti non potuerunt.

V. 11. CONSTITUTUS DUX: scilicet a Simone socero suo.

V. 13. OBTINERE REGIONEM: cum summo imperio, loco Simonis soceri.

V. 14. MENSE UNDECIMO: mense Ianuario.

V. 17. DECEPTIONEM MAGNAM IN ISRAEL; id est, in proditionem Israeli damnosissimam. REDDIT MALA PRO BONIS: fuerat enim honoratus affinitate summi sacerdotis, & Principis Simonis.

V. 18. CIVITATES EORUM, id est Iudæorum.

V. 19. GAZARAM: Gazam. TOLLERE IOANNEM: Ioannem occidere. TRIBUNIS: Iudaicæ militiæ.

V. 23. BONARUM VIRTUTUM, id est egregie factorum.

V. 24. IN LIBRO DIERUM, &c. id est in annalibus eius temporis.

TIRINI.

Vers. 3. ESTOTE LOCO MEO (inquit Simon filiis suis) ET FRATRES MEI. Græce, *& loco fratris mei*.

Ergo capessunt imperium: & prior vers. 6. ADMOVIT CASTRA sua Ioannes, propter ætatem primarius *a* belli dux, loco patris, CONTRA FACIEM Cendebæi & copiarum ipsius.

V. 8. ET EXCLAMAVERUNT SACRIS TUBIS, de quibus Num. 10. Et facta impressione fuderunt & *fugarunt Cendebæum*, cæsis quamplurimis, reliquis IN MUNITIONEM Gedoris *b fuga* se recipientibus. Sed insequitur

V. 9. IOANNES fugientes hostes, DONEC VENIT CELRONEM, QUAM *ædificarat c* & communierat Cendebæus. Hinc colligimus, *Cedronem* non tantum vallis vel torrentis *d*, sed & urbis nomen esse. Sed præclaram victoriam paulo post magna excipit clades. Nam Simon summus Iudæorum pontifex & princeps indigna morte

V. 11. *A Ptolemæo* genero suo, dolose in convivio, e medio tollitur, una cum filiis suis *Iuda & Mathathia*, Græcorum ANNO CENTESIMO SEPTUAGESIMO SEPTIMO, idque *in munitiuncula*, seu arce, DOCH, Iosepho *Dagon*, *in campo Iericho*.

V. 16. CUM INEBRIATUS ESSET, id est liberaliore potu exhilaratus esset, SIMON. Nam teste Nonio Marcello, *ebrii* dicuntur, *non* soli *vinolenti*, *sed* & *quilibet re expleti*: exemplo fratrum Iosephi Genes. XLIII. & Psal. LXIV. *Visitasti terram*, *& inebriasti eam*. Voluit & primogenitum Simonis, nempe Ioannem, simili dolo e medio tollere, vers. 19. sed detectis Ioannis insidiis, percussores ad se missos ipse prævertit.

V. 22. ET OCCIDIT. Præter hos tres, fuisse plures Simoni filios affirmat diserte Iosephus *f*, cum inter alios obsides Antiocho Sedeti datos, ipsum Ioannis fratrem collocat, & alios captos ac vinctos narrat, una cum matre eorumdem. Regnavit Simon annis universim septem, nempe a 170. *g*. Græcorum anno usque 177. *h* Iosephus octo annos illi dat, quia octavum inchoarat Sed multum fallitur Iosippus, qui 18. annos illi consignat, & a Ptolemæo AEgypti rege veneno necatum dicit,

mani-

manifesta Dei vindicta, quod cum Spartiatis & cum Romanis fœdus *i* pepigisset. Sed hoc supra *k* refellimus. Simoni defuncto successit filius eius

V. 13. *Ioannes* cognomento *Hyrcanus*, cuius præclara gesta prosequitur Liber II. Machabæorum, prosequuntur & ambo Iosephi, Flavius & Gorionides *l*. Vocatur *Hyrcanus*, a devictis Hyrcanis, inquit Eusebius & S. Thomas. Perfidum parricidam Ptolemæum in arce sua *Doch*, seu Dagon, mox obsedit Ioannes: sed cum ante sabbathicum annum iam imminentem arce potiri non posset, soluta obsidione, effugere passus est. Cum Antiocho rege, qui Tryphone Apameæ *m*, quo confugerat, occiso, Ierosolymam obsessurus cum ingentibus copiis advolarat, inducias primo propter Scenopegiorum solemnes dies, deinde etiam pacem pepigit rege complures auratis cornibus tauros ad templi sacrificia submittente. Eundem *regem ad bellum Parthicum comitatus est: Syriæ plurimas urbes cepit, Samaritas vicit, Garizitanum templum evertit, Idumæos domuit, ad innovandam societatem legatos Romam misit.* Tandem post 31. annos principatus & sacerdotii sui satis concessit, relicto successore filio suo Aristobulo, qui loco *ducis*, nomen *regis* cum diademate primus Hasmonæorum assumpsit, & pontificatui adnexuit, & adnexum reliquit fratri suo Alexandro, & Alexandri filio Aristobulo secundo: quo regnante capta a Pompeio Ierosolyma, & Iudæa in provinciam redacta, & dignitas regia a pontificali prorsus avulsa est, ut in Chronico dixi cap. XLII. Aristobulus a Pompeio captus Romam *n* mittitur: filio eius Antigono cervices ab Antonio *o* præciduntur, sic rogante Herode. Atque ita exstinctis Hasmonæorum regibus, & sceptro de tribu Iuda sublato, Herode alienigena per vim a Romanis intruso, natus est in Bethlehem Iuda *Iesus qui vocatur Christus*.

(a) I. Mach. XIII. 14.
(b) Cap. XV. 35.
(c) Ibid. & 40.
(d) II. Reg. XV. 23. & Ioan. XVIII. 1.
(e) Ioseph. Lib. XIII. cap. XIV.
(f) Ioseph. sup. cap. XV.
(g) I. Mach. XIII. 8. & 41.
(h) Cap. XVI. 14.
(i) Cap. XIV. 20. & 24. & XV. 16.
(k) Cap. IX. 18.
(l) Flav. Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. XIV. & seqq. Gorion. Lib. IV. cap. II. & seqq.
(m) Ioseph. sup. cap. XII.
(n) Ioseph. Lib. XIV. cap. VI. 8. II.
(o) Ioseph. Lib. XV. cap. I. &c.

GORDONI.

EX hoc capite XVI. hæc habentur. Ex tribus Simonis filiis, Iuda, Ioanne, & Mathathia, missus a patre est Ioannes contra Cendebæum, vers. 2. egregie rem bellicam gerit, vers. 6. reportat victoriam fugato Cendebæo, vers. 7 & 10. Arx Doch a Iosepho vocatur Dagon. Ptolemæus filius Abobi; molitur insidias contra Simonem, quem anno 177. prætextu convivii occidit, & duos filios], vers. 16. Ioannes re cognita, se & principatum tuetur, vers. 21. & deinceps: hæc passus est Simon a Ptolemæo genero suo. Hallucinatur Iosephus affirmans hunc Ptolemæum fuisse regem AEgypti. Homicidas postea persecutus est hic Ioannes dux ac Pontifex, & Hircanus nominatus. De sacris tubis, vers. 8. vide Num. X. 2. Vide opus chronol. ad annum mundi 3869. ubi anno Græcor. 178. & V. C. 168. notatur primus annus Hircani, cui dantur anni 30. sed in Simone finem accepit Machabæorum historia, anno Simonis octavo. Iosepho Lib. XIII. scribit Ioannem nihil a maiorum virtute degenerasse.

LIBER SECUNDUS MACHABAEORUM.

CAPUT PRIMUM.

Iudaei habitantes Ierosolymis scribunt Iudaeis in Ægypto commorantibus mortem Antiochi ac suorum quae in Perside contigerat, gratias Deo agentes, & hortantes ut celebrent diem scenopegiae & diem dati ignis post reductionem captivitatis: cuius rei narratur hic historia, & oratio Nehemiae.

1. FRATRIBUS, qui sunt per Ægyptum, Iudaeis, salutem dicunt
fratres, qui sunt in Ierosolymis, Iudaei, * & qui in regione
Iudaeae, & pacem bonam. 2. Benefaciat vobis Deus, & meminerit
testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob, servorum suorum fidelium: 3. & det vobis
cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis eius voluntatem,
corde magno, & animo volenti. 4. Adaperiat cor vestrum in
lege sua, & in praeceptis suis, & faciat pacem. 5. Exaudiat
orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. 6. Et
nunc hic sumus orantes pro vobis. 7. Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimo nono, nos Iudaei scripsimus vobis in tribulatione, & impetu, qui supervenit nobis in istis annis, ex quo recessit Iason a sancta terra, & a regno. 8. Portam succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & oravimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, & similaginem, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. 9. Et nunc frequentate dies scenopegiae mensis Casleu. 10. Anno centesimo octogesimo octavo, populus, qui est Ierosolymis, & in Iudaea, Senatusque & Iudas, Aristobolo magistro Ptolemaei regis, qui est de genere christorum sacerdotum, & his, qui in Ægypto sunt, Iudaeis, salutem & sanitatem. 11. De magnis periculis a Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, utpote qui adversus talem regem dimicavimus. 12. Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnaverunt contra nos, & sanctam civitatem. 13. Nam cum in Perside esset dux ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naneae, consilio deceptus sacerdotum Naneae: 14. etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici eius, * & ut acciperet pecunias multas dotis nomine.
15. Cumque proposuissent eas sacerdotes Naneae, & ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum fani, clauserunt templum, 16. cum intrasset Antiochus: apertoque occulto aditu templi, mittentes lapides percusserunt ducem & eos qui cum eo erant, & diviserunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt. 17. Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios. 18. Facturi igitur quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: * ut & vos quoque agatis diem scenopegiae, & diem ignis qui datus est quando Nehemias aedificato templo & altari obtulit sacrificia. 19. Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri; sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus. 20. Cum autem praeterissent an-

anni multi, & placuit Deo ut mitteretur Nehemias a rege Persidis: nepotes sacer-
dotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrave-
runt nobis, non invenerunt ignem, sed aquam crassam. 21. Et iussit eos haurire,
& afferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi
ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. 22. Utque hoc factum est, & tem-
pus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus,
ita ut omnes mirarentur. 23. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dum
consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, ceteris autem respondentibus. 24.
Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium creator,
terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus rex, 25. solus præstans,
solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fe-
cisti patres electos, & sanctificasti eos: 26. accipe sacrificium pro universo populo
tuo Israel, & custodi partem tuam, & sanctifica. 27. Congrega dispersionem no-
stram, libera eos qui serviunt Gentibus, & contemptos & abominatos respice, ut
sciant Gentes quia tu es Deus noster. 28. Affige opprimentes nos, & contume-
liam facientes in superbia. 29. Constitue populum tuum in loco sancto tuo, (a)
sicut dixit Moyses. 30. Sacerdotes autem psallebant hymnos, usquequo consumptum
esset sacrificium. 31. Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua
Nehemias iussit lapides maiores perfundi. 32. Quod ut factum est, ex eis flamma
accensa est: * sed ex lumine, quod refulsit ab altari, consumpta est. 33. Ut vero
manifestata est res, renuntiatum est regi Persarum, quod in loco, in quo ignem
absconderant hi qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias,
& qui cum eo erant, purificaverunt sacrificia. 34. Considerans autem rex, & rem
diligenter examinans, fecit ei templum, † ut probaret quod factum erat, 35. &
cum probasset, sacerdotibus donavit multa bona, & alia * atque alia munera, &
accipiens manu sua, tribuebat eis. 36. Appellavit autem Nehemias hunc locum
Nephthar, quod interpretatur Purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

(a) Deut. xxx. 3. 5. Infr. II. 18.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 1. *Et qui in regione Iudææ*. Non mutes numerum singularem in pluralem *regionibus*, nee genitivum *Iudææ* in ablativum *Iudæa*.

Vers. 14. *Et ut acciperet pecunias multas*. Alii scribunt plurali numero *acciperent*.

Vers. 18. *Ut & vos quoque agatis diem scenopegiæ*. Non addas *festum*.

Vers. 32. *Sed ex lumine quod refulsit ab altari consumpta est*. Non interponas & inter *sed* & *ex*.

Vers. 35. *Atque alia munera* &c. Quatuor harum vocum loco nequaquam scribas unum vocem *innumera*.

LECTIONUM VARIETAS.

Vers. 34. & 35. UT *probaret quod factum erat*: & *cum probasset*. Hæc verba a multis bonis manuscriptis omitti, Græco consentanee, docent Notationes nostræ.

NOTATIONES.

Vers. 18. F*Acturi igitur quinta & vicesima die mensis Casleu purificationem templi; necessarium duximus significare vobis, ut & vos agatis diem scenopegiæ*. Sedecim nostra manuscripta Brug. Lob. Leod. Malm. Brevi. O. Q. L. V. &c. tollunt Græcis libris similiter *Die*: *Quinta*, habent, & *vicesima mensis Casleu*. Quatuor ex illis Malm. O. Q. U. tollunt insuper &, quod est post *ut* coniunctionem (superfluit enim alterum aut &, aut *quoque*) *Ut vos quoque agatis*. Brugense, quod minus est verisimile, aufert *ut*: *Et vos quoque agatis*. Illud Græco consonat: ἵνα καὶ αὐτοὶ ἄγητε, *ut & ipsi agatis*. Sequitur in Græco: ὡς σκηνοπηγίας, *instar scenopegiæ* vel *ut scenopegiæ*, subaudi, solemnita-

nitatem toto pene anno a menſe Casleu uſque ad Tiſri, a nono uſque ad ſeptimum celebrari. Verius eſt igitur quod in Complutenſibus ὡς σκηνοπηγίας. Interpres addidit quod ſubauditur *ut m ſcenopegiæ*: non tamen addidiſſe opinor, qood eſt in quatuor Hentenii exemplaribus, nullis vero noſtris, *Diem feſtum ſcenopegiæ*. Cum vero addiderit quod ſubauditur, omiſerit ne quod exprimitur, adverbium ſimilitudinis ὡς; præſertim cum ad rem non parum faciat: D. Ianſenio (In caput XCIII. Concordiæ Evangelicæ) veriſimile eſt, ſcriptorum vitio omiſſum eſſe, omninoque legendum: quod non feſtum ſcenopegiæ ſive tabernaculorum petant celebrari: id enim decimoquinto ſeptimi menſis, qui Tiſri dicitur, die celebrandum erat; ſed templi purificationem altariſque dedicationem inſtar feſtivitatis tabernaculorum, octo nimirum diebus, & cum palmarum ramis. Poſſit igitur *ut*, id quod omittit Brugenſe manuſcriptum, aut quod alia *&* io *ut* mutatum hunc io locum transferri: *Ut vos quoque agatis ut diem ſcenopegiæ*. Ceterum nono huius capitis verſo vocaotur hi dedicationis feſti dies, *dies ſcenopegiæ*: *Et nunc frequentate dies ſcenopegiæ menſis Casleu*; nempe quod in modum ſolemnitatis taberoaculorum agi eos voluerint: egeruotque in modum tabernaculorum, ut eſt decimo huius libri capite, cum lætitia dies octo recordantes, quo pacto ante modicum temporis ſolemnem tabernaculorum diem in montibus & ſpeluncis, beſtiarum more, tranſegerant. Quare etiam recte locus intelligatur, tametſi ſimilitudinis adverbium *ut* non addatur.

V. 34. Conſiderans autem rex, & rem (*rem & o.*) *diligenter examinans fecit ei templum* (*tunc o. exemplum*. I. MS. C. littera notatum.) *ut probaret quod factum erat* (*eſt* 3. MS.) Sic plerique cum ſcripti, tum impreſſi codices legunt, adſtipulantibus Gloſſematicis, Lyrano, & Richelio. Octo autem noſtra, eaque antiquiora & emendatiora manuſcripta, quæ paulo poſt ſuis indicabimus nominibus, cum Hugonis Carenſis antiquioribus libris auferunt poſtremam huius verſus partem: *ut probaret quod factum erat*. Græca Complutenſis editio habet: περιφράξας (ἐπιφράξας R.) καὶ ὁ βασιλεὺς (τὸν τόπον Gq.) ἱερὸν ἐποίησε, *Circumſepiens autem Rex templum* (*locum* Gq. aut *ſacrum*) *fecit*. Interpres legiſſe videtur φράσας a φράζω *conſidero*; pro φράξας, quod eſt a φράττω *ſepio*: τὸν τόπον, quod addunt Aldi & Germaoorum Biblia non legit; ut in Regiis & Complutenſibus non legitur: putarim expoſitionis gratia adiectum. Sequitur atque io aliis editionibus ſimili modo δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα: id quod verti poteſt: Et *explorans* ſive *examinans rem*, &, quod idem eſt, *probans factum*. Quare nihil mirum in integrioribus libris id, *ut probaret quod factum erat* noo legi, cum ex altera eſſe videatur eiuſdem partis translatione.

Sequitur verſus 35. qui in impreſſis codicibus eſt hunc in modum: *Et cum probaſſet*, (*probavit* 1. MS.) *ſacerdotibus donavit* (*donaverat Rex* 1. MS. *dedit* 1. MS.) *multa bona, & alia, atque alia munera* [*innumera* 11. MS.]: *& accipiens* [*accipiebat* 2. MS.] *manu ſua* (*munera* 1. MS.) *tribuebat* (*retribuebat* 2 MS. *tradebat* 5. MS.) *eis*: quæ & vulgarium fere manuſcriptorum, ac Gloſſematicorum Lyrani, & Richelii lectio eſt, exceptis duntaxat varietatibus quibuſdam, quas margo indicat. Porro vetuſtiora emaculatioraque manuſcripta longe aliter habent: *Et ſi quibus donaverat rex multa bona accipiebat* (*excipiebat* o.) *ex hoc & tribuebat*, nec plus addunt. Sic Brugeoſe, Lobienſe, Lodienſe, Malmundarienſe, Huooæi Breviarium, O, L, R: oiſi quod Brugenſe *dominaverat* pro *donaverat*; & L. *ſic* pro ſi habeat. Teſtatur & Hugo Cardinalis in antiquioribus libris eſſe: *Et ſi quibus prius dominatus fuerat rex, multa bona accipiebat ex hoc tempore & tribuebat*: verum hic addita ſunt explicationis ergo *prius & tempore*. Eſt hoc loco iterum duplex eiuſdem Græcæ ſenteotiæ interpretatio: in vulgaribus libris una, in eximiis altera lecta: καὶ οἷς, eſt Græce, ἐχαρίζετο ὁ βασιλεὺς πολλὰ διάφορα ἐλάμβανε καὶ μετεδίδου: quod eſt ad verbum: *Et quibus donabat* (aut *gratificabat*) *rex multa diverſa accipiebat, & tradebat*. Poſterior antiquorum manuſcriptorum lectio atque interpretatio multo huic, quod Græce legitor, vicinior eſt: itaque & hoc nomine præferenda. Clarum eſt autem, manifeſtum eſſe errorem, quod eſt in quibuſdam, *dominatus fuerat*, *dominabatur*, vel *dominaverat*, pro *donaverat*: hoc eoim, oon illud χαρίζεσθαι notat. Hanc vero Interpretis converſionem, quod obſcura ſit, ut & fons ipſe, cum altera illa mutarunt, quæ clarior eſt, & paraphraſticῶs rem explicat. Eius autem prima particula *& cum probaſſet*, ex eodem illo eſt, quod ſuperior verſus habet δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα, quam exemplar C. notatum habet, omiſſo illo *ut probaret quod factum erat*. Quinque noſtra, & 4. Hentenii exemplaria utramque interpretationem connectunt cooiunguntque: & quædam quidem eorum eam quæ germana eſt noſtri Interpretis præponunt; quædam poſtponunt alteri; ex illis C., ex his eſt Q. Sed hæc quia & longa & ſpuria ſunt nolo hic recitare: potius adſcribam, quomodo locus integer genuine pureque legatur. Itaque

hunc

hunc id in modum ex antiquis codicibus fieri arbitror: *Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum: & si quibus donaverat rex multa bona accipiebat ex hoc & tribuebat;* cuius sensum existimarim dari posse huiusmodi: Cognita Rex perspectaque rei veritate, locum in quo divinus ignis absconditus fuerat, sacrum reddidit ac consecravit: & si in quos Iudæorum ante hac munificus fuerat; ut certe in multos fuerat; iam multa eis bona suis accepta manibus per se elargiebatur.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 1. BONAM, id est felicem. *V.* 2. TESTAMENTI, id est pacti. SERVORUM, &c. pro, servos, &c

V. 3. VOLENTI, id est prompto.

V. 4. PACEM, id est prosperitatem.

V. 5. MALO, id est calamitoso.

V. 7. DEMETRIO. Vide sup. Lib. I. cap. XI. RECESSIT, id est defecit, scilicet per apostasiam.

V. 8. SUCCENDERUNT, scilicet hostes.

V. 9. SCENOPEGIAE, scilicet ob purificatum templum a Iuda eo mense. Apparet eos id festum Encæniorum celebrare solitos ritu Scenopegiæ, de quo vide inf. cap. x. vel legendum *Scenopegiæ &*, vide inf. vers. 8. CASLEU, id est Novembris. Vide Zach. VII.

V. 10. ANNO, &c. id est finis superioris epistolæ. POPULUS, &c. Hic incipit altera epistola. IUDAS, scilicet Machabæus. CHRISTORUM, id est unctorum. SALUTEM ET SANITATEM. Græce, *gaudere & salvere*.

V. 11. REGEM, scilicet Antiochum Epiphanem.

V. 12. EBULLIRE, scilicet prodire in magna copia, uti dictum Exod. VIII. & de moribus I. Reg. V.

V. 13. CECIDIT. Quidam *percussum* interpretantur: alii Antiochum Magnum intelligunt, non Epiphanem, ne hæc contraria sint iis quæ dicta Lib. I. cap. VI. NANEAE, id est Dianæ: vox Persica.

V. 14. CUM EA, scilicet velut sponsa vel dea.

V. 16. ADITU, id est porta, seu fenestra. TEMPLI. Græc. *laquearis*.

V. 18. DIEM. Græc. *velut diem*.

V. 19. PERSIDEM, id est Babyloniam: sic I. Mach. VI. CONTUTATI SUNT, id est tuto servarunt.

V. 20 NARRAVERUNT, scilicet aliqui,

V. 24. BONUS REX. Græc. *Rex & bonus*, seu *benignus*.

V. 25. PRAESTANS. Græc. χορηγός, id est *munificus*, sed *liberalis*.

V. 26. PARTEM, id est hereditatem, scilicet populum Israel.

V. 27. ABOMINATOS, id est execratos, scilicet a Gentibus.

V. 28. IN SUPERBIA, id est superbe.

V. 29. DIXIT, id est instituit.

V. 33. TRANSLATI, id est ducti in captivitatem.

V. 34. UT PROBARET; pro, approbans.

E S T I I.

Verf. 13. NAM CUM IN PERSIDE ESSET DUX IPSE; (de Antiocho sermo est, ut patet vers. seq.) ET CUM IPSO IMMENSUS EXERCITUS CECIDIT IN TEMPLO NANEAE, CONSILIO DECEPTUS SACERDOTUM. Scilicet postea dicitur sacerdotes, templo clauso, post ingressum Antiochi, & aperto occulto aditu templi, missis lapidibus *percussisse ducem, & eos qui cum ipso erant, eosque divisisse membratim*. Cui narrationi non satis consentire videtur, quod libro præcedenti cap. VI. scriptum est, Antiochum de Perside reversum, præ animi ægritudine in lectum decidisse, factoque testamento, & instituto regni successore filio, mortem obiisse. Et rursum, quod cap. IX. huius libri scribitur fugiens de curru cecidisse, & collisis totius corporis membris, vermibusque scatentibus inter horribiles dolores & fœtores, expirasse. Hoc argumento hæretici nostri temporis conantur huic libro fidem abrogare, ne cogantur admittere orationes pro defunctis, in hoc libro apertissime stabilitas.

Sed respondeo, has historiæ partes diligenter consideratas & discussas, nullo modo inter se pugnare. Nam nihil obstat quod Antiochus mœrore animi consternatus in languorem inciderit, quod habetur

I. Mach. vi. & nihilo minus hoc languore comprehensus in fuga de! curru deciderit, membrisque misere collisis, & fœdissimo morbo correptus fuerit, quod narratur hoc libro cap. ix. Tantum explicandum est, quomodo hoc capite, dicatur *cecidisse in templo Naneæ*, & paulo post verf. 16. *percussus cum sociis*, &c. Nullo enim modo putandum est, eum una cum sociis in templo Naneæ fuisse occisum. Id enim non dicitur; hæc enim sunt ipsius Scripturæ verba: verf. 15. & 16. CLAUSERUNT TEMPLUM, CUM INTRASSET ANTIOCHUS, APERTOQUE OCCULTO ADITU TEMPLI MITTENTES LAPIDES, PERCUSSERUNT DUCEM, ET EOS QUI CUM EO ERANT, ET DIVISERUNT MEMBRATIM, ET CAPITIBUS AMPUTATIS, FORAS PROIECERUNT. Nempe postrema vera sunt etiam de solis sociis intellecta, Antiocho inter pugnandum effractis foribus elapso. Similis locus est Genes. xiv. ubi rex Sodomorum & Gomorrhæ verf. 10. dicuntur cecidisse ibi, & quod reliqui fugerunt, & tamen postea narrantur adhuc vivere: item I. Reg. xxx. dicitur de Amalecitis, quod percusserint Siceleg; & tamen statim post additur, quod neminem occiderint. Similis quoque phrasis est in vita S. August. cap. xii.

MARIANAE.

Verf. 1. FRATRIBUS. Duæ epistolæ hoc primo Capite & parte sequentis videntur contineri, secunda ab iis verbis inchoari verf. 10. *Anno centesimo octogesimo octavo*. Præmittuntur autem huic secundo libro quasi præludia, quoniam in iis fit mentio Iudæ verf. 10. qui creditur fuisse huius secundi Libri auctor; tum Iudæorum; qui in AEgypto erant sub Onia Iuniore, qui post occisum patrem Oniam cap. iv. 34. fugit in AEgyptum, & ibi templum extruxit ad formam Ierosolymitani, ut refert Iosephus Lib. XII. cap. xv. Meminerit Deus testamenti,

V. 2 QUOD LOCUTUS EST. Illud *locutus est* Græce non est. AD ABRAHAM. *Ad*, pro, &, ut solœcismus vitetur. Sic totum lego: *Meminerit testamenti sui, & Abraham, & Isaac, & Iacob servorum suorum testamentum*, id est pactum Dei & illorum patrum.

V. 4. FACIAT PACEM, id est omnia bona tribuat. Per *pacem* Hebræi felicitatem intelligunt. Unde frequens inter eos salutatio, *Pax vobis*.

V. 7. REGNANTE DEMETRIO. Hic fuit successor Alexandri, duodecimus Asiæ Rex; de quo Lib. I. cap. xi. EX QUO RECESSIT IASON, multa passi sumus. Hic fuit Oniæ Pontificis frater, qui ambiens Pontificatum, abiit ad Antiochum Epiphanem, ut cap. iv. refertur verf. 7. ut ab eo eum honorem emeret. Græce additur, *Et qui cum eo*, scilicet recesserunt. Hostes

V. 8. PORTAM SUCCENDERUNT; pro, portas, scilicet urbis aut templi. Hæc mala præcipue tempore Antiochi Epiphanis passi sunt Iudæi, quæ epistola referunt scripta post aliquot annos. *Similaginem* obtulimus instaurato scilicet templo. *Similago* est farinæ flos. Nebrisl. *semola*. Nunc ergo

V. 9. FREQUENTATE DIES SCENOPEGIAE. Sic Festum Tabernaculorum vocabatur. Verum illud non mense *Casleu*, id est Novembris celebrabatur, sed mense *Thisri*, id est Septembri. Ita hoc loco *scenopegia* significabit dedicationem templi, quæ Casleu mensis die 25. celebrabatur, *encænia*. Quare sic vocetur, cap. x. 6. dicemus.

V. 10. ANNO CENTESIMO OCTOGESIMO OCTAVO. Initium secundæ epistolæ, inciditque hic annus in Antiochi regnum, qui dictus est *Gryphus*, Asiæ Rex quintus decimus. IUDAS ARISTOBOLO, scilicet hic creditur hunc 2. Librum scripsisse. ARISTOBOLO MAGISTRO PTOLEMAEI. Hic *Ptolemæus Evergetes* fuit, cuius regnum incidit in 188. cum epistola scripta est. Porro Rupertus II. de Victoria Verbi cap. xv. a tempore Ptolemæi Philadelphi susceptum ait, ut Reges illi Iudæos magistros haberent. DE GENERE CHRISTORUM, id est *unctorum*, SACERDOTUM. Reges, sacerdotes, & Prophetæ ungebantur.

V. 11. QUI ADVERSUS TALEM REGEM DIMICAVIMUS. Græce, *contra Regem*. De hoc Rege variant Auctores; quidam Antiochum Magnum volunt, qui fuit secundus Asiæ Rex, alio nomine Soter: alii Antiochum Epiphanem. Verum nec tempora consentiunt, nec mortis genus: fuit ergo Antiochus Demetrii prioris filius, frater alterius Demetrii, qui Sedetes est dictus. Hic Iudæos vexavit, Lib. I. cap. xv. eosque subegit: Iustinus Lib. XXXVI

Bis in Perſidem irrupit, eſtque in ſecunda expeditione occiſus; qua forma & dolo, hic narratur. Profani Scriptores violenta morte occiſum ſolum aiunt, de templo Naneæ nihil. Aut Antiochus Gryphus eſt, qui per ea tempora regnabat, cum epiſtola eſt ſcripta.

V. 13. CECIDIT IN NANEAE; hoc eſt, Dianæ, ut quidam volunt; aut Veneris, ut alii. CONSILIO DECEPTUS. Græce, παραλογισμῷ, id eſt *deceptione utentibus ſacerdotibus Naneæ, percuſſi ſunt*. Rex ſcilicet & ſocii.

V. 14. EST ENIM. Gotth. *ut enim*. CUM EO HABITATURUS: quaſi cum uxore, συνοικῆσαι id proprie frequenter ſignificat. Quidam Principes ea fuerunt amentia, ut ſe deos aut deorum filios facerent; alii deam aliquam habere uxorem. Nimirum ea ſpecie templa quaſi dotis nomine expilabant; quod de Heliogabalo refertur, quaſi Minervam deſponſaſſet, quadraginta aureorum millia dotis nomine accepiſſe. Id Antiochus voluit, uti illa verba magis declarant, UT ACCIPERET PECUNIAS MULTAS DOTIS NOMINE.

V. 15. CUMQUE PROPOSUISSENT EAS, id eſt pollicitii eſſent ſacerdotes.

V. 16 APERTOQUE OCCULTO ADITU. Græce additur *in laqueari*. MITTENTES LAPIDES PERCUSSERUNT. Græce, *mittentes lapides fulminarunt*. Nempe e loco ſuperiori lapides ut fulmina erant.

V. 19. CUM IN PERSIDEM DUCERENTUR PATRES, ignem abſconderunt. Per *Perſidem* Babylonem intelligit, quo Iudæi ducti ſunt. Erant Regna coniuncta.

V. 23. IONATHA INCHOANTE orabant. Hunc puto fuiſſe ſummum ſacerdotem, & a Nicephoro in Catalogo horum Pontificum vocari *Ioda*.

V. 34. CONSIDERANS AUTEM REX, ſcilicet miraculum ignis. Gotth. *determinans*. Græce, *obſtruens*. FECIT ET TEMPLUM, ſcilicet in eo puteo, ubi fuit ignis. Græc. *templum fecit*; nempe Ieroſolymitanum. UT PROBARET QUOD FACTUM ERAT. Hoc & totus ſequens verſ. non eſt in Gotth. at Græc. hoc, *Probans rem. Et quibus gratificabatur Rex, multa diverſa accipiebat & dabat*.

V. 36. APPELLAVIT AUTEM NEHEMIAS. Græce, *appellarunt autem qui cum Nehemia*. HUNC LOCUM NEPHTHAR, id eſt *purificationem*, lingua nempe Perſica ſeu Babylonica. Non eſt quod vocis notationem quæramus, ſunt qui ignem perpetuum fieri docent; aut qui aqua accendatur, extinguatur oleo. Nugæ & deliria ſomniantium.

MENOCHII.

Verſ. 1. FRATRIBUS, &c. litteræ anno 188. regni Græc. gubernante Iudaicam rempublicam Ioanne Hyrcano Simonis filio, cuius mentio eſt ultimo capite ſuperioris libri, miſſæ ſunt a Iudæis habitantibus Ieroſolymis, ad Iudæos, qui erant in AEgypto, quos Rupertus, & alii tradunt in magno tunc errore vixiſſe, templo in AEgypto ædificato, contra Dei legem. Itaque conantur hac epiſtola eos ab illegitimo cultu abducere, & ad Ieroſolymitani templi cultum, & ſolemnitates celebrandas inducere.

V. 2. TESTAMENTI, id eſt pacti. SERVORUM SUORUM: ſervos ſuos, noſter interpres genitivos, ut ſunt in Græco ad verbum expreſſit.

V. 3. VOLENTI, id eſt prompto.

V. 4. ADAPERIAT COR VESTRUM IN LEGE SUA: ut ſcilicet legem intelligatis, & ad praxim revocetis. Iudæi AEgyptii male intelligebant Scripturam de Altari in media AEgypto excitando Iſaiæ xix. 19. FACIAT PACEM: proſpera omnia vobis largiatur, ut ſolet iis, qui legem ſuam fideliter ſervant.

V. 5. RECONCILIETUR VOBIS: a quibus illum averſum eſſe veremur. MALA, id eſt calamitoſo.

V. 6. HIC SUMUS ORANTES PRO VOBIS: ut ſcilicet prædicta Dei dona recipiatis.

V. 7. DEMETRIO: vide ſupra Lib. I. cap. xi. IMPETU. Græce ἀκμῇ, id eſt cum tribulatio illa ad ſummum vigorem perveniſſet, & nos vehementiſſime urgeret, & premeret, id eſt ſummo noſtro diſcrimine ſcripſimus ad vos. RECESSIT, id eſt defecit, ſcilicet per apoſtaſiam.

V. 8. SACRIFICIUM, ET SIMILAGINEM: ſacrificia ex animalibus addita ſimila, iuxta legem. Vide Exod. cap. xxix. 40. ACCENDIMUS LUCERNAS: in candelabro templi. PROPOSUIMUS PANES: in menſa propoſitionis.

V. 9.

V. 9. ET NUNC FREQUENTATE, &c. In Græco est: *& nunc* (supple scribimus) *ut agatis dies scenopegiæ mensis Casleu*. SCENOPEGIAE. Festum Encæniorum, quod instar festi scenopegiæ celebratur Lib. I. Machab. IV. 52. & Lib. hoc secundo I. 4. & 16. Alioqui scenopegia, sive tabernaculorum solemnitas spectabat ad mensem Tisri. Exod. XXIII. & XXXIV. Levit. XXIII. Vide Riberam Lib. V. de festis cap. XVII. & XVIII. CASLEU: qui Novembri nostro respondet.

V. 10. ANNO CENTESIMO OCTOGESIMO OCTAVO. Hoc multi putant esse initium alterius epistolæ, sed Serarius, & Salianus probabilius negant, voluntque esse sensum; quasi dicat: Et hæc quidem illo anno scripsimus, hoc autem anno 188. scribimus vobis quæ sequuntur. Ut autem constaret quinam essent qui scriberent, eos enumerat, ut fit initio epistolarum; cum presertim hæc enumeratio initio epistolæ fuisset prætermissa; dictum enim tantum fuerat, *Fratribus*, &c. nominibus eorum qui scribebant non appositis. ET IUDAS. Quia Iudas Machabæum dudum erat mortuus ante annum hunc 188. propterea in eam multi sententiam iverunt, ut verba illa *Anno* 188. &c. essent clausula superioris epistolæ, & posterior inciperet illis verbis, *Populus qui est Ierosolymis*, &c. sed dicendum Iudam, cuius hic mentio, non esse Iudam Machabæum, sed Iudam quendam secta Essenum, prophetiæ dono inclytum, cuius prædictiones, inquit Iosephus Lib. XIII. cap. XIX. numquam fefellerunt. Huc ergo, quia magnæ erat auctoritatis, & religionis initio epistolæ adscribunt. Ita Serarius, & Salianus. ARISTOBOLO MAGISTRO PTOLEMAEI REGIS. De hoc Aristobolo ita scribit Eusebius Libro VIII. de præparat. capite III. *Aristobolus autem ille, cuius secundus Machabæorum liber initio meminit, quemque Aristotelica peritum philosophia fuisse constat, similiter manus, & cetera membra, quando de Deo dicuntur, intelligenda esse, in libro quem, ad Ptolemæum scripsit*, declarat, &c. MAGISTRO PTOLEMAEI REGIS. Videtur Aristobolus magistri Regis nomen adeptus, vel propter librum illum, cuius proxime meminimus scriptum in regis gratiam, eique dicatum; vel quod regem doceret res ad sacram Scripturam, & legem Mosaicam pertinentes. PTOLEMAEI REGIS: Ptolemæum Philometorem intelligit, qui cum hæc scriberentur mortuus erat, sed nihilominus Aristobolo nomen magistri regis remanebant, quod semel adhæserat. CHRISTORUM, id est unctorum, χρισῶν.

V. 11. ADVERSUS TALEM REGEM DIMICAVIMUS. Intelligit Antiochum Sidetem filium Demetrii Soteris, qui Tryphonem persecutus est, &c. & Iudæos in multis afflixit, & Simone adhuc vivente, & post Simonem filio eius Ioanne Hyrcano principatum tenente.

V. 12. EBULLIRE: scilicet prodire in magna copia, ut de ranis dictum Exod. VIII. 3. & de muribus I. Reg. V. 6. DE PERSIDE. Late sumit Persidem ut etiam Syriam comprehendit Parthiam, Mediam, & Chaldæam: sic infra hoc eodem cap. vers. 19. dicitur, *cum in Persidem ducerentur patres nostri*, id est Chaldæam, & Babylonem. Vide Serar ad hoc cap. quæst. XI.

V. 13. IN TEMPLO NANEAE. Naneam hanc esse Venerem pluribus disputat & Serar. ad hunc locum quæst. VII. CONSILIO DECEPTUS, &c. Aliter est in Græco. Sed nostræ versionis sententia est fraudulento consilio sacerdotum Naneæ occisum Antiochum; res autem quomodo gesta fuerit, statim subiicitur.

V. 14. CUM EA HABITATURUS: eam ducturus uxorem: hoc enim significant Græca, ὡς συνοικήσων αὐτῇ.

V. 15. PROPOSUISSENT EAS; scilicet, pecunias.

V. 16. APERTOQUE OCCULTO ADITO TEMPLI: ἀνοίξαντες τοῦ φατνώματος κρυπτὴν θύραν, id est *aperientes occultam portam, quæ erat in laqueari*. MITTENTES LAPIDES: e sublimi loco.

V. 17. TRADIDIT: morti, exitio.

V. 18. PURIFICATIONEM TEMPLI, id est memoriam templi emundati, quod etiam festum Encæniorum appellatum est. DIEM SCENOPEGIAE. In Græc. est *velut diem scenopegiæ*. DIEM IGNIS: cuius historia statim subditur.

V. 19. IN PERSIDEM: in Chaldæam. Vide dicta num. 12.

V. 25. BONUS REX. In Græco est, βασιλεὺς, ἢ χρηστὸς, *Rex & bonus*, sive benignus. PRAESTANS. In Græco est χορηγὸς, id est *munificus*, seu *liberalis*. FECISTI PATRES ELECTOS, id est elegisti patres nostros.

V. 26.

V. 26. Partem tuam, id est hereditatem, populum scilicet Israel.

V. 27. Congrega dispersionem nostram, reducens in patriam Israelitas, qui multis locis inter Gentes dispersi exulant. Contemptos, et abominatos: despectos, & viles habitos, quos etiam Gentiles abominantur propter religionis diversitatem.

V. 28. In superbia, id est superbe.

V. 29. Constitue populum, &c. restitue patriis sedibus, & redue in terram sanctas. Sicut dixit Moyses: Deut. xxx. 3. & 5.

V. 31. Iussit lapides maiores perfundi. Qui essent maiores hi lapides non satis constat, fortasse intelligit lapides inferiores altaris, ad quos sæpe hostiarum sanguis ut nunc aqua, fundebatur, usque ad imam crepidinem eius. Vide Ezechiel. xliii. 13. & quæ ibi notavimus.

V. 32. Sed ex lumine. Pro, *nam ex lumine*, id est ex igne, qui iam ardebat in altari.

V. 33. Qui translati fuerant, id est ducti in captivitatem.

V. 34. Fecit ei templum. In Græco est, περιφράξας δὲ ὁ βασιλεὺς ἱερὸν ἐποίησε; id est, *cum sepsisset rex sacrum fecit*; id est, locum illum, in quo repositus fuerat ignis, qui deinde mutatus est in aquam crassam, sacrum esse voluit, & illum sepsit. Itaque ἱερὸν, sumitur adiective, & ad eundem sensum facile explicari potest text. vulg. nostræ ditionis.

V. 36. Vocatur autem apud plures Nephi. Vulgo appelationem loci corrumpente, ut quotidie fieri videmus in aliis vocibus, quæ huiusmodi syncopas, & mutationes patiuntur.

T I R I N I.

Vers. 1. Fratribus, qui sunt per AEgyptum, Iudaeis, qui vel vi eo abrepti a Ptolemæo Lagi, vel suapte sponte eo concesserunt cum Onia filio Oniæ tertii pontificis sub Ptolemæo Philometore, & ibidem in Heliopolitana regione nobilissimum templum excitarunt, teste Iosepho, & Chronico nostro *a*. Pacem bonam: &

V. 2. Benefaciat vobis Deus; formulæ Hebræis familiares, quibus omne genus bonorum mutuo adprecantur. Meminerit Deus testamenti, seu pacti sui, quod pepigit & locutus est ad Abraham, et Isaac et Iacob, *servos suos fideles*: & ratione pacti illius misereatur vestri qui successores & filii illorum estis, & consequenter heredes bonorum illis promissorum.

V. 4. Adaperiat cor vestrum gratia sua & lumine cælesti, ut serio obediatis legi & præceptis ipsius. Maxime vero ut a profano templo & vetitis sacrificiis, ad templum Domini, quod nonnisi Ierosolymis *c* est, postliminio redeatis.

V. 7. Regnante Demetrio Demetrii Seleuci filio: nam huius regni *tertius* annus concurrit cum anno centesimo sexagesimo nono Græcorum, cuius hic fit mentio. Captus enim est Demetrius anno demum 172. *d*. Porro de *Iasone*, qui hic inducitur, fuse infra iv. 7. Hoc duce hostes nostri sub Antiocho Epiphane

V. 8. Portam templi & urbis Ierosolymitanæ, & portas quoque reliquarum urbium Iudææ, *succenderunt*. Sed piorum gemitus & orationes exaudivit tandem Deus, adeo ut repurgato iam ab omnibus abominationibus templo, *offeramus* in eo quotidie iuge sacrificium & holocausta, et similaginem, seu florem farinæ: & in candelabro septiramo accendimus sacras *e* lucernas: & in mensa aurea ponimus panes *f* propositionis. Igitur & vos

V. 9. Frequentate nobiscum dies Scenopegiae, non illos mensis septimi *Tisri g*, sed dies *encaeniorum* mensis noni Casleu, quando a Iuda Machabæo repurgatum fuit templum, & de novo dedicatum altare: I. Machab. iv. 52. & Lib. II. cap. x. 6. tunc enim licet non occurrerent dies Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, tamen dies totos octo dedicationis illius peregerunt festive Iudæi, *in modum* festivitatis *Tabernaculorum*, ut ibid. dicitur, & nos ibidem explicabimus.

V. 10. Sequitur altera epistola ab iisdem ad eosdem in AEgyptum data anno Græcorum centesimo octagesimo octavo. Ubi in titulo, Iudas is esse Ruperto *h*, Serario & Marianæ videtur auctor huius epistolæ, adeoque & libri huius secundi totius, nempe *Iudas Essenus i*, qui tum temporis, Iosepho teste k, ob sapientiam, futurorumque prædicendorum infallibilem scientiam ma-

magnæ apud omnes auctoritatis erat, & viginti post annis *Antigono* Ioannis Hyrcani pontificis secundogenito mortem post paulo secutam prædixit. *Aristobulus* vero sacerdos in AEgypto quis qualisve fuerit, incertum; certum, magnæ auctoritatis dignitatisque virum fuisse non solum inter Iudæos, sed & inter AEgyptios, utpote *magistrum* PTOLEMAEI REGIS AEgypti, qui anno illo 188. erat Evergetes, filius Philometoris natu maior. *Consueverant* enim, inquit Rupertus *l*, *Ægypti reges*, iam inde *a diebus Philadelphi* (*qui legem per* LXXII. *sibi fecit interpretari*,) *magistros habere Iudæos*.

V. 11. ADVERSUS TALEM REGEM DIMICAVIMUS: nempe *Antiochum Sedetem*, ut Rupertus *m*, Medina, Sigonius *n*, Serarius & Mariana exponunt. Licet enim Antiochus in initio videri voluerit Iudæis amicus, I. Machab. XV 1. postea tamen in acerbissima adversus eosdem odia, inimicitias & arma prorupit, ibid. vers. 27. & ingentia damna iis intulit, ut ibid. dixi vers ult. Et fieri potest, ut post innovatam rursus amicitiam, de qua ibidem egi, ad vomitum more suo tyrannus redierit, & ex amico iratus iterum hostis evaserit. *Bis enim in Persidem irrupit*, inquit Iustinus *o*: primo comitante Ioanne Hircano, ut dixi in fine Libri I. Secundo, sine illo, forte iam hostis illius & Iudæorum. Quando &

V. 12. EBULLIRE FECIT milites DE PERSIDE, id est maxima copia prodire adversum Iudæos. Sic *ranæ ebullierunt* Exodi VIII. & *mures* I. Reg. v. Sed suis adfuit iustus scelerum vindex Deus · nam

V. 13. CUM DUX IPSE Antiochus IN PERSIDE ESSET, occisus ibidem est *a sacerdotibus templi* NANEAE, id est *Dianæ*, inquit S. Thomas, Lyranus, Sa, Pererius, Lutherus & quidam alii; vel potius *Veneris*, ut ex Agathia, Clemente, Beroso, Athenocle, Symmacho, Gyraldo & pluribus antiquioribus auctoribus ostendit Serarius, Mariana & alii. Utraque in Perside colebatur: sed sequentia magis Veneri favent quam Dianæ.

V. 14. *Venerat* ANTIOCHUS rex HABITATURUS CUM illa dea; Græce *συνοικεῖν*, id est coniugalem eohabitationem initurus cum illa. Ita enim hanc vocem usurpat passim Iosephus, Herodotus, Plutarchus, Iustinianus Imperator & alii Græci. Et veros solitos regum veterum nonnullos suis eum deabus matrimonia inire, docet Heliogabali Urania, seu Venus apud Xiphilinum: & altera illa Caligulæ apud Svetonium: Pelei Thetis apud Isocratem. Et Thetidis illa seu maris desponsatio, quam Veneti quotannis in Ascensione Domini tanta solemnitate faciunt, nonne vestigium est pristini eiusmodi erroris? Sed clarissimum habemus exemplum in *Antonii Minerva* apud Senecam: *Despondérunt*, inquit, *Athenienses Antonio in matrimonium Minervam. Antonius ait se ducturum, sed dotis nomine imponere se illis mille talenta*. Sic noster hic Antiochus Venerem ducturus aderat, *ut dotis nomine pecunias multas acciperet*, & honesto prætextu thesauros templi expilaret. Sed cautiores erant sacerdotes quam ut tam facili negotio paterentur sibi imponi.

V. 15. CUM enim SACERDOTES PROPOSUISSENT, seu polliciti essent, regi se quas dotis nomine postularat pecunias subministraturos; deducto in templum rege CUM PAUCIS sociis, & clausis valvis, quasi peracturi sacros nuptiarum ritus, e parietum lateribus, vel ex superiori laqueari *lapidibus fulminarunt* (ita est in Græco) in subiectum regem eiusque comites, & omnes ad unum occiderunt, sparso forsan in vulgus rumore, profanos Syros a Numine, vel Numinis proco alio cæsos, prostratos & in orcum relegatos esse. Hæc tyranni tam infamis mors non sat innotuisse videtur profanis scriptoribus, qui tamen sat innuunt simili aliquo modo illum occubuisse. Nam Iustinus *desertum* ait *a suis, & occisum* eum contra Parthos pugnaret: Appianus, *seipsum interfecisse*; AElianus, *seipsum præcipitasse*. Nempe secreto peracta cædes variis variam loquendi ansam dedit. Pro tanto cæsi tyranni beneficio gratias ut Deo rependant, hac epistola invitant Iudæi Ierosolymitani Iudæos AEgyptios. Simulque

V. 18. Festa *encæniorum*, more *scenopegiorum*, de quibus vers. 9. ut celebrent hortantur, uti ET DIEM IGNIS, qui eodem tempore quo *encænia* videtur a Iudæis celebrari quotannis consuevisse. Historia hic ad longum describitur, & de ea dixi obiter II. Esdræ XII. 27. Porro quod hic di-

dicunt Iudæi, se VIGESIMA QUINTA DIE CASLEU *facturos* PURIFICATIONEM TEMPLI, idem est ac si dicerent, se die illa celebraturos veniente anno festum, in memoriam repurgati nuper templi: I. Mach. IV. 52.

Cum vero Vers. 19. IN PERSIDEM dicunt *abductos* a Nabuchodonosore Iudæos, in dicare volunt, non in solam Chaldæam, sed & in Persidem, & alia regna Chaldæo monarchæ subiecta Iudæos abductos fuisse. Vel certe nomen *Persidis* latius sumunt, ut omnes Orientales partes complectatur, uti supra vers. 12. 20. & alibi subinde usurpatur, & ex Lucano, & Chrysostomo & aliis probat Serarius, Mariana & Sa. Sic nomine Hispaniæ designamus omnia illa regna vicina quæ uni regi parent. Verisimile autem est, pios hos sacerdotes. hortatu Ieremiæ Prophetæ, sacrum IGNEM hunc in hoc *puteo* abscondisse. Quorum fidem valde commendat Rupertus *p*: *Ignem*, inquit, *morientem*, *qui nutriri non poterat*, *ubi nutriretur non habebat*, *illi resuscitandum commiserunt*, *in quo est spes resurrectionis mortuorum*. *Nec eos fefellit spes*. *Quomodo*? Revixit ignis post centum annos *q* aqua lignis & lapidibus superfusa accensa est & in flammam erupit, vers. 22. & 32. ubi additur, EX LUMINE, seu igne qui REFULSIT AB ALTARI, *consumptam esse flammam*, quæ ex aqua lapidibus vicinis superfusa eruperat. Nempe ignis qui ex ea aquæ portione quæ hostiis & lignis altari superpositis infusa fuit, eruperat, debebat in eodem altari æternum conservari: non item is qui ex altera portione lapidibus superfusa exortus fuerat; merito proinde hic ab illo absorptus & absumptus est. Similes ignium de cælo delapsus habe, Levit. IX. & II. Par. VII. & III. Reg. XVIII. & alibi. S. Ambros. & Chrys. Abulensis, Ribera *r* & alii dicunt ignem hunc typum fuisse Spiritus sancti die Pentecostes forma ignis in Apostolos delapsi.

Ionathas, cuius mentio est vers 23. non fuit summus sacerdos, ut quibusdam visum fuit, sed *cantorum* *s* præfectus, cuius tum vices erant.

V. 33. *Rex* PERSARUM erat tunc Artaxerxes *t* Longimanus, qui miraculo hoc DILIGENTER *examinato*, FECIT vers. 34. ei loco TEMPLUM: Græce, ἱερὸν, quod Genebrardus *u*, Beda & Serarius de sacro aliquo ædificio exponunt quo rex locum *putei* istius cohonestarit, ut qui antea profanus puteus erat, iam sacer haberetur. Unde & vers. 36. NEPHTHAR vocatur, vel, ut Serario legendum videtur, *Ephthar*, id est purificatio, seu sanctificatio, a radice *potar*, quod Hebræis, Chaldæis & Syris significat *dimittere* & *liberare*. Loca enim purificata & Deo consecrata solent ab omni profano vulgarique usu *libera* esse, & a tributis aliisque oneribus immunia *dimitti*. Græce est, ἀφεῖναι.

(a) Ioseph Lib. XII. Antiq. cap. I. & VI. & Lib XIII. cap. VI. Chron. cap. XXXIX.
(c) Levit. XVII. 3. & Deut. XII. 6.
(d) I. Mach. XIV. I. & 3.
(e) Exodi XXV. 31.
(f) Ibid. vers. 30.
(g) Ibid. cap XXVII. & XXXIV. & Levit. XXIV.
(h) Rupert. Lib. X. Victoriæ verbi Dei cap. XV.
(i) I. Mach. VII. 13.
(k) Ioseph. Lib. XIII. cap XIX.
(l) Rupert. sup.
(m) Rupert sup cap. VI. 16. 24.
(n) Sigon. Lib. II. in Sulpitium.
(o) Iustin. Lib. XXXVI.
(p) Rupert. de Vict. verbi Dei Lib. X. cap. XVIII.
(q) Chron. cap. XXXV. & XXXVII. XXXVIII.
(r) S. Ambr. in Lib. Patriarc. de Tob. & Chrysost. homil. XI. ad Hebræos. Abulens. in Exodi XXIX. quæst. XX. Ribera de Templo Lib. V. cap XVI.
(s) I. Par. XXV.
(t) Chronici cap. XXXVII.
(u) Genebr. in Notis.

GORDONI.

Vers. 13. NAM CUM IN PERSIDE, &c. De quo Antiocho hic agatur, dubitant plerique. Certe hic est Antiochus Soter, de quo dixi Lib. I. cap. XV. frater Demetrii capti a Persis, & filius prioris Demetrii: nam illi omnia hic conveniunt, ut notent multi. Quod præcessit vers. 12. *Ebullire fecit de Perside*, sive, *in Persidem*, ut aliqui legunt, perinde est: nam neuter sensus incommodum habet. Interim Antiochus velut Naneam Deam (Dianam aliqui intelligunt) coniugem accepturus, & dotis nomine, pecunias templi; ipse fanum cum paucis ingressus occiditur lapidum iactu, velut fulminis ictu percussus,

fus, συνεπηρώνωσαν τὸν ἡγμόνα. Ceterum moneo alias Persidis nomen latius interdum accipi, & complecti Parthiam, Mediam, & Chaldæam.

V. 18. FACTURI IGITUR, &c. Scenopegia quidem, seu tabernaculorum solemnitas ad mensem Tisri spectat, Exod. XXIII. & XXXIV. Cur ergo festum dedicationis vocat hic Scenopegiam? Certe ut ex Lib. II. cap. x. 6. quia fiebat ad modum Scenopegiæ, utrobique canebatur osanna. In præsentia ergo dies Encæniorum est, de quo I. Machab. cap. IV. At quis ignis dies; varii sunt tales dies. Hic tamen est dies Encæniorum templi secundi. Encæniorum, inquam, Esdræ VI. dic tertio mensis Adar, quando aderat Nehemias, & Persarum Rex urgebat, ut ibidem dictum est, & dicetur cap. II.

V. 20. & 23. CUM AUTEM PRAETERIISSENT ANNI MULTI, &c. Ionathan, cuius hic fit mentio, vers. 23. non erat Pontifex, sed cantor, aut Levita. Cete rum mirare hic divinam virtutem, dum ignis non in cineres, aut aerem, sed in aquam vertitur; dum aqua hostiis & lignis iniecta accenditur; & dum ignis in altari non consumitur: ubi textus designat porro ab hoc altaris lumine, seu flamma, consumptam esse, & superatam flammam lapidum.

V. 33. RENUNCIATUM EST REGI PERSARUM, &c. Persarum Rex audito (per eos qui venerant e captivitate) miraculo, ædiculam aliquam sacram (templum vocat interpres) eo in loco fieri probavit; & e thesauris suis bona sacerdotibus dari fecit. Sic ubi puteus erat, locus sacer constitutus est: τὸ ἱερὸν, sacellum etiam significat, nisi velis adiective, inquit Serrar. ἱερὸν ποιεῖν, intelligere: ad quod declarandum refert illud AEneid. VIII. *scrupea saxa Bacchi templa*. Illud Nephthar an sit Persica vox, vel Babylonica, cum Latinus interpres reddat purificationem, non laboro.



CAPUT II.

Ieremias sub Babylonicam captivitatem tradito transmigrantibus igne & lege Dei, in eo monte ad quem ascendens Moyses vidit Terram promissionis, abscondit tabernaculum, arcam & altare incensi, ut ibi essent usque ad populi reditum ex captivitate Babylonica: quædam Moysi & Salomonis facta hic attinguntur: de factis Iudæ Machabæi & fratrum eius: de quo quinque Iasonis volumina in unum hunc librum contrahuntur.

1\. INvenitur autem in descriptionibus Ieremiæ prophetæ, quod iussit eos ignem accipere qui transmigrabant: ut significatum est, & ut mandavit transmigratis. 2. Et dedit illis legem ne obliviscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus videntes simulacra aurea & argentea, & ornamenta eorum. 3. Et alia huiusmodi dicens, hortabatur ne legem amoverent a corde suo. 4. Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum & arcam iussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, (*a*) in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem. 5. Et veniens ibi Ieremias invenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. 6. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum: & non potuerunt invenire. 7. Ut autem cognovit Ieremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: 8. & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur, & (*b*) sicut cum Salomon petiit ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. 9. Magnifice etenim sapientiam tra-

tractabat: & ut sapientiam habens, (c) obtulit sacrificium dedicationis & consummationis templi. 10. Sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum, * sic (d) & Salomon oravit, & descendit ignis de cælo, & consumpsit holocaustum. 11. Et dixit Moyses, (e) * eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. 12. Similiter & Salomon octo diebus celebravit dedicationem. 13. Inferebantur autem in descriptionibus & commentariis Nehemiæ hæc eadem: * & ut construens bibliothecam congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis. 14. Similiter autem & Iudas * ea, quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. 15. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis. 16. Acturi itaque purificationem scripsimus vobis: bene ergo facietis, si egeritis hos dies. 17. Deus autem, qui liberavit populum suum, & reddidit hereditatem omnibus, & regnum, & sacerdotium, & sanctificationem, 18. (f) sicut promisit in lege, speramus quod cito nostri miserebitur, & congregabit de sub cælo in locum sanctum. 19. Eripuit enim nos de magnis periculis, & locum purgavit. 20. De Iuda vero Machabæo, & fratribus eius, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione; 21. sed & de præliis, quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium eius Eupatorem; 22. & de illuminationibus quæ de cælo factæ sunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerunt, ita ut universam regionem, cum pauci essent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent, 23. & famosissimum in toto orbe templum recuperarent, & civitatem liberarent, † & leges, quæ abolitæ erant, restituerentur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis; 24. itemque ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine breviare. 25. Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum, 26. curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio: studiosis vero, ut facilius possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus utilitas conferatur. 27. Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum & sudoris assumpsimus. 28. Sicut hi qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parere propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus. 29. Veritatem quidem de singulis, auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. 30. Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est: ei vero qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est & in nobis. 31. Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere; historiæ congruit auctori: 32. brevitatem vero dictionis sectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. 33. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat: stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

(a) Deut. xxxiv. 1. (b) III. Reg. viii. 14. II. Par. vi. 14. (c) Lev. ix. 24. (d) II. Par. vii. 1. (e) Lev. x. 16. 17. (f) Deut. xxx. 3. 5.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 10. *Sic & Salomon oravit & descendit ignis de cælo & consumpsit holocaustum*, Neutiquam omittenda est pericope ista, tametsi multi libri id faciant.

Vers. 11. *Eo quod non sit comestum, quod erat pro peccato, consumptum est*. Pro *comestum* in libris manuscriptis fere est *mundatum* aut *mandatum*, sed male loco *manducatum*. Iam, quod quidam hic addunt verba Levitici ad quæ locus iste respicit,

Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto, superfluum est. Denique coniunctio *&* quam præponunt multi libri verbo *consumptum est* est omittenda.

Vers. 13. *Et ut construens bibliothecam, congregavit de regionibus libros & prophetarum & David*. Pro *ut* multi libri habent *qualiter*, & pro *construens*, *constituens*; minus recte. Pro *regionibus* impressi libri ut est Græce, fere legunt *regibus*: sed Patres prætulerant *regionibus* quod est in libris manuscriptis. Postremo *&* ante *Prophetarum*, multi tolunt: Patres græco conformiter restituerunt. Legat lector Notationes nostras, si placet ipsi.

Vers. 14. *Ea quæ acciderant per bellum*. Legendum est *acciderant* quod est dilapsa fuerant *non didicerat* a disco.

Lectionum Varietas.

Vers. 23. E*T leges quæ abolitæ erant restituerentur*. Præteritum *abolitæ*, alii libri mutant in futurum *abolendæ* consentanee Græco.

Notationes.

Vers. 11. E*T dixit Moyses: Eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, & consumptum est*. Pro *comestum*, quod post Moguntinam plerique omnes typographorum editiones habent, manuscripta exemplaria fere *mandatum* legunt tam antiqua, quam quæ ætate posteriora sunt. Duo C, & D, litteris notata scribunt *mandatum*: quibus Nurenburgensis editio anni 1478. conformis est. Unum Atrebatensis Collegii sericatum *manducatum* habet, quamquam addat & *mandatum*: in altero A signato, expuncto *mandatum* scriptum est *manducatum*. Richelius diserte legit atque interpretatur *manducatum*: Caresins hanc cum aliis manuscriptorum varietatibus exponit. Hanc autem, *manducatum* inquam, genuinam esse existimarim lectionem: quam mutarint scribæ, quod minus eis verosimile videretur, divino igne exustum fuisse sacrificium, quia non sit manducatum; potius quia non sit mundatum. Porro hic respicitur ad locum Levitici, qui decimo est capite; quo Moses cum hircum pro peccato oblatum, exustum reperisset, increpat Aaronis filios, quod eum non comederint. Inter hæc est eo Levitici loco, cap. x. 16. 17. hircum qui oblatus fuerat pro peccato cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron qui remanserant, ait: *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto*. In Græco fonte aperte est *manducatum*: διὰ τί οὐ μὴ βεβρῶσθαι τὸ περὶ τῆς ἁμαρτίας ἐν τόπῳ ἁγίῳ; (ἀναγαιῶδης Gq.) Quod in impressis codicibus legitur, *comestum*, non minus aptum est quam *manducatum*: Sed manuscripti *manducatum* potius Interpretis esse scripturam loquuntur, in quibus, a nobis quidem, nec inventum est *comestum*; putarim *comestum* ex aliquorum esse correctione, qui viderint, *mundatum* loco non convenire. Scriptor sericati manuscripti Collegii Atrebatensis, quod id esse arbitror, quod Hentenius notavit, transtulit hunc locum Levitici verba, coniunxitque varias huius loci lectiones hoc modo: *Et dixit Moyses: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto? eo quod non sit manducatum, mandatum quod erat pro peccato, in loco sancto, & quod non sit manducatum, mandatum quod erat pro peccato, consumptum est*; ubi errore eadem verba repetita videntur. *Et* quod est ante *consumptum* (*consumptum* enim legendum, non ut nonnulli male *cosummatum*) non pauci libri auferunt: & quidem etiam Græci auferunt, sed ut multi, ita emendatissimi quique Latini addunt. Possit pro *etiam* accipi, nempe ut *holocaustum*.

V. 13. *Et qualiter construens bibliothecam congregavit de regibus libros & Prophetarum, & David*. *Qualiter* quidam codices omittunt: male: quidam eius loco *ut* legunt; bene: sic namque & in emendatioribus est. *Construens* servant uno consensu boni libri: quare in nonnullis vitiose scriptum est *constituens*, tametsi etiam hoc vox Græca admittat. Pro *regibus* pleraque manuscripta cum Hentenii tum nostra, & priores typographorum editiones, Richelio suffragante, *regionibus* habent. Duo tantum manuscripta nostra Plantini latum, & Hunnæi V. *regibus* scribunt, quod est in posterioribus typographorum editionibus. Ceterum hoc *regibus* Græco cum fonte convenit, qui hunc habet in modum: καὶ ὡς καταβαλλόμενος βιβλιοθήκην ἐπισυνήγαγε τὰ περὶ τῶν βασιλέων καὶ προφητῶν καὶ τὰ τοῦ Δαυίδ: id quod est: *Et ut conficiens bibliothecam, congregavit ea quæ de regibus & Prophetis & ea quæ Davidis*. Unde vel solum colligi non obscure posse videtur, Interpretem *regibus*, non *regionibus* convertisse. Nam quod Græce est, *ea quæ de regibus*, exposuisse eum manifestum est, *libros de regibus*. Neque vero coniunxit *de regibus* cum *congregavit*, & *libros* aut sine adiuncto posuit aut ad sequentia retulit: cum Græca nec vocem *libros* habeant, nec illam distinctionem ullo modo patiantur. Porro quia præposuit τὸ *de regibus* τῷ *libros*, nostri iunxerunt illud

regibus cum *congregavit*, scripseruntque *de regionibus*, quod congregare de regibus non apium esse videretur. Mutato autem *regibus* in *regionibus*, quoniam voces *Prophetarum* & *David* quæ sequuntur non satis commode præcedentibus hærere videbantur, sustulerunt quidam antecedens &, ita ut esset: *Congregavit de regionibus libros Prophetarum & David*: verum & illud, ut in pluribus adhuc codicibus, ita in antiquioribus conspicitur. Germana igitur, salva sententia meliori, huius loci lectio est: *Et ut construens Bibliothecam, congregavit de regibus libros, & Prophetarum & David*. Interpres huic ἐπὶ περὶ τῶν subaudivit τά τῶν: itaque vertit & *Prophetarum* scilicet libros; cum alioqui verti possit *libros de regibus & Prophetis*: continent enim libri Regum Regum & Prophetarum gesta.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. INVENITUR AUTEM, &c. Et hæc ad epistolam pertinent. IEREMIAE. Græc. *Ieremias Propheta*, iungiturque cum sequentibus; quasi dicat: Legitur in quadam scriptura, Ieremiam iussisse, &c. TRANSMIGRABANT, id est migrabant, seu captivi abducebantur, scilicet in Babyloniam. SIGNIFICATUM, scilicet supra. MANDAVIT; scilicet quo sequitur.

V. 4. COMITARI, id est portari ab aliquibus se sequentibus. DEI HEREDITATEM, id est Terram promissionis: vide Deut XXXIV.

V. 8. HAEC, id est talia. Græc. *manifestabat autem*, scilicet liber ille quæ sequuntur.

V. 9. TRACTABAT, scilicet Salomon.

V. 10. SICUT, &c. scilicet referebat il le liber.

V. 11. EO QUOD, &c. quasi dicat, Itemque erat in libro illud Moysis, Levit. X. Cur non comestum esset, quod pro peccato oblatum fuerit, sed igni consumptum totum. Vide locum; hic enim valde concise & obscure refertur.

V. 13. NEHEMIAE, scilicet tempore scriptis. HAEC, scilicet quæ retulimus. DONARIIS, scilicet templo offerendis.

V. 17. SANCTIFICATIONEM, id est templum.

V. 18. CONGREGABIT, scilicet etiam alios, qui dispersi sunt.

V. 22. ILLUMINATIONIBUS, id est Dei favoribus.

V. 23. RECUPERARENT. Græc. *repararent*.

V. 25. AGGREDI, scilicet legendo.

V. 32. EXECUTIONES. Græc. *exquisitiones*, seu *exquisita*, scilicet curiosa, seu nimis exquisitam narrationem. SUCCINGI, id est astringi, seu arctari. Hactenus epistola, in qua & illud.

ESTII.

Vers. 29. VERITATEM QUIDEM DE SINGULIS, AUCTORIBUS CONCEDENTES, IPSI AUTEM SECUNDUM DATAM FORMAM BREVITATI STUDENTES. Obiiciunt nobis hæretici nostri & hæc contra auctoritatem huius libri. En, iniquiunt, huic auctori non fuit cura de veritate, sed tantum de commoditate compendii. Respondeo in Græco non esse nomen veritatis; sic enim Græca sonant. *Exactam pertractationem singulorum auctori concedentes, insequendo autem præscriptum exemplar, compendia studentes*. His igitur verbis non aliud significat abreviator, quam se brevitati historiæ studere, relicta suo auctori exacta de rebus singulis narratione. Quod & paulo post in nostra quoque versione significatur: ubi dicitur vers. 31. ETENIM INTELLECTUM COLLIGERE, ET ORDINARE SERMONEM, ET CURIOSIUS PARTES SINGULAS QUASQUE DISQUIRERE, HISTORIAE CONGRUIT AUCTORI, &c.

MARIANAE.

Vers. 1. INVENITUR AUTEM. Prima huius capitis pars, superioris epistolæ pars est; & potuit cum illo capite coniungi. IN DESCRIPTIONIBUS. Ἀπογραφαῖς, in libris Ieremiæ Prophetæ. Alios libros scripsit præter eos qui sunt in Canone; in iis continebatur sequens narratio.

V. 4. TABERNACULUM. Cortinas veteris tabernaculi, quæ servabantur in templo, accepit Ieremias, & arcam. Usque

QUO

QUO EXIIT IN MONTEM. Hic mons vocatur Nebo a quibusdam. Certe fuit pars montis Sinai, ubi Moyses VIDIT DEI HEREDITATEM, id est bona, gloriam. Ea est hereditas Dei. Quidam iverunt,

V. 6. UT NOTARENT SIBI LOCUM. Græc. *ut notarent viam*. Ignotus erit locus,

V. 7. DONEC CONGREGET DEUS CONGREGATIONEM; id est donec Iudæi omnes convertantur, quod fiet ante Iudicii diem. Trunc Deus ostendet locum nube.

V. 8. ET SICUT CUM SALOMON. Græce, *Sicut & Salomon petiit*. Sic etiam Gotth. Quod sequitur quoque, MAGNIFICE ETENIM SAPIENTIAM TRACTABAT: neque in Græcis neque in Gotth. est. ET UT SAPIENTIAM HABENS, scilicet Salomon.

V. 11. QUOD NON SIT COMESTUM. Hostia pro peccato non comedebatur, ideo eam ignis comedit Moysis tempore.

*V.*13 INFEREBANTUR. Narrabantur hæc eadem in COMMENTARIIS NEHEMIAE. Ea Commentaria perierunt. CONSTRUENS BIBLIOTHECAM Nehemias. Philadelphi bibliotheca & aliorum antiquiorum celebratur. Sic Nehemias fecit. DE REGIONIBUS. Sic Gotth. at Græce, *De Regibus*. Sic plerique codices Latini, & Lovan. *Congregavit de Regibus libros*. ET PROPHETARUM. Quæ sunt in Canone & alia ab ipsis scripta. ET DE DONARIIS. Græce, *epistolas Regum de donariis*; scilicet quas quas adiungebant donis, quæ scilicet templo mittebant.

V. 14. IUDAS EA, QUAE DECIDERANT, scribens, id est acciderant in bello: non *didicerat*, ut multi legunt, etiam Vulgata Regia. Verum ex hoc loco colligitur, Iudam Machabæum de suis rebus commentaria reliquisse. In his ergo monumentis omnibus continentur, quæ hic de Ieremia referuntur. Plura Dorotheus in Ieremia, & Gorion Lib. I. cap. XVII. tum Epiphanius de Prophetarum vita, in Ieremia.

V. 20. DE IUDA VERO. Superiora epistolæ sunt & præludia libri; ex his verbis incipit Præfatio. *De Iuda vero*, pro, de Iuda quidem. Hæc cum superioribus non connectuntur, quod adversativa indicat. Sic Gen. 1. 2. *terra autem*; pro, terra quidem erat inanis, scribimus.

V. 22. ET DE ILLUMINATIONIBUS, id est miraculis de cælo factis.

V. 23. CUM OMNI TRANQUILLITATE: ἐπιεικείας, *benignitate*, propitio Deo.

*V.*24. ITEMQUE AB IASONE CYRENAEO. Hic quinque libros scripsit de Iudæ rebus & bellis, quæ Auctor compendio in hunc Librum contulit.

V. 25. MULTITUDINEM LIBRORUM considerantes. Græce ἀριθμῶν, *numerorum*, pro ἀριθμήσεων, *numerationum*, *narrationum*. Ideo abbreviamus.

V. 39. VERITATEM QUIDEM DE SINGULIS, AUCTORIBUS CONCEDENTES, seu *dimittentes*; quasi dicat, De singulis fides Auctores appellat.

V. 30. NOVAE DOMUS ARCHITECTO. Ut illi cura totius structuræ incumbit, pictori de ornatu solum: sic curam historiæ ablegantes ad auctures, nos compendio colligere tantum, quæ illi dixerunt, studemus.

V. 32. EXECUTIONES RERUM VITARE. Ἐξεργασιῶν, *alacritatem* interpretor, id est elegantiam vitat abbreviator, id est eam non curat. VITARE BREVIANTI CONCEDENDUM EST. Gotth. *vitæ brevitati concedendum*. Non incommoda lectio, suppleto aliquo verbo, nisi alii omnes Codices reclamarent.

MENOCHII.

Vers. 1. IN DESCRIPTIONIBUS IEREMIAE: qui liber modo non extat. IGNEM ACCIPERE: sacrum ignem ne periret. QUI TRANSMIGRABANT: qui captivi ducebantur in Babylonem. UT SIGNIFICATUM EST: superiori cap. num. 19.

V. 4. IN IPSA SCRIPTURA, scilicet descriptionum Ieremiæ. QUOMODO TABERNACULUM, ET ARCAM, &c. Non fuisse a militibus diripientibus Ierusalem ablatam arcam, aut tabernaculum satis patet ex Ierem. cap. LII. ubi enumerantur omnia, quæ exemplo Domini Chaldæi abstulerunt, usque ad phialas, & mortariola, arcæ vero, & tabernaculi nulla mentio. Itaque hæc a Ieremia ablata sunt, ut hic habemus; quomodo autem id fieri potuerit, & quando factum sit, antne captam urbem, aut post, disputat Serar. in hoc caput quæst. XVII. & Bellarm. de verbo Dei Lib. I. cap. XV. in respon. ad quartam obiectionem. Vide etiam Salian. tom. IV. anno mundi 3446. num. 28. MONTEM: Nebo.

Dii

DEI HEREDITATEM : terram fanctam, quam, Deus Mosi ex arduo illo montis verticee oftendit; vide. Deut. III. 41.

V. 5. VENIENS IBI IEREMIAS : folus, nullis comitantibus, ut apparet ex fequentibus. Itaque cenfet Serar. quæft. XVIII. arcam angelorum opera delatam fuiffe. Sic, tanto poft, ædes Lauretana non femel ab Angelis de uno loco in alium translata eft.

V. 7. IGNOTUS ERIT LOCUS, DONEC, &c. Salianus tom. v. anno mundi 3609. num. 95. & fequentibus, fufe probat tunc arcam & tabernaculum, &c. inventa effe, cum inventa eft aqua craffa, de qua fupra I. 20. Quod admodum probabiliter dicitur; neque enim aliud tempus proferri poteft, in quo hæc Ieremiæ prophetia impleta fit, in quo vifibilis Dei maieftas apparuerit ut Mofi, & Salomoni, quam hoc in quo Deus præfentiam maieftatis in igne mirabiliter accenfo demonftravit; in quo nubes folem, & facrificia, & altare obregebat, ut Mofis, & Salomonis temporibus contigerat. Ifta etiam congregatio populi non alia intelligenda eft, quam quæ poft captivitatem Babyloneam facta eft, fub Cyro, Dario, & Artaxerxe.

V. 8. SICUT CUM SALOMON, &c. Vide III. Reg. VIII. 14 & II. Paral. VI. 14. MANIFESTABAT HAEC: fcilicet Deus, nube templum obtegens.

V. 9. MAGNIFICE ETENIM SAPIENTIAM TRACTABAT. Hæc verba non funt in textu Græco. Poffunt autem referri vel ad Deum, vel ad Salomonem. Ad Deum ut fenfus fit, Deum fapientiam Salomonis, qua templum extruxit, magnifica nubis obumbratione cohoneftaffe. Ad Salomonem, ut fententia fit, eum magnifica opera edidiffe confentanea magnæ fapientiæ fuæ.

V. 10. DESCENDIT IGNIS: hiftoriam habes Lev. IX. 24. SIC ET SALOMON. Vide II. Paral. VII. 1.

V. 11. ET DIXIT MOYSES : queftus eft Moyfes. ET QUOD NON SIT COMESTUM QUOD ERAT PRO PECCATO: eo quod Aaron, & eius filii recenti fuorum clade perculfi, & mœfti hircum pro peccato non comediffent, ut debebant per legem Levit. cap. VI. 26. ET CONSUMPTUM EST. Sacrificium illud pro peccato, hoc eft, hircum cum ipfi non comederent, combufferunt, putante ita faciendum effe ex lege Levit. VII. 17. Hiftoria hæc habetur cap. X. Levit. ver. 16. Vide quæ ibi notavimus. Sunt hæc aliquo modo cum fuperioribus continuanda, & applicanda. Ut nimirum quemadmodum ignis ceteras victimas accendit, ita & hoftiam hanc pro peccato affumpferit.

V. 13. INFEREBANTUR. Græce ἐξηγοῦντο, id eft *narrabantur*. CONSTRUENS BIBLIOTHECAM, &c. Per congregationem hanc librorum quæ a Nehemia facta dicitur, non fignificatur libros facros quafi deperditos, effe ab eo, vel ab Efdra reftitutos, fed tantum bibliothecam extructam, in qua effent lib. de regibus, & prophetis, res ipfius Davidis, Epift. regum, & de anathematibus five donariis.

V. 14. IUDAS : videtur intelligi Iudas Effenus, cuius facta mentio cap. I. 10.

V. 17. SANCTIFICATIONEM, id eft templum.

V. 18. CONGREGABIT; fcilicet, etiam alios, qui adhuc difperfi funt.

V. 19. LOCUM PURGABIT: hæc videntur effe ultima verba epiftolæ, ut docet Serar. quæft. XX.

V. 22. ILLUMINATIONIBUS: favoribus: in Græco eft, ἐπιφανείαις, *apparitionibus*.

V. 24. AB IASONE CYRENAEO, &c. vide dicta ad titulum horum librorum ante cap. I. Lib. I.

V. 25. AGGREDI; fcilicet legendo.

V. 27. NEGOTIUM PLENUM VIGILIARUM, ET SUDORIS. Ex hoc loco hæretici probare conantur librum hunc non effe fcriptum divino fpiritu, fed humano. Non enim adeo laborant, & fudant quibus Deus dictat quæ fcribant. Refpondet Bellarm. de verbo Dei Lib. I. cap. XV. obiectione fecunda, Deum quidem effe auctorem omnium divinarum Scripturarum, fed aliter tamen adeffe folitum prophetis, aliter aliis, præfertim hiftoricis. Nam prophetis revelabat futura, & fimul affiftebat, ne aliquid falfi admifcerent in fcribendo, & ideo prophetæ non alium habuerunt laborem, quam fcribendi, aut dictandi : aliis autem fcriptoribus Deus non femper revelabat ea, quæ fcripturi erant, fed excitabat ut fcriberent quæ viderant, vel audierant, quorum recordabantur, & fimul affiftebat, ne falfi aliquid fcriberent : quæ affiftentia non faciebat ne laborarent in cogitando, & quærendo, quid, & quomodo

do scripturi essent. Quare S. Lucas in præfatione in Evangelium a se scriptum, testatur se assecutum omnia diligenter, quæ ad Evangelii scriptionem pertinebant, idque ab iis, qui ipsi audierant, & viderant, & ministri fuerant sermonis.

V. 28. SICUT HI QUI PRAEPARANT CONVIVIUM, &c. In Græco est: *Quemadmodum paranti convivium, & aliorum utilitatem quærenti facile quidem non est; tamen ut multis gratum fiat, libenter laborem subibimus.*

V. 29. VERITATEM QUIDEM DE SINGULIS AUCTORIBUS CONCEDENTES. In Græco est, τὸ, μὲν διακριβοῦν περὶ ἑκάστων τῷ συγγραφεῖ παραχωρήσαντες; id est, *negotium diligenter cognoscendi, & investigandi singula, auctori ipsi permittentes & relinquentes*. Videtur significare se libros Iasonis Cyrenæi in Epitomen quidem redegisse, velle autem ut fides rerum sit penes auctorem: vide Emanuelem Sa ad hoc caput num. 32. Verum cum Ecclesia hunc librum ut Canonicum admittat, dicendum est quæ hic habentur ex libro Iasonis excerpta verissima esse, & indubitatæ fidei. Fieri enim potest ut sacer aliquis scriptor aliquid scribat Deo calamum ne erret dirigente, & tamen ille nesciat se dirigi, quod huius libri scriptori videtur accidisse.

V. 30. SICUT ENIM NOVAE DOMUS ARCHITECTO: se, qui stylum tantum ex suo ponebat pictori domus comparat; Iasonem vero qui historiam scripserat primus, architecto.

V. 32. EXECUTIONES: τὸ ἐξεργαστικὸν, elaboratam dictionem, exquisitum dicendi genus, ita ut ἐξεργαστικὸν positum sit pro ἐξεργασμένον. Vel ut Flaminius vertit, *subtilem executionem rerum*.

V. 33. EFFLUERE: prolixum esse. SUCCINGI: esse brevem.

T I R I N I.

Vers. 1. DEscriptiones IEREMIAE PROPHAETAE. Liber erat, in quo res a Ieremia gestæ recitabantur, verisimiliter ab ipsomet Ieremia conscriptus. Hoc libro continebantur Primo, leges & monita quæ Ieremias Iudæis in Babyloniam demigrantibus tradidit. Secundo, instructio de igne altaris holocaustorum, in puteo per eum recondito. Tertio, de tabernaculo, arca fœderis & altari incensi per eumdem delatis in specum montis Nebo. Sed hic liber intercidit: neque quidquam eorum quorum hic fit mentio, habetur in eo volumine quod inter Canonicos Prophetas secundo loco nunc exstat. Iussit ergo Ieremias sacerdotibus in Chaldæam transmigrantibus, sacrum IGNEM ex altari secum ACCIPERE puta certo loco defodiendum, ut cap. 1. 19. dictum est. Dedit & volumina *legis* divinæ in Chaldæam deferenda pro suo suorumque contribulium solatio & instructione.

V. 4. TABERNACULUM quoque Mosaicum, quod in templo Salomonico prope sanctuarium asservabatur, ut dixi I. Reg. XXI. 7. Item ARCAM fœderis & vers. 5. ALTARE INCENSI, seu thymiamatis IUSSIT idem PROPHETA divino oraculo monitus, COMITARI SECUM, seu angelorum (ut vult Serarius) seu potius Levitarum baiulorum opera, ut ex vers. 6. Lyranus exponit, devehentium omnia IN MONTEM E QUO MOYSES VIDIT DEI HEREDITATEM, id est terram sanctam Iudæis hereditarie promissam & donatam. Hic est mons *Nebo*, Deuter. ult. vers. 1. Porro facile fuit Ieremiæ, tam charo Nabuzardani militiæ Chaldæorum præfecto, veniam ab eo extorquere transferendi hæc sacra lipsana. Et post urbem occupatam, priusquam templum succenderetur, sat multum spatii intercessit, quo commode efferri possent, Ierem. XXXIX & IV. Reg. ult. ita fere Gorionides, Dorothrus, Epiphanius, & ex his S. Thomas, Serarius & Salianus *a*.

V. 7. *Et* DIXIT IEREMIAS, QUOD LOCUS, in quem hæc omnia recondidit, IGNOTUS ERIT hominibus, DONEC CONGREGET DEUS CONGREGATIONEM POPULI. Quod cum constet ex vers. 27. cap. præced. nondum factum tempore Nehemiæ sub Artaxerxe; sed neque tempore Machabæorum sub Antiocho Grypho, anno Græcorum 188. ut ex vers. 18. huius II. cap. colligitur; & certum sit, ex eo tempore res Iudæorum continuo in peius prolapsas esse; non potest de alio, quam de novissimo mundi tempore exponi, quando per Henoch & Eliam hæ Iudæorum arrhæ proferentur in lucem, & illorum ad Christum conversioni subservient, ut probant auctores supra citati & plerique Rabbini, item

item Richardus a S. Victore, Rupert. Canus, Ribera, *b* & Mariana. Et testis est Iosephus *c*, tempore Romanorum nihil omnino fuisse *in Sancto Sanctorum*. Nec ullibi mentio est arcæ post captivitatem Babylonicam. Et cum spolia templi sæpius recenseantur *d*, nusquam mentio fit arcæ, licet auctor Historiæ Scholasticæ, Iudith. tit. putet (sed fallitur *e*) arcam in Titi triumpho Romæ fuisse. Neque in arcu Titi triumphali, qui etiamnum Romæ visitur, arca comparet. De *altari* incensi Mosaico idem dico: nam quo postea usi sunt Iudæi, ad imitationem Mosaici illius constructum fuit. Uti & *tabulæ* illæ testamenti, & *Cherubini*, quos *f* Egesippus commemorat, Pompeium, cum intima templi Ierosolymitani lustraret, ibidem conspexisse. Porro ad commendandum festum hoc encæniorum Nehemiæ, comparant illa cum encæniis Moysis & Salomonis: nam in omnibus tribus nubes maiestatem Domini præsentem adesse designabat, & victimæ altari impositæ, igni cælitus submisso absumptæ, gratum accidisse Deo sacrificium & dedicationem indicabant. Simul tamen innuunt, quod, quando Deus sub finem mundi redhibebit Iudæis hæc sua sacra lipsana, simili modo per nubem splendidam, & ignem cælitus submittendum, manifestabat illis præsentiam & favorem maiestatis suæ divinæ.

V. 8. *Manifestabat hæc*, supple, Salomon.

V. 9. MAGNIFICE ETENIM SAPIENTIAM TRACTABAT, non est in Græco.

V. 11. ET DIXIT MOYSES: EO QUOD NON SIT COMESTUM a sacerdotibus QUOD ERAT oblatum Deo PRO PECCATO (utpote immundum;) ideo a flamma EST CONSUMPTUM. Historiam habes Levit. IX. & X. quo hic alludunt: ita Rupertus & Serarius. Quod si quis dixerit, hæc quæ de Nehemiæ sacrificio iam dicta sunt, nullibi in sacris Scripturis reperiri; respondebunt Iudæi:

V. 13. INFEREBANTUR; Græce, *referebantur*, *in scriptis* ET COMMENTARIIS eiusdem NEHEMIAE: non quæ nunc extant Lib. II. Esdræ, sed quæ olim extiterunt, sed iniuria temporum & bellorum iam intercíderunt, ut vers. 1. dixi de scriptis Ieremiæ. Ex iisdem Nehemiæ scriptis constat, ipsum nobilissimam undique collegisse bibliothecam, maxime librorum sacrorum, v. g. Prophetarum, Psalmorum & gestorum Davidis, aliorumque regum Iudæ & Israelis. Item DE DONARIIS per Cyrum, Darium, Artaxerxen aliosque reges donatis templo Ierosolymitano & sacerdotibus illius, supra I. 33.

V. 14. *Simili* studio etiam IUDAS Machabæus, dissipata nuperis bellis sacra volumina, rursum omnia congregavit. Credo, Ierosolymitanos hæc de restituta sua bibliotheca tam operose inculcare, ut ostendant, se diligentiæ AEgyptiorum, Ptolemæi Philadelphi bibliotheca famosissima gloriantium, nolle credere: quin potius, si quidem de sacris libris esset quæstio, penes se habere quibus scirent AEgyptios carere. Ex his vero videas falli Strabonem *g*, cum primum bibliothecarum auctorem tradit fuisse Aristotelem in Græcia. Nam Aristotele antiquior Nehemias bibliothecam in Iudæa collegit, ut hic dicitur. Et apud Chaldæos ac Persas fuisse bibliothecam, dicitur I. Esdræ VI. 1. & alias alibi, ut Plutarchus, Gellius, Isidorus & Goropius *h* demonstrant.

V. 20. DE IUDA VERO MACHABAEO, &c. Hic incipit præfatio totius Lib. II. ut versu ult. indicatur: immo & maioris partis libri primi. Unde & a Serario ponitur primo loco, quasi totius operis præfatio.

V. 22. *Illuminationes* DE CAELO FACTAE, sunt signa cælitus exhibita, quæ portendebant victoriam Iudæis.

V. 24. *Iason Cyrenæus* non profanus aut Gentilis scriptor fuit, ut Calvinus & VVitakerus *i* confingunt; sed Iudæus, & ut apparet, vir sanctus. Multi enim erant in *Cyrene* Iudæi, ut constat ex Actorum II. & VI. & Iosepho k passim.

V. 27. NEGOTIUM PLENUM VIGILIARUM ET SUDORIS, non arguit, hunc librum non esse Canonicum, ut iidem hæretici & eorum sequaces blasphemant. Nam licet Spiritui sancto, qui auctor est Canonicarum Scripturarum, nihil sit molestum; homini tamen, quo tamquam instrumento suo utitur Spiritus sanctus, potest subinde molestus esse labor, seu colligendi, seu abbreviandi, seu scribendi. Neque enim omnibus Hagiographis ita semper suggerit omnia aut dictat Spiritus sanctus, sicut Ieremiæ suggerebat cap. XXXVI. 18. sed sæpe relinquit illis quærendi & dispo-

sponendi & concinnandi curam: ipse vero solum adsistit illis, cavens necubi a vero aberrent in conscribendis iis quæ suo ipsi studio repererunt vel concinnarunt. Quod denique auctor noster dicit

V. 29. Veritatem de singulis se *concedere* auctoribus; Græce, *auctori*, solum arguit, scriptorem huius libri II. Machabæorum non instituisse peculiari studio inquirere de singulis etiam minutissimis rebus, an eo modo sese habeant quo a Iasone Cyrenæo conscripta fuerant: sed, hac cura illi relicta, cui, utpote viro industrio, prudenti & sancto, plena merito fides in omnibus haberi poterat, se hoc unum hic agere, ut quæ fuse ille persequitur, ipse in compendium redigat. Unde Iasonem

V. 30. Utpote totius historiæ auctorem, comparat architecto, cui incumbit de omnibus & singulis accurate disponere quæ ad ædificii seu substantiam, seu ornatum spectant. Se vero utpote solum breviatorem historiæ, seu Metaphrastem, comparat *pictori*, cui non alia incumbit cura circa ædificium, quam ut illud concinnis coloribus & figuris hinc inde exornet.

(a) Gorionid. Lib. I cap. xvii. Doroth. in Synopsi. de Ieremia. Epiph. de vita & morte prophetarum. Salian. in Annalib.
(b) Richar. Lib. IV. Exceptionum cap. xi. Rupert. sup. cap. xi. Ribera in Aggæi 1. &c.
(c) Ioseph. Lib. V. Belli cap. vi
(d) Ioseph. Lib. VII. Belli cap. xvii. & xix. & Lib. XIV. Antiq. cap. viii.
(e) Ioseph. Lib. VII. Belli spp.
(f) Egesipp. Lib. I. cap. xvii.
(g) Strabo Lib. XIII.
(h) Plutarch. in Æmilio & Antiocho. Gellius Lib. II. cap. ult. Isidor. Lib. VI. Goropius Lib. IV.
(i) Calvin. in Antidoto Trident. & VVitaker. cap. xiv.
(k Ioseph. Lib. XIV. Antiq. cap. xii. & Lib. XVI. cap. x. & Lib. VII. Belli cap. xxxviii. & de Vita sua.

GORDONI.

Vers. 1. Ignis iste sacer est, de quo dixit obiter cap. 1. 19 qui absconditus fuit sub initium captivitatis, quem (ut ait Ambros.) acceptum de altari sacerdotes absconderunt in valle. Hic Rupert. Lib. X. de vict. cap. xviii. ignem, inquit, morientem, qui ubi nutriretur non habebat, illi resuscitandum commiserunt, in quo est spes resurrectionis mortuorum. Addit Ambros. hunc ignem esse typum Spiritus Sancti inflammantis fidelium corda. Descriptio Ieremiæ, ἀναγραφὴν, liber est Ieremiæ qui non extat, & hinc plures explicant illud Math. xxvii. 9. in illo libro qui non extat continebatur narratio quæ hic subiicitur, vers. 4.

V. 4. Erat autem. De tempore quæstio est quo Ieremias ignem, arcam, & tabernaculum subduxit. Certum quidem est, id actum fuisse tempore transmigrationis Babyloniæ, & sub eius initium. Quod locavi ad annum mundi 3374. qui fuit tertius Olympiadis 37. an vero paulo vel ante, vel post inchoatam captivitatem certum non est: certe non fuerunt arca & tabernaculum translata cum aliis vasis in Babylonem. Et Ieremias qui (ex Ierem. cap. xxxix.) valuit auctoritate apud Chaldæos, potuit hæc facile impetrasse antequam templum incenderetur. De ignis huius institutione, Levit. ix. 23. Quod vero hic dicitur, comitari, Græce est, συνακολουθεῖν; sic enim perlata dicit.

Verum gravior quæstio est, an arca & tabernaculum sint hactenus inventa; aut quando invenienda. Multorum sententia est tantum invenienda esse novissimo mundi tempore: est mihi probabilior, quam sit illa, quæ asserit hæc reperta fuisse in reditu a captivitate: ita quidem Richard. a S. Victor. Lib. IV. exceptionum, cap. xi. Serrar. ad hunc locum, quæst. xix. certe si fuissent inventa, id non tacuisset hæc epistola: præterea vers. 7. dicuntur invenienda congregato populo: quam tamen congregationem nondum esse factam in reditu perfectam, docet vers. 18. Denique numquam dicuntur reperta in eversione templi sub Tito, nec narrantur ducta in triumpho, nec in arcu Vespasiani apparent Romæ, ubi tamen est candelabrum: unde tandem apparet, hac etiam gloria privatum fuisse templum secundum. Non desunt qui inventionem mysticam hic obtendunt, quasi tunc inventa videantur, quando apparuit in terris Christus Dominus: qui & gentes congregavit in unitatem fidei; & ipse est vera arca, & veri excitator tabernaculi; sed hic in sensu mystico non hæreo.

V. 38. Hunc epilogum criminantur Novatores, quod auctor petita sibi ignosci. Et quo ex venia petita agnoscat humanum spiritum, en verba: *si enim minus digne concedendum mihi est*. Sed

quo-

quotquot recte sentiunt, ut sunt Catholici omnes, vident satis scriptorem nullam fateri culpam contra historiæ veritatem: de stilo tantum & dicendi modo loquitur, & plane aliud est vera loqui, aliud facunde.

UBI SINT RELIQUA LIBRI II. CAPITA EXPLICATA INDICATUR.

LIBRI SECUNDI CAPITA.	LIBRI PRIMI CAPITA.
Libri secundi capita 3. 4. 5. 6. 7. explicantur.	lib. 1. c. 1. præter pauca insequentia.
Caput 8. omnia a versiculo 1. usque ad v. 7. continetur.	lib. 1. c. 3. a v. 1. usque ad 9.
Caput 8 quæ sunt a versicul. 8. usque ad 36. continetur.	lib. 1. c. 4. a v. 1. ad 27.
Caput 9. a versiculo 1. usque ad 29. reducitur ad	c. 6. lib. 1. a v. 1. ad 16.
Caput 10. a versiculo 1. usque ad 9. reducitur ad	lib. 1. c. 4. a v. 28. ad 61.
Caput 10. a versiculo 10. usque ad 38. reducitur ad	lib. 1. cap. 6. v. 17.
Caput 11. a versiculo 1. usque ad v. 38. reducitur ad	lib. 1. caput 6. v. 17.
Caput 12. a versiculo 1. usque ad v. 46.	lib. 1. c. 6. v. 17.
Caput 13. a principio usque ad 26. reducitur ad	lib. 1. caput 6. v. 18. usque ad finem.
Caput 14. a principio usque ad v. 12. reducitur ad	lib. 1. caput 7. a v. 1. ad 16.
Reliquum capitis 14. a versiculo 13. reducitur ad	lib. 1. caput 7. v. 17.
Caput ultimum a versiculo 1. ad 37. reducitur ad	lib. 1. caput 7. a v. 39.

CAPUT III.

Simon templi præpositus thesauros eius Apollonio duci prodit: ad quos rapiendos missus a rege Heliodorus, post fusas Iudæorum orationes, a Deo percutitur, sed Oniæ pontificis sacrificio ac precibus liberatur, actisque Deo & Oniæ gratiis, narrat regi ac ceteris omnibus Dei magnalia.

1. IGitur cum sancta civitas habitaretur in omni pace, leges
etiam adhuc optime custodirentur, * propter Oniæ pon-
tificis pietatem, & animos odio habentes mala, 2. fiebat
ut & ipsi reges & principes locum summo honore di
gnum ducerent, & templum maximis muneribus illustra-
rent: 3. ita ut Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præ-
staret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinen-
tes. 4. Simon autem de tribu Beniamin præpositus templi
constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum ali-
quid in civitate moliri. 5. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apol-
lonium Tharsææ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnicis: 6.
& nuntiavit ei, pecuniis innumerabilibus plenum esse ærarium Ierosolymis, & com-
munes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorum: esse au-
tem possibile sub potestate regis cadere universa. 7. Cumque retulisset ad regem
Apollonius de pecuniis * quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat su-
per negotia eius, misit cum mandatis, ut prædictam pecuniam transportaret. 8. Sta-
timque Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam & Phœ-
nicen civitates esset peragraturus, re vera autem regis propositum perfecturus. 9.
Sed, cum venisset Ierosolymam, & benigne a summo sacerdote in civitate esset
exceptus, narravit de dato indicio pecuniarum: &, cuius rei gratia adesset, ape-
ruit: interrogabat autem, si vere hæc ita essent. 10. Tunc summus sacerdos osten-
dit deposita esse hæc, & victualia viduarum & pupillorum: 11. quædam vero esse
Hircani Tobiæ viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon: universa
autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta, 12. decipi vero eos, qui
credidissent loco & templo, quod per universum mundum honoratur, pro sui ve-
neratione & sanctitate omnino impossibile esse. 13. At ille pro his quæ habebat in
mandatis a rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda. 14. Constituta au-
tem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica vero per universam
civitatem erat trepidatio. 15. Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus
iactaverunt se, & invocabant de cælo eum, qui de depositis legem posuit, ut his,
qui deposuerant ea, salva custodiret. 16. Iam vero qui videbat summi sacerdotis
vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum
animi dolorem: 17. circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corpo-
ris, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur. 18. Alii etiam
gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod
in contemptum locus esset venturus. 19. Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per
plateas confluebant, sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam,
aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspiciebant: 20. universæ autem
protendentes manus in cælum, deprecabantur: 21. erat enim misera commistæ
multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio. 22. Et hi quidem
invocabant omnipotentem Deum, ut credita sibi, his qui crediderant, cum omni
inte-

Integritate conservarentur. 23. Heliodorus autem, quod decreverat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. 24. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis evidentiam, ita ut omnes, qui ausi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem & formidinem converterentur. 25. Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. 26. Alii etiam apparuerunt duo iuvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu: qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. 27. Subito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfusum rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt. 28. Et is, qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute: 29. & ille quidem per divinam virtutem iacebat mutus, atque omni spe & salute privatus. 30. Hi autem benedicebant, quia magnificabat locum suum: & templum, quod paulo ante timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est. 31. Tunc vero ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, ut invocaret Altissimum, ut vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus. 32. Considerans autem summus sacerdos, ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem. 33. Cumque summus sacerdos exoraret, iidem iuvenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro, dixerunt: Oniæ sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donavit. 34. Tu autem a Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei, & potestatem. Et his dictis, non comparuerunt. 35. Heliodorus autem, hostia Deo oblata, & votis magnis promissis ei, qui vivere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem. 36. Testabatur autem omnibus ea quæ sub oculis suis viderat opera magni Dei. 37. Cum autem rex interrogasset Heliodorum, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait: 38. Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco sit vere Dei quædam virtus. 39. Nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit, ac perdit. 40. Igitur de Heliodoro, & ærarii custodia, ita res se habet.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 1. *Propter Oniæ pontificis pietatem*. Non interponas *dispositionem & ante pietatem*.

Vers. 7. *Quæ delatæ erant*. Non mutes femininum *delatæ* in neutrum *delata*.

NOTATIO.

Vers. 1. P*ropter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala*. Multi codices Carensi, & Richelio adstipulantibus addunt *dispositionem &*, hoc modo: *Propter Oniæ pontificis dispositionem & pietatem*: verum illud tum in præstantioribus codicibus non legitur; nostris Brug. Lob. Leod. Malm. Brevi. O. E L. & aliis tribus; tum Græce non est. Quare merito Henenius castigator textu pepulit. Monet & Lyranus non esse in correctis libris, nec de textu esse. Quod sequitur: *Et animo*, (*animo* 2. MS. *animas* 1. MS.) *odio habentes mala*, manuscripta tria Q. Pl. ang. G. scribunt hunc in modum: *Et animam odio habentis mala*. Quem scribendi modum (quamquam magis conveniat *animum*) illi præferri posse existimarim, quod certius commodiusque ad Oniam se referat. De Onia enim, non de aliis qui Oniæ adhæserint, de quibus Lyranus, & Richelius; quorum ea est, quæ vulgaris lectio: exponunt intelligendum hoc esse, clare satis Græca loquuntur: διὰ τὴν Ὀνίου τοῦ ἀρχιερέως εὐσέβειάν τε καὶ μισοπονηρίαν: id

id quod κατά τόδε transferas: *Propter ipsam Oniæ summi sacerdotis pietatemque & aversationem (odium) malitiæ*. Hunc vero scribendi modum, qui nobis præferri posse videtur, alia quædam exemplaria ex parte referunt. Duo namque O & C. habent: *Et animos odio habentis mala*; quinque Malm. E. A. Tril. Mogunt. *Et animo odio habentis mala*.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 1. IN OMNI, id est cum summa. *V.* 2. ILLUSTRARENT, id est ornarent, seu decorarent.

V. 3. SELEUCUS. Hinc apparet, narrari hic res priores iis quæ libro superiore scriptæ sunt.

V. 7. TRANSPORTARET, id est ad se afferret.

V. 11. IN HIS, id est ex his.

V. 12. UNIVERSUM, &c. Hyperbole.

V. 13. OMNI GENERE, id est omni modo, seu omnino.

V. 15. ALTARE, scilicet holocausti.

V. 19. AD ONIAM. Græc. *ad ianuas*, scilicet domorum suarum, seu templi.

V. 24. SPIRITUS, &c. Græc. *Spirituum, & omnis potestatis Dominus* (seu *Princeps*) *magnum & evidens fecit miraculum*. OSTENSIONIS; pro, potentiæ. RUENTES, id est consternati: forte legendum, *tuentes*; pro, intuentes Dei virtutem. Græc. *stupentes*. DISSOLUTIONEM, scilicet animi, vel membrorum.

V. 25. CALCES, id est ungulas.

V. 26. OPTIMI. Græc. *pulcherrimi*.

V. 27. EIECERUNT, id est extraxerunt.

V. 30. MAGNIFICABAT, id est glorificabat.

V. 32. MALITIAM, id est dolum, seu maleficium. Ex; pro, a. CONSUMMATAM, id est factam. SALUTAREM: non est Græce.

E S T I I.

Verf. 1. IGITUR CUM LEGES ADHUC O- & 2. PTIME CUSTODIRENTUR, PROPTER ONIAE PONTIFICIS PIETATEM, FIEBAT UT ET IPSI REGES, ET PRINCIPES LOCUM SUMMO HONORE DIGNUM DUCERENT, &c. Ex his verbis perspicue ostenditur observationem legum, & pietatem sacerdotum, in primis causam & occasionem esse, ut in venerationem ab omnibus habeantur loca sacra. Unde consequens est, etiam e contra fieri, videlicet, ut neglectus legum, & pietatis defectus in sacerdotibus causa sit, ob quam loca sacra, ipsumque sacerdotium, & in universum tota religio in contemptum abeant, quemadmodum Malach. II. etiam Dominus comminatus est.

V. 12. DECIPI VERO EOS QUI CREDIDISSENT LOCO ET TEMPLO, QUOD PER UNIVERSUM MUNDUM HONORATUR, PRO SUI VENERATIONE ET SANCTITATE OMNINO IMPOSSIBILE. Obscuritas huius loci nata est ex incommoda translatione. Nam in Græca lectione nihil est obscuritatis. Sic enim sonat: *per iniuriam autem fraudari eos, qui sanctitate loci & maiestate templi per universum mundum honorati, eiusque immunitate confisi essent* (deponentes videlicet ibi pecuniam suam) *id perabsurdum esse ac prorsus indignum*. Scilicet, significat Onias indignum esse, ac prorsus fieri non debere quod interpres noster vertit, *impossibile*, ut fallerentur illi spe sua, qui sanctitate & securitate loci confidentes, ibi thesauros suos tamquam loco tutissimo deposuissent.

MARIANAE.

Verf. 1. IGITUR CUM SANCTA CIVITAS. Hinc narratio incipit & historia. ET ANIMOS ODIO HABENTES MALA. Græce, *& malorum odium*. Goth. *& animo odio habentis mala*, ut pietas & odium malorum referatur.

V. 3. ITA UT SELEUCUS ASIAE REX. Hic, aut Seleucus Philopator fuit septimus Asiæ Rex, ut quidam putant, quoniam fuit vicinus his temporibus, cui Antiochus Epiphanes successit. Ego Seleucum Primum crediderim potius, qui dictus est Nicanor. Sic Gorion Lib. III. cap. I. de quo Iosephus Lib. XII. cap. III. Iudæos honorasse; eosque cives scripsisse in omnibus civi-

civitatibus quas condidit, quæ multæ fuerunt.

V. 4. SIMON. Hic fuit præpositus templi, nempe Oeconomus aut Thesaurarius.

V. 5. VENIT AD APOLLONIUM. De hoc Lib. I. cap. x. 69. Fuit Cœlesyriæ dux multis annis, nam quæ hic narrantur, Seleuco Septimo Asiæ Rege gesta sunt. Nam hic Seleucus Heliodorum misit: cap. v. 18. postea cum Ionatha Machabæo bellum gessit, uti eo primi libri loco dicitur.

V. 10. VICTUALIA. Hæc vox Græce non est; hoc solum: *Deposita esse viduarum & orphanorum.*

MENOCHII.

Vers. 1. IGITUR CUM SANCTA CIVITAS, &c. Historia hæc ab ipsa origine turbarum Iudaicarum, a morte Antiochi magni, qui fuit pater Antiochi Epiphanis, cuius mentio superiore Lib. cap. I. petita est. ANIMOS ODIO HABENTES MALA. In Græco est tantum *μισοπονηρίαν*, id est *odium mali*, & malorum, & ad Oniam tantum refertur, nec tamen male vulgatus, nam etiam alicuius unius hominis animos, & spiritus dicimus.

V. 2. LOCUM: scilicet sacrum, & templum.

V. 3. SELEUCUS ASIAE REX: Antiochi magni filius, & Antiochi Epiphanis frater, qui post Antiochum magnum, & ante Antiochum Epiphanem regnum tenuit.

V. 4. DE TRIBU BENIAMIN: cum ergo ex hac tribu esset, non autem ex Levitica, nec ex posteris Aaronis, probabile non est eum voluisse summum sacerdotium invadere, ut est apud Eusebium. PRAEPOSITUS TEMPLI: qui circa res templi aliquam præfecturam exercebat, quæ qualis fuerit ex sacro textu non habetur. Serarius putat fuisse militarem magistratum cui & lictores, & milites ad templi custodiam essent, ex Libro I. cap. IV. 61. & ex Matth. XXVII. Luc. XXII. & Act. IV. ubi *στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ* dicuntur, quasi plures fuerint, sed ita ut unus summus foret. Vide Sigon. de rep. Hebr. Lib. VII. cap. XIII. CONTENDEBAT INIQUUM ALIQUID IN CIVITATE MOLIRI. In Græco est *διηνέχθη τῷ ἀρχιερεῖ περὶ παρανομίας*, quod bene respondet vulgatæ versioni: in bibliis tamen regiis est, *περὶ ἀγορανομίας*, quasi contentio fuerit inter illos de civili quopiam officio, aut de urbana ædilitate.

V. 5. AD APOLLONIUM, &c. ut scilicet eius opera obtineret quod optabat; & quidem interventu multarum pecuniarum, quas cum ipse suppeditare non posset, aperiebat viam, qua alienæ in eius, aut regis potestatem venirent.

V. 6. COMMUNES COPIAS: collectas scilicet ex vectigalibus, tributis, & id genus aliis proventibus, quæ communes, sive profanæ dicuntur, & opponuntur sacris pecuniis, unde sequitur, QUAE NON PERTINENT AD RATIONEM SACRIFICIORUM, quas scilicet Seleucus suppeditabat, ut supra dicitur num. 3.

V. 7. TRANSPORTARET, id est ad se afferret.

V. 10. DEPOSITA HAEC ESSE, &c. Sive has pecunias repositas & destinatas esse viduis, pupillisque sublevandis, sive ab ipsismet, sive ab aliis, qui pauperibus benigne facere vellent per manus Pontificis.

V. 11. QUAEDAM VERO ESSE HIRCANI, &c. qui eas loco propter religionem omnium tutissimo reposuerat. TOBIAE: non filium sed nepotem; Iosephus enim Lib. XII. cap. IV. ait eum filium Iosephi filium fuisse, Tobiæ vero nepotem. IN HIS: ex his. QUAE DETULERAT. In Græco est, *οὐχ ὥσπερ διέβαλλεν ὁ δυσσεβὴς Σίμων*; id est, *non autem ut calumniabatur impius Simon.*

V. 12. DECIPI VERO, &c. id est fraudari deposita pecunia, & iniuriam illis fieri; in Græco enim est *ἀδικηθῆναι*. Sententia ergo est, Indignum esse, ne ullo modo fieri posse, aut debere, ut pecuniæ eorum qui eas templo crediderant auferantur per iniuriam; sic enim templi apud omnes gentes sancti maiestas, & securitas violaretur.

V. 13. OMNI GENERE: omni ratione, omni modo, omnino. In Græco enim est, *πάντως*; licet in bibliis Vaticanis per errorem scribatur *πάντων*.

V. 15. ALTARE: holocausti: locus orationis sacerdotum erat inter templum, & altare.

V. 18. PRO EO QUOD IN CONTEMPTUM, &c. pa-

&c. pavidi, & soliciti, quia videbant sacrum locum in contemptum venturum, si pecuniæ illæ auferrentur.

V. 19. VIRGINES, QUAE CONCLUSAE ERANT: in templi quodam domicilio, ubi & piæ viduæ morabantur. PROCURREBANT AD ONIAM. In Græco est, ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, *ad ianuas*, scilicet templi. Sed idem est, nam ibi erat Onias. ALIAE AUTEM AD MUROS: scilicet procurrebant, muros, inquam, templi, ubi tota res agitabatur, & in quod illæ conclusæ erant, ut inde efferre pedem non liceret, donec coniugio traderentur.

V. 21. ERAT ENIM MISERA COMMISTAE MULTITUDINIS. In Græc. est, λιτὰ δ' ἦν ἡ τοῦ πλήθους παμμιγὴς πρόπτωσις, id est, *commiserationem autem movebat commista multitudinis prolapsio*, animorum scilicet deiectio, & corporum ad orandum prostratio. MAGNI SACERDOTIS EXPECTATIO: scilicet spectantis quo res evaderet, & quid auderet Heliodorus in templum, aut populus concitatus in Heliodorum.

V. 22. ET, QUIDEM: scilicet. Iudæi.

V. 24. SPIRITUS OMNIPOTENTIS DEI: Deus: paulo aliter hæc habentur in Græco, sed sensus idem est. RUENTES: consternati, καταπλαγέντες, stupore perculsi, & attoniti. DISSOLUTIONEM: ἔκλυσιν, animi, aut membrorum dissolutionem, propter metum, & consternationem.

V. 25. OPTIMIS OPERIMENTIS ADORNATUS. In Græco est, καλλίστῃ σαγῇ διακεκοσμημένος: est autem σαγὴ equi instratum, quod recentiores Græci σάγμα dixerint. Vide Meursium in glossario Græco barbaro. PRIORES CALCES ELISIT. Significat equum insurrexisse in Heliodorum, & anterioribus ungulis impulsum, eum prostravisse. ET SEDEBAT: equo insidebat.

V. 26. VIRTUTE: τῇ ῥώμῃ, *robore*, *viribus*.

V. 27. EIECERUNT: extraxerunt, exportarunt.

V. 28. CURSORIBUS: famulis a pedibus. Italice vocamus *staffieri*. NULLO SIBI AUXILIUM FERENTE. In Græco est, ἀβοήθητον ἑαυτῷ καθεστῶτα, *qui nihil auxilii sibi ipse afferre poterat*. Italicæ phrasi optime respondet, dicimus enim: *Non si poteva aiutare da se stesso*.

V. 30. MAGNIFICABAT: glorificabat.

V. 32. MALITIAM, id est dolum, seu maleficium. EX IUDAEIS: a Iudæis. CONSUMMATAM, id est factam. HOSTIAM SALUTAREM: qua scilicet illi salus, & sanitas, alioqui deplorata restitueretur, Dei misericordia precibus, & sacrificio Pontificis propitiata.

V. 33. CUMQUE SUMMUS SACERDOS EXORARET: vel, ut est in Græco, *faciente autem summo sacerdote propitiationem*, ut scilicet ei Deus propitius fieret. IIDEM IUVENES: rursus apparuerunt Heliodoro.

V. 34. MAGNALIA DEI: Dei mirabilia.

V. 35. HOSTIA DEO OBLATA: per sacerdotem. ET, QUI VIVERE ILLI CONCESSIT; scilicet, Deo.

V. 39. VISITATOR: ἐπόπτης. Ille dicitur alicuius rei ἐπόπτης: sub cuius cura, & tutela res aliqua est.

T I R I N I.

Verf. 1. DE hoc *Onia a* vide Chronicon nostrum; uti & de rege *Seleuco b*, cognomento *Philopathore*: qui exemplo Cyri *c*, Darii *d*, Artaxerxis *e*, regum Persarum, & Seleuci primi Asiæ regis, itemque Antiochi Magni *f* & aliorum regum, nobilissimis donariis templum Ierosolymitanum condecoravit initio sui regni: sed post avaritia transversum actus, idem illud per Heliodorum explicare conatus est.

V. 4. SIMON PRAEPOSITUS TEMPLI, non in sacris (nam erat IN TRIBU BENIAMIN) sed in politicis. Forsan præerat thesauris, vel certe militari custodiæ templi, de qua I. Machab. IV. vers. ult. Hic CONTENDEBAT INIQUUM ALIQUID IN CIVITATE MOLIRI; nempe civium animos ad se adtrahere, dominium supremum sibi vindicare, forsan & summum pontificatum affectare, ut postea fecit *frater eius Menelaus g*.

V. 5. APOLLONIUS hic COELESYRIAE ET PHOENICIS DUX, seu prorex, inferioris Syriæ a rege Seleuco præfectus, idem est cum illo qui post aliquot annos cum Ionatha infeliciter conflixit, I. Mach. X. 69. & seqq. Hic iam ex suggestione impii Simonis suadet regi Seleuco, ut sacros templi thesauros sibi vindicet. Sed hunc in finem misso *Heliodoro*.

V. 10. & 11. SUMMUS SACERDOS Onias OSTENDIT, thesauros hos non esse templi proprios, sed ESSE variorum DEPOSITA, partim VIDUARUM ET PUPILLORUM, qui inde victitare debebant: partim HYRCANI TOBIAE filii, VIRI opibus & dignitate, forsan & vitæ sanctitate, ut S. Ambrosius & Lyranus volunt, VALDE EMINENTIS. Videtur Tobias hic esse ille qui Oniæ secundi pontificis sororem duxerat, teste Iosepho *i*, qui dicit filios, id est posteros eius, ad Antiochum Epiphanem profugisse. Unumque illorum, ex filio Tobiæ nepotem, *Hyrcanum* dictum fuisse. ARGENTI TALENTA QUADRINGENTA faciunt ducenta millia aureorum *k* in specie, si Attica fuerint talenta: duplum vero, si Hebræa. AURI *talenta* DUCENTA Attica faciunt duodecies centena millia aureorum: Hebræa duplam summam. Quæ tamen parva censeri debet respectu thesaurorum quos constat aliis temporibus in templo repertos fuisse: nam, ut Salomonica & aliorum regum Iuda tempora omittam, Pompeius cum Ierosolymam obtinuisset, bis mille talenta in templi gazophylaciis, seu *corbona* invenit, nec quidquam tamen abstulit *l*: quæ summa decuplo maior est hac præsenti quam Heliodorus auferre conatus est. Porro solere deposita eiusmodi in loco sacro deponi, pro veneratione & sanctitate loci, ut immunia essent ab omni vi & iniuria, non modo in usu fuit tum apud Iudæos, tum apud Gentiles, tum apud Christianos; sed etiam severissimis legibus perpetuo sancitum, ut Iosephus, Cicero, Svetonius, S. Ambrosius & Ius Canonicum *m*, testantur. Unde merito subdit hic Onias,

V. 12. DECIPI, id est deposito suo frustrari EOS QUI fortunas suas *templi* CREDIDISSENT, OMNINO IMPOSSIBILE ESSE, nec ulla ratione vel prætextu permitti posse: obstare loci sanctitatem, obstare fidem datam, obstare leges humanas & divinas. Sed frustra omnia. Ergo publicis precibus, lamentis & supplicationibus recursum ad Deum, etiam a *virginibus*

V. 19. QUAE alias CONCLUSAE ERANT, & domi parentum latere solebant, ut Gorionides & Lyranus exponunt: vel certe quæ intra templi certa claustra concludebantur, ut alibi *n* dixi, iam in publicum, quasi ad restinguendum commune incendium, provolant: aliæ ad Oniam pontificem, solatii vel consilii causa: ALIAE AD MUROS templi, quasi locum tutaturæ, *aliæ ad* FENESTRAS eiusdem, precibus saltem & lamentis, cum aliud non possent, seu tyrannum exoraturæ, seu Deum in tutelam evocaturæ. Et vero adfuit subito e machina Deus, ut fuse auctor enarrat. S. Ambrosius *o* huius Heliodori exemplo terruit Imp. Theodosium, ne simile depositum viduæ cuiusdam in Ecclesia Ticinensi abripere auderet. Est vero hic idem ille Heliodorus, qui postea regi suo Seleuco necem ex insidiis attulit, & regium sceptrum sibi rapuit; sed mox ab Attalo & Eumene regibus, Antiochi Epiphanis Roma redeuntis tunc studiosis, eiectus est, ut *p* alibi dixi. Hac saltem vice flagellis angelicis ferio resipuit Heliodorus, a Gentilitia superstitione conversus ad verum Deum. Utinam resipuisset & Simon ille Beniaminius malorum horum omnium causa & origo! Sed huius tragœdiam enarrabunt capita sequentia.

(a) Cap. xlii.
(b) Cap. xl.
(c) I. Esdræ i.
(d) Ibid. cap. vi.
(e) II Esdræ ii.
(f) Gorion. Lib. III. cap. i. Ioseph. Lib. II. Antiq. cap. iii. Lib. XVI. cap. x. Lib. II. Belli cap. xxxi. & Lib. II. cont. Apionem. Item Gorionidea Lib. IV. cap. ult. &c.
(g) II Mach. iv. 21. &c.
(h) Ambros. ii. Officior cap. xxix.
(i) Ioseph. Lib. XII. Antiq. cap. iv. & Lib. I. Capriv. Lib. I.
(k) Prolegomena de ponderibus.
(l) Ioseph Lib. XIV. Antiqu. cap. viii.
(m) Ioseph. sup. Cicero Lib. II. de Legib. & Lib. V. epistola xx. & Lib. V. ad Atticom. Sveton de Iulii testamento. Ambr. sup. cap. Gravis. Extra de deposito.
(n) Exodi xxviii. 8. & I. Reg. ii. 22.
(o) Ambr. sup.
(p) In Chron. cap. xl.

GORDONI.

HAEc de Onia sub Seleuco Syriæ Rege septimo, filio Antiochi magni, & fratre Antiochi Epiphanis, ut noto ad annum 3817. & 3828. & 44. cap. XVI. num. 10. de Onia. Initio hic narratur pax Reipubl. sub Onia, & Seleuco, annis illis notatis, vers. 2. & 3. Simon molitur mala, vers. 4. Heliodorus missus in Iudæos, vers. 7. Castigatur divinitus, vers. 14. & 23. & 27. Sanatur, vers. 33. Redit ad Regem, vers. 35.

CAPUT IV.

Onias ob Simonis detractiones ad Seleucum concessit: cuius pontificatum ambiens frater eius Iason, promisit regi plurima talenta, acceptoque pontificatu omnem Dei cultum pervertit; quem pontificatu privari curat Menelaus, plura regi talenta pollicitus: cui promissa non praestanti succedit frater ipsius Lysimachus: Onias cum Menelaum de sacrilegio argueret, illius suasu ab Andronico perimitur; propter quod iussu Antiochi in eodem loco Andronicus interimitur; Lysimacho a populo oppresso, Menelaus apud regem accusatus, intercedentibus donis absolvitur, occisis innocentibus eius accusatoribus.

1. Simon autem praedictus pecuniarum & patriae delator, male loquebatur de Onia, tamquam ipse Meliodorum instigasset ad haec, & ipse fuisset incentor malorum: 2. provisoremque civitatis, ac defensorem gentis suae, & aemulatorem legis Dei, audebat insidiatorem regni dicere. 3. Sed, cum inimicitiae intantum procederent, ut etiam per quosdam Simonis necessarios homicidia fierent: 4. considerans Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, utpote ducem Coelesyriae & Phoenicis, ad augendam malitiam Simonis, ad regem se contulit, 5. non ut civium accusator, sed communem utilitatem apud semetipsum universae multitudinis considerans. 6. Videbat enim sine regali providentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare a stultitia sua. 7. Sed post Seleuci vitae excessum, cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniae summum sacerdotium: 8. adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta, 9. super haec promittebat & alia centum quinquaginta, si potestati eius concederetur gymnasium & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Ierosolymis erant, Antiochenos scribere. 10. Quod cum rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilem ritum contribules suos transferre coepit: 11. & amotis his, quae humanitatis causa Iudaeis a regibus fuerant constituta, * per Ioannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, civium iura destituens, prava instituta sanciebat. 12. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere. 13. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis & alienigenae conversationis, propter impii & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus: 14. ita ut sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis, festinarent participes fieri palaestrae, & praebitionis eius iniustae, & in exercitiis disci: 15. & patrios quidem honores nihil habentes, Graecas glorias optimas arbitrabantur: 16. quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta aemulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant. 17. In leges enim divinas impie agere impune non cedit: sed hoc tempus sequens declarabit. 18. Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex praesens esset, 19. * misit Iason facinorosus, ab Ierosolymis † viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis: quas postulaverunt hi qui asportaverunt ne in sacrificiis erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari. 20. Sed

Sed hæ oblatæ sunt quidem ab eo, qui miserat, in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam navium triremium. 21. Misso autem in AEgyptum Apollonio Mnesthei filio, † propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cum cognovisset Antiochus alienum se a negotiis regni effectum, propriis utilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen, & inde Ierosolymam. 22. Et magnifice ab Iasone & civitate susceptus, cum facularum luminibus & laudibus ingressus est: & inde in Phœnicen exercitum convertit. 23. Et post triennii tempus misit Iason Menelaum, supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias regi, & de negotiis necessariis responsa perlaturum. 24. At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta. 25. Acceptisque a rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio; animos vero crudelis tyranni, & feræ beluæ iram gerens. 26. Et Iason quidem, qui proprium fratrem captivaverat, ipse deceptus profugus in Ammanitem expulsus est regionem. 27. Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecuniis vero regi promissis, nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus, qui arci erat præpositus: 28. (nam ad hunc exactio vectigalium pertinebat) quam ob causam utrique ad regem sunt evocati. 29. Et Menelaus amotus est a sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cypriis. 30. Et cum hæc agerentur, contigit, Tharsenses & Mallotas seditionem movere, * eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati. 31. Festinanter itaque rex venit sedare illos, relicto suffecto uno ex comitibus suis Andronico. 32. Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa e templo furatus donavit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas civitates. 33. Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem. 34. Unde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat ut Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, & datis dextris cum iureiurando (quamvis esset ei suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus iustitiam. 35. Ob quam causam non solum Iudæi, * sed aliæ quoque nationes indignabantur, & moleste ferebant de nece tanti viri iniusta. 36. Sed regressum regem de Ciliciæ locis, adierunt Iudæi apud Antiochiam, simul & Græci, conquerentes de iniqua nece Oniæ. 37. Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam: 38. accensisque animis, Andronicum purpura exutum, per totam civitatem iubet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita privari, Domino illi condignam retribuentem pœnam. 39. Multis autem sacrilegiis in templo a Lysimacho commissis Menelai consilio, & divulgata fama, congregata est multitudo adversum Lysimachum, multo iam auro exportato. 40. Turbis autem insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus uti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter & dementia provecto. 41. Sed, ut intellexerunt conatum Lysimachi, alii lapides, alii fustes validos arripuere: quidam vero cinerem in Lysimachum iecere. 42. Et multi quidem vulnerati, quidam autem & prostrati, omnes vero in fugam conversi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerunt. 43. De his ergo cœpit iudicium adversus Menelaum agitari. 44. Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotium detulerunt missi tres viri a senioribus. 45. Et cum superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi. 46. Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum quasi refrigerandi gratia regem adiit, & deduxit a sententia: 47. & Menelaum quidem universæ malitiæ reum criminibus absol-

vit: miseros autem, qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnavit. 48. Cito ergo iniustam pœnam dederunt, qui pro civitate, & populo, & sacris vasis, causam prosecuti sunt. 49. Quam ob rem Tyrii quoque indignati, erga sepulturam eorum liberalissimi extiterunt. 50. Menelaus autem, propter eorum, qui in potentia erant, avaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias civium.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 11. *Per Ioannem patrem Eupolemi.* Non præponas his verbis coniunctionem &c.

Vers. 19. *Misit Iason facinorosus ab Ierosolymis viros peccatores.* Nominativus *facinorosus* non est mutandus in accusativum *facinorosos*.

Sequitur: *Sed in alios sumptus eas deputari.* Retinendum est femininum *eas*, non substituendum masculinum *eos*: quemadmodum & versu proximo feminina non sunt commutanda cum neutris ubi sequitur: *Sed hæ ablatæ sunt quidem &c. propter præsentes autem datæ sunt.* Sermo est de drachmis.

Vers. 30. *Eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati.* Quod vulgo legitur *Antiochi* secundo casu generis masculini Patres recte emendarunt *Antiochidi*, tertio casu generis feminini.

Vers. 35. *Sed alienæ quoque nationes.* Non addas *etiam* voculæ *sed*.

Lectionum Varietas.

Vers. 19. *Viros peccatores.* Pro *peccatores* quidam coniiciunt legendum esse *spectatores*, quidam *precatores*, quidam denique *sacrorum procuratores*. In antiquis Bibliis manuscriptis, uno Brugensi, altero Audomarensi diserte legitur *speculatores*. Græca vox θεωρὸς deducta est a θεωρεῖν quæ proprie speculari, contemplari, spectare significat.

V. 21. *Propter primates Ptolomæi Philometoris regis.* Quædam insignia manuscripta pro *primates*, tertiæ declinationis, legunt *primatus*, quartæ declinationis, ut est Græc. τὰ πρωτοκλίσια, vel πρωτοκλίσιά.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. INSTIGASSET, id est induxisset.

V. 2. AEMULATOREM, id est incensum zelo. Græc. ζηλωτὴν.

V. 4. INSANIRE: iunge cum *ad augendam*.

V. 7. ANTIOCHUS, scilicet Seleuci frater.

V. 8. REDDITIBUS, &c. forte id volebat quotannis reddere.

V. 9. EPHEBIAM, id est Epheborum palæstram, seu potius lupanar. ANTIOCHENOS, scilicet cives.

V. 11. PER IOANNEM. Incertum, an per hunc illa instituta, seu impetrata a Regibus, an vero eius opera destructa. QUI, scilicet Eupolemus. Vide Lib. I. cap. VIII.

V. 13. PROFECTUS, id est progressus. SACERDOTIS. Græc. *summi Sacerdotis*, scilicet revera.

V. 14. PRAEBITIONIS, id est exhibitionis, scilicet spectaculi. EXERCITIIS, id est certaminibus.

V. 15. NIHIL, id est pro nihilo.

V. 16. CONTENTIO. Græc. *calamitas*. ET EORUM; pro, nam eorum. HABUERANT. Græc. *habuerunt*; scilicet postea.

V. 19. DIDRACHMAS. Græc. *drachmas*. SACRIFICIIS, scilicet Herculis. OPORTERET, scilicet necesse esset, seu deceret.

V. 20. PRAESENTES, scilicet Legatos, qui id rogaverant.

V. 21. PRIMATES; pro, primatum, id est principatum, scilicet contentio erat cum Antiocho. ALIENUM, scilicet ob absentiam. INDE, scilicet ubi erat: forte ex Antiochia.

V. 24. FACIEM, &c. id est regiam potestatem; quasi dicat, Ei fuisset adulatus. SUPERPONENS, &c. Græc. *superans Iasonem talentis*, &c.

V. 29.

V. 29. ET MENELAUS, &c. Græc. *Et quidem Menelaus reliquit summi sacerdotii successorem Lysimachum fratrem suum, Sostratus autem Crateten Præfectum Cypriis.*

V. 40. INIQUIS: iunge cum *manibus*.

ESTII.

Vers. 7. & 8. SED POST SELEUCI VITAE EXCESSUM, CUM SUSCEPISSET REGNUM ANTIOCHUS..... AMBIEBAT IASON FRATER ONIAE SUMMUM SACERDOTIUM, ADITO REGE, PROMITTENS EI ARGENTI TALENTA TRECENTA SEXAGINTA, &c. In hoc capite annotari rursum potest, in quanta, & quam multiplicia mala hominem præcipitet ambitio. Ea mala sunt homicidia, calumniæ, sacerdotii emptio & venditio, quæ a nobis uno nomine simonia appellatur, ipsa denique impietas & defectus a vero cultu Dei. Primum enim hic legimus Iasonem Oniæ fratrem, promissis regi argenti talenti trecentis sexaginta, & aliis octo & centum quinquaginta emisse a rege pontificatum. Deinde quod Menelaus pensionem Iasonis ad regem adferens, & maiorem summam promittens, velut auctione facta, eundem pontificatum sibi acquisierit: ita, inquit Scriptura hoc eodem cap. vers. 24. & 25. IN SEMETIPSUM RETORSIT SUMMUM SACERDOTIUM, SUPERPONENS IASONI TALENTA ARGENTI TRECENTA; ACCEPTISQUE A REGE MANDATIS, VENIT, NIHIL QUIDEM HABENS DIGNUM SACERDOTIO, ANIMOS VERO CRUDELIS TYRANNI, ET FERAE BELLUAE IRAM GERENS. Sed & cum Iason iste promissis non staret, simili conditione post eum Lysimachus frater eius ad pontificatum pervenit, & per huiusmodi sacrorum emptiones horrenda mala evenerunt, ut hic narratur.

MARIANAE.

Vers. 4. AD AUGENDAM MALITIAM SIMONIS. Græce, *augentem malitiam Simonis*, scilicet Apollonium vidit Onias.

V. 7. POST SELEUCI VITAE EXCESSUM. Antiochus Seleuco fratri suo succedit in regno, Iason in Pontificatu Oniæ fratri suo, novi Regis opera. Hic a Rege impetravit, ut

V. 9. GYMNASIUM ET EPHEBIAM daretur constituere. *Gymnasium*, ubi iuvenes certabant more Græcorum, disco, arcu, saltu, cursu, lucta, ut Lib. I. Epigr. dicitur cap. VII. *Ephebia*, lupanar, ubi pueri prostituebantur. In Athenæo Lib. XI. *pueri prostituti* vocantur *Ephebi*. Sic vers. 12. ubi Græce est, *Optimos epheborum sub petaso constituens*. Hieronymus dixit, *In lupanari ponere*. *Petasus* aut galerus erat, quem ii pueri gestabant, aut velum quo fornix tegebatur. QUI IN IEROSOLYMIS ERANT, ANTIOCHENOS SCRIBERE, id est ut vocarentur *Antiocheni*, scilicet ab Antiocho, quasi eius servi. Novum adulationis genus.

V. 14. SACERDOTES: templo contempto in gymnasio certabant, ut participes essent. PRAEBITIONIS EIUS INIUSTAE, scilicet præmiorum, quæ in iis certaminibus dabantur, coronæ, vestes, aurum; quæ præmia vers. proximo, *Græcas glorias* vocat.

V. 19. DIDRACHMAS TRECENTAS misit, scilicet Iason. Græce, *drachmas*. IN SACRIFICIUM HERCULIS. Græca certamina Herculi erant sacra. Eius statuæ in gymnasiis ponebantur, illi sacrificabant.

V. 20. PROPTER PRAESENTES. Græce, *propter portantes datæ sunt illæ drachmæ in fabricam triremium*, ne scilicet videretur Rex sibi eas usurpare. Vile pretium, fortassis pro *drachmis*, minæ, aut numeri sunt vitiati. Misit Antiochus Apollonium in AEgyptum,

V. 21. PROPTER PRIMATES PTOLEMAEI. Cleopatra huius Ptolemæi Philometoris mater erat, Antiochi soror. Sic res AEgypti procurabat, Proceres repugnabant. ALIENUM SE A NEGOTIIS REGNI: videns scilicet ei proceres procurationem detrahere.

V. 23. MENELAUM. Simonis fratrem, quem *Simonem* cap. III. vers. 4. dixit esse e tribu Beniamin. Non ergo *Menelaus* erat e genere sacerdotum.

V. 26. QUI PROPRIUM FRATREM CAPTIVAVERAT, ὑποθεὶς, id est se illegitime & nothus supposuerat fratri. Eodem verbo utitur vers. 7. cum agit de Pontificatu dato Iasoni: quo insinuat, Iasonem & Menelaum non fuisse veros Pontifices.

V. 29. MENELAUS AMOTUS EST A SACER-

CERDOTIO. Illi quasi vicarius suffectus est Lysimachus eius frater. Nulla de eo inter Pontifices Iudæorum mentio.

V. 33. SECUS DAPHNEM. Græce, *in Daphne* se tenebat Onias. *Daphne* suburbium erat Antiochiæ, irriguum aquis, in medio asylum & templum Apollini & Dianæ sacrum: ibi se tenebat Onias metu Menelai.

V. 34. MENELAUS ACCEDENS AD ANDRONICUM. Oniæ morte & fuga eius filii in AEgyptum, ut refert Iosephus Lib. XIII. cap. VI. & Lib. XX. cap. VIII. Mathathias Pontifex fuit: quippe ex Eleazari Aaronis filii posteris, & ex prima sorte sacerdotum. Menelaus & Alcimus, qui Pontificatum emerant, & ex alio genere erant, illegitimi Pontifices fuere. Simul puto in ea temporum labe Mathathiam Pontificalia exercere non potuisse. Oniam occidit Andronicus. Hunc Rex.

V. 38. ANDRONICUM PURPURA EXUTUM. Græce additur, *& vestes scindens*, aut suas Antiochus, ut in luctu; aut Andronici, ut pannosus per urbem circumferretur.

V. 40. DUCE QUODAM TYRANNO. Græce, *duce quodam Aurano*. Lysimachus tumultum excitat.

MENOCHII.

Vers. 2. PROVISOREM. In Græco est, εὐεργέτην, *benefactorem*. AEMULATOREM, id est zelo legis incensum; Græce ζηλωτήν. INSIDIATOREM REGNI: ἐπίβουλον τῶν πραγμάτων, *insidiatorem rerum*, scilicet, regiarum.

V. 3. PER QUOSDAM SIMONIS NECESSARIOS. Innuitur absentia Simonis, qui per suos cædes patraret, eum autem ad Apollonium confugisse declarant sequentia.

V. 4. INSANIRE. Iunge cum, *ad augendam*; sententia est, Oniam periculum animadvertisse, quod illi ab Apollonio viro potente, & gubernatore Cœlesyriæ & a Simone imminebat, nam pessime uterque animatus erat in Oniam, & intelligebat Apollonium Simonis malitiam fovere, & augere; ex quo magnum aliquod malum tandem erumpere erat necesse. AD REGEM: Seleucum Philopatorem.

V. 7. ANTIOCHUS: Seleuci frater. NOBILIS: hoc enim significat vox Græca ἐπιφανής, *epiphanes*.

V. 9. GYMNASIUM, ET EPHEBIAM: impuram scortorum masculorum officinam, ex qua lucrum ipsi proveniret. ANTIOCHENOS SCRIBERE: ut scilicet privilegiis fruerentur, quibus gaudebant cives Antiocheni; ut interpretatur Salian. Vel, (quæ est Serarii interpretatio) ut Ierosolymitani Antiocheni dicerentur, partim in Antiochi honorem, partim in Græcorum rituum commendationem.

V. 10. CONTRIBULES SUOS: gentiles suos Iudæos.

V. 11. AMOTIS HIS, QUAE HUMANITATIS CAUSA, &c. significat Iasonem amovisse, penitusque irrita fecisse Iudæorum privilegia, & omnia quæ mitiora, & humaniora ipsis a Syriæ superioribus regibus constituta fuerant, quæque per insignem virum Ioannem Eupolemi patrem fuerant impetrata.

V. 12. GYMNASIUM: vide dicta num. 9 INCREMENTUM QUODDAM. In Græco est ἀκμή τις, vigor quidam, & summum Gentilistri. ET NON SACERDOTIS: pseudopontificis, falsi sacerdotis, & Pontificis Iasonis.

V. 14. PARTICIPES FIERI PALAESTRAE, &c. sensus est, proposito præmio ab agonotheta, profanos sacerdotes tum palæstritis, & athletis publice cum contumelia dignitatis suæ decertasse, & eorum instituta æmulatos fuisse. PRAEBITIONIS INIUSTAE: παρανόμου χορηγίας, *prabitionis scelestæ*: intelligit munera, & præmia ab agonothetis proposita, quorum sine scelere fieri participes sacerdotes illi non poterant. EXERCITIIS DISCI, id est certaminibus iaciendi disci.

V. 15. PATRIOS HONORES: patrias leges, & instituta Iudaica, in quibus illos gloriari oportuisset. NIHIL, id est pro nihilo. GRAECAS GLORIAS: Græcorum mores gentilitios affectabant, & in illis gloriabantur.

V. 16. QUARUM GRATIA PERICULOSA EOS CONTENTIO HABEBAT. In Græco est, ἂν χάρις περιέσχεν αὐτοὺς χαλεπὴ περίστασις; id est, *Quarum gratia occupavit eos gravem infortunitatem*, ut vertit Flaminius. HABUERANT. In Græco est, *habuerunt*.

V. 17. IMPUNE NON CEDIT: non abit impune peccatum contra legem divinam.

V. 18.

V. 18. QUINQUENNALIS AGON : festum, & certamina in honorem Herculis, fortasse ad imitationem ludorum Olympicorum.

V. 19. PECCATORES . In Græco est θεωρὸς, id est *spectatores*; illi autem dicebantur θεωροὶ a Græcis, qui ad festa, oracula, rerumque divinarum curationem mittebantur. Vide Sigon. de Rep. Athen. Lib. IV. cap. VII. DIDRACHMAS . In Græco est, *Drachmas*; didrachma est numisma æquivalens duabus drachmis . Trecentæ argenti didrachmæ non plus efficiunt quam sexaginta scuta huius monetæ Romanæ . Mirum videtur tam exiguam pecuniam missam fuisse, aut postulatam in fabricam triremium. Rem non satis assequor . Nisi forte dicimus τὸ *argenti*, positum esse pro, *pecunia*, & didrachmas fuisse aureas, ut sensus sit, tulisse pecuniæ didrachmas aureas trecentas. Sic Galli quodcumque pecuniæ genus, etiam aureum, vocant *Argent*. QUIA NON OPORTERET : quia non esset necessaria pecunia ad sacrificia, & utilius poni videretur in construendis triremibus.

V. 20. SED HAE OBLATAE SUNT QUIDEM AB EO, &c. quasi dicat : Licet revera impensa non fit pecunia in sacrificia, per Iasonem sacrilegum non stetit, qui eo consilio eam Tyrum misit.

V. 21. PROPTER PRIMATES, &c. ut cum regni primatibus, & optimatibus ageret, ut Antiocho Ptolemæi Philometoris tutela crederetur. ALIENUM A REGNI NEGOTIIS EFFECTUM : postulationem enim Antiochi reiecerunt, non ignari illum ad AEgypti regnum anhelare. PROFECTUS INDE ; scilicet, Tyro. IN PHOENICEN EXERCITUM CONVERTIT: ut scilicet instructa ibi classe suo tempore AEgyptum invaderet.

V. 23. RESPONSA : Regis.

V. 24. COMMENDATUS REGI : a Iasone scilicet vel ab amicis. CUM MAGNIFICASSET FACIEM POTESTATIS EIUS, id est cum ei esset adulatus . SUPERPONENS IASONI, &c. *Superans Iasonem talentis*, &c. ut est in Græco.

V. 26. PROPRIUM FRATREM : scilicet Oniam. CAPTIVAVERAT. In Græco est, ὑπεσκελίσας, id est *circumvenerat* ,& per fraudem, & simoniam Pontificatu deiecerat. DECEPTUS. Recurrit eadem vox ὑποσκελισθεὶς id est *circumventus* . IN AMMANITEM REGIONEM : in Ammonitarum regionem.

V. 27. CUM EXACTIONEM FACERET SOSTRATUS, &c. id est, Sostrato quæstori regio, arci, & vectigalibus præfecto, non satisfaciebat. UTRIQUE : tam Menelaus, quam Sostratus.

V. 30. THARSENSES, ET MALLOTAS: utrique sunt in Cilicia . Mallus in sinu Issico, iuxta Pyramum fluvium, Tharsenses autem iuxta Cydnum, non magno a littore intervallo . QUOD ANTHIOCHIDI, &c. hi se contemptos putarunt quod scorto donati essent, ideoque moverunt seditionem.

V. 31. SUFFECTO : vicario, & rerum administratore interim dum ipse abesset. EX COMITIBUS. Græce, *ex præfectis*.

V. 33. SE CONTINENS ANTIOCHIAE, &c. quo credibile est eum venisse, ut Pontificatui suo restitueretur. SECUS DAPHNEM : quod erat asylum suburbanum.

V. 34. DATIS DEXTRIS: fide data quod illi non noceret.

V. 36. IUDAEI APUD ANTIOCHIAM : Iudæi, qui Antiochiæ versabantur. SIMUL ET GRAECI : qui & ipsi dolebant violatum ius asyli sui.

V. 37. SOBRIETATEM : σωφροσύνην, moderationem, temperantiam, prudentiam.

V. 38. ACCENSIS ANIMIS: ira, & indignatione.

V. 39. MENELAI CONSILIO . In Græco est γνώμη, id est voluntate, consilio, decreto, consensu, iussione. Ital. diceremus, *secondo il volere di Menelao* . AURO . In Græco est χρυσωμάτων, id est *vasis aureis*. INIQUIS MANIBUS UTI COEPIT. Est Græca phrasis. Græci enim illos dicunt, ἄρχεσθαι χειρῶν ἀδίκων, qui iniurias primi inferunt.

V. 44. CUM VENISSET REX TYRUM: nimirum ex Antiochia, ubi Andronicum debito supplicio affecerat. A SENIORIBUS, populi Iudaici. CUM SUPERARETUR MENELAUS : cum succumberet in iudicio. PTOLEMEO: filio Dorymeni, cuius mentio Lib. I. cap. III. 38.

V. 45. QUASI REFRIGERANDI GRATIA: ὡς ἀναψύξοντα, recreandi, reficiendi se causa, præsertim a calore.

V. 48. ERGA SEPULTURAM EORUM LIBERALISSIME EXTITERUNT: quod in reorum laudem, & iudicis condemnationem cedebat.

TI-

TIRINI.

Vers. 1. SIMON impius proditor accusat sanctum pontificem *Oniam*, TAMQUAM IPSE HELIODORUM INSTIGASSET, & malis artibus impulisset AD HAEC flagella subeunda. Quin & affectati regni ausus est insimulare.

V. 2. PROVISOREM, seu procuratorem, boni communis fidelissimum, tum CIVITATIS Ierosolymitanæ, tum reip. universæ Iudaicæ.

V. 4. Sed ONIAS AD REGEM Seleucum excurrit ipsemet, & detersis calumniis, regia auctoritate petulantiam Simonis facile compescit. Mortuo tamen Seleuco, en aliud longe gravius domesticum malum!

V. 7. FRATER ONIAE IASON, ab *Antiocho* Epiphane Seleuci fratre & successore summum pontificatum maximo pretio coemit, & extruso fratre sibi vindicat. Mox ad religionem Ethnicam & ritus Gentilitios se totum transfert, & una secum trahere conatur universum populum Iudaicum. In quem finem maxima vi pecuniæ impetrat a rege

V. 9. *Potestatem* constituendi Ierosolymis GYMNASIUM ET EPHEBIAM, de quibus Lib. I. cap. 1. 15. Emit & *Ierosolymitanis* ius civium *Antiochenorum*, cui (quod ibi sedes esset regia) magna erant annexa privilegia: uti & iuri civium Romanorum & Alexandrinorum, ut omnibus est notissimum.

V. 11. AMOTIS ergo & abolitis piis omnibus institutis, sacris ritibus, & honestis exercitiis, QUAE A priscis REGIBUS HUMANITATIS & benevolentiæ CAUSA IUDAEIS olim indulta & *praestituta* FUERANT, cœpit contra patriæ IURA surrogare PRAVA Gentilium INSTITUTA, usus ad id opera *Ioannis* divitis ac præpotentis viri, *patris* EUPOLEMI, *qui* postea fœderis cum Romanis sanciendi gratia a Iuda Machabæo Romam missus est, I. Mach. VIII. 17. Nec hic res stetit.

V. 14. SACERDOTES etiam CONTEMPTO TEMPLO, festinabant ad theatra, ut PARTICIPES *essent* profanæ PALAESTRAE, seu exhibendæ, seu spectandæ: participes item essent PRAEBITIONIS EIUS INIUSTAE, id est præmiorum quæ in ludis istis & luctis præberi & erogari solent victoribus, vestes, coronæ, aurum & his similia. Quæ quia non virtutis, sed impudentiæ & scurrilitatis, ut plurimum præmia erant, idcirco *praebitionem* illorum *iniustam* vocat. Pro EXERCITIIS DISCI, de quibus Lib. I. cap. 1. 15. in Græco est, *post disci provocationem;* id est, post invitationem ad exercitia quæ fiebant præmiis disco impositis, & in disco per medium stadium circumferri solitis, ad plures agonistas provocandos in certamen, inquit Petrus Faber *a*.

V. 15. Porro præmia hæc agonistica GRAECAS GLORIAS vocat, quia Græci, id est Gentiles, his vanitatibus maxime gloriabantur, ut ex Isthmicis, Pythiis & Olimpicis patet, de quibus egi in Chronico *b*, ubi & de aliis agonum generibus. Sed an impune hæc omnia? Minime gentium. Nam vers. 16. quorum INSTITUTA tam anxie AEMULABANTUR, eos postea HOSTES ET PEREMPTORES *habuerunt*, ut est in Græco.

V. 18. CUM QUINQUENNALIS AGON & ludi in urbe TYRI *celebrarentur* IN honorem HERCULIS, MISIT eo pseudopontifex IASON vers. 19. TRECENTAS ARGENTI DIDRACHMAS, id est trecentos florenos Belgicos, pro victimis aliquot coemendis, & Herculi offerendis in sacrificium. Sed religiosiores legati, etsi PECCATORES; Græce θεωροί, id est *precatores*, vel sacrorum procuratores, vel (ut Henricus Stephanus *c* vult) oraculorum sciscitatores; rogarunt regem, ne sacræ pecuniæ, vel a persona sacra submissæ, in profani idoli sacrificium impenderentur. Et iustæ petitioni annuit rex, iussitque

V. 20. Impendi IN FABRICAM TRIREMIUM: quibus uteretur in priore sua AEgyptiaca expeditione, quam adornabat specie tenus

V. 21. PROPTER PRIMATES AEgyptios, qui a Ptolemæo Philometore defecerant ad fratrem eius natu minorem Evergetem. Simulabat enim Antiochus avunculus istorum duorum fratrum, se velle lites eorum componere, ac proinde poscebat tutelam puerorum sibi committi. Sed revera inhiabat ipsemet sceptro AEgyptio, ut prædixerat de eo Gabriel Dan. XI. 22. & seqq. CUM vero *rescisset* ANTIOCHUS, ALIENUM SE A NEGOTIIS REGNI AEgyptiaci

ptiaci EFFECTUM, & primates AEgyptios tutelam puerorum regum nolle sibi deferre *d*, PROPTER *consulturus* UTILITATIBUS in Syriam recurrit, ubi

V. 22. *Ierosolymis* MAGNIFICE A pseudopontifice IASONE, *&* *civibus* SUSCEPTUS est, nihilque tum nocuit civitati vel Iudææ.

V. 23. *&* 24. POST TRIENNII TEMPUS, IASON a *Menelao* SIMONIS proditoris *fratre*, quem pro se ad regem Antiochum cum muneribus & mandatis legatum mittebat, eodem quo fratrem ipse suum Oniam *e* scelere nuper *captivarat*, circumscripserat & deceperat, iam ipse quoque circumscriptus & deceptus est: nam Menelaus CUM MAGNIFICASSET FACIEM POTESTATIS Antiochi, id est regiam eius maiestatem ac potentiam tam magnam esse ostendisset, ut quidvis, etiam in omnia sacra, pro libito posset; hac adulatione extorsit ut summus Iudæorum pontificatus a *Iasone* in se, qui ne quidem de tribu Levi, sed solum de Beniaminitia erat, inaudito hactenus facinore transferretur.

V. 29. Sed cum pecunia regi submittenda fidem datam falleret MENELAUS, cito A pontificatu SUO AMOTUS EST, LYSIMACHO fratre eius æque impio ac sacrilego, forsan & pari fraude, saltem pari simonia, ipsi suffecto. Interea

V. 30. *Tarsus* *&* *Mallus* duæ insignes Ciliciæ urbes, de quibus Strabo *f*, indignatæ, quod in regiæ pellicis, quæ se Antiochidem vocabat, sumptum donatæ essent, tumultuari & rebellare cœperunt. Erat hoc sordidum donationis genus apud Orientis reges usitatissimum, testibus Platone, Cicerone, Plutarcho & Athenæo *g*.

V. 31. REX tumultum ut sedaret, in Ciliciam excurrit, RELICTO Antiochiæ proreg̃e ANDRONICO.

V. 32. Huius *Andronici* animum sic sacrilegis muneribus devincit MENELAUS. Sed impia sacrilegia zelo magno

V. 33. ARGUEBAT sanctus pontifex ONIAS, e sede quidem sua pontificia deturbatus *h*, pontificis tamen munere fungens, asylo tutus ad quod profugerat, nempe ANTIOCHIAE, seu in Antiocheno districtu, SECUS templum *Daphnes*. Græce clarius, *in Daphne*, *quæ iuxta Antiochiam est*, 40. tantum stadiis ab ea distans, teste Strabone, unde & *suburbium* eius a Dione *i* vocatur: a Plinio & aliis *Antiochia epidaphnes*. Locus erat amœnus & augustus, Dianæ & Apollinis luco ac fano celebris, planeque inviolabilis. Eius mentionem facit Codex Iustinianæus k, & S. Babylæ historia.

V. 34. Ex hoc ASYLO nequitia Menelai & Andronici eductus pontifex *Onias* proditorie *occiditur*.

V. 37. Quo audito rex ANTIOCHUS, innocentis viri necem *lacrymis*; Andronici vero impietatem condigno supplicio prosequitur.

V. 39. *Lysimachus* Menelai frater iam pseudopontifex, cum inauditis facinoribus & sacrilegiis se invisum suis omnibus redderet, insurgente in eum populo, cum tueri se tribus armatorum millibus DUCE TYRANNO, Græce, *Aurano*, QUODAM, frustra conaretur, *iuxta* AERARIUM templi, seu gazophylacium occiditur.

V. 43. *Menelaus* quoque eius frater in IUDICIUM vocatur *a senioribus*, & apud regem sacrilegii ac perturbatæ publicæ quietis recusatur.

V. 45. Sed is CUM SUPERARETUR multitudine & evidentia criminum, neque causam suam pessimam defendere posset, corrumpit multa pecunia *Ptolemæum* Dorymenis filium, uti Græce hic & alibi *l* vocatur. Atque huius interventu a rege absolvitur.

V. 47. *Miseri vero* accusatores illius, pro præmio quod merebantur, *innocentissimi* MORTE iniustissima afficiuntur, contra ius gentium, & mortem etiam *Scytharum*, ac maxime barbararum nationum.

V. 49. QUAMOBREM TYRII QUOQUE, apud quos *m* hæc gerebantur, indignati, & immane scelus detestati, legatos illos qui in bona causa innocentes occubuerant, honorifica *sepultura* prosecuti sunt; & Menelai nequitiam detestati. Qui

V. 50. AVARITIAM exsatians primatum Antiochi regis, *permansit* aliquot annis IN pontificia dignitate, nempe post mortem Lysimachi restitutus est loco suo. Numquam tamen legitimus pontifex fuit, cum non esset de tribu Levi, sed Beniamina *n*. Ergo a morte Oniæ, quæ contigit anno Græcorum 141. usque ad Mathatiam, qui exsurrexit anno 145. pontificatus in manu spuria fuit per quadriennium. Licet enim

enim iure devolvi debuisset a morte Oniæ tertii ad filium eius Oniam ; de facto tamen numquam ei obtigit, utpote iam profugo in AEgyptum *o* : sed neque Iasoni fratri Oniæ ius ullum erat, iam ad ritus Gentilitios delapso *p*, & in Ammonitide *q* exulanti.

(a) Faber. Lib. I. Agonisticωcon cap. xxix.
(b) Chron. cap. xxxi.
(c) Henr. Steph. in Thesauro, in dict. ἀρχιθέωρος.
(d) Chronici cap. xxix. in Philomet.
(e) Hic vers. 7.
(f) Strabo Lib XIV.
(g) Plato in Alcibiade. Cicero Verrina v. Plut in Themistocle. Athenæus Lib. I.
(h) Sup. vers. 7.
(i) Dio. Lib. LI.
(k) Cod de cupressis ex luco Daphnensi, Lib. XI.
(l) I. Mach. xii. 38.
(m) Sup. vers 44.
(n) Sup. vers. 23 & cap. iii. 4.
(o) I. Mach. ii. 1. & in Chron. cap. xxxix. in Philometore.
(p) Hic vers. 7. & seqq.
(q) Vers. 26.

GORDONI.

Simon calumniator in Oniam, vers. 1. Onias Regem adit Seleucum, de quo supra, dicturus de bono communi, vers. 7. Mortuo Seleuco, frater Antiochus illustris regnat. Iason frater Oniæ adiit novum Regem contra patriam, vers. 9 Gentilium impietatem inducit, vers. 11. 12. & 13. Curat sacrificia Herculis, vers. 20. Menelaus Simonis frater missus a Iasone, omnia ad se transfert, vers. 24. Sed pulsus brevi, cessit Lysimacho, vers. 29. Novæ tragœdiæ, vers. 33. Mors Oniæ, 34. Lysimachus armatur, vers. 40. Menelaus iterum crescit potentia, vers 45. & 46. Ceterum, quid sit vers. 19. didrachma, alibi dictum est. Item quæ sint hæc gymnasia, dixi Lib. I. cap. 1. ubi etiam totum hoc caput satis explicatum est, præsertim a vers. 11.



CAPUT V.

Armati exercitus, ipsorumque congressiones Ierosolymis in aere quadraginta diebus conspiciuntur: Iason Ierusalem invadens, & cives crudeliter trucidans, apud exteros misere moritur: Antiochus, innumeris in Ierusalem trucidatis, vinctis ac venumdatis, templum spoliat; & discedens, relinquit crudeles præpositos qui populum affligant : rursumque misso duce Apollonio plurimos interficit : Iudas vero Machabæus cum suis in desertum locum secessit.

1. 
Odem tempore Antiochus secundam profectionem paravit in
AEgyptum. 2. Contigit autem per universam Ierosolymorum
civitatem videri diebus quadraginta per aera equites discur-
rentes, auratas stolas habentes,* & hastis, quasi cohortes, ar-
matos, 3. & cursus equorum per ordines digestos, \ & con-
gressiones fieri cominus, & scutorum motus, & galeatorum
multitudinem gladiis districtis, & telorum iactus, & aureo-
rum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. 4.
Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti. 5. Sed cum falsus rumor
exisset, tamquam vita excessisset Antiochus: assumptis Iason non minus mille viris,
repente aggressus est civitatem: & civibus ad murum convolantibus, ad ultimum
apprehensa civitate, Menelaus fugit in arcem: 6. Iason vero non parcebat in cæde
civibus suis, nec cogitabat prosperitatem adversum cognatos malum esse maxi-
mum, arbitrans hostium & non civium se trophæa capturum. 7. Et principatum
quidem non obtinuit, finem vero insidiarum suarum confusionem accepit, & pro-
fugus iterum abiit in Ammaniten. 8. Ad ultimum, in exitium sui conclusus ab
Areta Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem, omnibus odiosus, ut re-

fuga

fuga legum & execrabilis, ut patriæ & civium hostis, in AEgyptum extrusus est: 9. & qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus: 10. & qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abiicitur, sepultura neque peregrina usus, neque patrio sepulcro participans. 11. His itaque gestis, suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos: & ob hoc profectus ex AEgypto efferatis animis, civitatem quidem armis cepit. 12. Iussit autem militibus interficere, nec parcere occursantibus, & per domos ascendentes trucidare. 13. Fiebant ergo cædes iuvenum ac seniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginumque & parvulorum neces. 14. Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati. 15. Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum universa terra sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor: 16. & scelestis manibus sumens sancta vasa: quæ ab aliis regibus & civitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indigne, & contaminabat. 17. Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quod propter peccata habitantium civitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum despectio: 18. alioquin nisi contigisset eos multis peccatis esse involutos, (a) sicut Heliodorus, qui missus est a Seleuco rege ad expoliandum ærarium, etiam hic statim adveniens flagellatus, & repulsus utique fuisset ab audacia. 19. Verum non propter locum, gentem; sed propter gentem, locum Deus elegit. 20. Ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum: postea autem fiet socius bonorum, & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est, iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur. 21. Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præ superbia terram ad navigandum, pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem. 22. Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem: Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, a quo constitutus est: 23. in Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui gravius quam ceteri imminebant civibus: 24. Cumque appositus esset contra Iudæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac iuvenes vendere. 25. Qui cum venisset Ierosolymam, pacem simulans, quievit usque ad diem sanctum sabbati: & tunc feriatis Iudæis, arma capere suis præcepit. 26. Omnesque qui ad spectaculum processerant, trucidavit: & civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit. 27. Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, secesserat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

(a) Sup. III. 25. 27.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 2. Et hastis quasi cohortes armatos. Multi pro ablativo *hastis* accusativum *hastas*, & pro masculino *armatos* femininum *armatas*; sed male; retinenda est enim Patrum correctio.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 4. MONSTRA, id est ostenta, seu prodigia.

V. 8. EXITUM, scilicet nisi evasisset.

V. 11. EFFERATIS ANIMIS. Græce, *efferatus animo*.

V. 15. ISTA] SUFFICIUNT. Græc. *istis contentus*.

V. 17. DESPECTIO, id est ille contemptus.

V. 19. ELEGIT; scilicet atque adeo propter gentis peccata permittit locum tractari indignis modis, id quod statim additur.

V. 23. GARIZIM, scilicet monte Samariæ.

V. 24. APPOSITUS, id est hostili animo.

V. 26. SPECTACULUM, scilicet exercitus visendi causa.

V. 27. DECIMUS, scilicet Pontifex a tempore Alexandri Magni legitimus. Quidam tamen dicunt *Decimum* nomen esse officii, seu magistratus, ut *Decurio* & *Decanus*. FUERAT; pro, fuit.

ESTII.

Vers. 19. VERUM NON PROPTER LOCUM, GENTEM, SED PROPTER GENTEM LOCUM DEUS ELEGIT. Reprimit hæc sententia eorum superstitiosam imaginationem, qui arbitrantur, Deum ita certo alicui templo, aut cuicumque alteri loco addictum & affectum esse, ut non obstantibus peccatis incolarum, eum locum nihilominus tutari velit, & conservare; idque, velut propter structuræ majestatem & magnificentiam, vel aliam quamcumque loci qualitatem. Satis profecto ostendit Deus his nostris temporibus, quod non propter locum], quantumcumque magnificum & habitum sacrum, gentem elegerit, sed propter peccata gentis locum, immo tam multa loca sacra reiecerit, & profanationi permiserit, partim infidelium Turcarum, partim hæreticorum.

Neque tamen hac sententia negatur, quin Deus aliquando parcat genti peccatrici propter merita Sanctorum, qui locum illum incoluerunt, & sancta conversatione illustrarunt, vel etiam tantum suis sanctis reliquiis ornant; sicut Iudæis sæpe pepercit Deus propter Abraham, Isaac, & Iacob, & propter David servum suum: & Sodomitis pepercisset propter decem solos iustos, si in eo loco fuissent inventi; sed aliud est eligere gentem propter locum, id est propter nudam aliquam loci qualitatem, qua Deus incorporeus non delectatur; aliud propitium esse populo peccanti, & vindictam debitam remittere propter merita Sanctorum, qui Deo placuerunt. Item Deus parcit peccatoribus pœnitentibus, si confugiant ad locum divino cultui deputatum, & ibi Deum orent (quod Salomon in dedicatione templi a Deo petiit) sed nec hoc est gentem propter locum eligere; sed tantum genti pœnitenti indulgere propter preces; quibus scilicet locus ille deputatus est, quod tamen non faciet, si populus permaneat in peccatis, quantumcumque cum iis de quibus Ieremiæ VII. dicant, & clament; *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*.

MARIANAE.

Vers. 1. ANTIOCHUS SECUNDAM PROFECTONEM PARAVIT, seu *fecit*, IN AEGYPTUM. Bis eo ivisse Antiochum Livius ait Libris XLIV. & XLV. prius, ut Ptolemæo Philometori faveret contra eius fratrem; deinde contra utrumque fratrem. Causæ belli & odii inter finitimos numquam desunt. Ambitio ipsa rixarum fons est. Visæ acies per aerem,

V. 4. ROGABANT IN BONUM MONSTRA CONVERTI, seu *ostenta*.

V. 8. AD ULTIMUM, IN EXITIUM SUI, &c. Græce, *demum malam reversionem adeptus, conclusus ab Areta*, scilicet Iason.

V. 9. QUI MULTOS DE PATRIA SUA EXPULERAT. Græce, *qui quasi pulverem de patria sua expulerat*. Sic in Regiis: sed pro ὡσεὶ χνὺς, lege ὁ συχνὺς, *qui frequentes multos expulerat*. Sic est in Græcis Romanis.

V. 11.

V. 11. His itaque gestis. Græce, *cum innotuissent autem Regi, ex iis quæ facta erant*, id est tumultus eos novisset, putavit. Societatem deserturos Iudaeos, seu *rebellaturos*.

V. 14. Non minus autem venumdati. Græce, *non minus autem occisis venumdati*. Occisi fuerant octoginta millia.

V. 23. In Garizim autem Andronicum constituit Antiochus. Erat ibi templum alterum a Samaritis constitutum, ex quo se ab aliis Iudæis diviserunt. De quo Iosephus meminit Lib. XI. cap. ultimo.

V. 26. Omnesque qui ad spectaculum processerunt, occidit Apollonius. ἐπὶ τὴν θεωρίαν, *ad spectandum*, id est ad festi celebritatem. Hæc laniena prior illa fuit, quæ Lib. I. cap. II. ponitur.

V. 27. Iudas. Hic liber res a Iuda Machabæo gestas continet latius quam in primo libro explicatas. Decimus fuerat. Sic Græce. Quo significatur, decimum inter Pontifices fuisse Iudam. Quod verum est, sumpto principio ab Imperio Græcorum, & a Iaddo, qui fuit tempore Alexandri Magni Pontifex; expunctis Iasone, Menelao, Lysimacho & Alcimo, quia contra legem; & annumerato Mathathia, invenietur Iudam decimum Pontificem fuisse præcise. Aut si magis placet *Decimus* pro *Decurione*, *Decurio* pro Duce sumatur. Foeni cibo vescentes, id est verbis vescebantur, ob annonæ angustiam, Iudas & socii profugi in montes.

MENOCHII.

Vers. 4. Monstra, id est ostenta, seu prodigia.

V. 5. Aggressus est civitatem: ut scilicet pontificatum reciperet, & eos qui sibi fuerant adversati, e medio tolleret.

V. 7. In Ammaniten: in Ammonitarum regionem.

V. 8. Exitium sui: nisi evasisset: significat sacer textus Iasonem ab Ammonitis abiisse ad Arabas, ibique suspectum alicuius molitionis, aut criminis in vincula coniectum fuisse, inde evasisse, & profugum multis mutatis locis in AEgyptum venisse. Reffuga legum: τῶν νόμων ἀποστάτης. Apostata a legibus Iudaicis.

V. 11. Societatem deserturos: ἀποστατεῖν, ab ipso defecturos. Efferatis animis: efferato animo.

V. 17. Ita alienatus mente Antiochus. In Græco est, καὶ ἐμετεωρίζετο τὴν διάνοιαν ὁ Ἀντίοχος, id est *& elevatus est mente Antiochus*. Despectio, id est ille contemptus.

V. 18. Eos multis peccatis esse involutos: Iudæos intelligit.

V. 20. Postea fiet socius bonorum: cum scilicet mores correxerint. In ira Dei omnipotentis, id est Deo nobis irato. In magni Domini reconciliatione: cum scilicet Deus nobis reconciliabitur.

V. 21. Terram ad navigandum, &c. existimans se posse facere terram navigabilem, & pelagus aptum, ut per illud iretur pedestri itinere.

V. 23. In Garizim: in Samaria, in qua erat mons Garizim, & in eo templum Samaritanorum, qui schismate a Iudæis separati erant.

V. 24. Appositus contra Iudaeos, id est male dispositus: in Græco est, ἀπεχθῆ πρὸς τοὺς πολίτας Ἰουδαίους ἔχων διάθεσιν, id est *hostilem in cives suos Iudæos dispositionem habens*. Odiosum principem Apollonium: τὸν μυσάρχην Ἀπολλώνιον, *sceleris principem Apollonium*. Vulgatus legit μισάρχην, per iota. Viginti duobus millibus, scilicet constantem.

V. 26. Spectaculum, scilicet exercitus visendi causa.

V. 27. Qui decimus fuerat. Aliqui ita interpretantur, ut dicant fuisse decimum Pontificem legitimum a tempore Alexandri magni. Alii dicunt, *Decimum* esse nomen officii, seu Magistratus, ut *Decurio* & *Decanus*. Salianus putat sensum esse, Iudam abiisse decimum, id est cum novem sociis, & cum illis versatum in montibus, &c. Foeni cibo vescentes: herbis victitantes. Ne participes essent coinquinationis: ne violarent patrias leges sese coinquinando profano idolorum cultu, & cibis carnium illis immolatarum.

TIRINI.

Vers. 1. **D**E expeditionibus Antiochi in AEgyptum tam prima quam secunda, vide quæ Gabriel 340. & pluribus ante annis prædixerat Daniel. XI. 23. & seqq.

V. 4. Meteorologica in aere ostenta Græcus ἐπιφάνειαν, id est visionem, seu apparitionem; Latinus MONSTRA vocat, quia futurum quid monstrabant. Quæ rideant quantum volunt Calvinistæ *a*: nimis certa experientia constat etiam nostri sæculi, monstris, seu ostentis, eiusmodi præsignari bella & clades imminentes: & fuse id docent Plinius, Seneca, Iulius Obsequens, Niphus, Gemma, Lycosthenes *b* & tot alii.

V. 5. Certe occasione horum ostentorum, simul & fama de morte regis Antiochi adversarii sui, excitatus est IASON Oniæ frater, ut cum paucis armatis CIVITATEM Ierosolymam vi *aggrederetur*, & pontificatum, e quo per Menelaum *c* extrusus erat, sibi postliminio vindicaret. Et in urbem quidem per *insidias* irrupit, & ingentem civium stragem edidit: sed

V. 7. *Principatu*, seu dominio, spirituali vel politico potiri non potuit. Quin potius fuga quasi Cainica *d* vitam, si salvam vellet, tueri coactus, tandem exitu infelicissimo exstinctus est, nec sepultura dignus habitus.

V. 11. SUSPICATUS EST REX Antiochus IUDAEOS SOCIETATEM quam hactenus cum eo habuerant, DESERTUROS. Suspicionis argumenta erant, quod mortuum *e* esse sparsissent, quod victum a Romanis, quod AEgypto excedere iussum: quod Lysimachum constitutum a se summum pontificem lapidassent: quod *Iasonem* hostem suum se inscio quidam revocassent: quod in factiones discissa urbe, pars maior adversaretur *Menelao* pseudopontifici, & consequenter Antiocho regi, qui mortuo fratre eius Lysimacho pontificatum illi reddiderat. Et vero seiunxerunt hi sese ab aliis qui Menelao & Antiocho studebant, & adventanti cum omnibus copiis regi portas occluserant: unde ARMIS opus fuit regi ad civitatem intercipiendam. Et hæ causæ quoque impulerunt tyrannum ad sæviendum tam atrociter in optimos quosque cives, prodente ipsos, & regem impellente Menelao.

V. 17. ALIENATUS MENTE; Græce est, *elatus animo*, ANTIOCHUS, non sat habuit impræsentiarum & per se afflixisse populum. Abiens quoque

V. 22. & 23. RELIQUIT ubique PRAEPOSITOS, seu præfectos militares, AD AFFLIGENDAM pro libito suo GENTEM Iudaicam: IEROSOLYMIS quavis tigride CRUDELIOREM PHILIPPUM: IN monte vero GARIZIM, ubi Samaritanorum *f* erat templum, constituit ANDRONICUM quemdam nihilo Philippo mitiorem. Utrique adiunxit pseudopontificem MENELAUM totius huius tragœdiæ auctorem *g* & architectum.

V. 24. CUMQUE APPOSITUS, forte legendum, *oppositus*, ESSET Antiochus, id est hostili prorsus animo, CONTRA IUDAEOS, ut est in Græco, MISIT insuper APOLLONIUM Iudæis admodum ODIOSUM PRINCIPEM qui paucis ante annis in AEgyptum *h* ab eodem rege missus fuerat, & tempore parentis eius. *Antiochi Magni*, teste Livio *i*, classis dextrum cornu duxerat, cum lævum Hannibal teneret. Idem, inquam, ille Appollonius, qui paucis post annis a Iuda Machabæo cæsus & occisus *k* est. Hic quiete Iudæorum fraudulenter usus *die* SABBATHI, OMNES QUI AD SPECTACULUM, seu ad spectanda sacrificia, aliaque festa propria in publicum PROCESSERANT, ex improviso TRUCIDAVIT, Iudæis propter festi solemnitatem non ausis arma capere, & tyranno resistere, ut post paulo contingit etiam aliis qui ad deserta loca confugerant, de quibus Lib. I. cap. II. 29. Ubi etiam exposui, laudandumne istud in Iudæis fuerit, nec ne. Porro occasione harum turbarum,

V. 27. IUDAS MACHABAEUS CUM parente, fratribus & cognatis suis SECESSERAT IN DESERTUM LOCUM, & NE PARTICIPES ESSENT COINQUINATIONIS, seu contaminationis; id est, ne polluerentur profano convictu, esu, usu, vel consuetudine Gentilium, malebant summa rerum inedia INTER FERAS, FOENI CIBO, id est herbarum & radicum esu, vitam ducta.

ductare. Quod alioquin *Assidaeis* piis ac religiosis viris non erant insuetum, quorum tum DECIMUS, seu decadarcus erat Iudas, id est unus ex Assidæorum decem viris, ut exposui Lib. I. cap. VII. 13. Licet aliqui *l* malint per *decimum* hic intelligere pontificem ordine decimum a tempore Alexandri Magni. Quod licet verum sit, inchoando ab Iaddo, & excludendo spurios pontifices, Iasonem, Menelaum, Lysimachum, Alcimum, & includendo Mathathiam; minus tamen congruit huic loco, ubi de *Iuda* dicitur, quod ante fugam in desertum FUERAT *decimus*: cum sic dicendum esset, quod postea factus sit decimus pontifex.

(a) Calvinistæ præfatione Gallica in hunc Lib II.
(b) Plin. Lib. II. cap. LVI. Seneca in Quæst. natural. Iulius Obseq cap. XX. & LXXVI. Niphus in Meteorologicis. Gemma in Cosmocriticis. Lycosth de prodigiis f. 189. 210 228. 366.
(c) Sup. IV. 23. & seqq.
(d) Genes. IV. 24. &c.
(e) Hic vers. 5.
(f) IV. Reg. XVII. 24.
(g) Hic. vers. 15.
(h) Cap. IV. 21.
(i) Livius Lib. XXXVII.
(k) I. Mach. III. 11.
(l) Emanuel Sa, & Mariana.

GORDONI.

Vers. 1. Antiochus parat secundam expeditionem in AEgyptum, ver. 2. Armati exercitus in aere, vers. 2. Iason fugato Menelao occupat civitatem, vers. 6. Rex ex AEgypto regressus invadit urbem, vers. 11. Cædes ingens, vers. 13. 14. 16. Spoliat templum, vers. 21. Postea missi alii, qui novam cædem edunt, vers. 22. 23. 24. Iudas Machabæus secedit, vers. 27.

Hic GARIZIM, vers. 23. erat templum Samaritanorum. Porro vers. 27. DECIMUS, id est Decurio. Alii decimum vocant inter Pontifices a Iaddo, tempore Alexandri, si expungas Iasonem, Menelaum, Lysimachum & Alcimum.

C A P U T VI.

Per ducem a rege missum Iudæi a lege Dei arcentur, templumque fœdissime profanatur, & Iudæi etiam per varias regiones dispersi ad idolorum coguntur sacrificia: describitur duarum mulierum supplicium eo quod filios suos circumcidissent, sabbatumque celebrantes contremantur: ostenditur tamen hæc afflictio non esse Dei deserentis, sed suos corripientis: egregium Eleazari senis martyrium nolentis porcinis vesci carnibus, nec id simulare.

1. SEd non post multum temporis, misit rex senem quemdam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, ut se transferrent a patriis & Dei legibus: 2. contaminare etiam quod in Ierosolymis erat templum, & cognominare Iovis Olympii: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iovis hospitalis. 3. Pessima autem & universis gravis erat malorum incursio: 4. nam templum luxuria & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea, quæ non licebat. 5. Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. 6. Neque autem sabbata custodiebantur, neque dies sollemnes patrii servabantur, nec simpliciter Iudæum se esse quisquam confitebatur. 7. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: &, cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire. 8. Decretum autem exiit in proximas Gentilium civitates, suggerentibus Ptolemæis, ut pari modo & ipsi adversus Iudæos agerent, ut sacrificarent, 9. eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerent:

tent: erat ergo videre miseriam. 10. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad ubera suspensis, cum publice per civitatem circumduxissent, per muros præcipitaverunt. 11. Alii vero, ad proximas coeuntes speluncas, & latenter sabbati diem celebrantes, cum indicati essent Philippo, flammis succensi sunt, eo quod verebantur, propter religionem & observantiam, manu sibimet auxilium ferre. 12. Obsecro autem eos, qui hunc librum lecturi sunt, ne abhorrescant propter adversos casus, sed reputent, ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. 13. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium. 14. Non enim, sicut in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: 15. ita & in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. 16. Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero in adversis, populum suum non derelinquit. 17. Sed hæc nobis ad commonitionem legentium dicta sint paucis. Iam autem veniendum est ad narrationem. 18. Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir ætate provectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. 19. At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. 20. Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere; patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. 21. Hi autem qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat, de sacrificii carnibus: 22. ut, hoc facto, a morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem. 23. At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus: & secundum sanctæ & a Deo conditæ legis constituta, respondit cito, dicens, præmitti se velle in infernum. 24. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: 25. & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram. 26. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. 27. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: 28. adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur. 29. Hi autem, qui eum ducebant, & paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur. 30. Sed, cum plagis perimeretur, ingemuit, & dixit: Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia, cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 31. Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuvenibus, sed & universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. ANTIOCHENUM. Græc. *Atheniensem*.

V. 2. PROUT ERANT, &c. quasi dicat, Prout incolæ Garizim iam volebant.

V. 6. SIMPLICITER; pro, denique, seu omnino.

V. 7. CIRCUIRE. Græc. *pompam ducere*.

V. 8. PTOLEMAEIS; pro, Ptolemæo; scilicet de quo sup.

V. 11. PHILIPPO, scilicet de quo sup. OBSERVANTIAM, scilicet Sabbati.

V. 12. ABHORRESCANT. Græc. *contrahantur*, scilicet animo, seu animum despondeant.

V. 14. UT EAS, &c. Græc. *ut eas, cum peccata ad plenitudinem venerint, puniat: sic de nobis statuit, ne cum ad finem peccata nostra pervenerint, nos puniat*.

V. 20. INTUENS, &c. id est considerans quomodo accedere ad talia oporteret patienter sustinenda. Græc. aliquanto aliter.

V. 23. CONSTITUTA, scilicet actæ. INFERNUM, id est sepulcrum.

V. 27. SENECTUTE QUIDEM DIGNUS, id est qualem par est senem esse.

V. 30. SECUNDUM ANIMAM, id est animo, seu voluntate.

ESTII.

Vers. 18. IGITUR ELEAZARUS UNUS DE PRIMORIBUS SCRIBARUM APERTO ORE HIANS COMPELLEBATUR CARNEM PORCINAM MANDUCARE, &c. Proponitur exemplum fortis & constantis animi in Eleazaro; qui nec minis, nec blandimentis induci potuit, ut contra legem quicquam admitteret. Imitandum imprimis firmum illud viri sancti propositum, de quo Scriptura: *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*. Hoc enim propositum gradus est ad vitæ perfectionem. Qui enim firmiter in animo statuit, nihil illicitum committere propter amorem præsentis vitæ, non facile cedet tempestati persecutionis. Propositum autem illud suum confirmabat his verbis? *Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam*. En hic sanctus vir, etiam timore supplicii æterni: ne illud incurrat confirmat animum suum: ut vel hinc quoque contra nostri temporis hæreticos agnoscamus huius timoris utilitatem.

Denique quod maxime ad gloriam huius Martyris pertineret, ne quidem eo induci potuit, ut simularet se carnes porcinas comedisse, & ea ratione mortem evaderet. Sciebat enim (quod ille pulcherrima oratione & prolixa docet) non minus se nociturum aliis, ad pravum exemplum, hac sua simulatione, quam nocuisset per veram carnium prohibitarum comestionem. Nam utroque modo scandalizantur infirmi, & pereunt animæ pro quibus Christus mortuus est. Vide nostra I. Cor. x. Simile exemplum habemus in Martyrolog. XII. Aprilis de Saba Martyre, qui carnes non immolatitias pro immolatitiis oblatas videns, ut iussioni magistratus satisfecisse videretur, ad fideles palam protestatus est, edi non licere, dicens: *Quicumque de his carnibus comederit, Christianus non erit*. De Eleazari quoque laudibus vide orationem Gregorii Nazianzeni in Machabæos, & Ambros. Lib. II. de Iacob & vita beata cap. x.

MARIANAE.

Vers. 1. MISIT REX SENEM. An hic fuit Bacchides, quem a Mathathia occisum diximus Ierosolymæ Lib. I. cap. ;it. ex Iosepho de Bello Iudaico Lib. I. cap. 1. eoque occiso fugisse cum filiis in Modin patriam suam?

V. 2. IN GARIZIM. Illud templum; *Iovis hospitalis* iussit Rex vocari, quoniam ad illud se recipiebant Iudæorum perfugæ, erantque velut hospites. De quo Iosephus Lib. XI. cap. ultimo. Id significant illa verba: PROUT ERANT HI, QUI LOCUM INHABITABANT.

V. 4. COMESSATIONIBUS GENTIUM: templum scilicet erat plenum. Vulg. Regia, *comessationibus erat plenum*. Sic Goth. SACRATISQUE AEDIBUS MULIERES SE ULTRO INGEREBANT. Græce, *in sacris porti-*

ticibus cum mulieribus sese miscentibus, scilicet templum erat plenum. INTRO FERENTES EA, QUAE NON LICEBAT, ut sues scilicet sacrificarent, & alia animalia immunda: quod & proximis verbis magis explicatur, *Altare etiam illiciti plenum erat*.

V. 7. HEDERA CORONATI cogebantur circuire per urbem, scilicet in Bacchanalibus. Erat *hedera* Baccho sacra, & ea ejus ministri semper & populus in eius festis coronabantur; quoniam ob innatam ei virgulto frigiditatem, est ebrietati contraria. De his Bacchi festis multa Lilius Giraldus de Diis Gentium, Syntag. VIII.

V. 8. SUGGERENTIBUS PTOLEMAEIS exiit decretum: Sic etiam in Græcis Romanis. In Regiis, *suggerente Ptolemæo*, nempe AEgyptio Rege. Duo erant hoc tempore Ptolemæi fratres, AEgypti regno diviso inter eos, ex Iustino Lib. XXXIV.

V. 12. NE ABHORRESCANT, seu contrahantur animo præ tristitia: μὴ συςέλλεσθαι, qui hæc legent. Patienter Deus mala ferr.

V. 14. UT EAS, CUM IUDICII DIES ADVENERIT. Græce, *ut cum advenerit ad plenitudinem peccatorum* (scilicet eos progredi tunc) *puniat*.

V. 16. CORRIPIENS VERO IN ADVERSIS, id est per adversa, παιδέυων δὲ μετὰ συμφορᾶς, *corripiens calamitate* populum suum non deserit.

V. 18. ELEAZARUS UNUS DE PRIMORIBUS SCRIBARUM. Ii erant legis periti. Erat etiam sacerdos ex Iosepho de Machabæis cap. v. Illustre martyrium, potuitque, ut Machabæi fratres, in numero nostrorum Martyrum poni.

V. 19. VOLUNTARIE PRAEIBAT AD SUPPLICIUM: ἐπὶ τὸ τύμπανον, *ad tympanum* ibat. *Tympanum* aut virgæ erant, quibus corpora instar tympani pulsabantur; aut genus tormenti, quo membra distendebantur, equuleus scilicet aut catasta. Sic ad Hebr. XI. 35. pro verbo ἐτυμπανίσθησαν, noster dixit, *distenti sunt*. Hesychius lignum esse ait, quo fontes fortiter verberabantur. Noster *supplicium* dixit verbo generico.

V. 20. INTUENS. Græc. προπτύσας, *expuens*, nempe porcinas carnes quæ ingerebantur. Noster προπτύσας videtur legisse, quod verbum, *intueri* significat. Lego enim, πάντα ἀναπτύσσει χρόνος, *omnia tempus aperit*. Porro quæ in hoc vers. sequuntur, Græce perturbata sunt, nec cohærent inter se; melius nostra.

V. 21. QUI ASTABANT, INIQUA MISERATIONE. παρανόμῳ σπλαγχνισμῷ, quod quidam vertit, *qui ad scelestum sacrificium parati erant*. Verum vox Græca *miserationem* potius significat: & suspicor in Græco præpositionem πρὸς redundare.

V. 23. ILLE COGITARE COEPIT. Græce, *ille cogitationem urbanam recipiens*. Puto vocem ἀςεῖον, id est *urbanam*, redundare. PRAEMITTI SE VELLE IN INFERNUM, id est sepulcrum, malle mori quam simulare.

V. 29. PER ARROGANTIAM PROLATOS, seu *vecordiam*, *stultitiam*, ἄνοιαν, sermones ab Eleazaro putabant dictos.

MENOCHII.

Vers. I. ANTIOCHENUM. In Græco est Ἀθηναῖον, Atheniensem. Fortasse illi nomen fuit Athenæus, fuitque patria Antiochenus. UT SE TRANSFERRENT, &c. ut mutarent legem, patriis relictis institutis, & Gentilismum sequerentur.

V. 2. PROUT ERANT HI, QUI LOCUM IN HABITANT: nimirum hospites in ea regione, in quam olim abductis per captivitatem Assyriacam decem tribubus, ipsi fuerant substituti.

V. 3. MALORUM INCURSIO: malorum ingruentium concursus.

V. 6. SIMPLICITER; pro, denique, seu omnino.

V. 7. LIBERI SACRA: Bacchi solemnia. CIRCUIRE. Græce est, *pompam ducere*, choreas agere.

V. 8. PTOLEMAEIS: pro Ptolemæo, scilicet de quo supra cap. IV. 44. sic bene diceretur, Tiberium multa scelera perpetrasse, Seianis, & aliis suggerentibus. AGERENT, UT SACRIFICARENT: adigerent Iudæos ad sacrificandum idolis.

V. 10. AD UBERA SUSPENSIS: vide dicta Lib. I. cap. I. 64.

V. 12. NE ABHORRESCANT. In Græco est, μὴ συςέλλεσθε, id est *ne contrahant animum*, *aut despondeant*.

V. 14. NON ENIM SICUT IN ALIIS NATIONIBUS, &c. In Græco est, ut vertit Flami-

minius: *Non enim sicut & in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, donec eos cum ad plenitudinem peccatorum devenerint, puniat, ita & nobis statuit: ne peccatis nostris ad finem pervenientibus, demum sin nos vindicet. Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet: corripiens vero cum calamitate, populum suum non derelinquit*: sententia est, Dominum antequam Iudæi eo scelerum progrediantur, ut extremo malo puniendi sint, minoribus & salutaribus pœnis eos corripere, ut a peccato abducantur, quod misericordiæ genus cum aliis nationibus non adhibet, quas finit moribus suis uti, & ad exitium tendere.

V. 18. IGITUR ELEAZARUS, &c. Fuit Eleazarus sacerdos, & divinarum litterarum scientia valde insignis; hoc enim significat quod hic dicitur fuisse de *primoribus scribarum*, ut testatur Iosephus Lib de Machabæis capite v. ubi dicitur, τῶν ἐπιστήμων νομικός, id est legis peritus.

V. 19. ODIBILEM VITAM: *μετὰ μύσους βίον*; *vitam cum scelere*: sed noster interpres legit μίσους, per iota; sententia tamen eodem recidit, nam qui scelerate agunt, odio habentur. AT SUPPLICIUM: ἐπὶ τὸ τύμπανον, *ad fustuarium*, baculis enim & fustibus pulsari, τυμπανίζεσθαι dicitur a Græcis.

V. 23. CONSTITUTA: subintellige, *acta*. INFERNUM, id est sepulcrum.

V. 27. SENECTUTE DIGNUS, id est qualem par est senem esse.

V. 30. SECUNDUM ANIMAM, id est animo, seu voluntate.

T I R I N I.

Vers. 1. SENEX, seu ex ordine senatorio, *Antiochenus*, in Græco *Athenæus* vocatur: forsan quia inde oriundus, forsan etiam proprium id ei nomen fuit. Mariana suspicatur fuisse illum *Bacchidem* quem Mathathias Ierosolymis occidit, ut dixi Lib. I. cap. II. Hic profanato templo Ierosolymitano, nomen illi indidit.

V. 2. IOVIS OLYMPII, cum novo nomine nova, dedicatione publice celebrata. Hic iam habemus in templo Dei *abominandum desolationis idolum*, ut vocatur Lib. I. cap. I. 57. & Danielis XI. 31. Quod vero *in* monte GARIZIM *a* Samaritani construxerant, PROUT ERANT HI, & publice vocari volebant, *hospites* & advenæ, immo data ad Antiochum epistola *b* tales se scribebant; sic iussit templum eorum vocari IOVIS HOSPITALIS, cui peregrini curæ sint. De hoc Ioan. IV. 20. dicebat Samaritana; *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*. Et multis post sæculis excitavit ibi Zeno Imp. aliud nobilissimum templum in B. Virginis Deiparæ honorem teste Procopio *e*.

V. 7. IN DIE NATALIS REGIS, qui a Gentilibus ex antiquissimo usu *d* sacer ubique habebatur, AMARA NECESSITATE, seu violenta coactione, DUCEBANTUR *Iudæi* agminatim *ad* idololatrica SACRIFICIA: maxime vero ad Bacchanalia, seu *Liberalia*, id est LIBERO, seu Baccho, *sacra*, cui multa ebrietate, libidine, furore atque insania litare mos erat, teste Plutarcho, Tertulliano, Pithœo & Gyraldo *e*: præsertim in Oriente, ubi ex Iovis femore Bacchus natus credebatur, inquit Dionysius. Et quidem HEDERA CORONATI COGEBANTUR miseri Iudæi *Libero*, id est Baccho, cultum ut præstarent, urbem CIRCUIRE. Erat enim hedera Baccho sacra, & solent ea ministri & cultores Bacchi in eius festis coronari, quoniam ob innatam illi herbæ frigiditatem, putabatur ebrietati contraria, teste Plinio, Tertulliano & Rhodigino *g*.

V. 8. *Ptolemæi*, quorum suggestione tam nefanda patrabantur, non erant reges AEgypti, Philometor & Evergetes fratres, ut putat Mariana, quia hi vix adolescentes erant etiam tum, neque adversabantur Iudæis, ut colligere est ex dictis in Chronico cap. XXXIX. Sed erant de familia *Ptolemæorum*, qui pro rege *Antiocho* præerant Cœlesyriæ & Phœniciæ, & maritimis regionibus circa Tyrum & Sidonem, supra cap. IV. 44. & seqq. & infra VIII. 8.

V. 11. *Philippus* FLAMMIS sæviens in sabbathizantes, is est qui cap. V. 22. Ierosolymis ab Antiocho Iudæos divexare iussus fuit. Historia ad longum narratur Lib. I. cap. II. 31. En constantiæ nobilissimum exemplum:

V. 18. ELEAZARUS DE PRIMORIBUS SCRIBARUM, scientia divinarum litterarum præcellens. *Sacerdotem* vocat Gorionides *h*, immo *principem sacerdotum*, nempe vicis, seu classis unius. Additque eum *inter* 72. *interpretes præcipuum* fuisse. Quod si verum esset, non iam *nonaginta* (ut hic vers. 24.)

sed plusquam centum viginti *annorum* fuisset hoc tempore Eleazarus. S. Ambrosius & Nazianzenus *i* vocant ipsum *patrem*, id est magistrum & doctorem septem puerorum Machabæorum, de quibus cap. seq. Vocant & *primitias Martyrum veteris testamenti*, sicut Stephanum *novi*, non quod tempore primus fuerit (nam sic Abel Protomartyr a S. Cypriano k dicitur, & Zacharias, Isaias *l*, ac tot alii Prophetæ Eleazaro priores sunt,) sed quod nobilitate martyrii certarit cum primis. Sic in Libro Num. & alibi sæpius *primitiæ fructuum* vocatur non soli primi fructus; sed præstantiores quique.

V. 23. Per *infernum* limbus patrum, seu sinus Abrahæ intelligitur, in quo Lucæ xvi. visus fuit *Lazarus*, quem Tertullianus *m* pro *Lazaro* vocat *Eleazarum*.

V. 28. Ut & supra 19. ubi Latinus vertit, SUPPLICIUM in genere, Græcus habet in specie τύμπανον. Quo S. Paulus alludit ad Hebræos xi. 35. ubi dicit de quibusdam Sanctis ἐτυμπανίσθησαν: pro quo Latinus vertit, *distenti sunt*: & versionem approbant etiam Erasmus, Calvin. *n* Beza, & Aretius hæretici: fatenturque alludi a S. Paulo ad hunc nostrum Eleazarum & Machabæos Martyres. Sed cur ergo Machabæorum hosce libros non admittunt tamquam Canonicos, quos a S. Paulo admissos agnoscunt? Erat porro *tympanum* tormenti genus, quo cruci vel palo adstricti rei, instar tympani distendebantur, ac tum vel baculis contundebantur, vel flagellis discindebantur, vel vivi excoriabantur, vel vulneribus punctim, cæsim conficiebantur, ut Suidas, Hesychius *o*, Lipsius volunt: vel facibus aut laminis ignitis ustulabantur, tetris ad nares admotis odoribus, ut nostro Eleazaro factum vult Iosephus; vel pice ferventi in os infuso cruciabantur, vel igne in cineres redigebantur, vel capite minuebantur, ut Varinus, Occumen Theophylactus & alii *p* docent.

(a IV. Reg. xvii. 24.
(b) Ioseph. Lib. XII. cap. xix.
(c) Procop. Lib. V. de Ædificiis Iustiniani.
(d) Testibus Pharaone Genes. xl. 20. Herode Matth. xiv. 6. Platone in Alcibiade. Herodoto. Iosepho Lib. I. cap. xiv. Ammiano Lib. XXIV. Plutarcho in Sympotiac ix. Athenæo Lib. IV.
(e) Plutarch in Alexandro Tertull. Lib. de Spectaculis. Pithæus Lib. I. Advers. cap. ix. Gyrald. de Diis Gentium syntagm. viii.
(f) Dionys. in Orbis Periegesi.
(g) Plin. Lib. XVI. cap. xxxiv. Tertull. de Corona mil. cap. vii. Rhodigin. Lib. XIV. cap. xlix.
(h) Gorionid. Lib. III. cap. ii. & iv.
(i) Ambr. II. de Iacob. cap. x. & xi. Nazianz. Orat. xxi.
(k) Cypr. de Orat. Dominica.
(l) II. Par. xxiv. 20. Præfat. in Isaiam. Num. n. 19 xviii. 8.
(m) Tertull. Lib. III. de Anima cap. xxxii. & Lib. de Idololatria.
(n) Erasmus, Calv. &c. in Hebr. xi.
(o) Suidas. Hesychius.
(p) Varinus, Oecumen. Theoh. in Hebr. xi. Lipsius de Cruce. Ioseph. Lib. I. de Machab. cap. vi.

GORDONI.

MIssus a Rege, qui cogat relinquere patriam legem, vers. 1. Templi profanatio, vers. 4. & deinceps. Decretum mortis contra non sacrificantes idolis, vers. 8. 10. 11. Auctoris apostrophe ad lectorem, vers. 12. De Eleazaro narratio, vers. 18. usque ad finem capitis.

Nota vers. 2. Iovis hospitalis templum, Garizim, quia eo confugiebant profugæ Iudæi, velut hospites. Item vers. 7. Hedera Baccho sacra est. Porro vers. 8. notantur duo Ptolomæi fratres, diviso AEgypti regno, ex Iustino Lib. XXXIV.

CA-

CAPUT VII.

Septem fratrum matrisque eorum ingentia fortissimeque tolerata supplicia, quod porcinis nollent vesci carnibus: & quam constanter regi ob suam crudelitatem ostenderint paratam esse damnationem, & mater suos filios sit exhortata.

1. Ontigit * autem & septem fratres una cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos: 2. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quaeris, & quid vis discere a nobis? parati sumus mori, magis quam patrias Dei leges praevaricari. 3. Iratus itaque rex, iussit sartagines & ollas aeneas succendi: quibus statim succensis, 4. iussit, ei qui prior fuerat locutus, amputari linguam: &, cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes ei praescindi, ceteris eius fratribus & matre inspicientibus. 5. Et, cum iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, ceteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, 6. dicentes: Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis, (a) quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur. 7. Mortuo itaque illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum: &, cute capitis eius cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur. 8. At ille, respondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iste, sequenti loco, primi tormenta suscepit: 9. & in ultimo spiritu constitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in praesenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit. 10. Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit: 11. & cum fiducia ait: E caelo ista possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero: 12. ita ut rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus. 13. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. 14. Et, cum iam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit. 15. Et cum admovissent quintum, vexabant eum. At ille respiciens in eum, dixit: 16. Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum: 17. tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit. 18. Post hunc ducebant sextum, & is, mori incipiens, sic ait: Noli frustra errare: * nos enim propter nosmetipsos haec patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis: 19. tu autem ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris. 20. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat: 21. singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: &, femineae cogitationi masculinum animum inferens,

COMMENTARIA

SA.

Verf. 1. TAUREIS, fcilicet nervis.
V. 9. CONSOLABITUR, id eft recreabitur, fcilicet fumpta de hoftibus vindicta. Vide Deut. XXXII. ubi legimus *miferebitur*. LXX. *enim confolabitur*; vel forte *in fervis*; pro, fervos.

V. 11. E CAELO, id eft a Deo.

V. 14. AD MORTEM, id eft morti proximus. POTIUS EST, id eft præftat.

V. 15. EUM, fcilicet Regem.

V. 17. PATIENTER SUSTINE, id eft expecta. SEMEN, id eft filios.

V. 18 FRUSTRA, id eft fine caufa. FACTA, fcilicet a Deo: quafi dicat mirabiliter nos punit, vel a nobis; quafi dicat: Mire Deum offendimus.

V. 20. BONORUM. Græc. *bona*, id eft felici.

V. 21. FEMINEAE; quafi dicat, Alioqui infirmæ.

V. 23. ENIM; pro, tamen. INVENIT; quafi dicat: Qui fua fapientia excogitavit quo quidque modo generandum effet.

V. 24. DESPECTA, id eft confiderata, vel pro, fufpecta; quafi dicat: Sufpicans, feu timens fibi probro id futurum, quod fic contemneretur & vinceretur: hunc enim fenfum Græca videntur facere.

V. 25. FIERET, fcilicet conciliatrix.

V. 28. PETO. Græc. *peto a te*.

V. 29. PARTICEPS: non eft Græc. & quidem videtur abundare. ILLA, fcilicet poftrema diei iudicii. Græc. tamen tantum eft, *in mifericordia*; quafi dicat, Per Dei mifericordiam.

V. 30. SUSTINETIS, id eft expectatis.

V. 33. INCREPATIONEM, id eft caftigationem.

V. 36. SUSTENTATO, id eft tolerato. TESTAMENTO, id eft pacto; quafi dicat: Confequenter promiffa legem fervantibus, vel iam funt ex parte confecuti, fcilicet æternam vitam. EFFECTI SUNT, id eft continentur.

V. 40. MUNDUS. Græc. *pure*, feu *fancte*.

V. 41. CONSUMPTA. Græc. *mortua*, fcilicet interempta, ut filii.

ESTII.

Verf. 1. CONTIGIT AUTEM ET SEPTEM FRATRES UNA CUM MATRE SUA, APPREHENSOS COMPELLI A REGE EDERE CONTRA FAS CARNES PORCINAS. Hi fratres a multis fcriptoribus, atque etiam in Ecclefiaftico officio 1. Augufti appellantur Machabæi, non a Iuda Machabæo, quafi ad eum aliquo modo pertinuerint, fed fumpta communi appellatione a nomine fratris primogeniti, qui appellatus eft Machabæus, ut fcriptum reliquit Iofephus in libello, quem de iftorum fratrum paffione compofuit. Miranda profecto fortitudo, eo tempore, quo gratia Chrifti nondum erat manifeftata. Nam, ut inquit Græg. Nazianzenus in oratione in hos Martyres; qui ante Chrifti paffionem fubiere martyrium, quid poft Chriftum facturi fuiffent? Ratio autem cur tam diferte hi Martyres, femel atque iterum inculcent fidem refurrectionis, eaque fe confolentur, cum id ante eorum tempora non ita manifefte factum legamus: ratio, inquam, hæc adfertur; quia fub hæc tempora, uti Iofephus teftatur, orti fuerunt apud Iudæos Sadducæi, qui præter hanc momentaneam vitam, aliam nullam expectantes, animas una cum corpore interire docebant, & refurrectionem mortuorum negabant. Horum ergo doctrinam velut impiam, ac populo Dei indignam cum aliis piis hi Martyres execrabantur, & in exitu vitæ conftituti, tam difertis verbis refurrectionem mortuorum prædicabant, fimulque ea fe animari, tyranno exprobrabant, generofe proteftantes: *Tu quidem fceleftiffime in præfenti vita nos perdis; fed rex mundi defunctos nos pro fuis legibus, in æternæ vitæ refurrectionem, fufcitabit.*

V. 32. NOS ENIM PROPTER NOMETIPSOS HAEC PATIMUR, PECCANTES IN DEUM NOSTRUM. Loquuntur quidem hi Martyres de peccatis populi. Dicunt enim Deum genti ac generi fuo effe ad tempus iratum, fcilicet propter peccata; fed ita tamen loquuntur in perfona populi, ut fe ipfos non excludant, ficut & Daniel & Tobias expreffe locuti funt. Confitentur ergo,

ergo, & quidem veraciter, se pati propter sua peccata; & tamen non hoc præcipue spectavit in eorum passione Deus, ut eorum peccata punirentur, sed scilicet magis, ut eorum patientia per passionem martyrii probaretur, & coronaretur.

MARIANAE.

Vers. 1. COMPELLI A REGE EDERE. Græce, *tangere ex illicitis carnibus porcinis*. FLAGRIS ET TAUREIS: νευραῖς, flagra erant e corio aut nervis taurinis crudelia, de quibus in Martyrologiis frequens mentio. His septem Machabæos cruciabant.

V. 2. QUI ERAT PRIMUS. Græce ὁ προήγορος *factus primus concionator*. Goth. neutrum est; thoc tantum, *Unus autem ex eis sic ait*; id est primus. Hebræi per *unum*, *primum* intelligunt. Genes. 1. cap. vers. 5 sic dictum est: *Factumque est vespere & mane, dies unus*.

V. 4. QUI PRIOR FUERAT LOCUTUS. Goth. *qui primus*: προήγορον Græce, *primum locutum*.

V. 17. TU AUTEM PATIENTER SUSTINE, id est expecta. *Sustineo* inter alia *expectare* significat.

V. 18. DIGNA ADMIRATIONE FACTA SUNT, id est miraculis Dei visis peccavimus tamen, ideo punimur.

V. 24. RES NECESSARIAS EI PRAEBITURUM, pollicetur Rex. ἐς τὰς χρείας ἐμπιστεύσειν, id est *negotia crediturum*, id est Præfecturas. Ea vox non solum *indigentiam* & *utilitatem*, sed *negotia* etiam significat. Mater ad filium.

V. 27. TE IN UTERO NOVEM MENSIBUS PORTAVI. Goth. *decem mensibus*. Non erat lectio incommoda, propter ea quæ alio loco dicta sunt, nisi Codices alii Latini & Græci repugnarent. In Disputatione pro editione Vulgata, cap. XXI. plura de hac re diximus. ET LAC TRIENNIO DEDI. Non minori tempore eo cibo infans est nutriendus, neque nutricibus ea cura ablegenda; quæ peperit, ipsa alat.

V. 41. NOVISSIME AUTEM POST FILIOS ET MATER CONSUMPTA EST. Hanc quidam *Salomonam* vocat, quidam *Annam*, nonnulli *Machabæam*. Quocumque nomine, nobilissima & fortissima fuit. De filiis dubitatur, fuerint ne uxorati. Non puto; alioqui, hoc capite mentio aliqua de uxoribus aut filiis extaret. Quare *Machabæi* sunt dicti? Non arbitror ex sanguine, quod essent Machabæorum cognati; neque a matre, quam *Machabæam* quidam dictam volunt; aut a maiore fratre, quem vocant *Machabæum*: sed quoniam Machabæorum tempore hi iuvenes passi fuerint, fortissimi in martyrio, ut illi in bello fuere. Illud verius, non in urbe Ierusalem passos, sed Antiochiæ. Sic Martyrologium Romanum Augusti Kalendis, & ibi Cardinalis Baronius. Idem dixerim de sene Eleazaro. De tempore quo hæc contigerunt, nihil dicitur. Arbitror sub initia Regis Antiochi Epiphanis, priusquam Mathathias arma sumeret. Quæ sequuntur, post Mathathiæ mortem a Iuda eius filio gesta sunt.

MENOCHII.

Vers. 1. TAUREIS, scilicet nervis.

V. 3. SARTAGINES, ET OLLAS AENEAS: oleo, vel pace, vel aqua ferventte plenas.

V. 5. PER OMNIA INUTILIS: quippe corpore mutilato, & cute detracta.

V. 6. CONSOLABITUR IN NOBIS, &c. consolabitur nos. Vel sensus est, consolabitur, id est recreabitur; scilicet sumpta de hostibus vindicta. Sumptum est testimonium quod hic citatur ex Deut. XXXII. 36. ubi tamen legimus, *& in servis suis miserebitur*, quia ex misericordia eius, consolatio nostra proficiscitur. Dicitur etiam consolari Deus, sive lætitia affici in martyribus; id est, acceptissimam habere eorum fortitudinem, & mortem.

V. 8. SEQUENTI LOCO: secundo loco.

V. 11. E CAELO, id est a Deo.

V. 14. MORTI DATOS: morti addictos, & illi iam proximos.

V. 15. IN EUM; scilicet in regem.

V. 16. CUM SIS CORRUPTIBILIS: & eiusdem particeps naturæ cum iis quos crucias, quod te humanitatis admonere deberet, & rationis, quam aliquando es redditurus Deo.

V. 17. PATIENTER SUSTINE, id est expecta. SEMEN, id est filios.

V. 18. FRUSTRA, id est sine causa. PECCANTES: ἁμαρτάνοντες, sed in aliquibus codicibus est, ἁμαρτόντες, *cum peccaverimus*.

DI-

Digna admiratione; id est, gravia mala nobis evenerunt, quæ admirabilem Dei iustitiam ostendunt.

V. 21. Voce patria: lingua patria; πατρίῳ φωνῇ. Sapientia: φρονήματι, id est animi fortitudine, & celsitudine. Feminae; quasi dicat, Alioqui infirmæ.

V. 23. Omnium invenit originem; quasi dicat: Qui sua sapientia excogitavit quo quidque modo generandum esset.

V. 24. Antiochus autem, &c. Sententia est: Antiochus existimans se contemptum iri, & honorem suum in discrimen vocari, si nihil tormentis, nihil auctoritate regia adversus pueros consequi potuisset, & suspicione tactus ne id sibi exprobraretur, &c. Exprobrantis voce despecta: ὑπιδόμενος τὴν ὀνειδίζουσαν φωνήν, *exprobrantem vocem suspectam habens*. Translatum a patriis legibus: si ab observatione patriæ legis se adduci sineret.

V. 25. Fieret in salutem: salutaria consilia suggereret.

V. 26. Promisit suasuram se filio: quæ scilicet valebant ad salutem æternam; non, ut sperabat Rex, ad vitam retinendam, & honores profanos consequendos.

V. 27. Inclinata ad illum: iam fortasse iacebat in carnificina excruciandus. Irridens tyrannum: quia aliud quam ipse speraverat suadebat. Miserere mei: se enim miserrimam existimabat, si vel unus ex filiis a fide defecisset.

V. 29. Particeps: non est in Græco, & sensus etiam bene constat si absit a Latino. In illa miseratione: scilicet postrema diei iudicii. Græce tantum est, *in misericordia*; quasi dicat, Per Dei misericordiam.

V. 30. Quem sustinetis: quid expectatis?

V 33. Increpationem, id est castigationem.

V. 36. Sustentato, id est tolerato. Sub testamento, &c. id est pacto; quasi dicat, Consequenter promissa legem servantibus. Vel, iam sunt ex parte consecuti; scilicet statum, in quo de vita æterna periclitari non possunt. Effecti sunt, id est continentur.

V. 40. Mundus: καθαρὸς τὸν βίον, *mundus vitam*, cum scilicet nullam labem sceleris, ad quod adigebatur, suscepisset.

V. 41. Consumpta, id est interempta.

V. 42. De sacrificiis: idololatricis, de quibus paulo ante habitus erat sermo.

TIRINI.

Septem horum fratrum nomina a Iosepho *a* recensentur hoc ordine: *Machabæus*, *Aber*, *Machiri*, *Iudas*, *Achas*, *Areth*, *Iacob*; dicunturque e Susandro ipsis proprio castello ad Antiochum regem adducti, non Ierosolymam, ut putavit Cedrenus; sed Antiochiam, teste etiam Gorionid. S. Ambr. & August. *b* E quorum sententia etiam *Eleazarus* ille cap. præced. martyrio ibidem coronatus est. Erant omnes genere illustres, corpore formosissimi, cælibes plerique, inquit idem Iosephus. Etsi vero quidam illorum nuptiis alligati essent, nullus tamen liberos adhuc procrearat: nam mater, quam Iosephus *c* *Machabæam* vocat, diserte affirmat, se necdum *aviam* factam. Omnes porro vocantur *Machabæi*, a matre sua, inquit S. Thomas; vel a primo fratrum, ut mavult Serarius: vel certe a robore & fortitudine animi qua tyrannum superarunt, ut putat Scaliger *d*, a qua eadem dixi Lib. I. cap. III. § 3. Iudæ filio Mathathiæ inditum nomen Machabæi. Tempus quo passi sunt, ex contextu historiæ colligi videtur fuisse anno 8. regni Antiochi Epiphanis, paulo ante quam adversus tyrannum arma capesseret Mathathias, ut hic insinuatur vers. 38. In horum Martyrum honorem templum postea a Christianis Antiochiæ excitatum fuisse, dicit S. August. *e* *Eorum reliquias* Antiochia *Romam translatas*, & *in ecclesia S. Petri ad Vincula reconditas*, ait Romanum Martyrologium prima Augusti: qua die festum illorum iam inde ab initio Ecclesiæ maxima hominum religione frequentiaque celebratum fuisse, teste e veteribus sunt SS. Ambros. Nazian. Chrysost. August. *f* Leo Papa, S. Gaudentius, Maximus & alii. Sed Romanis litem indicunt Colonienses, qui iam a 400. & pluribus annis horum septem fratrum, & matris eorumdem, corpora sibi vindicant, & hoc nomine gratulatur illis non semel Erasmus & alii auctores, ut videre est hic apud Serarium. Historia martyrii sat claris verbis a scriptore sacro proponitur.

V. 1. *Excruciantur* flagris et taureis, seu loris ex corio vel nervis tauri con-

confectis, quorum frequens usus olim & in Martyrologiis.

V. 5. INVICEM SE HORTABANTUR ad constantiam, ne quis deflecteret a lege Dei: his inter alia verbis usi,

V. 6. DEUS ASPICIET VERITATEM, id est considerabit, expendet & præstabit quod iustum est, ET CONSOLABITUR IN NOBIS, id est subsidio & solatio nobis erit, QUEMADMODUM *Moyses* in *Cantico* suo Deuter. XXXII. 36. protestatus est Deum facturum.

V. 18. NOLI, o tyranne, FRUSTRA ERRARE, quasi putes nos esse infelices aut exosos Deo, quod tam acerbis tormentis excruciemur; te vero, quia nihil adversi pateris, felicem esse & charum Deo. NOS ENIM in bonum nostrum tormenta HAEC PATIMUR sane DIGNA alioquin ADMIRATIONE, quia per illa satisfacimus Deo pro peccatis quibus illum offendimus. Tibi vero tua scelera manent impunita in hoc sæculo, sed tanto acrius punienda in futuro.

V. 24. Spondet rex, se illi RES NECESSARIAS PRAEBITURUM. Ex Græco verti potest, se ei *crediturum negotia sua*, nempe secretiora regni, id est se illum habiturum inter primos amicos, & officiales suos.

V. 27. FILI MI, MISERERE MEI, ne fœda & tristi apostasia exorucies miseram matrem.

V. 30. QUEM SUSTINETIS? id est, qualem me fore exspectatis? certe non alium quam quales reliquos fratres meos experti estis, me experiemini. Sic supra vers. 17. *Sustine* pro expecta, interpres usurpat.

V. 36. FRATRES MEI, MODICO NUNC DOLORE SUSTENTATO, seu tolerato, SUB TESTAMENTO AETERNAE VITAE EFFECTI SUNT, id est fruuntur iam vita æterna & immortali, ex pacto & fœdere divino fidelibus promissa. Martyrum horum encomia ex SS. Patribus plurima & perillustria citat Serarius, uti & similia heroicæ fortitudinis in novo testamento exempla, non modo adolescentum, sed & puerorum & puellarum, ac pene infantium ex Europa, Asia, Africa & Indiis. Celebrat nominatim S. Gregorius, itemque Chrysol. S. Felicitatem: Mombritus *g* S. Symphorosam ἑπταμήτορα utramque, id est septem sanctorum filiorum Martyrumque matrem, ut videre est in Martyrologio Romano, & Cardinali Baronio ibidem, hanc 18. Iulii, illam 23. Novembris.

(a) Ioseph. in libelli de Machabæis versione Latina.
(b) Gorionid. Lib. III. cap. v. & VI. Ambr. Lib. II. de Iacob cap. x. August. Serm. CIX. cap. VI.
(d) Ioseph. sup. cap. XVI.
(d) Scaliger. Lib. V. de Temp.
(e) August. sup.
(f) Ambr. ep. XXIX. Nazian. & August. sup. Chrysoll. & ceteri in orationibus habitis in laudem horum Martyrum.
(g) Gregor. homil. in Evang. III. Chrysol. Serm. CXXXIV. Mombritus tom. II. Martyrologii Romani.

GORDONI.

Martyrium septem fratrum, vers. 1. & hinc prolixe usque ad finem capitis.

Nota Vers. 1. ET TAUREIS. Flagra ex nervis taurinis, vers. 41. Cur hi fratres dicti Machabæi? An revera ex sanguine; aut potius quia Machabæorum tempore, ut fortissimi athletæ martyrium passi sunt; non quidem Ierosolymis, sed Antiochiæ: immo & Eleazarus, & paulo antequam armaretur Matathias.

CA-

CAPUT VIII.

Iudas Machabæus, invocato Dei auxilio, post aliquot victorias, Nicanorem, qui certam sibi de Iudæis pollicebatur victoriam, suos primum ad constantiam adhortatus, profligavit; interfectis de eius exercitu una cum Timotheo & Bacchide plusquam 29000. ita ut Nicanor solus effugiens prædicaret Iudæos Deum habere protectorem.

1. Udas vero Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella: & convocantes* cognatos & amicos, & eos, qui permanserunt in Iudaismo, assumentes eduxerunt ad se sex millia virorum. 2. Et invocabant Dominum, ut respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & misereretur templo, quod contaminabatur ab impiis: 3. misereretur etiam exterminio civitatis, quæ esset illico complananda, & vocem sanguinis ad se clamantis audiret: 4. memoraretur quoque iniquissimas mortes parvulorum innocentum, & blasphemias nomini suo illatas, & indignaretur super his. 5. At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim Domini in misericordiam conversa est. 6. Et superveniens castellis & civitatibus improvisus, succendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat: 7. maxime autem noctibus ad huiuscemodi excursus ferebatur, & fama virtutis eius ubique diffundebatur. 8. Videns autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentius res ei cedere prospere, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ & Phœnicis scripsit, ut auxilium ferret regis negotiis. 9. At ille velociter misit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permistis gentibus, armatis non minus viginti millibus, ut universum Iudæorum genus deleret, adiuncto ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo. 10. Constituit autem Nicanor, ut regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum, de captivitate Iudæorum suppleret: 11. statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coemptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non respiciens ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura. 12. Iudas autem ubi comperit, indicavit his qui secum erant Iudæis, Nicanoris adventum. 13. Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei iustitiæ, in fugam vertebantur: 14. alii vero si quid ei superat vendebant, simulque Dominum deprecabantur, ut eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos, prius quam cominus veniret, vendiderat; 15. & si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, & propter invocationem sancti & magnifici nominis eius super ipsos. 16. Convocatis autem Machabæus septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neque metuerent inique venientium adversum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent, 17. ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his iniuste esset illata, itemque & ludibrio habitæ civitatis iniuriam, adhuc etiam veterum instituta convulsa. 18. Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul & audacia: nos autem in Omnipotente Domino, qui potest & venientes adversum nos, & universum mundum uno nutu dele-

re, confidimus. 19. Admonuit autem eos & de auxiliis Dei, quæ facta sunt erga parentes: & (a) quod sub Sennacherib centum octoginta quinque millia perierunt: 20. & de prælio, quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est, Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his plurima consecuti sunt. 21. His verbis constantes effecti sunt, & pro legibus & patria mori parati. 22. Constituit itaque fratres suos duces utrique ordini, Simonem, & Iosephum, & Ionathan, subiectis unicuique millenis & quingentenis. 23. Ad hoc etiam ab Esdra lecto illo sancto libro, & dato signo adiutorii Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore. 24. Et facto sibi adiutore Omnipotente, interfecerunt super novem millia hominum: maiorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt. 25. Pecuniis vero eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos usquequaque persecuti sunt, 26. sed reversi sunt hora conclusi: nam erat ante sabbatum: quam ob causam non perseveraverunt insequentes. 27. Arma autem ipsorum & spolia congregantes, sabbatum agebant: benedicentes Dominum, qui liberavit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos. 28. Post sabbatum vero, debilibus, & orphanis, & viduis diviserunt spolia: & residua ipsi cum suis habuere. 29. His itaque gestis, & communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, ut in finem servis suis reconciliaretur. 30. Et ex his, qui cum Timotheo & Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt, & munitiones excelsas obtinuerunt: & plures prædas diviserunt, æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes. 31. Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua vero spolia Ierosolymam detulerunt: 32. & Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Iudæos afflixerat. 33. * Et cum epinicia agerent Ierosolymis, eum, qui sacras ianuas incenderat, id est Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugisset, incenderunt, digna ei mercede pro impietatibus suis reddita. 34. Facinorosissimus autem Nicanor, qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat, 35. humiliatus auxilio Domini, ab his quos nullos existimaverat, deposita veste gloriæ, per mediterranea fugiens, solus venit Antiochiam, summam infelicitatem de interitu sui exercitus consecutus. 36. Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captivitate Ierosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, & ob ipsum invulnerabiles esse, eo quod sequerentur leges ab ipso constitutas.

(a) IV. Reg. xix. 35 Tob. 1. 21. Eccli. xlviii. 24. I. Mach. vii. 41. Isai. xxxvii. 36.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 1. Cognatos & amicos. Correctores iudicarunt non esse omittendum *& amicos*, tametsi Græce omittatur.

Vers. 33. Et cum Epinicia agerent Ierosolymis. Non præponas voci Ierosolymis præpositionem *in*.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verf. 2. CONTAMINABATUR, id eft profanabatur.

V. 3. COMPLANANDA, id eft folo æquanda.

V. 9. PATROCLI, fcilicet filium. PRIMORIBUS AMICUM; pro, primariis amicis, fcilicet unum.

V. 13. IUSTITIAE. Græc. *vindictam*, fcilicet a Deo faciendam.

V. 15. TESTAMENTUM, id eft pactum.

V. 16. RECONCILIARENTUR. Græc. *terrerentur*.

V. 23. AD HOC, &c. adhuc etiam & Eleazarum, fcilicet præfecit, tum lecto illis, &c.

V. 24. NOVEM. Lib. I. cap. IV. dictum *tria*; fed illud intelligendum de primo congreffu, id de tota pugna.

V. 26. HORA, id eft tempore.

V. 29. IN FINEM, id eft perfecte, feu in perpetuum, vel tandem.

V. 33. EPINICIA, id eft celebritates pro victoria.

ESTII.

Verf. 22. CONSTITUIT ITAQUE (Iudas Machabæus), FRATRES SUOS DUCES UTRIQUE ORDINI, SIMONEM, ET IOSEPHUM ET IONATHAN. Obfcurum eft quis fit hic Iofephus, cum I. Machab. II. inter fratres Iudæ & filios Matathiæ nullus eius nominis numeretur? Quidam exiftimant Iofephum effe, qui ibi alio nomine vocatur Eleazarus, & Abaron. Sed expendendum, an ille Eleazarus adhuc fuerit in hoc prælio fuperftes; cum occifus legatur fub elephante Lib. I. cap. VI. An forte Iofephus hic connumeretur inter fratres Iudæ, quia fuerit filius fratris aut fororis? ficut Abraham dicit ad Loth: *Fratres enim fumus*, Gen. XIII. fit enim huius Iofephi rurfum mentio, infra cap. X. Mire hic fe involvit Lyranus, falfus, ut videtur, vitiofo codice Iofephi hiftorici. Tu, fi velis, ipfum adito Iofephum, nihil huic noftræ coniecturæ repugnantem, Lib. XII. Antiq. cap. VIII.

MARIANAE.

Verf. 7. NOCTIBUS AD HUIUSCEMODI EXCURSUS utebatur Iudas, feu *infidias*, ἐπιβουλάς: fed perinde eft. Prudentis Ducis eft, noctu hoftes aggredi, & illis parare infidias.

V. 8 VIDENS AUTEM PHILIPPUS: quem Antiochus Ierofolymæ præfectum reliquerat cap. V. 22. VIRUM AD PROFECTUM. Gotth. *ad perfectum* venire, fcilicet Iudam. Parum refert, utrovis modo legatur.

V. 9. MISIT NICANOREM. De hoc, & de tota expeditione, Lib. I. cap. III. 38. GORGIA VIRO MILITARI: feu *duce*, στρατηγῷ, adiuncto. ET IN BELLICIS REBUS EXPERIENTISSIMO. Hoc totum non eft in Gotth. Nicanor

V. 11. AD MARITIMAS CIVITATES MISIT, ibi funt frequentes mercatores. CONVOCANS AD COEMPTIONEM IUDAICORUM MANCIPIORUM. Gotth. *ad emptionem Iudæorum mancipiorum*. Sic etiam Græce. Iudæi orant Deum,

V. 15. ET PROPTER INVOCATIONEM nominis Dei fuper eos, fcilicet quia vocabantur *populus Dei*, illos tueretur.

V. 16. SEPTEM MILLIBUS convocatis, feu congregatis a Iuda. Græce, *fex millibus*. NE HOSTIBUS Gotth. *ne cum hoftibus*. RECONCILIARENTUR, rogabat Iudas. Græce, *terrerentur*, καταπλαγῆναι. Monet Iudas fuos

V. 20. DE PRAELIO adverfus Galatas in Babylone. SOCIIS HAESITANTIBUS. Græce, *cum Macedonibus quatuor mille*, *Macedonibus fociis hæfitantibus*. IPSI SEX MILLIA, fcilicet Iudæi. Græce, *octo mille*: fufpicor utroque noftram lectionem effe veriorem. Porro de hoc Galatarum bello certum conftitui non poteft. Videntur Galatæ, cum ex Italia tranfierunt in Afiam Seleuci Primi tempore, Babylonem ufque penetraffe, & cum eo bellum geffiffe, Iudæos affuiffe Regi, quem beneficium in eos

eos extitisse Iosephus ait Lib. XII. cap. III. & Lib. II. contra Apionem. Aut certe sub Antiocho Primo, qui Seleuco successit, hoc bellum gestum est; nam fuisse etiam Iudaeis amicum, & eorum ope ra in bello usum, ex eodem Iosepho colligitur locis citatis. Hae Iudae munitione

V. 12. MORI PARATI. Graece additur, *quadripartitum exercitum fecit*.

V. 22. MILLENIS ET QUINGENTENIS cuique fratri datis. Quod si cuique agmini e quatuor, mille quingentos dedit; omnes milites sex millia fuere, ut Graece dicitur vers. 16.

V. 23. AD HOC ETIAM AB ESDRA LECTO. Graece, *ad hoc & Eleazarum*. Quid hoc? forte significare voluit, Eleazarum etiam fratrem suum quarto agmini praefecisse Iudam.

V. 26. REVERSI SUNT HORA CONCLUSI. Ab occasu solis dies & Festa inchoabant. Sic ob reverentiam Sabbati, quod sequebatur, ad vesperam tantum insecuti hostes fugientes sunt. Post victoriam Iudaei orant,

V. 29. UT IN FINEM Deus reconcilietur, id est in perpetuum.

V. 30. EX HIS, QUI CUM TIMOTHEO ET BACCHIDE. Novum bellum & expeditionem tangit & repetit, de quo Lib. I. cap. v. 12. & deinceps.

V. 33. CUM EPINICIA AGERENT, id est celebritatem pro victoria. IN IEROSOLYMIS. Graece, *in patria*. EUM, QUI SACRAS. Sic lege, non *eos*, ut est in Vulgata Regia. De uno enim Callisthene loquitur, qui sacras ianuas incenderat, nempe templi eum tunc combussisse.

V. 35. DEPOSITA VESTE GLORIAE, id est abiecto paludamento, & in veste vulgari, Nicanor ivit Antiochiam. SUMMAM INFELICITATEM .... CONSECUTUS. Graece, ὑπὲρ ἅπαν εὐημερηκώς. Quid hoc? corruptus locus videtur.

MENOCHII.

Vers. 1. IUDAS VERO MACHABAEUS, &c. incipit recensere res gestas Iudae Machabaei post mortem patris eius Mathathiae.

V. 2. CONTAMINABATUR, id est profanabatur.

V. 3. COMPLANANDA, solo aequanda. VOCEM SANGUINIS: Iudaeorum crudeliter occisorum Gentilibus, & Apostatis Iudaeis.

V. 4. INDIGNARETUR, id est quasi indigne ferens puniret.

V. 8. VIDENS AUTEM PHILIPPUS: qui creditur praepositus fuisse praesidio Ierosolymitano. AD PROFECTUM VENIRE: proficere, & incrementum capere.

V. 9. PATROCLI; scilicet filium. DE PERMIXTIS GENTIBUS: ex variis nationibus.

V. 12. TRIBUTUM QUOD ROMANIS ERAT DANDUM: annum enim tributum fuerat constitutum Romanis dandum in annos duodecim, eum pax inter illos, & Antiochum Magnum fuit constituta.

V. 13. NON CREDENTES DEI IUSTITIAE, non fidentes vindici Dei iustitiae.

V. 15. TESTAMENTUM: pactum. INVOCATIONEM NOMINIS EIUS SUPER EOS: quod scilicet populus eius peculiaris dicerentur.

V. 20. DE PRAELIO ADVERSUM GALATAS. Haec victoria parta de Galatis alibi quod sciam, non extat, & in Graeco non nihil habet diversitatis, dicitur enim Iudaeorum octo millia cum Macedonum quatuor millibus ad certamen contra Galatas venisse, & Macedonibus haesitantibus sola octo millia Iudaeorum centum viginti millia hostium perdidisse. Quando autem haec victoria contigerit, & sub quo principe Asiae non liquet. ET BENEFICIA PRO HIS PLURIMA CONSECUTI SUNT. In Graeco est, καὶ ὠφέλειαν πολλὴν ἔλαβον, & *multam praedam reportarunt*. Ad quem sensum etiam verba vulgati explicari possunt.

V. 22. DUCES UTRIQUE ORDINI: aciei duos ordines fecit Iudas, quorum quatuor essent partes, quibus fratres suos quatuor praefecit.

V. 23. LECTO ILLO SANCTO LIBRO; scilicet, Bibliorum aliqua parte lecta, quae ad rem praesentem facere videretur, praesertim ex Deuteronomio. DATO SIGNO ADIUTORII DEI: tessera quam Iudas Ducibus, & militibus suis dedit (Itali appellant, *il motto*) videtur haec fuisse, *Dei auxilium*, vel, *Deus auxilium*. IPSE DUX, scilicet Iudas.

V. 24.

V. 24. FACTO SIBI ADIUTORE OMNIPOTENTE: Deo iuvante. NOVEM MILLIA. Lib. I. cap. IV. 15. dicitur occisa tria millia. Utrumque verum est, in conflictu cæsa sunt novem millia; tria autem millia ex iis, qui se in fugam dederant.

V. 25. QUI AD EMPTIONEM VENERANT: vide supra num. 11. SUBLATIS: in potestatem redactis.

V. 26. HORA CONCLUSI: angustiis temporis exclusi, nam cum adesset sabbatum insecutionem fugientium abrumpere sunt coacti.

V. 29. IN FINEM, id est perfecte seu in perpetuum, vel tandem.

V. 30. ET EX HIS QUI CUM TIMOTHEO, &c. est aliud certamen Iudæ cum Timotheo, & Bacchide, quod paucis, & sine notatione certi temporis recensetur. EPINICIA, id est festa, & celebritates pro reportata victoria.

V. 33. SACRAS IANUAS: Templi.

V. 35. NULLOS EXISTIMAVERAT: nihili fecerat.

V. 36. PRAEDICABAT: vel invitus.

TIRINI.

Vers. 5. IRA DOMINI IN MISERICORDIAM CONVERSA EST: & minui ac mitigari cœperunt flagella quibus ante sæviebat in populum suum. Et hoc est quod ultimus septem fratrum cap. præced. promiserat, vers. 38. *quod in se & in fratribus* suis, id est cum martyrio & morte sua suorumque fratrum, *desineret Omnipotentis ira* grassari in Iudæos.

V. 8. PHILIPPUS, qui Ierosolymis ab Antiocho præfectus erat, cap. v. 22. VIDENS, Iudam Machabæum PAULATIM proficere, & maiores vires acquirere in dies, opem implorat Ptolemæi, ducis Cœlesyriæ, a quo NICANOREM PATROCLI filium, itemque Gorgiam impetrat cum VIGINTI promiscuarum nationum MILLIBUS. Sed longe plura millia postmodum accesserunt; ut dicitur Lib. I. cap. III. 38. & 41.

V. 11. His copiis præfisus *Nicanor*, Tyriis, Sidoniis, aliisque *maritimarum civitatum* mercatoribus in castra evocatis, promittit, SE NONAGINTA *Iudaica* MANCIPIA TALENTO uno, utique argenti Attico, id est quingentis aureis scutis, DISTRACTURUM. Nempe vix quinque scuta cum dimidio pro singulis capitibus exegisset, cum paulo ante Hyrcanus quidam, teste Iosepho *a*, unicum adolescentulum uno talento, unicamque puellam uno item talento coemisset. Hæc bilem moverunt plerisque Iudæis animosioribus: qui quo expeditiores essent ad bellum,

V. 14. VENDEBANT, SI QUID adhuc bonorum EIS domi SUPERERAT: volebant nempe toti vacare militiæ.

V. 16. Pro SEPTEM MILLIBUS, in Græco non habentur nisi *sex millia*. Et ita requirere videtur vers. 1. & 22. huius capitis.

V. 20. *Prælium* ADVERSUS GALATAS IN BABYLONIA, in quo SEX MILLIA; Græce *octo millia*, Iudæorum PEREMERUNT CENTUM VIGINTI MILLIA hostium; quo nomine PLURIMA BENEFICIA Iudæi CONSECUTI SUNT a rege; puto contigisse sub Antiocho primo, cui cognomen *Soter*. Nam de hoc scribit Appianus *b*, eum Galatas ex Europa in Asiam irruentes eiecisse. Quo utique nomine consecuti sunt ingentes illos honores & privilegia, quæ tum ab Antiocho Sotere, tum ab eius filio Antiocho Deo consecutos esse scribit Iosephus, narrat Plutarchus, consentit Iustinus, subscribunt Thomas Bosius, Lipsius *c*, Serarius, Mariana & tot alii.

V. 22. *Iosephus* frater Iudæ, Serario idem est qui *Ioannes* Lib. I. cap. II. 2. In Græco adiicitur etiam vers. 23. *Eleazarus*, quartus Iudæ frater, nam pro verbis istis, AD HOC ETIAM AB ESDRA, ex Græco quidam vertunt, *adhuc etiam Eleazarum*, supple, præfecit Iudas simili modo mille quingentis viris. Tum nova periodo inchoant vers. 23. Iudas pontifex LECTO sociis suis SANCTO LIBRO Deuteronomii, quo Deus timentibus se pollicetur victoriam: ET SIGNO belli DATO, seu tessera militari, hac nempe, *Auxilium suis Deus*; IPSE DUX Iudas IN PRIMA ACIE *committit* CUM NICANORE & ipso alterius partis supremo duce: e cuius exercitu

V. 24. NOVEM MILLIA cadunt, reliqui in fugam aguntur: quos ne ad omnium internecionem persequerentur Iudæi, præpediti fuerunt

V. 26. HORA, seu crepusculo vespertino, *sabbati* ingruente, quo CONCLUSI, propter festi diei reverentiam, & prosequen-

quendis hostibus REVERSI sunt in sua castra.

V. 28. Exacto autem *sabbatho*, DEBILIBUS ORPHANIS ET VIDUIS SPOLIA hostibus erepta distribuunt: nec sibi suisve familiis nisi residua deposcunt. O milites non milites! o æterna memoria factum dignissimum! Quod utinam imitentur Christiani!

V. 29. Rogant exinde Deum UT SERVIS SUIS *reconcilietur*, & propitius esse ac favere pergat IN FINEM, id est perpetuo, ad plenam usque a iugo hostili liberationem.

(a) Ioseph. Lib. XII. Antiqu. cap. IV.
(b) Appian. in Syriacis.
(c) Ioseph. sup. cap. III. Plutarch. in Demetrio. Iustin. Lib. XXIV. & XXV. Bosius Lib. XXIII. de Signis Eccl. cap. XI. Lipsius in Admirandis Lib. IV.

GORDONI.

IUdas collectis sex millibus, tuetur patriam, vers. 1. & deinceps. Nicanor mittitur contra Iudam cum Gorgia, vers. 9. Vendendi Iudæi, vers. 11. Iudas suos hortatur, vers. 16. Nicanor vincitur, vers. 24. Iterum contra Baccheidem, & Timotheum, vers. 30. Spolia illata Ierosolymis, vers. 31. De prælio hoc vers. 20. contra Galatas, tempus incertum est. Porro de novo bello hoc, vers. 30. vide Lib. I. cap. V.

V. 12. EPINICIA. Solemnitas pro victoria, vers. 33.

CAPUT IX.

Antiochus a Persepoli fugatus, dum Iudaeos ad internecionem perdere meditaretur, maximis viscerum doloribus a Deo percussus, cum fœtore intolerabili scaturientibus e corpore vermibus, post suorum criminum agnitionem, & sero promissam emendationem, merita morte occubuit, scriptis ad Iudaeos litteris ut filio suo subditi persisterent.

1. EOdem tempore Antiochus inhoneste revertebatur de Perside. 2. Intraverat enim in eam, quæ dicitur Persepolis,
* & tentavit expoliare templum, & civitatem opprimere:
sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi
sunt: & ita contigit ut Antiochus post fugam turpiter rediret. 3. Et cum venisset circa Ecbatanam, recognovit
quæ erga Nicanorem & Timotheum gesta sunt. 4. Elatus
autem in ira, arbitrabatur se, iniuriam illorum qui se
fugaverant, posse in Iudæos retorquere: ideoque iussit agitari currum suum, sine intermissione agens iter, cælesti eum iudicio perurgente, eo quod ita superbe locutus est se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulcri Iudæorum
eam facturum. 5. (*a*) Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili & invisibili plaga. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta:
6. & quidem satis iuste, quippe qui multis & novis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo a sua malitia cessaret. 7. Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & gravi corporis collisione membra vexari. 8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris
imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in
statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans: 9. ita ut de corpore impii vermes
sca-

scaturirent, * ac viventis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & foetore exercitus gravaretur: 10. & qui paulo ante sidera caeli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetoris portare. 11. Hinc igitur coepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus: 12. & cum nec ipse iam foetorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subdium esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. 13. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus. 14. Et civitatem, ad quam festinans veniebat ut eam ad solum deduceret, ac sepulcrum congestorum faceret, nunc optat liberam reddere: 15. & Iudaeos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, & cum parvulis exterminaturum dixerat, aequales nunc Atheniensibus facturum pollicetur: 16. templum etiam sanctum, quod prius expoliaverat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de redditibus suis praestaturum: 17. super haec, & Iudaeum se futurum, & omnem locum terrae perambulaturum, & praedicaturum Dei potestatem. 18. Sed non cessantibus doloribus (supervenerat enim in eum iustum Dei iudicium) desperans scripsit ad Iudaeos in modum deprecationis epistolam haec continentem:

19. Optimis civibus Iudaeis plurimam salutem, & bene valere, & esse felices, rex & princeps Antiochus. 20. Si bene valetis, & filii vestri, & ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias. 21. Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benigne, reversus de Persidis locis, & infirmitate gravi apprehensus, necessarium duxi communi utilitate curam habere: 22. non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem. 23. Respiciens autem quod & pater meus, quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum: 24. ut si quid contrarium accideret, aut difficile nuntiaretur, scientes hi qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur. 25. Ad haec considerans de proximo potentes quosque & vicinos temporibus insidiantes, & eventum expectantes, designavi filium meum Antiochum regem, quem saepe recurrens in superiora regna multis vestrum commendabam: & scripsi ad eum quae subiecta sunt. 26. Oro itaque vos & peto, memores beneficiorum publice & privatim, ut unusquisque conservet fidem ad me & ad filium meum. 27. Confido enim, cum modeste & humane acturum, & sequentem propositum meum, & communem vobis fore. 28. Igitur homicida & blasphemus pessime percussus, & ut ipse alios tractaverat, peregre in montibus miserabili obitu vita functus est. 29. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius, qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemaeum Philometorem in AEgyptum abiit.

(a) II. Par. xvi. 9.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. Et tentavit expoliare templum. Alii scribunt numero plurali *templa*.

Vers. 9. Ac viventis in doloribus carnes eius effluerent. Servandus est genitivus singularis *viventis*, non mutandus in nominativum pluralem *viventes*.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 12. **P**ARIA DEO SENTIRE, id eft fe Deo exæquate.

V. 20. GRATIAS, fcilicet Deo.

V. 25. INSIDIANTES. Græc. *attendentes*; quafi dicat, Occafioni intentos.

V. 27. ET COMMUNEM. Græc. *obfequentem*, fcilicet benignum feu benevolum.

V. 28. MONTIBUS, fcilicet Babyloniæ. Vide Lib. I. cap. XVI.

E S T I I.

Verf. 9. **I**TA UT DE CORPORE IMPII (Antiochi) VERMES SCATURIRENT, AC VIVENTIS IN DOLORIBUS CARNES EFFLUERENT, ODORE ETIAM ILLIUS ET FOETORE EXERCITUS GRAVARETUR. Etfi mala huius fæculi communia fint bonis & malis, immo plærumque boni magis affligantur quam mali, tamen infigniter mali etiam infigni calamitate non raro puniuntur. Sic fœdo ifto morbo, non folum hic impiiffimus Antiochus interiit, fed & Herodes Afcalonita, qui infantes occidit, tefte Iofepho, Herodes item, qui Iacobum Apoftolum obtruncavit, & Petrum claufit in carcere, & honores divinos admifit, ut legitur Act. XII. Apud Romanos etiam Sylla belli civilis auctor, & civium Romanorum crudeliffimus profcriptor, item Hunericus rex VVandalorum Arrianus, qui catholicos crudeliffime vexaverat. Neftorii quoque hærefiarchæ lingua blafphema nolentis Mariam *Deiparam* vocare, fed tantum Chriftiparam a vermibus corrofa eft. Ac denique Calvinum quoque pediculofo morbo periiffe, teftatur Bolfecus & alii.

M A R I A N AE.

Verf. 1. **A**NTIOCHUS INHONESTE REVERTEBATUR. Hoc capite agitur de morte Antiochi; de qua Libro I. cap. VI. quæ utrobique dicuntur, conciliànda funt.

V. 2. INTRAVERAT ENIM IN EAM, QUAE DICITUR PERSEPOLIS. *Elymaidem* in primo libro. Sed erat civitas binomia. IN FUGAM VERSI SUNT. Antiochi fcilicet milites. POST FUGAM TURPITER REDIRET. Sic contigit. Quo? *in Babyloniam* dicitur in I. Libro. Non manfit ibi tamen, nec ibi mortuus eft; nam cum veniffet circa Ecbatanam, cognovit victos in Iudæa eius duces. In Perfide id nuntiatum dicit I. Liber. Verum Ecbatana metropolis Mediæ feu Perfidis erat. Nomina harum provinciarum, Mediæ, Perfidis, Babylonia, non femel in his Libris confunduntur.

V. 4. ELATUS AUTEM IN IRA: feu, *elatus autem ira*, ut eft Goth. & Græce.

V. 7. DE CURRU CADERE contigit ipfum. De hoc Antiochi cafu nihil in I. Libro, fed neque negatur contigiffe. Idem dico de iis quæ tribus confequentibus verfibus continentur, vermibus, carnis defluxione, fœtore.

V. 9. VIVENTIS IN DOLORIBUS CARNES. Sic lege, non *viventes*, ut Regia & Lovan. *in dolore*, id eft præ dolore, carnes effluerent. Antiochus minabatur, ut

V. 14. SEPULCRUM CONGESTORUM FACERET, fcilicet Ierofolymam. Græce, *cœmeterium ædificaret*: nempe præ multitudine eorum quos occidere cogitabat. Antiochus Iudæis fcribit:

V. 20. MAXIMAS AGIMUS GRATIAS, fcilicet *Deo*, ut Græce eft in Romanis, nam in Regiis Græcis hoc totum deeft; fine quo tamen oratio mance ecliptica & truncata.

V. 21. EGO IN INFIRMITATE CONSTITUTUS. Græce, *in cælo fpem habens*. Si utrumque iungas plena & plana erit oratio. Oro ut quifque

V. 26. CONSERVET FIDEM. Græce, *exiftentem*, id eft folitam benevolentiam erga me & filium.

V. 28. PEREGRE IN MONTIBUS periit. Quibus? Divinare non oportet. Certe non Babylone, ut plerique volunt; nifi per Babylonem totam provinciam intelligas. Nam egreffus ex ea urbe, cognovit res in Iudæa geftas, cum feftinaret ut Iudæos

puni-

puniret, in itinere oppressus morbo & extinctus est, anno 149. Regnavit annis undecim, ex Eusebio intellige integros, attigit duodecimum.

V. 29. PHILIPPUS COLLACTANEUS curavit funus, deportato corpore Babylonem. Sic arbitror. Hic est Philippus, cui Antiochus sub mortem dedit diadema, stolam, & annulum, ut ea scilicet ferret ad filium. Illi item regni curam commendavit, ut Libro I. cap. VI. 14. Ille tamen metuens filium, ad Ptolemæum in AEgyptum abiit, prius scilicet; nam deinde in Syriam rediit, & Antiochiam occupavit, uti eo capite VI. 55. narratur.

MENOCHII.

Vers. 1. INHONESTE REVERTEBATUR DE PERSIDE, &c. Vide hanc eamdem historiam supra Lib. I. capite VI.

V. 2. INTRAVERAT ENIM IN EAM: vide dicta Lib. I. cap. VI. 3.

V. 3. RECOGNOVIT: cognovit.

V. 4. QUI SE FUGAVERANT: e Persepoli. CONGERIEM SEPULCRI: *πολυάνδριον*, quod alii vertunt *cœmeterium*, alii *commune sepulcrum*. Significabat Antiochus se maximam stragem tota Ierosolyma editurum, ut civitas universa nihil aliud esset quam sepulcrum quoddam, omni ex parte cadaveribus redundans.

V. 5. INSANABILI, ET INVISIBILI PLAGA: novo quodam morbi genere, cuius causæ non apparebant.

V. 6. SATIS IUSTE: *valde iuste*, *πάνυ δικαίως*.

V. 7. ACCELERARI NEGOTIUM: iubebat aurigam properare.

V. 8. MONTIUM ALTITUDINES IN STATERA APPENDERE. Adagialis loquendi formula, qua significatur aliquid habere in potestate, ut mercator verbi gratia in potestate habet, id quod appendit in statera. Alludit ad locum Isaiæ XL. 12. *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera?*

V. 10. SIDERA CAELI CONTINGERE. Etiam hoc est adagiale, sic dicebat Horatius, *sublimi feriam sidera vertice:* sic Italico proverbio dicimus, *Toccare il cielo col dito*.

V. 12. PARIA DEO SENTIRE, id est se Deo exæquare.

V. 13. A QUO NON ESSET MISERICORDIAM CONSECUTURUS: non enim vera pænitudine tangebatur propter offensum Deum, sed propter dolores suos, sicut tanto ante Esau propter amissam primogenituram; de quo D. Paulus ad Hebræos XII. 17. *Postea cupiens hereditare benedictionem reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam*.

V. 15. AEQUALES ATHENIENSIBUS: qui scilicet inter omnes Græcos maxime liberi ac sui iuris fuerunt.

V. 18. SUPERVENERAT ENIM IN EUM IUSTUM DEI IUDICIUM; quasi dicat: Lata erat in eum divinitus sententia mortis, irrevocabilis.

V. 20. AGIMUS GRATIAS, scilicet Deo.

V. 23. OSTENDIT, &c. regni successorem declaravit. SI QUID CONTRARIUM: præter opinionem, & adversum.

V. 24. TEMPORIBUS INSIDIANTES, id est occasionem captantes, & tempus observantes res suas cum vicinorum damno promovendi. SCRIPSI AD EUM QUAE SUBIECTA SUNT: additum enim erat hic exemplum epistolæ, quæ ad Antiochum Eupatorem scribebatur, quæ modo non extat.

V. 26. COMMUNEM VOBIS FORE. In Græco est, *συμπεριενεχθήσεσθαι*, id est fore ut communiter vobiscum, & indulgenter agar. Videtur mihi Græca phrasis Italicæ respondere, qua dicimus, *si porterà bene con voi*.

V. 27. IN MONTIBUS: vide dicta Lib. I. capite VI. 4.

V. 28. TRANSFEREBAT CORPUS: Antiochum. METUENS FILIUM ANTIOCHI: causam metus Scriptura non exprimit. Videtur timuisse Lysiam, in cuius potestate Antiochus puerulus erat.

T I R I N I.

Vers. 3. CIRCA ECBATANAM Persidis urbem nobilissimam audiit ex nuntiis & litteris suorum fugam Lysiæ, *Nicanoris, & Timothei*. Iratus vindictam minatur, & excidium Iudæorum, vers. 4. Sed mox feritur a *Deo*.

V. 5. INSANABILI ET INVISIBILI PLAGA teterrimæ melancholiæ & cholicæ.

V. 7. PRAECIPIENS ACCELERARI NEGO-

TIUM profectionis, nempe ut primo quoque tempore suam omnem in Iudæos iram evomere posset; dum auriga currum violentius rapit, excuritur rex, terræ illiditur, & gravissime læditur: e vulneribus

V. 9. VERMES *scaturiunt* & pediculi, carnes putrefactæ defluunt, tanta graveolentia, ut iam a propriis famulis portari amplius non posset. Hoc pediculari supplicio (de quo vide, si lubet, Lucretium, Serenum, & alios medicos,) legimus gravissimos olim peccatores divinitus affectos fuisse, v. g. Herodem Ascalonitam, teste Iosepho: & alterum huius nepotem Herodem Agrippam, Actor. XII. Maximianum teste Eusebio: Iulianum teste Sozomeno: & alterum apostatam Theotecnum, de quo Nicephorus: & tertium, de quo S. Antiochus Palæstipus: Hunericum VVandalorum regem, de quo Victor: & nostro sæculo Calvinum, ut Bolsecus, Beza & alii testantur.

V. 11. Hoc morbo, hoc fœtore intolerabili tandem tamen devehitur in provinciam Babyloniæ: ubi auctis notabiliter doloribus, COEPIT e tenebris *superbiæ* emergere, & AD AGNITIONEM SUI VENIRE, ut cogitaret se hominem esse miserum & mortalem, non Deum.

V. 13. ORABAT AUTEM SCELESTUS, DOMINUM, A QUO NON ESSET MISERICORDIAM CONSECUTURUS: quia non vere & ex animo, sed ficte & simulate orabat ac pœnitentiam agebat, hoc unum quærens ut a morbis & doloribus liberaretur, nihilo melior futurus si convaluisset. Unde signanter dicitur, *orasse Dominum*, sed manens *scelestus*. Simile de Esau dicit Apostolus ad Hebræos XII. *non invenisse pœnitentiæ locum, etsi cum lacrymis inquisisset eam*. Pœnitentia enim talis non est de offenso Deo, sed de caducis bonis amissis, vel de malis aut miseriis (quæ scelerum pœnæ sunt) incursis & perpessis.

V. 15. Pari animo promittit Iudæis SE FACTURUM ipsos AEQUALES ATHENIENSIBUS; nempe *αὐτοτελεῖς ϗ αὐτονόμους*, ut ait Iosephus (a), id est ut propriis legibus, propriisque institutis vivere sinerentur: quo nihil optatius Iudæis accidere posse probe sciebat.

V. 20. GRATIAS *agit* Deo, sed ficte.

V. 21. *Memorem* se Iudaorum dicit, & quidem BENIGNE, seu benevolo animo.

V. 25. *Commendasse* se SAEPE Iudæis FILIUM suum ANTIOCHUM postea dictum *Eupatorem*; vicissimque se iam commendare illi Iudæos SUBIECTA, seu annexa his AD EUM singulari epistola.

V. 26. Meminit BENEFICIORUM PUBLICE ET PRIVATIM in Iudæos a se collatorum. Sed mendaciter omnia & ex mera hypocrisi, cum constet, ipsum perpetuo atrocissimum Iudæis hostem fuisse. Quale vero est istud,

V. 27. CONFIDO filium meum VOBIS COMMUNEM, seu comem, benignum, benevolum, FORE; Græce, *obsecuturum* vobis, SEQUENTEM PROPOSITUM MEUM. Nam si intelligat, imitaturum ipsum mores parentis benignos & clementes; splendidissime mentitur, & falsissime de seipso sentit, more tyrannorum, qui quantamcumque crudelitatem exerceant, pro benignitate prædicari & haberi volunt. Sin impios & crudeles mores, nimis vere loquitur, ut ex seq. capite patebit. Sed hoc non se *sperare*, verum timere, iubebat dixisse tyrannus.

(a) Ioseph. Lib. XIV. Antiq. cap. XVI.

GORDONI.

ANtiochus repulsus e Perside, vers. 1. irascitur in itinere contra Iudæos, vers. 3. Plaga percutitur, vers. 5. Incipit mutare animum in Iudæos, vers. 11. & 14. Epistola ad Iudæos, vers. 19. Peregre in montibus moritur, vers. 28. Vide de his Lib. I. cap. VI. & hic in Præloquio. Ante mortem Antiochi purgatum est templum, ann. 148.

CA-



C A P U T X.

Iudas Machabæus, purgatis templo ac civitate, octo diebus sollemnitatem celebrat, & quotannis celebrandam ordinat: Eupator Antiocho patri in regno succedens, Ptolemæo veneno extincto, Gorgiam ducem locorum constituit, Iudæos sæpius pugna molestantem: Iudæi & hunc & Timotheum variasque hostium munitiones devincunt, occisis plurimis millibus, quinque etiam equitibus de cælo apparentibus, qui Iudæis in auxilium venerant.

1. MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Domino se pro-
tegente, templum quidem, & civitatem recepit: 2. aras
autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque
delubra demolitus est: 3. & purgato templo, aliud altare
fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia
obtulerunt post biennium, & incensum, & lucernas, &
panes propositionis posuerunt. 4. Quibus gestis, rogabant
Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis
inciderent: sed &, si quando peccassent, ut ab ipso mitius corriperentur, &
non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. 5. Qua die autem templum
ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, vigesima quinta mensis, qui fuit Casleu. 6. Et cum lætitia diebus octo egerunt
in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis, diem
sollemnem tabernaculorum in montibus & in speluncis more bestiarum egerant.
7. Propter quod thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei, * qui
prosperavit mundari locum suum. 8. Et decreverunt communi præcepto & de-
creto, universæ genti Iudæorum, omnibus annis agere dies istos. 9. Et An-
tiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit. 10.
Nunc autem de Eupatore Antiochi impii filio, quæ gesta sunt narrabimus,
breviantes mala, quæ in bellis gesta sunt. 11. Hic enim suscepto regno, con-
stituit super negotia regni Lysiam quemdam, Phœnicis & Syriæ militiæ prin-
cipem. 12. Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, iusti tenax erga Iudæos
esse constituit, & præcipue propter iniquitatem quæ facta erat in eos, & pa-
cifice agere cum eis. 13. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem,
cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi a Philometo-
re deseruisset, & ad Antiochum Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, ve-
neno vitam finivit. 14. Gorgias autem, cum esset dux locorum, assumptis ad-
venis frequenter Iudæos debellabat. 15. Iudæi vero, qui tenebant opportunas
munitiones, fugatos ab Ierosolymis suscipiebant, & bellare tentabant. 16. Hi
vero qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes ut esset si-
bi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum: 17. multaque vi in-
sistentes, loca obtinuerunt, occurrentes interemerunt, * & omnes simul non
minus viginti millibus trucidaverunt. 18. Quidam autem, cum confugissent in
duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes, 19.
Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, & Iosepho, itemque
Zachæo, eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ amplius
perurgebant, pugnas conversus est. 20. Hi vero qui cum Simone erant, cu-
piditate ducti, a quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: & se-

ptua-

ptuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere. 21. Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est, principibus populi congregatis, accusavit, quod pecunia fratres vendidissent, adversariis eorum dimissis. 22. Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupavit. 23. Armis autem ac manibus omnia prospere agendo, in duibus munitionibus plus quam viginti millia peremit. 24. * At Timotheus, qui prius a Iudæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu Asiano, advenit quasi armis Iudæam capturus. 25. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, 26. ad altaris crepidinem provoluti, ut sibi propitius, inimicis autem eorum esset inimicus, & adversariis adversaretur, sicut lex dicit. 27. Et ita post orationem, sumptis armis, longius de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. 28. Primo autem solis ortu utrique commiserunt: isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cum virtute Dominum habentes: illi autem ducem belli animum habebant. 29. Sed, cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: 30. ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela & fulmina iaciebant, ex quo & cecitate confusi, & repleti perturbatione cadebant. 31. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexcenti. 32. Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. 33. Machabæus autem, & qui cum eo erant, lætantes obsederunt præsidium diebus quatuor. 34. At hi qui intus erant, loci firmitate confusi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos iactabant. 35. Sed cum dies quinta illucesceret, viginti iuvenes ex his qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiam, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant: 36. sed & alii similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledicos vivos concremare. 37. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se, in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Chæream & Apollophanem occiderunt. 38. Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 7. Qui prosperavit mundari locum suum. Passivum *mundari* non est vertendum in æstivum *mundare.*

Vers. 17. Et omnes simul non minus viginti millibus trucidaverunt. Non addas *quinque* ad *viginti.*

Vers. 24. At Timotheus. Non mutes coniunctionem adversativam *at* in copulativam *&.*

Ibidem: *Et congregato equitatu Asiano.* Pro *equitatu* non scribas *exercitu.*

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 3. BIENNIUM, ſcilicet à deſtructione. Not. vero, id etſi narratur poſt mortem Antiochi, prius tamen contigiſſe. Vide Lib. I. cap. IV.

V. 5. CASLEU, ſcilicet Novembris.

V. 7. THYRSOS, id eſt virgulta, vel haſtas frondibus ornatas. ET, ſcilicet canentes. PROSPERAVIT MUNDARI, id eſt dedit proſperitatem mundandi.

V. 13. PHILOMETORE, ſcilicet Rege AEgypti. AB EO, ſcilicet Philometore. VENENO, ſcilicet ultro accepto.

V. 15. IUDAEI. Græc. *Idumæi*. FUGATOS, ſcilicet ab Iudæis ob crimina, ſeu transfugas.

V. 26. CREPIDINEM, ſcilicet baſim, ſeu inferiorem extreminatem. DICIT, id eſt pollicetur: ſcilicet *inimicus ero inimicis tuis*, &c. Exod. XXIII.

V. 37. LOCO. Græc. *lacu*.

E S T I I.

Verſ. 1. MACHABEUS AUTEM ET QUI CUM EO ERANT, TEMPLUM QUIDEM ET CIVITATEM RECEPIT. Ac tandem verſ. 3. ET PURGATO TEMPLO ALIUD ALTARE FECERUNT, ET SACRIFICIA OBTULERUNT POST BIENNIUM. Obiiciunt hunc locum hæretici tamquam contrarium ei quod Lib. I. cap. IV. dictum eſt, purgatum fuiſſe templum, vivente adhuc Antiocho; videlicet anno centeſimo quadrageſimo octavo regni Græcorum, cum hic dicatur id factum biennio, ut apparet, poſt mortem Antiochi. Quidam reſpondeot, Iudam bis purgaſſe templum. Verum id dici non poteſt. Non enim legitur ſub Iuda ſecundo fuiſſe templum contaminatum, ſed tantum ſemel. Deinde conſtat etiam ſatis ex circumſtantiis, utroque loco, eandem templi purgationem deſcribi. Proinde dicendum eſt, id quod hic dicitur (*poſt ieiunium*) Iudam purgaſſe templum, non intelligendum de biennio poſt mortem Antiochi, ut hæretici prave detorquent, ex eo quod eius mors capite præcedenti deſcripta ſit: neque etiam de biennio poſt contaminationem templi. Accidit enim, ut ex præcedenti libro manifeſtum eſt, triennio poſt contaminationem; eodem videlicet menſe & die, quo illud polluerant gentes, tribus annis interpoſitis. Sed *biennium* illud accipiendum eſt ab initio principatus Iudæ Machabæi. Nam templum contaminatum eſt anno Græcorum centeſimo quadrageſimo quinto, Matathias autem pater Iudæ mortuus anno quadrageſimoſexto, cui ſtatim Iudas ſucceſſit. Purgatio denique templi facta eſt biennio poſt; anno centeſimo quadrageſimo octavo; qui idem annus ſcilicet etiam notatur Lib. I. cap. IV.

MARIANAE.

Verſ. 1. MACHABAEUS AUTEM. Hoc capite agitur de templi purificatione, de qua Lib. I. cap. IV. 36. Verum ibi ponitur ante mortem Antiochi, poſt victoriam de Lyſia partam, uti vere accidit: hic autem poſt eius obitum, non ſervato ordine temporis; quod ſæpe fit in hiſtoria, ut nexus rerum quæ narrantur, ſervetur. Victo Nicanore nuntius ad Antiochum venit; ex eo morbus eſt conſecutus, & mors. Poſt narratur templi purificatio prius facta.

V. 3. DE IGNITIS LAPIDIBUS IGNE CONCEPTO. Græce, *& incendentes lapides, & ignem ex iis accipientes*. *Ignitos lapides* ſilices intelligo, qui intra ſe videntur ignem continere, & ferro percuſſi igne accendi. Græce πύρειον, Latine *ignarium*, Italice *focile*. Ab igne vocatur lapis is & ferrum, quibus colliſis inter ſe, ignis excutitur. Nolebant igne communi & profano uti, ſed novo & recens excuſſo. Sic inter nos fit, cum Sabbato ſancto novus ignis accenditur. SACRIFICIA OBTULERUNT POST BIENNIUM. Poſt triennium, ex quo templum fuit profanatum, ut Lib I. cap. IV. 52. diximus: poſt biennium autem, ex quo Mathathias obiit, & Iudas illi ſucceſſit. Obiit Mathathias anno 146. Lib. I. cap. XXX. templum repurgatum eſt anno 148. ſic Lib. I. cap. IV. 52.

V. 6.

V. 6. Egerunt in modum tabernaculorum. Ecce quare Festum dedicationis vocatur Scenopegia, 1. cap. huius libri. Canebant Hosanna in modum nostræ Litaniæ, quod fit in Festo tabernaculorum, ut patet ex Hebræorum Rituali; ferebant etiam ramos virides & palmas, uti in hac dedicatione fecerunt.

V. 7. Thyrsos .... praeferebant. Ii sunt hastæ frondibus vestitæ, quas in Bacchi etiam festis Græci ferebant.

V. 8. Omnibus annis agere dies istos. A die 25. mensis *Casleu*, id est Novembri extremo, per octo dies; Lib. I. cap. IV. 59. Sic hodie fit, ut ex eorum Kalendario notum est. Ioan. x. 22 de his Encæniis & dedicatione loquitur. Porro a Iosepho Lib. XII. cap. x. *Festum luminum* vocatur, quod post densas malorum tenebras lux tunc illi populo apparuit.

V. 12. Iusti tenax erga Iudaeos. Sic lege sine commate. Praecipue propter iniquitatem, id est multiplices iniurias, quæ Iudæis superiori tempore erant factæ, se illis Ptolemæus hic benignum exhibebat. Hinc sumpta occasione,

V. 13. Accusatus ab amicis, scilicet Regis Ptolemæus hic, quod in Ptolemæum Eupatorem, & post in Antiochum proditor extitisset. Cum frequenter proditor audiret, id est vocaretur, ipse sibi mortem concivit.

V. 15. Iudaei vero. Græce, *Idumæi:* suspicor esse hanc veram lectionem, eosque perfugas Iudæorum suis arcibus accepisse.

V. 18. Quidam autem. Græce additur, *non minus novem millibus, cum fugissent in duas turres*, scilicet ex Idumæis.

V. 20 Septuaginta millibus didrachmis. Græce, *drachmis*. Simonis milites corrupti sunt.

V. 28. Ducem belli animum habebant, id est in sua audacia fidentes, ut Iudæi in Deo.

V. 33. Diebus quatuor: obsederunt Gazaræ præsidium. Græce, *quatuor & viginti*. Sic in Regiis, in Rom. tamen, *diebus quatuor*.

V. 37. Per continuum autem biduum praesidio vastato. Græce, *qui autem portas fregerunt, reliquas copias intromittentes occupaverunt civitatem*. In quodam repertum loco Timotheum occiderunt. Græce, *occultum in quodam lacu* seu *fossa*. An ex *lacu* per incuriam *locus* est factus.

MENOCHII.

Vers. 1. De ignitis lapidibus igne concepto: πυρώσαντες λίθους, id est cum accendissent, vel ignotos fecissent lapides, chalybis scilicet percussu. Serarius putat hoc factum oppositis lapidibus ad solem, aut in ignem coniectis donec candefierent, aut certe miraculo precibus impetrato. Post biennium: vide dicta Lib. I. cap. IV. 25.

V. 5. Casleu: qui Novembri respondet.

V. 6. In modum tabernaculorum: ad eum modum quo solebant agitare festum tabernaculorum. Recordantes, &c. gaudentes quod ex tristi in lætum, & prosperum statum res mutatæ essent, & quasi supplentes hac Encæniorum celebritate, quod defuerat celebritati tabernaculorum.

V. 7. Thyrsos, id est virgulta, vel hastas frondibus ornatas. Et, scilicet canentes. Prosperavit mundare, id est dedit prosperitatem mundandi.

V. 12. Nam Ptolemaeus, &c. Narratur quomodo Ptolemæus quidam ad voluntarium exitium compulsus sit, quod minus in Iudæos acerbus esset. Propter iniquitatem, quae facta erat in eos: quia scilicet viderat, & videbat iniuste, & acerbe tractari Iudæos, sensu commiserationis commovebatur.

V. 13. Proditor audiret: proditor appellaretur. Cyprum creditam a Philometore deseruisset: a Ptolemæo Philometore AEgypti rege. Etiam ab eo recessisset: non est sensus Macrum revera recessisse ab Antiocho, alioqui apud filium nullum habuisset locum, sed recessisse eum dicebant eius æmuli, quod Iudæis Antiochi inimicis favere videretur.

V. 14. Assumptis advenis, &c. In Græco ad verbum est: *Peregrinum militem, & bellum adversus Iudæos nutriebat*.

V. 15. Bellare tentabat. In Græco est, πολεμοτροφεῖν ἐπεχείρουν, id est *bellum nutrire tentabat*.

V. 18. In duas turres: nomine turrium videntur intelligenda castella satis magna. Nam in Græco legimus non minus novem millibus eo confugisse; ideoque aliqui

qui verterunt *arces*: quin etiam infra num. 23. easdem turres Scriptura *munitiones* vocat.

V. 20. SEPTUAGINTA MILLIBUS DIDRACHMIS: quæ efficiunt monetæ Romanæ scuta quatuordecim millia: nam didrachma duobus Iuliis æquivalet.

V. 21. PECUNIA FRATRES VENDIDISSENT: non enim vitam suam dumtaxat, aut bona recipiebant, sed potestatem vexandi Iudæos cædibus, rapinis, incendiis, &c.

V. 24. QUI PRIUS A IUDAEIS FUERAT SUPERATUS: in Galaaditide, cum Dux Ammonitarum esset, non multo ante præliis aliquot afflictus fuerat a Iudæis, supra Lib. I. cap. v. 6. & 7.

V. 26. SICUT LEX DICIT. Exod. XXXIII. 22 ubi legimus: *Quod si audieris vocem eius, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te, præcedetque te Angelus meus*.

V. 27. DE CIVITATE: Ierusalem.

V. 28. SPONSOREM CUM VIRTUTE, &c. virtutis scilicet, & fortitudinis ipsorum auctorem, & adiutorem. DUCEM BELLI ANIMUM HABEBANT: τὸν θυμόν, id est *iram*, sibi ipsis videlicet confidebant, & recedentes a Domino, immo pugnantes contra Dominum, ponebant carnem, brachium suum.

V. 32. GAZARAM: licet supra non semel Gazara posita sit pro Gaza civitate Palæstinorum, hic tamen ponitur pro alio loco a Gaza distincto, ut notant Serarius, & Salianus.

V. 34. MALEDICEBANT: Iudæ scilicet, & Iudæis, a quibus obsidebantur.

V. 37. PRAESIDIO VASTATO: arce, quam expugnaverant, direpta, & vastata. Loco. In Græco est λάκκῳ, *lacu*, ut forte legendum in nostra vulgata editione ut observarunt Em. Sa, Salianus, & Serarius.

V. 38. CONFESSIONIBUS: Dei laudibus.

TIRINI.

Vers. 3. IGniti lapides a Ioanne Mariana & quibusdam aliis hic vocantur silices qui ignem in se continere videntur, & ferro percussi ignem reddunt. Sed Serarius putat, precibus ignem e cælo devocatum lapides ibi forte vicinos corripuisse & inflammasse, ut factum sub Nehemia & alias sæpius, dixi Lib. II. Mach. II. 7. Et ita hic factum scribit Gorionides *a*. Porro hæc templi repurgatio, & novi altaris dedicatio, etsi hic narretur post mortem Antiochi, certum tamen, accidisse ante mortem illius: nam facta est *anno Græcorum* 148. *b*, cum Antiochus mortuus sit anno 149. BIENNIUM cuius hic fit mentio, inchoatur non a profanatione templi, sed ab initio principatus Iudæ, ut alibi *d* dixi.

V. 7. *Thyrsi* virgulta sunt vel hastæ frondibus ornatæ, quibus olim, ubi parta esset victoria, castrorum tabernacula vestiebantur, teste Plutarch. Appiano *e* & aliis.

V. 11. *Lysias* iste, quem SUPER NEGOTIA REGNI, seu proregem, CONSTITUIT novus rex *Eupator*, de *stirpe regia* erat, Lib. I. cap. III. 32.

V. 12. Sed quis iste PTOLEMAEUS MACER? Ex particula causativa, NAM, quæ etiam est in Græco, videtur antecessor Lysiæ fuisse in proregis dignitate. Et idem ipse qui supra VIII. 8. Nicanorem & Gorgiam adversus Iudæos misit: sed iam melius instructus de illorum innocentia, PROPTER INIQUITATEM, seu iniustitiam ipsis factam tum a se, tum ab aliis, statuit exinceps iustitiæ & innocentiæ eorumdem patrocinari. Sed hoc ipsum ei odium apud amicos & regem, dein etiam exitium peperit. Maxime quod diceretur etiam *a* rege *recessisse*, & ad Iudæos regis hostes proclivior esse.

V. 14. *Advenæ* vocantur ex copiæ militares quæ ex Thracibus, Lydis, Galatis, & aliis exteris nationibus erant conflatæ. Hæ infra vers. 24. vocantur *exercitus peregrinæ multitudinis*.

V. 15. IUDAEI; Græce, *Idumæi* (& sic legendum patet ex sequ.) reiectitios & apostatas Iudæos excipiebant arcibus suis, & armis instruebant, & una secum in bellum adversus Iudam Machabæum educebant. Et his vero cæduntur mox a Iuda

V. 17. *Viginti millia*: qui cædem effugerunt, in Græco dicuntur fuisse *novem millia*.

V. 19. *Iosephus* idem esse videtur, qui cap. VIII. 22. proprius *Iudæ* frater.

V. 20. *Septuaginta millia didrachmæ* argenti Atticæ *f* faciunt aurea scuta 5833. cum

cum una tertia. Hac summa vers. 21. dicit Iudas quosdam Iudæos φιλαργυρήσαντας *vendidisse fratres* suos reliquos Iudæos, eo ipso quo adversarios illorum iam in arctum coactos effugere permisissent. Salutem enim amicorum prodit, qui inimicos captos solvit.

V. 28. Duo præclara habes gerendorum bellorum, & obtinendæ victoriæ certissima instrumenta. Primum, *Deum* per pœnitentiam, præces & certam fiduciam invocatum.; Secundum *virtutem* tam animi, quam corporis, nempe quæ labores, vigilia, inediam, aliaque belli incommoda generose tolerat, acriter pugnat, nec e pugna nisi victrix recedit. E contrario calamitatum & exitiorum in bellis fons & auctor certissimus is, quem Iudæorum hic hostes habebant, *dux* BELLI *animus*; Græce, θυμὸς, id est cupiditas, ira, superbia.

V. 29. APPARUERUNT DE CAELO QUINQUE VIRI, id est angeli virorum forma, IN EQUIS, tutantes undique Iudæos, IN ADVERSARIOS vero TELA omne genus ET FULMINA *iacientes*. Non sunt ergo hæc, ut quidam subinde mussitant, inania spectra, cum vi illorum res tantæ perficiantur. Neque dæmonum ludibria, uti olim Castor & Pollux: neque enim vellent veræ religionis hostes dæmones, veram religionem suo auxilio stabilitum vel amplificatum ire. Et plenæ sunt historiæ subsidiis eiusmodi angelicis, Constantino *g* contra Licinium, Theodosio *h* contra Eugenium, Venceslao *i* contra Curinensem principem, tot Hispanis k & Lusitanis *l* regibus contra Saracenos, Mauros, Indos: Congi quoque regi Alfonso *m* Christiano contra parieidam Pansum: & plurimis aliis etiam nostra ætate ducibus Christianis adversus Christianæ fidei rebelles Gentiles, Turcas, hæreticos in ipso ardore certaminis e cælo submissis.

V. 32. TIMOTHEUS deletis copiis suis, ad littora maris prius profugit, inquit Gorionides *n*, ubi collectis e Palæstina fuga sociis, iterum cum Iuda committit, iterum vincitur, victus includit se non *Gaza*, ut ait, sed *Gazaræ* mœnibus. Qua quinta post die, virtute *iuvenum viginti Hassamonæorum* expugnata, ibidem cum *fratribus suis Chærea & Apollophane* interemptus est, *in loco*; Græce, *in lacu quodam*.

(a) Gorionid. Lib. III. cap. XIII.
(b) Lib. I. Mach. IV. 52.
(c) Ibid. cap. VI. 16.
(d) Ibid. cap. IV. 54.
(e) Plutarch. in AEmilio & Mario. Appian. Lib. II. Belli civilis.
(f) Proleg. de moneria.
(g) Panegyrico sexto.
(h) Theodor. Lib V. cap. 24.
(i) Vita S. Venceslai.
(k Mariana Hispania.
(l) Maffei hist. Indica Lib. IV. & XII.
(m) Maff. Ibid. Lib. I.
(n) Gorionid. Lib. III. cap. XIII.

GORDONI.

Iterum narratur purgatum templum vers. 3. Orat. vers. 4. Quo die purgatum; vers. 5. Solemnitas, vers. 6. De Antiocho, Eupatore filio Epiphanis, vers. 10. Gorgias quid in Iudæos, vers. 14. Quid Iudas, vers. 21. Timotheus Iudæos invadit, vers. 24. Confligunt, vers. 28. Ingens e cælo victoria, vers. 30. Timotheus expugnata arce occiditur, vers. 36. 37. Nota hic vers. 3. ignitos lapides esse silices, quasi ignem continerent intra se. Per Thyrses, vers. 7. accipe hastas frondibus vestitas. De drachmis alibi.

CA-

C A P U T XI.

Iudas Machabaeus ferocis Lysiae maximum prostravit exercitum, fretus auxilio missi caelitus equitis; quod animadvertens Lysias pacem inter Iudaeos & regem componit: referuntur epistolae Lysiae, Antiochi, ac Romanorum ad Iudaeos, & Antiochi ad Lysiam pro Iudaeis.

1. SED parvo post tempore, Lysias procurator regis, & propinquus, ac negotiorum praepositus, graviter ferens de his quae acciderant, 2. congregatis octoginta millibus, & equitatu universo, veniebat adversus Iudaeos, existimans se civitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum, 3. templum vero in pecuniae quaestum, sicut cetera delubra Gentium, habiturum, & per singulos annos vaenale sacerdotium: 4. nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effraenatus, in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat. 5. Ingressus autem Iudaeam, & appropians Bethsurae, quae erat in angusto loco, ab Ierosolyma intervallo quinque stadiorum, illud praesidium expugnabat. 6. Ut autem Machabaeus, & qui cum eo erant, cognoverunt expugnari praesidia, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. 7. Et ipse primus Machabaeus, sumptis armis, ceteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis. 8. Cumque pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit praecedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. 9. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & convaluerunt animis: non solum homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. 10. Ibant igitur prompti, de caelo habentes adiutorem, & miserantem super eos Dominum. 11. Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille sexcentos: 12. universos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi evaserunt. Sed & ipse Lysias turpiter fugiens evasit. 13. Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, & intelligens invictos esse Hebraeos, omnipotentis Dei auxilio innitentes, misit ad eos: 14. promisitque se consensurum omnibus quae iusta sunt, & regem compulsurum amicum fieri. 15. Annuit autem Machabaeus precibus Lysiae, in omnibus utilitati consulens: & quaecumque Machabaeus scripsit Lysiae de Iudaeis, ea rex concessit. 16. Nam erant scriptae Iudaeis epistolae * a Lysia quidem hunc modum continentes:

LYSIAS populo Iudaeorum salutem.

17. Ioannes & Abesalom, qui missi fuerant a vobis, tradentes scripta, postulabant ut ea, quae per illos significabantur, implerem. 18. Quaecumque igitur regi potuerunt perferri, exposui: * & quae res permittebat concessit. 19. Si igitur in negotiis fidem conservaveritis, & deinceps bonorum vobis causa esse tentabo. 20. De ceteris autem per singula verbo mandavi, & istis, & his qui a me missi sunt, colloqui vobiscum. 21. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, mensis Dioscori die vigesima & quarta.

22. Regis autem epistola ista continebat:

Rex Antiochus Lysiæ fratri salutem. 23. Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos, qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere, & rebus suis adhibere diligentiam, 24. audivimus Iudæos non consensisse patri meo ut transferrentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua. 25. Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes iudicavimus, templum restitui illis, ut agerent secundum suorum maiorum consuetudinem. 26. Bene igitur feceris, si miseris ad eos, & dexteram dederis: ut cognita nostra voluntate, bono animo sint, & utilitatibus propriis deserviant.

27. Ad Iudæos vero regis epistola talis erat:

Rex Antiochus senatui Iudæorum, & ceteris Iudæis salutem. 28. Si valetis, sic estis ut volumus: sed & ipsi bene valemus. 29. Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros, qui sunt apud nos. 30. His igitur, qui commeant usque ad diem trigesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis, 31. * ut Iudæi utantur cibis & legibus suis, sicut & prius: & nemo eorum ullo modo molestiam patiatur de his quæ per ignorantiam gesta sunt. 32. Misimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur. 33. Valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, Xanthici mensis quintadecima die.

34. Miserunt autem etiam Romani epistolam, ita se habentem:

Quintus Memmius & Titus Manilius, legati Romanorum, populo Iudæorum salutem. 35. De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, & nos concessimus. 36. * De quibus autem ad regem iudicavit referendum, confestim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, ut decernamus, sicut congruit vobis: nos enim Antiochiam accedimus. 37. Ideoque festinate rescribere, ut nos quoque sciamus cuius estis voluntatis. 38. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octavo, quintadecima die mensis Xanthici.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 16. *A Lysia quidem*. Vocula *quidem* non est augenda una syllaba ita ut fit *siquidem*.

Vers. 18. *Et quae res permittebat concessit*. Quidam libri legunt pluralem numerum *permittebant*, sed prima persona *concessi*, nullo est modo admittenda.

Vers. 20. *Per singula verbo mandavi*. Pro ablativo singulari *verbo*, non est scribendus accusativus pluralis *verba*.

Vers. 31. *Ut Iudaei utantur cibis & legibus suis*. Retinendus est nominativus pluralis *Iudaei* non substituendus ablativus *Iudaicis*.

Vers. 36. *De quibus autem ad regem iudicavit referendum*. Legendum est *iudicavit*, secunda vocis littera existente vocali quinta *u* non tertia liquidarum *n*, *indicavit*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. Propinquus, id est cognatus.

V. 5. Angusto. Græc. *munito*, seu *forti*.

V. 21. Dioscori, id est Iunii.

36. Dexteram dederis, id est cum eis pacem feceris, seu concordiam.

V. 30. Xanthici, id est Aprilis.

E S T I I.

Vers. 6. Ut autem Machabaeus et qui cum eo erant cognoverunt expugnari praesidia, cum fletu et lacrymis rogabant Dominum, ut bonum Angelum mitteret. Hinc intelligimus præcipuum robur belli consistere in adiutorio Dei, id

quod

quod suo exemplo Iudas Machabæus sollicitissime ostendit, omnibus suis prœliis præmittens invocationem auxilii cælestis: deinde quoque addiscimus, iam inde ab initio, persuasionem piorum fuisse, actiones nostras dirigi Angelorum ministerio, tum maxime quando Deus rogatur, ut Angelum suum mittat in auxilium, ut hic fecerunt. Sic & Tobias precatur, ut Angelus Dei bonus comitetur filium suum, Tobiæ v. Et vide; sicut visibili specie Tobiæ filius Angelum comitem habuit, ita & hoc loco Iudas Machabæus Angelum habuit prælii ducem. *Apparuit*, inquit Scriptura, *præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans*: qui sane eques eos præcedens, & ad certam victoriam ducens, non alius fuit, quam Angelus bonus, quem ad salutem sui, & suorum, paulo ante sibi mitti petierat.

M A R I A N Æ.

Vers. 8. APPARUIT, scilicet Angelus. ARMIS AUREIS HASTAM VIBRANS. Sic melius quam Græca: *Armaturam auream vibrans*. Hasta vibratur, non arma.

V. 21. ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO OCTAVO, MENSIS DIOSCORI DIE VIGESIMA ET QUARTA. Duplex nodus; alter de anno, de nomine mensis alter. Mensem noster *Dioscorum* vocat, *Dioscorinthion* Græce, id est *Iovis Corinthii*. Quæ nomina in nullo Kalendario aut alio prorsus loco invenio; nisi forte *Dioscori* Castor & Pollux quia gemini erant, eos pro signo sic dicto sumit, & pro mense Maio in quo Gemini dominantur. De anno maior difficultas. Antiochus Epiphanes obiit anno 149. ut dicitur Lib. I. cap. vi. quomodo post eius mortem, rerum potiente eius filio Antiocho Eupatore, epistolæ, quæ hic ponuntur, scribi potuerunt anno 148? Multi multa dicunt; sed quoniam de suo capite omnes, nullo veterum testimonio, facile reiici possunt. Illud dico, in annorum computatione frequenter Scriptores discrepare, neque unius aut duorum annorum magnum esse discrimen. Primi libri & secundi non est idem Auctor; potuerunt sua computationis non idem habere principium, a Seleuci primo alterum anno inchoare cum Babylonem obtinuit, alios ex eo tempore cum totam provinciam subegit. Inter nos, in computatione annorum Christi, alii ab Incarnatione sumunt principium: alii a Nativitate, discrepantes uno anno, novem prorsus mensibus anni. Quidam annos completos sequuntur, inchoatos alii. Indictionum annos Imperatores a Septembris die 24. Pontifices a Nativitate Domini inchoant & numerant. Itaque non est mirum, si anni in primo positi & eorum ratio ab annis secundi libri & eorum numero differunt. Qui plura voluerit, Serarium hoc loco legat, aut Iosephum Stephanum in quartum primi Libri Machabæorum caput, aut etiam Scaligerum de Emendatione temporum.

V. 30. USQUE AD DIEM TRIGESIMUM MENSIS XANTHICI. Mensis est Macedonicus nostro Aprili respondens. Usque ad eam diem dat facultatem Rex Ierosolymitanis invisendi alios Iudæos, qui erant per eius regnum dispersi.

M E N O C H I I.

Vers. 1. NEGOTIORUM PRAEPOSITUS: ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων, ut Heliodorus tempore Seleuci patrui Antiochi Eupatoris, supra iii. 7.

V. 5. EXPUGNABAT, id est oppugnabat ut etiam numero sequenti.

V. 13. DIMINUTIONEM: ἐλάσσωμα, cladem.

V. 14. REGEM COMPULSURUM AMICUM FIERI: tuto promittere poterat, quia regem puerulum habebat in potestate, sub cuius nomine ipse regnabat.

V. 15. UTILITATI; scilicet, publicæ. QUAECUMQUE MACHABAEUS SCRIPSIT, &c. petiisse autem Machabæum ut in patriis legibus, atque institutis vivere liceret, facile est existimare, quando ea una summaque suscepti belli causa fuerat.

V. 18. POTUERUNT PERFERRI. In Græco pro potuerunt est, ἔδει, id est *oportebat*.

V. 19. FIDEM. In Græco est, εὔνοιαν, *benevolentiam*; id est, si vos bene affectos ostenderitis erga regis negotia. BONORUM VOBIS CAUSA ESSE: de vobis bene mereri.

V. 20. ET ISTIS, ET HIS, QUI A ME MISSI SUNT, id est utrorumque legatis.

V. 21.

V. 21. Anno centesimo quadragesimo octavo. Hæc notatio temporis non levem invehit difficultatem, qui fieri queat, ut hæc, sequentesque epistolæ datæ sint anno 149. ut habetur supra Lib. I. cap. vi. 16. sed communis est, & vera responsio Græcorum annos aliter a Iudæis, aliter a Syris, & Chaldæis fuisse numeratos, & illos quidem annos inchoasse a mense Nisan, qui respondet Martio. Hos autem a mense Tisri, qui respondet Septembri: & auctorem libri primi Iudaicam supputationem sequi, auctorem vero secundi, Syriacam. Ideoque bellum, quod primo libro cap. vi. 20. & seq. dicitur contigisse anno 150. idem in II. cap. xiii. 1. ad annum 149. refertur. Itaque totis sex mensibus Iudæi numerabant annum 149. cum Syri adhuc 148. numerarent, & ita de ceteris: ex quo etiam intelligitur intra hosce menses æstivos, tam mortem Antiochi Epiphanis quam initium tegni Antiochi Eupatoris, & hæc prælia, & fœdus inter Eupatorem, & Machabæum contigisse. Mensis Dioscori: sive Dioscorinthii, ut Græci libri habent. Quisnam sit hic mensis difficultate non caret; cum in catalogo mensium Macedonicorum non inveniatur, & alioqui constet iuxta hos menses notari has epistolas, ut patet ex mense Xanthico infra vers. 30. Itaque merito creditur hic mensis fuisse embolimæus, sive intercalaris, ut sentiunt Masius, Serarius, & Salianus, insertus inter Dystrum, & Xanthicum, qui Martio, & Aprili respondent; quo modo Adar a Iudæis inserebatur suis temporibus, inter priorem Adar, & Nisan, vocabaturque Adar posterior. Dici etiam potest aliquos Macedonicos menses duplex nomen habuisse, ut apud Romanos Iulius, & Augustus, qui etiam dicti sunt Quintilis, & Sextilis.

V. 22. Lysiae fratri, id est cognato, propinquo. Vide infra vers. 35.

V. 23. Inter deos translato: usitata illo tempore adulatio, ut mortui principes inter Deos recepti dicerentur.

V. 24. Concedi legitima sua: concedi, ut iuxta patrias leges vivere liceat.

V. 26. Dexteram dederis, id est cum eis pacem feceris, & concordiam. Utilitatibus propriis deserviant: negotia sua curent.

V. 29. Velle vos descendere ad vestros, qui apud nos sunt; id est, multos ex vobis velle adire nos, simul cum legatis, ut causam vestram de libertate, & conservatione rituum vestrorum agatis apud me.

V. 30. Qui commeant: qui hac de causa venire huc voluerunt. Usque ad diem trigesimum; hoc est, spatium quindecim dierum, nam epistola data est die decima quinta mensis. Xanthici, id est Aprilis.

V. 31. Quae per ignorantiam gesta sunt. Amnistiam, sive oblivionem videtur inducere eorum, quæ hactenus utrimque hostiliter gesta fuerant, quæ quasi per ignorantiam commissa excusata censerentur.

V. 34. Legati Romanorum. Erant hi legati Romanorum in Asiam a Senatu, populoque Romanorum missi ad componendas res provinciarum illarum.

V. 36. Diligentius inter vos conferentes, id est deliberantes, & consultantes quid sit e re vestra.

T I R I N I.

Vers. 1. Lysias procurator & vicarius regis iunioris Antiochi Eupatoris, eiusdemque propinquus, id est *a* consanguineus, ac negotiorum regiorum praepositus, comperta clade Gorgiæ & Timothæi, novas conflat copias. Sed auxilio Iudæis venit.

V. 8. Eques, id est angelus, forma equitis cataphracti. Fuit is verisimiliter *Michael*, universæ Ecclesiæ præpositus: huius ope hostes omnes fusi, cæsi, in fugam acti sunt. Hac clade commotus *Lysias*,

V. 13. Quia non insensatus, nec mentis expers erat, sed prudens admodum princeps, reputans, factam erga se diminutionem virium & copiarum suarum, cæsis tot millibus peditum & equitum; simulque intelligens, Hebraeos, quamdiu cælesti ope niterentur, invictos esse; misit ad eos pro pace interpartes conciliandа.

V. 19. Si fidem conservaveritis in negotiis tum fœderis huius, tum aliis olim

olim tractandis cum rege, TENTABO ET ego DEINCEPS CAUSA BONORUM VOBIS ESSE, id est perpetuo studebo vestris commodis & utilitatibus.

V. 20. DE CETERIS articulis a vobis mihi propositis sigillatim respondi ET ISTIS Ioanni & Absalomo legatis vestris, ET HIS QUI una cum istis A ME ad vos *mittuntur*. Ipsi ore tenus vobis omnia exponent.

V. 21. ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO OCTAVO regni Græcorum datæ dicuntur tam hæ litteræ quas Lysias, quam sequentes, quas rex ipse Antiochus Eupator ad Iudæos transmittit. Ex quo chronismo patet, verum esse quod in Chronico *b*, & in præfatione libri primi dixi, auctorem Libri I. Machabæorum in annorum supputatione quæ Alexandrina est, differre toto sesquianno a calculo Chaldaico, quo utitur auctor Libri II. Nam præsens hic annus, qui auctori Libri II. est 148. quo iam mortuo Antiocho Epiphane regnarat aliquamdiu filius eius Antiochus Eupator; ab auctore libri primi vocatur 149. & quidem ad finem vergens: nam mortem Antiochi Epiphanis annotat ipse *anno* 149. (cap. VI. 16.) a cuius morte effluxerunt aliquot menses haud dubie, usque ad præsentem copiarum Eupatoris cladem, quæ hic annotatur accidisse anno 148. *mense Dioscoro* vel Διοσκύρῳ, vel, ut in Græco textu est, Διοσκορινθίῳ, id est Iovis Corinthii. Quod nomen in Græcorum perapegmatibus, ubi plurima mensium nomina reperies, nusquam invenitur. Scaliger putat fuisse *embolimum*, seu intercalarem mensem: sed melius Serarius, fuisse ipsum mensem *Dystrum* qui nostro partim Februario, partim Martio respondet. Hoc enim tempus est quo solent in Asia reges ad bella procedere. Et colligitur ex chronismo litterarum Antiochi regis, & legatorum Romanorum sub hoc idem tempus datarum, nempe *mense Xanthico*, *Dystrum* proxime subsequente. Neque novum est, unum eumdemque mensem diversa nomina sortiri, non solum apud diversos, sed & apud eosdem populos, ut patet ex nostro *Quintili*, alias *Iulio*: & *Sextili*, alias *Augusto*, atque ita de aliis.

Pro eo quod vers. 23. Antiochus Eupator more Gentilium dicit, *patrem* suum Antiochum Epiphanem INTER DEOS *translatum*; apud Gorionidem *c*, usitata Hebræorum parœmia, dicitur, inter *angelos* assumptum. Sed voces *angelos*, voces *deos*, ad quos demigravit tam impius, tam blasphemus tyrannus, nolim ego tali societate donari. Quam vero & istud lepidum, quod

V. 24. Dicit rex, IUDAEOS *a se* POSTULARE, CONCEDI SIBI SUA LEGITIMA, id est liberum suæ religionis exercitium! Item quod decernit

V. 25. RESTITUI ILLIS TEMPLUM, cum constaret, Iudæos iam pridem habere illud in sua potestate, & victores non pendere ab arbitrio victi regis. Sed solent tyranni, dum nocere possunt, fingere saltem se bene velle: & ne officiant famæ vel existimationi suæ, simulant se benefici dare, pacemque ultro offerre iis a quibus petere debuissent. Est porro hæc pacificatio, seu fœdus longe aliud ab eo quod infra cap. XIII. in fine & Lib. I. cap. VI. iidem Lysias & rex Antiochus cum Iudæis pepigerunt. De priore quod hic describitur, agit Gorionides Lib. III. cap. XIV. de posteriore, quod Lib. I. in fine cap. VI. narratur, agit eodem libro Gorionides, sed cap. XX. Istic rex præsens est, & Ierosolymam post fœdus illico ingreditur: hic absens est & Lysiam litteris alloquitur. Istic factio Philippi regem ad fœdus vocat: hic Lysiæ strages, Deique operum prudens consideratio. Unde patet, regem & Lysiam a priore hoc fœdere cito resiliisse, ut solent qui solo metu suasore fœdera sanciunt. Nisi malis dicere, non plene inter partes hoc tempore convenisse, & fœdus hoc prius non nisi ad breve tempus, ac per modum induciarum sancitum fuisse; ut colligi videtur ex litteris ipsiusmet regis ad Iudæos hic datis vers. 30. ubi Iudæis ultro citroque commeare volentibus, seu pacis conciliandæ, seu negotiorum aliorum tractandorum causa, non concedit rex inducias & salvum conductum nisi ad *quindecim dies*. Ad pacem hanc conciliandam offerunt operam quoque suam, & propensam voluntatem legati Romani, qui tum in castris aderant, ea verisimiliter occasione quam narrat Appianus *d*, ad annum Urbis 591. teste Sigonio, nempe ut Antiocho regi iuberent, quas ultra præscriptum a Romanis numerum habebat, na-

naves comburere, & elephantes occidere.

(a) Lib. I. cap. *ver.* 32.
(b) Chron. cap. xi. in Seleuco I.
(c) Gorion. Lib. III. cap. xiv.
(d) Appian. in Syriacis.

GORDONI.

Lysias cum ingenti exercitu venit Bethsuram, vers. 2. & 4. Iudæ exercitum antecedit eques, in veste candida, vers. 8. Hostis sternitur, vers. 11. Fuga evasit Lysias, vers. 13. Lysiæ epistola pro Iudæis, vers. 17. Regis epistola ad Lysiam, vers. 22. Alia ad Iudæos, vers. 27. Romanorum epistola, vers. 34. Solum hoc capite observo epistolas has videri scriptas anno 148. Nam nondum hoc anno regnabat Eupator. Sed vide, quæ dixi in prælioquio, Referri enim potest Eupatoris epistola ad annum vel 148. vel 149. pro varia epocha, ut varie sumebatur initium anni, ut citato loco aperui.

CAPUT XII.

Iudas ac duces ipsius divino freti auxilio pugnant feliciter adversus Ioppitas, Iamnitas, Arabes, Caspin & Ephron civitates; item adversus Timotheum habentem ingentem exercitum, adversus præsidium Carnion, & Gorgiam: occisis autem quibusdam Iudæis, qui de donariis idolorum sustulerant, Iudas curat pro ipsorum peccatis offerri sacrificium.

1. His factis pactionibus, Lysias pergebat ad regem, Iudæi autem agriculturæ operam dabant. 2. Sed hi qui resederant, Timotheus, & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus, & Demophon super hos, & Nicanor Cypriarches, non sinebant eos in silentio agere, & quiete. 3. Ioppitæ vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogaverunt Iudæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas paraverant, cum uxoribus & filiis, quasi nullis inimicitiis inter eos subiacentibus. 4. Secundum commune itaque decretum civitatis, & ipsis acquiescentibus, pacisque causa nihil suspectum habentibus: cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos. 5. Quam crudelitatem Iudas in suæ gentis homines factam ut cognovit, præcepit viris, qui erant cum ipso: & invocato iusto iudice Deo, 6. venit adversus interfectores fratrum, & portum quidem noctu succendit, scaphas exussit, eos autem, qui ab igne refugerant, gladio peremit. 7. Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reversurus, & universos Ioppitas eradicaturus. 8. Sed cum cognovisset & eos, qui erant Iamniæ, velle pari modo facere habitantibus secum Iudæis, 9. Iamnitis quoque nocte supervenit, & portum cum navibus succendit: ita ut lumen ignis appareret Ierosolymis a stadiis ducentis quadraginta. 10. Inde cum iam abiissent novem stadiis, & iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes, quinque millia viri, & equites quingenti. 11. Cumque pugna valida fieret, & auxilio Dei prospere cessisset, residui Arabes victi, petebant a Iuda dextram sibi dari, promittentes se pascua daturos, & in ceteris profuturos. 12. Iudas autem, arbitratus vere in multis eos utiles, promisit pacem: dextrisque acceptis, discessere ad tabernacula sua. 13. Aggressus est autem & civitatem quandam firmam, pontibus murisque circumseptam, quæ a turbis habitabatur Gentium promiscuarum, cui nomen Casphin. 14. Hi vero qui intus erant, confidentes in stabilitate murorum, & apparatu alimonia-

niarum, remiſſius agebant, maledictis laceſſentes Iudam, & blaſphemantes, ac loquentes quæ fas non eſt. 15. Machabæus autem, invocato magno mundi Principe, qui ſine arietibus & machinis (*a*) temporibus Ieſu præcipitavit Iericho, irruit ferociter muris: 16. & capta civitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita ut adiacens ſtagnum ſtadiorum duorum latitudinis, * ſanguine interfectorum fluere videretur. 17. Inde diſceſſerunt ſtadia ſeptingenta quinquaginta, & venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubianæi, Iudæos: 18. & Timotheum quidem in illis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regreſſus eſt, relicto in quodam loco firmiſſimo præſidio. 19. Doſitheus autem & Soſipater, qui erant duces cum Machabæo, peremerunt a Timotheo relictos in præſidio, decem millia viros. 20. At Machabæus, ordinatis circum ſe ſex millibus, & conſtitutis per cohortes, adverſus Timotheum proceſſit, habentem ſecum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos. 21. Cognito autem Iudæ adventu, Timotheus præmiſit mulieres, & filios, & reliquum apparatum, in præſidium, quod Carnion dicitur: erat enim inexpugnabile, & acceſſu difficile propter locorum anguſtias. 22. Cumque cohors Iudæ prima apparuiſſet, timor hoſtibus incuſſus eſt, ex præſentia Dei, qui univerſa conſpicit, & in fugam verſi ſunt alius ab alio, ita ut magis a ſuis deiicerentur, & gladiorum ſuorum ictibus debilitarentur. 23. Iudas autem vehementer inſtabat puniens profanos, & proſtravit ex eis triginta millia virorum. 24. Ipſe vero Timotheus incidit in partes Doſithei & Soſipatris: & multis precibus poſtulabat ut vivus dimitteretur, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet, ac fratres, quos morte eius decipi eveniret. 25. Et cum fidem dediſſet reſtituturum ſe eos ſecundum conſtitutum, illæſum eum dimiſerunt propter fratrum ſalutem. 26. Iudas autem egreſſus eſt ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus. 27. Poſt horum fugam, & necem, movit exercitum ad Ephron civitatem munitam, in qua multitudo diverſarum gentium habitabat: & robuſti iuvenes pro muris conſiſtentes fortiter repugnabant: in hac autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus. 28 Sed, cum omnipotentem invocaſſent, qui poteſtate ſua vires hoſtium confringit, ceperunt civitatem: & ex eis qui intus erant, vigintiquinque millia proſtraverunt. 29. Inde ad civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Ieroſolymis ſexcentis ſtadiis aberat. 30. Conteſtantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæis, quod benigne ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis * quod modeſte ſecum egerint: 31. gratias agentes eis, & exhortati etiam de cetero erga genus ſuum benignos eſſe, venerunt Ieroſolymam die ſollemni ſeptimanarum inſtante. 32. Et poſt Pentecoſten abierunt contra Gorgiam præpoſitum Idumææ. 33. Exivit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis. 34. Quibus congreſſis, contigit paucos ruere Iudæorum. 35. Doſitheus vero quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: &, cum vellet illum capere vivum, eques quidam de Thracibus irruit in eum, humerumque eius amputavit: atque ita Gorgias effugit in Maſera. 36. At illis, qui cum Eſdrin erant, diutius pugnantibus & fatigatis, invocavit Iudas Dominum adiutorem & ducem belli fieri: 37. incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incuſſit. 38. Iudas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam: &, cum ſeptima dies ſuperveniret, ſecundum conſuetudinem purificati, in eodem loco ſabbatum egerunt. 39. Et ſequenti die venit cum ſuis Iudas, ut corpora proſtratorum tolleret, & cum parentibus poneret in ſepulcris paternis. 40. Invenerunt autem ſub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, (*b*) a quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſam eos corruiſſe. 41. Omnes

nes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. 42. Atque ita ad preces conversi, rogaverunt, ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur. At vero fortissimus Iudas hortabatur populum conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum qui prostrati sunt. 43. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam † offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans: (44. nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis) 45. & quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. 46. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

(a) Ios. vi. (b) Deut. vii. 25.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 16. *Sanguine interfectorum fluere videretur*. Correctores egregie emendarunt vocem *infectum*, id est contaminatum quæ vulgo legitur, in *interfectorum*, quod est occisorum.

Vers. 30. *Quod modeste secum egerint*. Cave pro *modeste* quod est humaniter, legas contrarium *moleste*.

Lectionum Varietas.

Vers. 43. *Offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*. Alii libri solummodo legunt *pro peccatis*, non addunt *mortuorum*, sed subaudiunt.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 2. Super hos, id est præterea. In silentio, id est tranquille.

V. 5. Praecepit, scilicet arma capere, vel se sequi.

V. 22. Debilitarentur; pro, occiderentur, seu vulnerarentur.

V. 24. Decipi, id est frustrari spe liberationis, seu periclitari.

V. 25. Constitutum, id est promissionem, seu pactum.

V. 29. Scytharum, scilicet Scythopolim.

V. 31. Septimanarum, scilicet Pentecostes.

V. 33. Exivit, scilicet Iudas.

V. 36. Esdrin. Viri nomen, &, ut apparet, Iudæi.

V. 40. Idolorum, id est idolis oblatis, seu consecratis.

V. 42. Oblivioni traderetur, id est a Deo, remitteretur. Græc. *omnino deleretur*.

V. 43. Duodecim. Græc. *duo*. Sacrificium, scilicet hostias illis pecuniis emptas. Nota hic, prodesse sacrificium pro defunctis etiam apud Iudæos fuisse receptum. Item, credendum pie, qui in bello iusto moriuntur, præsertim pro religione susceptum, suorum peccatorum omnium pœnitere: certe Iudas ita de illis credidit.

V. 44. Superfluum, &c. Nota, adeo esse coniunctos articulos de animarum immortalitate, & corporum resurrectione, ut alterutro posito vel sublato, alterum ponatur vel auferatur. Itaque Sadducæi utrumque negabant, Pharisæi affirmabant. Vide Act. xxiii. & quidem Matth. xxii. Christus ex animæ immortalitate probat resurrectionem, & Paulus I. Cor. xv. mortales esse animas, si non sit resurrectio: & merito; nam si anima extat, cum sit naturaliter forma corporis, necesse est ei iterum uniri.

V. 45. Cum pietate, scilicet pro religione occumbenter.

V. 46. Sancta, &c. Græc. *sancta & pia*

pia cogitatio. Itaque pro mortuis propitiationem (seu expiationem) fecit, ut a peccato solverentur.

ESTII.

Vers. 43. & 44. OFFERRI PRO PECCATIS MORTUORUM SACRIFICIUM, BENE ET RELIGIOSE DE RESURRECTIONE COGITANS (NISI ENIM EOS QUI CECIDERANT RESURRECTUROS SPERARET, &c.) Inculcat hic Auctor diligenter, & confirmat dogma catholicum, orandum & sacrificandum esse pro mortuis; & multis verbis in primis replicat de resurrectione mortuorum; scilicet contra hæresim Sadducæorum, quæ illo tempore, teste Iosepho, exorta fuerat, & radices mittere cœperat in populo Iudaico. Quomodo autem consequens sit, superfluam & vanam fore pro mortuis orationem, sublata spe resurrectionis mortuorum, vide nostra I. Cor. xv. ad illud: *Miserabiliores sumus omnibus hominibus, si resurrectio non est*. Atque illud interim observa, quod sicut apud Apostolum de sola beata resurrectione præcipua eius disputatio est, ita & hoc loco, cum dicitur: *Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanum orare pro mortuis*. Nam resurrectio quæ speratur, utique bona & beata est; impiorum autem resurrectio, quoniam ad æternam erit miseriam, & cruciatum, non speratur, sed creditur tantum. Prosunt autem defunctis in pietate suffragia viventium, & sacrificia ad beatam resurrectionem, quatenus illis prosunt ad misericordiam, & veniam minorum delictorum & pœnarum restantium, sine quibus beatæ resurrectionis non possunt esse participes. Vide nost. in IV. dist. xxi.

MARIANAE.

Vers. 2. TIMOTHEUS. Alius ab eo qui cap. x. oceisus est vers. 37. Nec *Apollonius* de quo hie, est ille de quo Lib. I. cap. III. actum est. Eadem nomina, homines alii. Ergo hi Iudæos quiescere non sinebant.

V. 6. EOS AUTEM, QUI AB IGNE REFUGERANT. Græce, *eos autem qui illuc confugerunt*, peremit Iudas scilicet.

V. 7. ET CUM HAEC ITA EGISSENT. Græce, *& oppido clauso discessit*

V. 9. A STADIIS DUCENTIS QUADRAGINTA. Eo spatio Iamnia urbs maritima Iudææ distabat ab urbe Ierusalem, nempe triginta passuum millibus, itinere unius diei.

V. 11. RESIDUI ARABES. Græce, *Nomades Arabes victi*. Sic vocantur, quoniam more pastorum in agris versantur, nulla certa sede. PROMITTENTES SE PASCUA DATUROS: seu *pecora*, *victualia βοσκήματα*, Iudæ scilicet militibus.

V. 14. LOQUENTES QUAE FAS NON EST, supple, *dicere*, ex Gorione Lib. III. cap. VIII. ubi de hoc bello & hac urbe agit. Ergo qui in turri erant, convitiabantur Iudæis.

V. 17. AD EOS QUI DICUNTUR TUBIANAEI ivit Iudas. Qui hi, aut quo loco? non explicatur: solum ait, ab urbe Casphin distare stadia 750. nempe ferme centum millibus.

V. 22. IN FUGAM VERSI SUNT ALIUS AB ALIO, sive *alius alio*, ut est Græce.

V. 24. QUOS MORTE EIUS DECIPI EVENIRET: spe salutis ablata, quam vivo Timotheo sperabant.

V. 26. IUDAS AUTEM EGRESSUS EST AD CARNION. Sic Græce. Regia & Lovan. *regressus est a Carnion*. Male.

V. 27. MOVIT EXERCITUM AD EPHRON. Civitas Samariæ, quæ *Sichem* & *Salem*, & deinde *Neapolis* dicta est.

V. 31. DIE SOLEMNI SEPTIMANARUM INSTANTE venerunt Ierusalem. Hoc est festum Pentecostes, ut dicitur versu proximo; de quo Levit. XXIII. 15. In eo Legis datæ memoriam Iudæi celebrant.

V. 33. EXIVIT AUTEM. Quis? Gorgias eum peditum tribus millibus.

V. 39. SEQUENTI DIE VENIT CUM SUIS IUDAS. Græce, *sequenti die venerunt qui circa Iudam, quo tempore utilitas fuit*, id est cum licuit, transacto scilicet Sabbato.

V. 42. DELICTUM OBLIVIONI TRADERETUR, scilicet eorum qui idolorum dona habebant. Græce, *omnino deleretur*, culpa scilicet & pœna remissis. Gotth. *obliteraretur*.

V. 43. DUODECIM MILLIA DRACHMAS. Græc, *Argenti duo millia drachmas* misit Iudas Ierusalem: leve donum. Prosper Lib. de Prædictionibus, p. II. cap. ult. duodecim

decim millia talenta Iudam misisse ait: pro *drachmis* nempe *talenta* substituens. BENE ET RELIGIOSE, Καλῶς καὶ ἀστείως, *pulchre & honeste* de resurrectione cogitans.

V. 46. SALUBRIS EST COGITATIO PRO DEFUNCTIS EXORARE. Græce, *pia cogitatio, unde pro mortuis propitiationem fecit, ut a peccatis solverentur*, id est a pœnis pro peccato debitis. Hic hærent hæretici, & cum se extricare non possint, his Libris auctoritatem detrahunt. Verum, quid Augustino facient libro de Cura pro mortuis, cap. 1. & IV. tum Lib. IX. Confess. cap. XI. ubi eius mater, *Vos rogo*, ait, *ut memineritis mei ad Domini altare, ubicumque fueritis*. Quid ad Tertullianum Lib. de Monogamia, monentem eam, cuius vir defunctus est, ut pro anima eius oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Quid Prospero, loco paulo ante adducto, vers. 43. Quid Damasceno in Oratione pro defunctis? Quid Rabano in hunc locum? Quid Petro Cluniacensi epistola contra Petrobrusianos? Bernardo Serm. LXVI. in Cantica? Quid aliis sexcentis? An tu hæretice solus sapis, delirat Catholica Ecclesia?

MENOCHII.

Vers. 1. AGRICULTURAE: ut fit tempore pacis. Adde propter bella quæ Iudæam turbaverunt, neglectam fuisse terræ culturam, quam nunc repetunt.

V. 2. QUI RESEDERANT: in vicinis, scilicet locis. SUPER HOS, id est præter hos. CYPRIARCHES: Prætor insulæ Cypri. IN SILENTIO, id est tranquille: iniuriis videlicet afficiebant, ut patet ex sequentibus.

V. 4. SECUNDUM COMMUNE DECRETUM CIVITATIS, &c. Decretum hoc, quod hic memoratur, videtur fuisse de perfectione quapiam maritima, quæ communiter a civibus, aliisque susciperetur, ne fraus destinata retegeretur, itaque cum Iudæis alii multi Ioppitæ eandem excursionem susceperunt, ut vitaretur suscipio, & ut in parato scelere Iudæis prævalere possent.

V. 5. RRAECEPIT VIRIS; scilicet arma capere, vel sequi se. CUM HAEC ITA EGISSET, DISCESSIT. In Græco τοῦ δὲ χωρίου συγκλεισθέντος ἀνέλυσεν, id est *ipsa regione*, vel, *loco munito, ab iis qui intus erant, clauso discessit*, cum scilicet repentino impetu illo potiri non potuisset.

V. 8. PARI MODO: ut fecerant Ioppitæ.

V. 10. ABITSSENT, scilicet Iudæi, simul cum Iuda eorum duce. AD TIMOTHEUM: qui erat unus ex regiis præfectis infestis genti Iudæorum, ut patet ex numero 2. ARABES: grassatores, qui publica via gradientem Iudam aggressi sunt.

V. 13. CASPHIM: eam in tribu Dan collocat Adrichomius, prope Iamniam, sed videtur longe alterius ad meridiem versus Arabiam constituenda, ut ex hoc loco colligi potest.

V. 15. MURIS, id est in muros.

V. 17. STADIA SEPTINGENTA QUINQUAGINTA: quæ 93. milliaria, & sex insuper stadia efficiunt. Unum enim milliare octo stadia complectitur. CHARACA. Nusquam alibi locus hic memoratur in Scriptura, videturque fuisse arte, vel natura, quasi vallo munitus, nam *charax*, χάραξ, Græcis *vallum* significat. TUBIANAEI. Supra Lib. I. cap. v. 13. Tubin mentio facta est, unde Tubianæi dicti videntur.

V. 18. COMPREHENDERUNT: scilicet, invenerunt. REGRESSUS EST: scilicet Timotheus, ut patet clarius ex textu Græco.

V. 21. CARNION: quem locum Adrichomius collocat in dimidia tribu trans Iordanem.

V. 24. IN PARTES DOSITHEI. In Dositheum, & milites eius. PARENTES HABERET AC FRATRES: scilicet, captivos in sua potestate. MORTE EIUS DECIPI EVENIRET. In Græco est, ὧν τούτους ἀλιγωρηθῆναι συμβήσεται, εἰ ἀποθάνοι: significat neglectum iri salutem Iudæorum captivorum, & in vindictam potius occisi Timothei, occisum iri. Vel etiam illud, *Decipi*, exponi potest, Frustrari spe liberationis.

V. 25. CONSTITUTUM: promissionem scilicet, seu pactum.

V. 26. VIGINTI QUINQUE MILLIBUS: præter eos scilicet, qui in acie ceciderant.

V. 27. EPHRON: vide dicta Lib. I. cap. v. 46. videtur enim hæc esse illa eadem civitas, & eadem Machabæi expeditio, quæ illic narratur, ut sentit Salianus.

V. 29. CIVITATEM SCYTHARUM: Scythopolim, quam Lib. I. cap. v. citato n. 52. id.

52. facer textus appellat Bethsan. Vide ibi dicta. Nomen habuit hæc civitas a Scythis restauratoribus & habitatoribus: sita fuit in tribu Manasse cis Iordanem. Vide Adrichomium in explicatione illius tribus num. 13.

V. 31. SEPTIMANAM, id est Pentecostes. Alludit auctor ad locum Levitici cap. XXIII. 18. ubi ita legimus: *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est quinquaginta dies*, &c. Vocatur etiam festus dies hebdomadarum, Deuter. XVI. 10.

V. 33. EXIVIT; scilicet, Iudas.

V. 35. DE BACENORIS: τῶν τοῦ βακχήνορος, ex iis qui ad Bacenorem pertinebant, sub illo duce militabant. MARESA. Quod est oppidum in tribu Iuda, quod Adrichomius non longe collocat ab Hebron.

V. 36. ESDRIN: nomen proprium ducis alicuius Iudæi.

V. 38. ODOLLAM: vicinam loco, in quo pugna fuerat commissa, & in eadem tribu Iuda. SEPTIMA DIES: Sabbatum.

V. 40. INTERFECTORUM; scilicet, Iudæorum.

V. 42. OBLIVIONI TRADERETUR. In Græco est, τελείως ἐξαλειφθῆναι, *perfecte deleretur*, a Deo scilicet remitteretur.

V. 43. DUODECIM MILLIA DRACHMAS: quæ faciunt monetæ Romanæ centum, & viginti scuta, circiter.

V. 45. DORMITIONEM ACCEPERANT: mortui erant. Dicuntur hi Iudæi cum pietate mortui, quia ceciderant in bello pro religione suscepto, existimabatque Iudas eos sceleris acceptorum donariorum pænituisse, & ideo sacrificiis, & precibus vivorum iuvari posse. OPTIMAM HABERENT REPOSITAM GRATIAM: magni enim meriti est pro religione vitam periculo exponere in bello contra infideles.

TIRINI.

Vers. 1. IUDAEI firmam fore pacem arbitrati, passim AGRICULTURAE vacabant. Sed importunitas ducum Eupatoris, (qui duces prorsus alii sunt a supra dictis, sic quidem nominatis, sed iam occisis) vers. 2. QUI circa Iudæam RESEDERANT cum copiis suis, seu præsidiis militaribus, brevi turbavit pacem. Gorionides *a* dicit, quietem octo mensium Iudæis fuisse: interea Iudam Machabæum in quosdam perduelles Iudæos animadvertisse: Iudæos & Macedonas in pluribus Iudææ urbibus, maxime ad littus maris, simul habitasse & negotia exercuisse. Sed *Ioppitas & Iamnienses* ea occasione perfide usos, in exitium & excidium Iudæorum.

V. 9. STADIIS DUCENTIS QUADRAGINTA; vel, ut Gorionides, *stadiis* 246. distabat Iamniæ portus IEROSOLYMIS, id est fere decem leucis *b*. Hic e vicinis Iamniæ fanis, quædam idolorum anathemata, seu sacra donaria Iudæi quidam clam sustulerunt, ut infra vers. 40. dicitur.

V. 27. IN EPHRON CIVITATEM anno 148. Græcorum incolis omnibus a Iuda exhaustam Lib. I. cap. v. 46. paulatim promiscua confluxerat MULTITUDO ex *variis gentibus*. Hæ iterum se iam opponunt eidem Iudæ, sed eodem successu, nimirum cum strage & cæde suorum ad *viginti quinque millia*.

V. 29. *A civitate* SCYTHARUM; Græce, *Scythopoli*, redit Iudas *Ierosolymam*, *instante* iam *die solemni septimanarum*, id est festo Pentecostes; nempe triduo ante festum, inquit Gorionides *c*.

V. 32. *Gorgias* IDUMAEAE *præpositus* exit *obviam* Iudæis: vers. 35. pene capitur a *Dositheo* DE BACENORIS filiis vel prosapia. Est idem hic *Dositheus* cum illo cuius meminit vers. 29. e primariis Iudææ ducibus.

V. 38. *Superveniente septima die*, seu sabbatho, *purificantur* Iudæi a sanguinis profusione & cadaverum contactu.

V. 39. SEQUENTI DIE, nempe feria prima hebdomadæ (nos Dominicam diem iam vocamus) paucos suorum qui in pugna contra Gorgiam ceciderant, (erant horum quidam e fortissimis Hasmonæis, inquit Gorion. *d*) sepulturæ mandant. *Vix* enim, inquit Curtius *e*, *ullum tam solemne munus in bello, quam humandi suos*.

V. 40. SUB TUNICIS INTERFECTORUM deprehendunt latentem mortis ipsorum CAUSAM, nempe impura illa e fanis Iamniensibus furta; de quibus supra vers. 9. Quæ lege divina Deut. VII. 5. & Exodi XXXIV. 13. Iudæi diserte vetantur, iubente Deo, ut etiam bello capta idola, & omnis idololatrica supellex comburatur. Horum peccatum

V. 42.

V. 42. *Rogant* Deum Iudæi, UT OBLIVIONI TRADATUR. Græce, *perfecte deleatur:* quod verſ. ult vocat *ſolvi a peccato*. Supponebant enim horum peccatum, ſaltem in pleriſque, ſolum veniale fuiſſe, ratione vel exiguæ quantitatis, vel finis: vel, ſi mortale fuerit, pœnituiſſe illos ante mortis articulum. Nam expreſſe verſ. 45. agunt de iis *qui cum pietate dormitionem acceperunt*.

V. 43. DUODEDIM MILLIA DRACHMAS ARGENTI, quas e collatitia pecunia MISIT Iudas IEROSOLYMAM, ut ex iis SACRIFICIA ibidem Deo *offerrentur* PRO illo. defunctorum *peccato* expiando, ſi Atticæ fuerint, faciunt *mille ſcuta aurea*: ſi Hebrææ, *duo millia ſcutorum*. En clariſſimum Scripturæ teſtimonium pro ſuffragiis defunctorum: en factum & exemplum nobiliſſimum pontificis & Eccleſiæ illius temporis, ab auctore ſacro, id eſt a Spiritu ſancto, non modo narratum, ſed & laudatum atque approbatum, ut Serarius, Bellarminus *f.* & alii Doctores fuſe explicant. Neque poſſunt id hæretici negare; niſi vel Canonicam horum librorum auctoritatem convellendo: (ſed hanc iam ante ſtabilivimus:) vel certe fingendo, ut fingit Munſterus, hanc coronidem non eſſe genuinam huius cap. partem, ſed per audaculum quempiam textui inſertam vel aſſutam. Sed hoc hæretici cerebri figmentum refellunt omnia, ſeu edita, ſeu manuſcripta librorum horum exemplaria etiam antiquiſſima: veterum item Patrum in præfatione citatorum teſtimonia, qui locum hunc ubique pro Canonica & genuina libri huius parte agnoſcunt & citant. Quam vero iſtud ſplendidum Munſteri *g* mendacium non ſolere Iudæos ad hunc uſque diem orare pro defunctis? Cui refellendo non aliud argumentum depoſco, quam ipſiuſmet Munſteri *h* retractationem, & Iudæorum ipſorummet teſtimonium, quod per me licet, petatur vel ex ore ſuperſtitum, vel ex ſcriptis defunctorum, vel ex Ritualibus Iudaicis, quæ hic ad verbum citant Serarius, Genebr. *i* & Bellarm: & ego attigi Tob. IV. & fatetur Fagius, VVitakerus k & alii hæretici.

(a) Gorion. Lib. III. cap. XVII.
(b) Proleg. de menſuris longitudinum.
(c) Gorion. ſup. cap. XVIII.
(d) Gorion. ſup. & cap. XIX.
(e) Curtius Lib. V.
(f) Bellarm. Lib. I. de Purgatorio cap. XXIII.
(g) Præfat. in Librum Gorionidis, & eiuſdem Lib. III. cap. XIX.
(h) Munſter. in Deut. XIV
(i) Genebr. in libello quem e Maxer vertit.
(k) Fagius in Deut. XIV. VVitak. Lib. I. contra Duræum f. 81.

GORDONI.

REbus ſic compoſitis per Lyſiam, Iudas vicinas nationes bello cohibet, verſ. 2. & deinceps. Caſtigavit Iopitas ob iniuſtam cædem, verſ. 6. Idem contra Iamnitas, verſ. 9. Vincit Arabes, verſ. 11. Caſphin expugnat, verſ. 15. It obviam Timotheo, verſ. 20. Iudas, favente Deo victoriam reportat inſignem, verſ. 23. Loca munita expugnat, verſ. 26. 27. Venit Ieroſolymam, verſ. 31. Itur poſt Pentecoſten contra Gorgiam in Idumæam, 33. Victor mox in Odollam, verſ. 38. Oblatio & preces pro mortuis, verſ. 43. & 44.

V. 1. Hic Timotheus non eſt ille occiſus, de quo cap. X. verſ. 37. Apollonius quoque alius eſt ab eo de quo Lib. I. cap. III. Iamnia urbs maritima, de qua ſupra. TUBIANEI, verſ. 18. diſtant a Caſphin 100. fere millibus. EPHRON) verſ. 27. urbs eſt Samariæ, olim Salem dicta, & Sichem, poſtea Neapolis. DUODECIM MILLIA DRACHMAS, verſ. 43. non ſic omnes legunt: recte noſter. SALUBRIS COGITATIO, verſ. 46. De cura hac pro mortuis dixi Lib. I. cap. VI. Tam ſane ſunt connexi duo fidei articuli de animæ immortalitate, & reſurrectione, ut horum uno poſito, vel ſublato, idem ſequatur de altero. Sic Sadducæi utrumque negabant: Phariſæi contra.

CA-

CAPUT XIII.

Menelaus Iudaeus transfuga iussu Antiochi extremo afficitur supplicio: Antiochus vero maximum ducens in Iudaeos exercitum, semel ac iterum victus & repulsus, multisque millibus ex suis occisis, & Philippo rebellante, supplex pacem cum Iudaeis firmat iuramento, oblato in templo sacrificio, Iudaque in principem Ptolemaidis constituto.

1. ANno centesimo quadragesimonono, cognovit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversus Iudaeam, 2. & cum eo Lysiam procuratorem & praepositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, currus cum falcibus trecentos. 3. Commiscuit autem se illis & Menelaus: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, * non pro patriae salute, sed sperans se constitui in principatum. 4. Sed Rex regum suscitavit animos Antiochi in peccatorem: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit (ut eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari. 5. Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: haec prospectum habebat in praeceps: 6. inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. 7. Et tali lege praevaricatorem legis contigit mori, nec terrae dari Menelaum. 8. Et quidem satis iuste: nam quia multa erga aram Dei delicta commisit, cuius ignis & cinis erat sanctus; ipse in cineris morte damnatus est. 9. Sed rex mente effraenatus veniebat, nequiorem se patre suo Iudaeis ostensurus. 10. Quibus Iudas cognitis, praecepit populo ut die ac nocte Dominum invocarent, quo, sicut semper, & nunc adiuvaret eos: 11. quippe qui lege, & patria, sanctoque templo privari vererentur: ac populum, qui nuper paululum respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi. 12. Omnibus itaque simul id facientibus, & petentibus a Domino misericordiam, cum fletu & ieiuniis, per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas ut se pararent. 13. Ipse vero cum senioribus cogitavit, prius quam rex admoveret exercitum ad Iudaeam, & obtineret civitatem, exire, & Domini iudicio committere exitum rei. 14. Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, & exhortatus suos ut fortiter dimicarent, & usque ad mortem pro legibus, templo, civitate, patria, & civibus starent, circa Modin exercitum constituit. 15. Et dato signo suis Dei victoriae, iuvenibus fortissimis electis, nocte aggressus aulam regiam, in castris * interfecit viros quatuor millia, & maximum elephantorum cum his qui superpositi fuerant: 16. summoque metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebus prospere gestis, abierunt. 17. Hoc autem factum est die illucescente, adiuvante eum Domini protectione. 18. Sed rex, accepto gustu audaciae Iudaeorum, arte difficultatem locorum tentabat: 19. & Bethsurae, quae erat Iudaeorum praesidium munitum, castra admovebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur. 20. His autem, qui intus erant, Iudas necessaria mittebat. 21. Enuntiavit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, & conclusus. 22. Iterum rex sermonem habuit ad eos qui erant in Bethsuris: 23. dextram dedit: accepit: abiit: commisit cum Iuda: superatus est. Ut autem cognovit rebellasse Philippum Antiochiae, qui relictus erat super negotia, * mente con-

consternatus, Iudæos deprecans, subditusque eis, iurat de omnibus quibus iustum visum est: & reconciliatus obtulit sacrificium, honoravit templum, & munera posuit: 24. Machabæum amplexatus est, & fecit eum a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem & principem. 25. Ut autem venit Ptolemaidam, graviter ferebant Ptolemenses amicitiæ conventionem, indignantes ne forte fœdus irrumperent. 26. Tunc ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedavit, regressusque est Antiochiam: & hoc modo regis profectio & reditus processit.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 3. *Non pro patriæ salute*. Genitivus substantivi *patriæ* non est mutandus in ablativum adiectivi *patria*.

Vers. 15. *Interfecit viros quatuor millia*. Numerus *quatuor* minime augendus est denario, ita ut fit *quatuordecim*.

Vers. 23. *Mente consternatus Iudæos deprecans*. Nominativus singularis *consternatus*, nequaquam commutandus est cum accusativo plurali *consternatos*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 4. UT EIS EST CONSUETUDO, id est usitato apud eos supplicio.

V. 5. LOCO, scilicet ubi fuit interfectus.

V. 7. TERRAE DARI, id est sepeliri.

V. 14. DANS ITAQUE POTESTATEM DEO, id est committens rem Deo, qui omnia potest.

V. 15. SIGNO, scilicet tessera, quæ solet dari militibus. DEI VICTORIAE, scilicet verba hæc, *Dei victoria*, erant pro tessera.

V. 19. MINORABATUR, id est inferior evadebat, seu superabatur.

V. 21. MYSTERIA, id est arcana, scilicet secreta consilia. REQUISITUS, id est inquisitus. CONCLUSUS, scilicet carcere.

V. 25. NE FORTE; pro, si forte sic; quasi dicat: Volentes fœdus irritare. Quidam putant indignatos ob fœdera a Rege violata.

ESTII.

Vers. 11. QUIPPE QUI LEGE, ET PATRIA, SANCTOQUE TEMPLO PRIVARI VERERENTUR NE SINERET BLASPHEMIS RURSUS NATIONIBUS SUBDI. Notandum quod I[u]das hortatus suos ad fortiter dimicandum primo, nominat legem, deinde patriam: nam idem repetitur quoque plenius vers. 14. his verbis: UT FORTITER DIMICARENT, ET USQUE AD MORTEM, PRO LEGIBUS, TEMPLO, CIVITATE, PATRIA, ET CIVIBUS. En primo nominat leges & templum; deinde civitatem, patriam, cives. Ex quo ostenditur ante omnia propugnandam & defendendam esse religionem, secundum autem locum dandum defensioni privilegiorum & publicæ libertatis. Estque id notandum contra quosdam nostri temporis viros alioqui magnæ æstimationis, qui perverso, ac præpostero iudicio, cum viderent religionem periclitari (volebant enim catholici videri) cumque simul persuasum haberent læsam esse publicam libertatem, & violata privilegia patriæ, seposito ad tempus, ut inquiebant, negotio religionis, censuerunt arma capienda pro defensione patriæ contra eos, quos imaginabantur suæ libertatis hostes, priusquam de religione essent solliciti. Non ita pugnavit Iudas, immo nec ita præcepit Christus, qui dicit Matth VI. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*.

V. 15. ET DATO SUIS SIGNO DEI VICTORIAE, IUVENIBUS FORTISSIMIS ELECTIS, NOCTE AGGRESSUS AULAM REGIAM IN CASTRIS INTERFECIT VIROS QUATUOR MILLIA. Sensus est: Cum dedisset suis signum seu tesseram militarem, hanc scilicet, *Dei victoria*, aggressus est hostem.

En

En rursum, quomodo Iudas modis omnibus suis inculcare conetur victoriam a Deo expectandam esse. Id si hodie fieret a ducibus belli, non cum dolore nostro ac detrimento religionis videremus tam lentum successum belli pro religione suscepti.

MARIANAE.

Vers. 1. ANNO CENTESIMO QUADRAGESIMO NONO. Agit de bello, quod Antiochus Eupator cum Iudæis per se ipsum gessit; de quo etiam agitur I. Lib. cap. VI. 18. Et quidem de horum annorum ratione diximus cap. XI. 21. Auctor huius libri ex computatione prioris semper unum annum demit.

V. 2. PEDITUM CENTUM DECEM MILLIA habebat Antiochus, Lib. I. cap. VI. 30. centum millia peditum habuisse ait, viginti millia equitum, elephantos triginta duos. Nimirum accedentibus aut recedentibus copiis, variis temporibus numerus variabat. Aut certe, altero loco numeri sunt vitiati: quod posse contingere, alibi dictum est.

V. 3. MENELAUS sequebatur Regem. Hic est ille pseudopontifex factus in locum Oniæ. CUM MULTA FALLACIA, μετὰ πολλῆς εἰρωνείας (bene pro *ironia* Interpres posuit *fallaciam*) orabat Antiochum.

V. 4. SUSCITAVIT ANIMOS ANTIOCHI: seu *animum* ut est Græce, id est iram, θυμόν. IUSSIT, UT EIS EST CONSUETUDO, Menelaum necari. Hoc tyrannice, non audito reo, sine iudicii forma.

V. 5. AGGESTUM UNDIQUE HABENS CINERIS, scilicet illa turris cinere erat circumdata, ut solent aqua. Nempe ut fallente vestigio, hostis ad turrim subire non posset. Græce, *plena cinere*, nempe exterius. HAEC PROSPECTUM. Græce, *organum instrumentum rotundum*, *præceps*, unde scilicet homines in cinerem præcipitabant. Sic Menelaus perfidus periit. De hoc genere mortis Ovidius in Ibim:

Utque necatorum Darii fraude secundi,
Sic tua succensus devoret ossa cinis.

Quidam Menelai mortem per anticipationem narrari putant, & occisum, cum Antiochus facto cum Iudæis fœdere in patriam rediret.

V. 8. IPSE IN CINERIS MORTE: mallem, *in cineris mortem* DAMNATUS EST. Græce, *in cinere mortem tulit*, Menelaus scilicet qui multa in altare deliquerat, & cineres eius.

V. 9. NEQUIOREM SE PATRE SUO IUDAEIS OSTENSURUS Rex veniebat. Goth. *iniquiorem*. Græce, *pessima*, *quæ sub patre suo passi erant Iudæi*, scilicet ostensurus veniebat.

V. 11. SANCTOQUE TEMPLO. Sic lege. Sic Græce. Regia, *Sanctorum templo privari metuebant* Iudæi.

V. 14. CIRCA MODIN EXERCITUM CONSTITUIT Iudas. Lib. I. cap. VI. 32. *ad Bethzacharam* posuisse castra dicitur. Loca erant vicina.

V. 15. DATO SIGNO SUIS DEI VICTORIAE. Goth. *Dei victoria*. Hæc erat tessera militaris, quæ datur quotidie militibus, sed præsertim quando instat pugna. INTERFECIT VIROS QUATUOR MILLIA. Græce in Regiis, *duo millia*: in Rom. *quatuor millia*. Verum Lib. I. cap. VI 42. occidisse ait viros sexcentos, de quo eo loco est dictum. ET MAXIMUM ELEPHANTORUM. Eleazarus Iudæ frater illum occidit, eodem cap. VI. 46.

V. 18. SED REX, ACCEPTO GUSTU, id est expertus audaciam Iudæorum, ad artes vertit animum.

V. 21. ENUNTIAVIT AUTEM MYSTERIA Regi Rhodocus, id est arcana, Iudam obsessis mittere necessaria.

V. 23. COMMISIT CUM IUDA. Ecce novam pugnam. Non semel Rex & Iudas conflixere. UT AUTEM COGNOVIT REBELLASSE PHILIPPUM. De hoc Philippo Lib. I. cap. VI. 14. & 63. & Lib. II. cap. IX. 29. QUI RELICTUS ERAT SUPER NEGOTIA: non ab hoc Rege, sed ab eius patre: illo cap. VI. illum rebus in morte præfecit.

V. 25. UT AUTEM VENIT PTOLEMAIDAM, scilicet Rex. INDIGNANTES: ibi distinctio. NE FORTE FOEDUS IRRUMPERENT, Iudæi: supple, timebant cives Ptolemaidis.

MENOCHII.

Vers. 4. UT EST EIS CONSUETUDO, id est usitato apud eos supplicio.

V. 5. AGGESTUM UNDIQUE HABENS CI-

NERIS, id est cinerem omni ex parte aggestum, & comparatum in hunc usum, & ad hunc finem, ut supplicio ultimo afficiendi ex turri in illum præcipites darentur. Vide Val. Max. Lib IX. cap. II.

V. 7. TERRAE DARI, id est sepeliri.

V. 8. SATIS IUSTE; valde iuste.

V. 14. DANS POTESTATEM DEO, id est committens rem Deo, qui omnia potest.

V. 15. SIGNO, scilicet tessera, quæ militibus dari solet. DEI VICTORIAE; scilicet, verba hæc, *Dei victoria*. AULAM REGIAM: tabernaculum Regium, Prætorium.

V. 18. GUSTU: experimento; id est, cum hoc habuisset specimen audaciæ, & virtutis Iudæorum.

V. 19. MINORABATUR, id est inferior discedebat.

V. 21. MYSTERIA, id est secreta consilia. REQUISITUS, quæsitus. CONCLUSUS, scilicet, carcere.

V. 23. COMMISIT CUM IUDA: SUPERATUS EST: non postquam obiit, sed cum amisit primum quatuor millia, deinde sexcentos de suis; præter eos quos hausit obsidio Bethsuræ, incolumi Iuda cum suis, excepto Eleazaro, qui vitam ultro profudit, ut vidimus supra Lib. I. capite VI. 46. REBELLASSE PHILIPPUM: vide supra Lib. I. cap. VI. 55. DEPRECANS, SUBDITUSQUE EIS, id est, eos demisse rogans.

V. 24. PTOLEMAIDE: quæ est urbs maritima, cis Tyrum versus Ierusalem posita. GERRENOS. Hi sunt Geraseni, qui habitant ad lacum Genesareth, ut putat Salianus probabil ter.

V. 25. INDIGNANTES, NE FOEDUS IRRUMPERENT. In Græco ad verbum est: *Indignabantur enim, pro quibus voluerunt rumpere fœdera*; id est, indigne ferebant quædam concessa Iudæis, ob quæ volebant fœdera pacis irrita facere: causa autem indignationis videtur fuisse præfectura, & potestas data Machabæo.

TIRINI.

Vers. 2. PRo *centum decem millibus peditum, quinque millibus equitum & elephantis viginti duobus*, habes Lib. I. cap. VI ubi hæc eadem Antiochi Eupatoris expeditio describitur, *peditum centum millia, equitum viginti millia, elephantos triginta duos*. Nimirum variis diebus varius erat numerus, prout aliquæ copiæ vel de novo accederent, vel alio, ut fit, ablegarentur. Huic expeditioni adversus Iudæos sese admiscet

V. 3. MENELAUS pseudopontifex ab Antiocho Epiphane iam pridem *a* constitutus. Sed SUGGERENTE vers. 4. LYSIA, HUNC Menelaum ESSE CAUSAM OMNIUM MALORUM & turbarum in Syria; IUSSIT REX eum IN EODEM LOCO, id est in eadem illa Syriæ regione, in qua tum rex degebat, APPREHENSUM NECARI, UT Syris istis EST CONSUETUDO, id est eo mortis genere & supplicio, quo solent istic proditores plecti: nempe ut ex altissima *turri*, quæ subtus *cinerem* e sacrificiis vicini forsan delubri colligi solitum, in cumulos UNDIQUE AGGESTUM HABEBAT, IN PRAECEPS deiiceretur. Sic profanis cineribus immersus est; qui sacros divini altaris vers. 8. *cineres* sacrilegiis suis sæpius contaminarat.

Pergit nihilominus in Iudæos procurrere rex Antiochus. Sed Iudas Machabæus adventantem prævertit vers. 13. & noctu in castra ipsius clam illapsus, vers. 14. DANS POTESTATEM DEO, id est committens se suosque, & sua omnia nutui ac beneplacito divino, vers. 15. DATO SUIS SIGNO, symbolo, seu classico, VICTORIAE DEI, sternit, cædit, *interficit* QUATUOR MILLIA hostium.

V. 18. *Hoc* AUDACIAE & fortitudinis IUDAEORUM specimine *gustato* REX, non iam vi, se ARTE & solertia *tentavit difficiliora* Iudææ *loca* sibi vindicare, puta proditione; sed qui *Bethsuram b* prodere tentabat,

V. 21. RHODOCUS QUIDAM *Iudæus*, opportune detectus, & captus, pœnas dedit. Deinblanditiis, amplis promissis & muneribus: quo modo

V. 22. ITERUM REX SERMONEM HABUIT, egitque cum IIS QUI ERANT IN *Bethsura*. Et successit ex animi sententia. Nam usi benevolentia regis præsidiarii, fame iam pene *c* enecti, honestis conditionibus sese illi locumque dediderunt. Ergo *dextera* illis *data & accepta*, rex inde movit adversus Iudam: sed vers. 23. *commisso* prælio, *superatur*. Sub idem tempus co-

COGNOVIT REBELLASSE PHILIPPUM ANTIOCHIAE, & affectare regnum Syriæ se absente. Unde suasu *d* Lysiæ *deprecotur* IUDAEOS ut pacem admittant, SUBDITUS EIS, id est obediens, obsequens, obsecundans eis in OMNIBUS quæ postulabant. Insuper *Iudam* ipsum vers. 24. FECIT DUCEM ET PRINCIPEM A PTOLEMAIDE USQUE AD GERRENOS, iubens ut regis nomine partes illas regni Syriaci administraret. Quo comperto PTOLEMENSES, veriti NE FORTE Iudæi, regionum illarum, seu possessione, seu administratione accepta, tantoque potentiores facti, FOEDUS iam recens cum rege initum, mox *rumperent*, & ita se vicinasque regiones una secum adversus regem rebellare cogerent; expostulant cum rege & Lysia super hoc Iudæis concesso tam amplo imperio. Sed Lysias *conscenso tribunali*, vers. 26. RATIONEM facti EXPOSUIT, docens, e re non minus ipsorum, quam regis esse, cum amicis tam fortibus, tam fidis fœdere iungi & pacem colere. Reliqua huius capitis expositas habes Lib. I. cap. VI.

(a) Lib. II. Mach. IV. 13. & ult.
(b) Lib. I. cap. IV. in fine.
(c) Lib. I. cap. VI. 49.
(d) Ibid. vers. 55. & seqq.

GORDONI.

ANtiochus Eupator occidi fecit Menelaum, vers. 4. & 5. Properat tamen armatus in Iudæos, vers. 9. Ad Modin pugnatur, vers. 14. 15. Vincit Iudas vers. 23. Reconciliatur regi, 24.

V. 1. De hac re lege quæ dicta sunt Lib. I. cap. VI. vers. 18. Notatur hic annus 149. at Lib. I. notatur annus 150. Verum, ut in præloquio dixi, hoc contingit ex varie notata epocha.

V. 4. Hic Menelaus pseudopontifex suffectus Oniæ, iam dat perfidiæ pœnas, sine forma iudicii.

V. 5. AGGESTUM HABENS CINERIS. Hi cineres turrim in circuitu muniebant. Sic in cinerem datur præceps malorum auctor.

V. 13. & 15. CIRCA MODIM. At Lib. I. est *ad Bethzachoram*: non moror: sunt loca vicina. MAXIMUM ELEPHANTORUM: lege Lib. I. cap. VI. vers. 46.

V. 21. MYSTERIA, arcana; hoc erat, quod Iudas necessaria obsessis submitteret. De Philippo hic, vers. 25. dictum est Lib. I. cap. VI. vers. 14. At cur indignantur Ptolemenses? vers. 6. quia volebant fœdus impedire. Sedatur tumultus.

CAPUT XIV.

Suggerente Alcimo qui summo destitutus erat Sacerdotio, Nicanor in Iudaeos missus a rege Demetrio, auditis Iudæ præclaris facinoribus, amicitiam cum eo contrahit: quam postmodum rege cogente solvens, dum Iudam nequit comprehendere, templi minatur eversionem, & senem Raziam Iudæum magnanimum apprehendere conatur: qui dum ab hostibus iam se capiendum videret, elegit potius constantissimo animo sibi mortem inferre quam indigna pati ab hostibus, in quos propriis manibus sua intestina proiecit.

1. SEd post triennii tempus cognovit Iudas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci, cum multitudine valida, & navibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna, 2. & tenuisse regiones adversus Antiochum, & ducem eius Lysiam. 3. Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neque accessum ad altare, 4. venit ad regem Demetrium, centesimo quadragesimo anno, offerens ei coronam auream, & palmam, * super hæc & thallos, qui templi esse

videbantur. Et ipsa quidem die siluit. 5. Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, convocatus a Demetrio ad consilium, & interrogatus quibus rebus & consiliis Iudæi niterentur, 6. respondit: Ipsi qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones movent, nec patiuntur regnum esse quietum. 7. nam & ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni: 8. primo quidem utilitatibus regis fidem servans, secundo autem etiam civibus consulens: nam illorum pravitate universum genus nostrum non minime vexatur. 9. Sed oro his singulis, o rex, cognitis, & regioni, & generi, * secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus, prospice: 10. nam, quamdiu superest Iudas, impossibile est pacem esse negotiis. 11. Talibus autem ab hoc dictis, & ceteri amici, hostiliter se habentes adversus Iudam, inflammaverunt Demetrium. 12. Qui statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Iudæam: 13. datis mandatis, ut ipsum quidem Iudam caperet; eos vero, qui cum illo erant, dispergeret, & constitueret Alcimum maximi templi summum sacerdotem. 14. Tunc gentes, quæ de Iudæa fugerant Iudam, * gregatim se Nicanori miscebant; miserias & clades Iudæorum, prosperitates rerum suarum existimantes. 15. Audito itaque Iudæi Nicanoris adventu, & conventu nationum, conspersi terra rogabant eum, † qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret, quique suam portionem signis evidentibus protegit. 16. Imperante autem duce, statim inde moverunt, conveneruntque ad castellum Dessau. 17. Simon vero frater Iudæ commiserat cum Nicanore: sed conterritus est repentino adventu adversariorum. 18. Nicanor tamen, audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quam pro patriæ certaminibus habebant, sanguine iudicium facere metuebat. 19. Quam ob rem præmisit Posidonium, & Theodotium, & Matthiam, ut darent dextras atque acciperent. 20. Et cum diu de his consilium ageretur, & ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium una fuit sententia amicitiis annuere. 21. Itaque diem constituerunt, qua secreto inter se agerent: * & singulis sellæ prolatæ sunt, & positæ. 22. Præcepit autem Iudas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur: & congruum colloquium fecerunt. 23. Morabatur autem Nicanor Ierosolymis, nihilque inique gagebat, regesque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit. 24. Habebat autem Iudam semper charum ex animo, & erat viro inclinatus. 25. Rogavitque eum ducere uxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit: * quiete egit, communiterque vivebant. 26. Alcimus autem, videns charitatem illorum adinvicem, & conventiones, venit ad Demetrium, & dicebat, Nicanorem rebus alienis assentire, Iudamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse. 27. Itaque rex exasperatus, & pessimis huius criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens, graviter quidem se ferre de amicitiæ conventione, iubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam. 28. Quibus cognitis, Nicanor consternabatur, & graviter ferebat, si ea, quæ convenerant, irrita faceret, nihil læsus a viro: 29. sed, quia regi resistere non poterat, opportunitatem observabat, qua præceptum perficeret. 30. At Machabæus, videns secum austerius agere Nicanorem, & consuetum occursum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono esse austeritatem istam, paucis suorum congregatis, occultavit se a Nicanore. 31. Quod cum ille cognovit fortiter se a viro præventum, venit ad maximum & sanctissimum templum: & sacerdotibus solitas hostias offerentibus, iussit sibi tradi virum: 32. quibus cum iuramento dicentibus nescire se ubi esset qui quærebatur, extendens manum ad templum, 33. iuravit, dicens: Nisi Iudam mihi vinctum tradideritis, istud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri consecrabo. 34. Et his dictis, abiit. Sacerdotes autem protendentes manus in cælum, invocabant eum, qui semper propugnator esset gentis ipsorum, hæc dicentes: 35. Tu Domine universorum, qui nullius indiges, voluisti templum habitationis tuæ

fieri

fieri in nobis. 36. Et nunc sancte sanctorum omnium Domine, conserva in æternum impollutam domum istam, quæ nuper mundata est. 37. Razias autem quidam de senioribus ab Ierosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, & bene audiens: qui pro affectu pater Iudæorum appellabatur. 38. Hic multis temporibus continentiæ propositum tenuit in Iudaismo, corpusque & animam tradere contentus pro perseverantia. 39. Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Iudæos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent, 40. putabat enim, si illum decepisset, se cladem Iudæis maximam illaturum. 41. Turbis autem irruere in domum eius, & ianuam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petiit; 42. eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis iniuriis agi. 43. Sed, cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, & turbæ intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, præcipitavit semetipsum viriliter in turbas: 44. quibus velociter locum dantibus casui eius: venit per mediam cervicem: 45. & cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit: & cum sanguis eius magno fluxu deflueret, & gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: 46. & stans supra quamdam petram præruptam, & iam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus proiecit super turbas, invocans dominatorem vitæ ac spiritus, ut hæc illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Vers. 4. *Super hæc & thallos*. Scribendum est thallos, *thita* in principio, & duplici *l* in medio, quod est, ramos; non *talos* quæ sunt ossa.

Vers. 9. *Secundum humanitatem tuam pervulgatam omnibus*. Non mutes *pervulgatam* in *promulgatam*, id est, *u* in *m*.

Vers. 14. *Gregatim se Nicanori miscebant*. Vox *Gregatim* non est augenda una syllaba *congregatim*.

Vers. 21. *Et singulis sellæ prolatæ sunt & positæ*. Non addas præpositionem *a* ante *singulis*.

Vers. 25. *Quiete egit communiterque vivebant*. Legendum est communiter quod est in communi, non *comiter* quod est blande.

Lectionum Varietas.

Vers. 15. *Qui populum suum constituit, ut in æternum custodiret*. Plerique libri omittunt *ut*, sed melius vetera manuscripta, quæ omittunt non tantum conjunctionem *ut*, sed etiam verbum *custodiret*, consentanee Græco.

Notatio.

Vers. 21. Et *singulis sellæ prolatæ sunt & positæ*. Unum Parisiensium manuscriptum Di. o; undecim Hentenii; quatuordecim nostra, Brug. Lob. Leod. E, L, Q, Pl. m. &c., addunt *a* præpositionem: *Et a singulis sellæ prolatæ sunt & positæ*; quæ eam quæ Græce est præpositionem παρὰ exprimit; παρ' ἑκάστου, id est *a singulis*. Non id tamen ita intelligendum est, quasi duces ipsi sibi sellas protulerint, posuerintque; propter quod ablatam a quibusdam fuisse præpositionem autumo; sed quod ab utraque utriusque ducis parte, per ministro nimirum prolatæ ac positæ sint. Græca regis editio ex Complutensi habet: καὶ προσῆλθε παρ' ἑκάστου δίφραξ ἔθεσαν δίφροις: *Et accessit a singulis sella; posuerunt sellas*: quæ potius fuit Interpretis nostri lectio, quam ea quę in Aldinis & Germanicis est Bibliis: καὶ προσῆλθε καὶ παρ' ἑκάστου διαφόροις ἔθεσαν δίφροις: *Et processit* (f. dies constitutus, vel dux uterque) *& a singulis diversas posuerunt sellas*.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. Seleuci, scilicet filium. Vide Lib. I. cap. vii.

V. 3. Commistionis, scilicet cum Gentilibus: forte *incommistionis* legendum. Græc. *segregationis* (seu *discessionis*) a conversatione scilicet Gentilium; quasi dicat:

cat: Cum reliqui Iudæi detestarentur conversationem Gentium & mores, tum ille his inquinatus est.

V. 4. THALLOS, id est ramos, scilicet aureos.

V. 13. DISPERGERET; pro, perderet, seu dissiparet.

V. 15. PORTIONEM. Græc. *partem*, id est hereditatem, scilicet Iudæos.

V. 18. SANGUINE, &c. quasi dicat, Illorum virtutis periculum facere cum vitæ discrimine.

V. 25. COMMUNITERQUE, id est familiariter.

V. 35. IN NOBIS, id est inter, seu apud nos.

V. 37. AB IEROSOLYMIS, id est Ierosolymitanis. AFFECTU, id est benevolentia, scilicet in cives.

V. 38. CONTINENTIAE. Græc. ἀμιξίας, quod supra vertit *commistionem*: vide vers. 3. PRO. Græc. *cum*.

V. 41. COMPREHENDERETUR, id est comprehendendus esset.

V. 42. ELIGENS, &c. At errabat iudicio; nec enim nobilitas est, sed vilitas, se occidere. NOBILITER, id est fortiter. Græc. *generose*.

V. 43. PRAECIPITAVIT. Et hic erravit, nisi quis factum excuset instinctu Dei, quo forte movebatur: de quo vide Aug. I. Civit. cap. XXI. At Lib. II. cont. epist. Gaudent. cap. XXIII. & epist. LXI. aperte condemnat hoc Raziæ factum.

V. 44. VENIT, id est cecidit. PER MEDIAM CERVICEM. Græc. *per medium* (scilicet turbæ) *in latus*, seu *ventrem*, scilicet cadens.

V. 46. COMPLEXUS, &c. Et id qui potest excuset. Crediderim tamen, Deum hominis errori ignovisse, quia misericors est, & ille ignorans fecerat, putans se in eo bene & fortiter agere.

ESTII.

Vers. 37. RAZIAS AUTEM QUIDAM DE SENIORIBUS, QUI PRO AFFECTU PATER IUDAEORUM VOCABATUR, &c. Ac tandem vers. 41. CUM COMPREHENDERETUR, GLADIO SE PETIIT, ELIGENS NOBILITER MORI, QUAM SUBDITUS FIERI PECCATORIBUS. Istud factum Raziæ sunt qui excusare conantur, & maxime Hebræi; duas adferentes causas, ob quas liceat quis sibi ipsi manus inferat: si videlicet (inquiunt) id faciat, ne postea tormentorum vi compellatur ad illicita; vel ne in Dei contemptum vivens postea ludibrio habeatur. Quorum utrumque dicunt iuste metuisse Raziam. Verum has exceptiones Christiani scriptores non agnoscunt. Nemo enim peccato suo debet impedire aliorum peccata: alioqui idem omnibus Martyribus licuisset. D. Aug. Lib. II. contra. II. epist. Gaudentii cap. XXIII. & epist. LXI. de Raziæ facto ita loquitur, ut neque laudandum dicat, neque imitandum, quin potius tandem reprehendit. In epistola hæc sunt eius verba: Scriptum est, *Innocentem & iustum ne occidas*. Si ergo iste innocens & iustus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & iustus fuit, quare interfector innocentis & iusti (ipse scilicet Razias sui ipsius) insuper putatur esse laudandus? Et cont. epist. Gaudentii: Quomodolibet accipiatur a vobis huius Raziæ vita laudata, non habet mors eius laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei famulis patientiam. Et paulo superius: Hoc inquit, facere debuit, quod in iisdem litteris leguntur septem illi fratres, matre exhortante fecisse, ut comprehensus in dolore sustineret, & in humilitate patientiam haberet. Hæc Augustinus.

MARIANAE.

Vers. 1. SED POST TRIENNII TEMPUS. A morte Antiochi Epiphanis, qui obiit anno 148. iuxta huius Libri computationem, sicque Demetrius hic Roma profugus venit in Syriam, & cœpit regnare anno 150. At 151. dicitur Lib. II. cap. VII. 1. quo etiam capite huius Demetrii res gestæ continentur.

V. 3. ALCIMUS AUTEM QUIDAM, QUI SUMMUS SACERDOS FUERAT. προγεγονὼς ἀρχιερεὺς, *iam factus sacerdos*: nempe post Menelai mortem, ut Iosephus ait Lib. XII. cap. XV. qui superiore anno est occisus, cum Pontificatum tenuisset annos decem. Quomodo ergo Lib. I. cap. VII. 5. dicitur, *qui volebat fieri sacerdos*? nempe, confirmari electionem suam a Demetrio; aut Pontificalia exercere: nam Iudas impediebat. Atque hoc significant illa verba proxima,

Cum

Considerans nullo modo sibi esse (pro, forte) *salutem, neque accessum ad altare*. TEMPORIBUS COMMIXTIONIS: ἀμιξίας, *segregationis*, dissidii corruptus Alcimus. Attulit etiam Regi dona, coronam auream, & palmam item ex auro.

V. 4. ET THALLOS. Hinc *tallo* Hispanis: θαλλὸν: sunt autem rami etiam aurei. Quae omnia e templo furatus cedebatur.

V. 6. QUI DICUNTUR ASSIDAEI ...... BELLA NUTRIUNT. De iis diximus Lib. I. cap. II. 42. QUIBUS PRAEEST IUDAS: non quod esset Assidaeus ipse, sed erat eorum Dux. Id Alcimus dicebat. Mittit Nicanorem Rex.

V. 13. DATIS MANDATIS. Graece, *dans epistolas*. Sed *epistolae* pro *mandatis*.

V. 16. CONVENERUNTQUE. Graece, *commiscet se ipsis*, scilicet Iudas pugnat cum hostibus. AD CASTELLUM DESSAU. Lib. I. cap. VII. 31. pugnatum dicitur *ad Capharsalama*. Verum ea loca aut coniuncta erant, aut pugna non eadem. Nam priori loco dicitur, cecidisse ex hostibus quinque millia fere; in posteriori, victum Simonem a Nicanore, sed eum timuisse Iudam. Et sane posterior pugna post factum foedus fuit.

V. 17. CONTERRITUS EST REPENTINO ADVENTU, scilicet Simon. Graece, *paululum autem ob repentinam hostium irruptionem erravit*.

V. 18. SANGUINE IUDICIUM FACERE METUEBAT. Nicanor id est aleam pugnae subire.

V. 23. MORABATUR AUTEM NICANOR IEROSOLYMIS. Sic cap. illo VII. 27. *Et venit Nicanor in Ierusalem*. Facti sunt amici Nicanor & Iudas, qui

V. 25. NUPTIAS FECIT. Iudas hortatu Nicanoris. QUIETE EGIT: a bellis cessavit. Sic solent uxorati voluptate emolliri. Id volebat Nicanor. COMMUNITERQUE VIDEBANT. Graece, *vivebat*, scilicet Iudas nempe ut cives alii. Iussit Rex

V. 27. MACHABAEUM CITIUS VINCTUM MITTERET. De hoc cap. illo VII. 29. Porro ex his locis constat, insidias contra Iudam paratas iussu Regis, non sponte Nicanoris.

V. 29. OPPORTUNITATEM OBSERVABAT, QUA PRAECEPTUM. Graece additur, *stratagemate perficeret*, id est arte & dolo.

V. 37. RAZIAS. Graece, *Razis*. Ab Augustino epistola LXI. *Razias*: a Gorione *Rizasius* vocatur. DELATUS EST NICANORI. Crimina illi imposita, fortasse proditionis, nam ob Iudaismum non puto fuisse delatum.

V. 41. TURBIS AUTEM IRRUERE IN DOMUM. Graec. *in turrim cupientibus*. Domus, arcis instar erat. GLADIO SE PETIIT. An se perimere licet?

V. 42. ELIGENS NOBILITER MORI. Augustinus LXI. *nobiliter*, inquit, *& viriliter; non fideliter, nec salubriter*. Quo loco & Lib. II. contra Gaudentii epist. cap. XXIII. invehitur in Raziam, quoniam Circumcelliones ferum hominum genus ex hoc Raziae facto sumebant occasionem ad se ipsos perimendum. Alioqui potuisset mitius agere cum sene hoc tantopere laudato, & ratione aliqua factum excusare, ut in multis Martyribus facimus, qui se peremerunt. Verum de re tota, ne se perimere alicui aliquando liceat, Libro I. de Morte & immort. cap. IX. copiose disputavimus.

V. 44. VENIT PER MEDIAM CERVICEM, id est in cervicem cecidit: *de espaldas*. Graec. Ἦλθε κατὰ μέσον εἰς τὸ κενεῶνα, *Venit per medium in vacuum*, scilicet ab utraque parte cedente turba, in pavimentum hominibus vacuum decidit. Sic potuit surgere, & petram ascendere.

MENOCHII.

Vers. 1. SED POST TRIENNII TEMPUS: inchoati scilicet a morte Antiochi Epiphanis. DEMETRIUM SELEUCI, &c. vide dicta Libro I. cap. VII. initio, ubi haec eadem habentur.

V. 3. ALCIMUS QUIDAM, &c. vide ibid. num. 5. COINQUINATUS: idololatria. TEMPORIBUS COMMISTIONIS: non dicit Scriptura Alcimum fuisse Pontificem temporibus commistionis, sed tantum fuisse eo tempore idololatria coinquinatum: tempus commistionis appellatur illud, quo Iudaei Gentilibus commiscuere se, & eorum ritus imitati sunt, superinducto praeputio, ludis, sacrificiisque profanis: vide Lib. I. cap. 1. NULLO MODO SIBI ESSE SALUTEM: intelligens se, & res suas periclitari.

V. 4. CENTESIMO, ET QUINQUAGESIMO ANNO: regni Graecorum, secundum supputationem Chaldaicam, de qua dictum supra XI. 21. THALLOS: ramos aureos. Grae-

Græci enim ramum θαλλὸς appellant. QUI TEMPLI ESSE VIDEBANTUR: & e templo sacrilege ab Alcimo sublati.

V. 6. ASSIDAEI: de quibus vide supra Lib. I. capite VII. 13.

V. 9. GENERI. In Græco est τοῦ περιεσταμένου γένους ἡμῶν προνοήθητι, Flaminius vertit, *Obsesso generi nostro prospice*.

V. 15. PORTIONEM. Græce μερὶς dicitur, id est pars, hereditas, scilicet Iudæi.

V. 16. DUCE: Simone fratre Iudæ.

V. 18. SANGUINE, &c. quasi dicat, Illorum virtutis periculum facere cum vitæ discrimine.

V. 20. IPSE DUX; scilicet, Iudas.

V. 22. CONGRUUM COLLOQUIUM; ἁρμόζουσαν καταλογίαν, congressum, & collocutionem convenienti qualitati negotiorum, & aptam ad conciliandam pacem.

V. 23. GREGES TURBARUM: qui se Nicanori adiunxerant, ut dicitur n. 14.

V. 25. COMMUNITER. Significat Iudam accepta uxore nihilominus in Essenorum vitæ instituto constanter perseverasse, quod est, εὐσταθῆσαι & communem vitam egisse, qualis est eorum, qui nihil habent proprium, sed omnia communia.

V. 26. REBUS ALIENIS ASSENTIRE, id est probare, & amplecti, quæ a negotiis regis aliena essent. SUCCESSOREM SIBI DESTINASSE. In Græco, est διάδοχον ἀναδεδειχέν, ἑαυτοῦ, quod vertere possis, *Vicarium, instituit*, vel *declaravit suum*. Alii vertunt, *Legatum sibi creavit*.

V. 27. DE AMICITIAE CONVENTIONE: quod adeo arctam cum Iuda amicitiam contraxisset, & pacem fecisset cum Iudæis. IUBERE TAMEN: itaque iubere.

V. 33. LIBERO PATRI, id est Baccho.

V. 35. IN NOBIS, inter, seu, apud nos.

V. 37. DE SENIORIBUS AB IEROSOLYMIS: & Ierosolymitano senatu. BENE AUDIENS: bonæ, & secundæ famæ.

V. 38. CONTINENTIA PROPOSITUM TENUIT: ἀμιξίας, ut est in Græco, id est *incommistionis*; qui scilicet abstinuerat se a communione, & commixtione cum Gentilibus, & ab eorum ritibus, & sacris abhorruerat.

V. 40. SI ILLUM DECEPISSET. In Græco est, *si illum cepisset*, συλλαβὼν. NOBILITER MORI: *generose*, ut est in Græco. Impulsum fuisse a spiritu sancto ad mortem sibi ultro inferendam, ex illo colligi videtur, quod sacer textus factum non solum narrare, sed etiam commendare videtur.

TIRINI.

Vers. 1. POST TRIENNII TEMPUS, id est tertio anno a morte Antiochi Epiphanis, quem auctor libri huius obiisse vult anno 148. regni Græcorum Chaldaico, ut dixi cap. XI. 21. Nam ab initio huius anni, usque ad finem anni 150. quo cœpit regnare Demetrius hic vers. 4. effluxit fere triennium. De initiis huius Demetrii vide Lib. I. initio cap. VII. uti & de Alcimo ibid. vers. 7. qui hic

V. 3. Dicitur fuisse *magnus* SACERDOS, id est pontifex, nuper ab Antiocho Eupatore, post necem Menelai *a*, ad eam dignitatem evectus: SED QUOD VOLUNTARIE COINQUINATUS esset, id est sponte deflexisset a vera religione, & profanis Gentilium ritibus sese contaminasset TEMPORIBUS COMMISTIONIS, cum Gentiles dominarentur & permiscerentur Iudæis; desperabat non modo de *accessu* AD ALTARE & functionibus pontificis, sed & de *salute* sua, si in Iudæam, ubi æmulus eius Iudas Machabæus rerum potiebatur, se contulisset. Ergo opem implorat regis Demetrii,

V. 4. OFFERENS EI CORONAM AUREAM, qua regiam illi dignitatem gratulabatur: ET PALMAM auream, qua victoriam adprecabatur: ET THALLOS, id est ramos, seu surculos, oleaginos, ex auro, quibus pacem deposcebat. Sed de alieno liberalis erat sacrilegus: nam clinodia hæc omnia VIDEBANTUR, id est certo sciebantur, ESSE TEMPLI, e quo ipse furto illa subduxerat.

V. 6. De *Assidæis* egi Lib. I. cap. VII. 13.

V. 16. Loco *castelli* DESSAU habemus Lib. I. cap. VII. 13. *Capharsalama*. Sed variis diebus castra occupant varia loca.

V. 18. NICANOR *metuit* SANGUINE IUDICIUM FACERE; id est, refugit ferro decernere, & eum hoste confligere qui mori mallet quam fugere. Legatos ergo mittit pro pace, vers. 19. de qua facile inter partes convenit. Ex quo tempore

V. 24. & 25. Nicanor habuit IUDAM SEMPER CHARUM EX ANIMO: forte legendum, *non ex animo*: quia Græce est, ἐν προσώπῳ, id est in facie, seu vultu tenus. Eodemque modo ERAT VIRO INCLINA-

NATOS, id est propensum se & benevolum erga Iudam gerebat. ROGAVITQUE EUM DUCERE UXOREM, FILIOSQUE PROCREARE, qui tanti parentis virtutem æmularentur. Hoc præ se ferebat Nicanor; sed reipsa intendebat, his nuptiis, Iudam a bellandi studio abstrahere, & vires tam corporis, quam animi, rebus uxoriis enervare. Ex his nuptiis ait Gorionides *b* Iudam filiolum accepisse. Sed huius nullibi alia mentio, forsan præpropera morte sublatus est, etiam ante parentem, qui proximo anno e vivis excessit.

V. 26. *Charitas* horum duorum principum displicet *Alcimo*, qui *Nicanorem* proditionis accusat hoc nomine apud regem.

V. 27. REX NICANORI *scribit*, non probari sibi pacta cum Iudæis conventa, iubetque Iudam Machabæum Antiochiam vinctum ad se mitti.

V. 30. MACHABAEUS, VIDENS SECUM AUSTERIUS AGERE NICANOREM, facile advertit, illius animum alienatum a se, aliquid mali coquere, eum PAUCIS SUORUM sese occultat.

V. 31. *Nicanor* ut COGNOVIT, SE A Iuda PRAEVENTUM FORTITER. Græce, *generose superatum* astutia, seu militari stratagemate, minatur

V. 33. *Sacerdotibus*, se FANUM ISTUD DEI, seu templum, funditus excisurum, ET LIBERO PATRI, id est Baccho, *consecraturum*, NISI IUDAM VINCTUM sibi *tradiderint*. Neque hoc contentus, iram quam non poterat in Iudam, effundit vers. 37. in *Raziam* e SENIORIBUS, id est e; præcipuis senatoribus Ierosolymitanis, QUI PRO pio in commune bonum AFFECTU, PATER IUDAEORUM APPELLABATUR

V. 38 HIC perpetuo CONTINENTIAE PROPOSITUM TENUIT IN IUDAISMO; id est, in vera Dei religione constanter sese conti nuit purum integrumque ab omnibus Gentilium impuritatibus. Addit Gorionides *c*, ex Assidæorum numero ipsum fuisse.

V. 41. Is vero CUM TAM a satellitibus COMPREHENDERETUR, GLADIO SE PETIIT. Sed eum præ *festinatione* vers. 43. NON sat CERTO ac directo ICTU vulnus sibi inflixisset, ex alto *muro præcipitat se* IN medias TURBAS. Sed ne sic quidem exstinctus: nam *V.* 44. *Turbis* LOCUM DANTIBUS CASUI EIUS, VENIT, seu decidit in terram, PER MEDIAM CERVICEM; Græce, *per medium ventrem*; quasi dicat: Non decidit prono capite in terram, sed in latus aut in ventrem, mediam cervicem alliden do terræ. Unde *spirans* adhuc vers. 45. immo sat adhuc robustus corpore, & ACCENSUS ANIMO CURSU TURBAM perrumpens, & in PRAERUPTAM PETRAM vers. 46. ascendens, INTESTINA SUA UTRISQUE MANIBUS e visceribus educta *proiecit in* medias TURBAS, Deum INVOCANS UT HAEC ITERUM sibi *reddat* in novissimo iudicii die. Quæ Numinis invocatio, utpote ex constanti fide, spe & caritate promanans, mihi persuadet (uti persuasit & Francisco Victoria *d* & Serario) non peccasse hoc in actu Raziam, etsi id putatarit S. August. S. Thomas *e* & quidam alii, sed ex peculiari Dei instinctu sibi vim attulisse, ut de Samsone dixi, & alibi. S. Augustinus *f* de *virginibus* quibusdam concedit, *quæ ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent, in flumen* vel ignem *se proiecerunt*. Suadet id pia sanctaque Raziæ vita, tot virtutibus ornata: suadet pia in hoc facinore intentio, vers. 42. *ne subditus fieret peccatoribus*, & forsan vel blanditiis, vel tormentis, vel dolosis stratagematis aliquid ex ore eius eliceretur, quod vel honori divino, vel populi commodis officere videretur: notat enim in suo unius capite negotium totius populi versari: suadet etiam, ut dixi, pia admodum iam moribundi oratio, & spiritus sui in divinas manus commendatio: suadet denique sacri scriptoris, seu Spiritus sancti, eximia laus qua factum hoc Raziæ prosequitur. Dicit vers. 42. *nobiliter*, vers. 43. *audacter* & *viriliter* egisse. Quasi sane laude numquam prosequitur liber Iudicum Samsonis factum, de quo tamen nemo iam dubitat. Et vero falsum esset, *viriliter nobiliterque* egisse, nisi Spiritus sancti instinctu id egisset, cum prorsus abiecti pusillique animi sit αὐτοφονία ἢ αὐτοχειρία, id est sui ipsius occisio & carnificina, testibus non solo ipso Augustino & Lactantio *g* alisque Christianis, sed & Aristotele, Euripide, Virgilio *h* & aliis Gentilibus a Lipsio *i* & Serario citatis.

(a) Lib. II. cap. xxvi. 4 &c. (b) Gorionid. Lib. III cap. xxi. (c) Gorion. sup. cap. xxii.
(d) Franc. Vict. relect. de homic. (e) August. epist lxi. & Lib. II. contra Gaudentium cap. xx S. Tho. II. 2. q 64. ar. 5. ad 5 (f) Lib I. de Civit. cap. xxi. & 26. (g) August. Lib I. de Civ. cap. xix. 20. 22. 23. contra Circumcelliones. Lactant. Lib III c. xviii.
(h) Arist. Lib. III. Nicomachiorum Eurip. in carminib. Virgil. Lib. VI AEneid.
(i) Lips. cent. II. epist. xxvi.

GORDONI.

SEquuntur acta sub Demetrio. Alcimus fecit, ut mittatur Nicanor armatus in Iudæos, verf. 1. & deinceps verf. 13. & 14. Iudæi armantur, verf. 15. Nicanor firmat amicitias, verf. 18. & 23. Nuptiæ Iudæ Ierofolymis, verf. 25. Alcimus Regi fufpectum facit Nicanorem, verf. 26. Litteris regis mutatur animus Nicanoris, verf. 28. Iudas id præfentit, & recipit fe, verf. 30. Nicanor minatur templo, nifi Iudas tradatur, verf. 33. Hiftoria de Razia, verf. 37.

V. 1. POST TRIENNII TEMPUS: Hoc intellige a morte Antiochi Epiphanis, quem dixi obiiffe anno 149. ut numerat prior Liber, aut anno 148. ex varia epocha, ut habet Liber hic fecundus.

V. 3. & 4. ALCIMUS AUTEM. Hic anno fuperiore poft mortem Menelai, factus fummus facerdos erat. Quomodo ergo Lib. I. cap. VII. 5. dicitur voluiffe fieri fummus facerdos per Demetrium? Certe quia volebat a Demetrio confirmari fibi Pontificatum. Hic regi dona offert. Thallos feu ramos aureos, & alia, quæ furatus putatur a templo.

V. 6. Quæ hic & deinceps dicuntur, de Affidæis, Alcimo, Nicanore, nuptiis Iudæ, & Razia, funt explicata Lib. I. cap. VII. a verfu quinto & deinceps.



CAPUT XV.

Iudas fuos contra Nicanorem Dei potentiam contemnentem roborat, tum exhortatione, tum nocturnæ apparitionis manifeftatione de vifo Ieremia pro populo Ifrael orante; qui in Deum fpem habentes ingentem profternunt exercitum, amputatis capite & manu Nicanoris, quæ Ierofolymis in memoriam divinæ protectionis fufpenfa funt, lingua eius blafphema avibus particulatim tradita, eoque die in annuam follemnitatem inftituto.

1. NIcanor autem, (a) ut comperit Iudam effe in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die fabbati committere bellum.
2. Iudæis vero, qui illum per neceffitatem fequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter & barbare feceris, fed honorem tribue diei fanctificationis, & honora eum, qui univerfa confpicit:
3. ille infelix interrogavit, fi eft potens in cælo, qui imperavit agi diem fabbatorum.
4. Et refpondentibus illis, Eft Dominus vivus ipfe in cælo potens, qui iuffit agi feptimam diem.
5. At ille ait: Et ego potens fum fuper terram, qui impero fumi arma, & negotia regis impleri. Tamen non obtinuit ut confilium perficeret.
6. Et Nicanor quidem cum fumma fuperbia erectus, cogitaverat commune trophæum ftatuere de Iuda.
7. Machabæus autem femper confidebat cum omni fpe auxilium fibi a Deo affuturum:
8. & hortabatur fuos ne formidarent ad adventum nationum, fed in mente haberent adiutoria fibi facta de cælo, & nunc fperarent ab Omnipotente fibi affuturam victoriam.
9. Et allocutus eos de lege & prophetis, admovens etiam certamina quæ fecerant prius, promptiores conftituit eos:
10. & ita animis eorum erectis, fimul oftendebat Gentium fallaciam, & iuramentorum prævaricationem.
11. Singulos autem illorum armavit, non clypei & haftæ munitione, fed fermonibus optimis, & exhortationibus, expofito digno fide fomnio, per quod univerfos lætificavit.
12. Erat autem huiufcemodi vifus; Oniam, qui fuerat fummus facerdos, virum bonum & benignum, verecundum vifu: modeftum moribus, & eloquio decorum, & qui a puero in virtutibus exercitatus fit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum:
13. Poft hoc apparuiffe & alium virum, ætate & gloria mira-

mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: 14. Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Ieremias propheta Dei. 15. Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem: 16. Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel. 17. Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi iuvenum confortari, statuerunt dimicare & confligere fortiter, ut virtus de negotiis iudicaret; eo quod civitas sancta & templum periclitarentur. 18. Erat enim pro uxoribus, & filiis, itemque pro fratribus, & cognatis, minor solicitudo: maximus vero & primus pro sanctitate timor erat templi: 19. sed & eos qui in civitate erant, non minima solicitudo habebat pro his qui congressuri erant. 20. Et, cum iam omnes sperarent iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ equitesque opportuno in loco compositi, 21. considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. 22. Dixit autem invocans hoc modo: *(b)* Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octogintaquinque millia: 23. & nunc dominator cælorum mitte angelum tuum bonum ante nos, in timore & tremore magnitudinis brachii tui, 24. ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit. 25. Nicanor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admovebant. 26. Iudas vero, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: 27. manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus trigintaquinque millia, præsentia Dei magnifice delectati. 28. Cumque cessassent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. 29. Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. 30. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abscissam, Ierosolymàm perferri. 31. Quo cum pervenisset, convocatis contribulibus, & sacerdotibus ad altare, accersiit & eos qui in arce erant. 32. Et ostenso capite Nicanoris, & manu nefaria, * quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus est: 33. Linguam etiam impii Nicanoris præcisam iussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi. 34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus qui locum suum incontaminatum servavit. 35. Suspendit autem Nicanoris caput in summa arce, ut evidens esset & manifestum signum auxilii Dei. 36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire: 37. habere autem celebritatem tertiadecima die mensis Adar, * quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei. 38. Igitur his erga Nicanorem gestis, & ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessa, ego quoque in his faciam finem sermonis. 39. Et si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi. 40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est; alternis autem uti, delectabile: ita legentibus, si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

(a) I. Mach. VII. 26. (b) Sup. VIII. 19.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 32. *Quam extendens contra domum Sanctam*. Se rvandum eſt participium *extendens* non ſubſtituendum verbum *extenderat*.

Verſ. 37. *Quod dicitur voce Syriaca*. Non legas femininum *quæ* proneutro, *quod*, non enim refertur ad *diem*, ſed ad *Adar*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 2. PER NECESSITATEM, id eſt coacti.
V. 8. NATIONUM, id eſt Gentilium.
V. 10. FALLACIAM, id eſt perfidiam.
V. 11. MUNITIONE, ſcilicet ſolum.
V. 12. VERECUNDUM. Græc. *verendum*. VISU, id eſt aſpectu ſeu vultu. PROTENDENTEM, ſcilicet in cælum.
V. 13. HABITUDINE. Græc. *excellentiam*.
V. 16. DEIICIES, ſcilicet inquit Deus.
V. 17. EXHORTATI. Verti poterat *conſolati*. VALDE: iungendum eum *bonis*. DE QUIBUS EXTOLLI; pro, quibus incitari. UT VIRTUS, &c. quaſi dicat, Ut totum negotium decerneretur, non verbis, ſed viribus.
V. 21. PRODIGIA, id eſt miracula inſignia.
V. 23. IN; pro, cum.
V. 25. ADMOVEBANT, ſcilicet ſe, ſeu procedebant.
V. 29. PERTURBATIONE, id eſt tumultu, ſcilicet lætantium.
V. 32. GLORIATUS EST; pro, gloriatus, ſcilicet Nicanor; quaſi dicat, Superbe locutus.
V. 33. CONTRA, id eſt e regione.
V. 37. MENSIS. Græc. *duodecimi menſis*, ſcilicet Februarii. ADAR QUOD; pro, qui Adar. DIEI, ſcilicet feſti: de quo vide Eſther IX.
V. 39. MINUS DIGNE, ſcilicet quantum ad elocutionem. Sic & Paulus ſe ſermone imperitum. CONCEDENDUM; id eſt condonandum, ſeu ignoſcendum.
V. 40. CONTRARIUM, id eſt non ſic iucundum. ALTERNIS. Græc. *aqua miſtum*. Not. quod Græca hunc ſenſum faciunt: Ut vinum per ſe bibere, & rurſum aquam, inimicum eſt, ſeu odioſum, delectat vero ſi utrumque miſceas; ſic præparatus, id eſt temperatus, ſeu concinnus ſermo Lectorem delectat. GRATUS, id eſt perinde ſuavis. CONSUMMATUS, id eſt finitus, ſcilicet ſermo, ſeu liber; quaſi dicat, Hic finis eſto.

ESTII.

Verſ. 14. HIC EST FRATRUM AMATOR, ET POPULI ISRAEL: HIC EST QUI MULTUM ORAT PRO POPULO, ET UNIVERSA SANCTA CIVITATE, IEREMIAS PROPHETA DEI. Hic locus manifeſtiſſime aſtruit Sanctorum vita defunctorum interceſſionem pro ſalute vivorum, etiam tempore veteris teſtamenti; quando tamen defunctorum animæ, quantalibet ſanctitate præditi fuiſſent, nondum ad Dei conſpectum & gloriam regni cæleſtis admittebantur, ſed erant tantum in ſinu Abrahæ, ubi tamen conſolabantur, ut Scriptura de Lazaro loquitur Lucæ XVI. Quanto igitur magis tempore novi teſtamenti credendum eſt Sanctos iam cum Chriſto regnantes, & perfecta Dei viſione beatos pro ſalute fidelis populi adhuc militantis apud Deum interpellare? Et huius doctrinæ rationem & fundamentum etiam ipſa Scriptura non tacet: *Hic eſt*, inquit, *fratrum amator*, *& populi Iſrael*, ſcilicet, quia Sancti hac mortali vita defuncti amant adhuc viventes, cum quibus permanent eiuſdem corporis, id eſt eccleſiæ membra: fieri non poteſt, quin illum amorem etiam opere declarent, orando Deum pro viventibus, aliaque ſimilia beneficia iis præſtando. Id enim requirit eorum amor, qui hic memoratur; tum etiam Sanctorum communio, quam in ſymbolo nos credere profitemur.

V. 39. ET SI QUIDEM BENE, ET UT HISTORIAE COMPETIT, HOC ET IPSE VELIM: SIN AUTEM MINUS DIGNE, CONCEDENDUM EST MIHI. Et hæc verba rapiunt hæretici ad infringendam auctoritatem horum librorum. En, inquiunt, auctor dubitat de veritate ſuæ hiſtoriæ. Sed reſpondeo auctorem excuſare, ac petere veniam, non de falſitate, quam metuat ſcriptis ſuis ſubeſſe; ſed de ſermone ac ſtylo, eiuſque

iu-

ruditate, seu inelegantia. Quod ex verbis sequentibus manifestum est: addit enim vers. 40. ITA LEGENTIBUS, SI SEMPER EXACTUS SIT SERMO, NON ERIT GATUS; quasi dicat: Stylus nimium exactus, nimiumque affectatus non solet semper esse gratus legentibus. Atqui Spiritus sanctus non uno aliquo stilo utitur, sed alio atque alio, pro diversitate scribentium, ut ex variis Scripturæ partibus, & libris est manifestum. Adde, quod pro eo quod nos habemus; *Si autem minus digne, concedendum est mihi*, Græce est: *Si autem exiliter, & medio modo, hoc attingibile mihi fuit*. Itaque illud, *concedendum*, non significat veniam dandam, sed mensuram, ad quam quis attingere potest admittendam. Similis locus est II. Cor. XI. ubi Paulus dicit de se: *etsi imperitus sermone, sed non scientia*, & dicere potuisset; concedendum mihi quod imperitus sum sermone.

MARIANAE.

Vers. 1. NICANOR AUTEM. Quæ hic referuntur de morte Nicanoris, habes in Lib. I. cap. VII. a versu 39. & deinceps. Iudas socios excitat verbis,

V. 9. ADMONENS ETIAM CERTAMINA. Græca constructio. Gotth. *certaminum*

V. 11. DIGNO FIDE SOMNI milites Iudas lætificavit. PER QUOD. Græc. ὑπὲρ τι. Sic legit noster, & sic est in Regiis. At in Rom. ὕπαρ τι. Quod *somnium* seu *visio* vere omnes lætificavit. Etenim ὄναρ quodcumque *somnium* significat, ὕπαρ *visionem veram* seu *somnium verum*: sic Homerus Iliad. οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ dixit, huc respiciens. Si hoc sequimur, sic locum verte: *Exposito fide digno somnio, quæ visio vera omnes lætificavit*.

V. 12. ORARE PRO OMNI POPULO vidit Iudas Oniam: nempe mortui pro vivis orant. Possumus ergo illos invocare & colere.

V. 14. RESPONDENTEM VERO ONIAM: cui responderet? nemo interrogat. *Respondere* pro *loqui* sæpe sumitur in Sacris.

V. 15. DEDISSE IUDAE GLADIUM. *Rhomphaam* Græce. Quomodo *rhomphæa*, & *machæra* differant, dictum est Zachar. XIII. 7. *rhomphæa* hastile habet, *alavarda* aut *geiadanna*, aut *partesana*. Iudas ait:

V. 23. IN TIMORE ET TREMORE: seu *in timorem & tremorem*, mitte Angelum. Sic Græce.

V. 27. NON MINUS TRIGINTAQUINQUE MILLIA. Gotth. *triginta millia*. Gorion etiam Lib. III. cap. XXII. ubi de hac pugna agit, *triginta millia* occisa ait.

V. 33. MANUM AUTEM DEMENTIS: quam scilicet extenderat contra templum, suspendit. Græce, τὰ δ' ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας, *præmia autem dementiæ contra templum suspend. re* iussit. Suspicor legendum τὰ δ' ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας, ut cum nostra editione Græca consentiant.

V. 37. TERTIADECIMA DIE MENSIS ADAR, QUOD DICITUR VOCE SYRIACA. Constructio inversa; sic ordina: *Tertiadecima mensis, qui voce Syriaca dicitur Adar*. Nomina mensium quibus Hebræi utuntur, Syriaca omnia sunt, & post captivitatem Babylonicam invecta; alia erant antiqua. *Adar* ultimus Hebraici anni mensis, nostro Februario respondet. Quod additur, PRIDIE MARDOCHAEI DIEI. Die 13. *Adar*, in Kalendario Hebraico ponitur ieiunium Esther. Hoc novum Festum, quod illa die iubetur celebrari, tempore antiquatum est. Die proximo *Adar* 14. Sortium festum ponitur. Is hic vocatur *Mardochæi dies*, & ut pridie eius diei hæc victoria celebretur.

V. 39. ET SI QUIDEM BENE. Petit Auctor Libri veniam, si quid minus apte dictum est; tum cap. II. huius Libri vers. 27. operis difficultatem proponit. Sectarii neutrum sacro Scriptori convenire contendunt, eoque hos Libros esse Canonicos negant, neque divinitus dictatos aiunt. Nos contra, hos Libros Canonicos esse cum Ecclesia Catholica asserimus. In Divinis libris pleraque ab Spiritu sancto dictata. In illis nihil Scriptori difficile, quæ dicit pronuntianti quasi lecta in libro, ut de Ieremia Baruch ait cap. XXXVI. 18. Nihil humile aut domesticum, omnia dictantis maiestati congrua. Quædam ex humano ingenio ponuntur, sed cum assistentia Spiritus sancti, ne contingat lapsus. In his colligendis & disponendis laborat Scriptor; difficultatem experitur, quippe suis viribus operans. In illisque quædam humilia sunt, & ex usu familiari. Quid enim fuit opus ut Paulo Spiritus dictaret ea verba II. ad Timoth. IV. vers. 13. *Penulam reliqui Troade?* Quid illud, *Lucas est mecum solus? Trophimum reliqui infirmum?* Hæc ex familiari usu scripsit sibi nota: neque opus fuit

fuit ut ea Spiritus sanctus dictaret. Sic noster & difficultatem initio proposuit, & in fine veniam præcatur, siquid minus congrue dixisset. Nihil hoc cum Anomæis, qui Sacris libris affingebant mendacia. Nos id penitus repudiamus, atque dicimus, Apostolos & alios Scriptores sacros locutos ut homines aliquando, sed semper eis assistente spiritu sancto, mentis & calami rectore; eorum quæ scripsere nihil reiici posse, ut illi hæretici somniabant, teste Epiphanio Hæresi LXXV. extrema.

MENOCHII.

Vers. 2. PER NECESSITATEM, id est coacti.

V. 3. SI EST POTENS IN CAELO, &c. insignis hominis superbia se Deo exæquantis, eique imperium in homines eripientis.

V. 5. CONSILIUM PERFICERET: eversio nis Iudæorum.

V. 6. COMMUNE TROPHAEUM STATUERE: In codice Vaticano additur, *& iis qui cum ipso erant*.

V. 8. NATIONUM; scilicet, Gentilium.

V. 9. ALLOCUTUS EST EOS DE LEGE: promissiones memorans, quæ in lege continentur, iis factæ, qui eam servant, & pro pugnant. ADMONENS: in memoriam revocans.

V. 10. FALLACIAM: perfidiam.

V. 11. NON CLYPEI, &c. non tantum clypeis, aut hastis. DIGNO FIDE SOMNIO: a Deo immisso.

V. 12. ONIAM: qui Menelai artibus fuerat interfectus, supra cap. IV. 34. VERECUNDUM: αἰδήμονα, *pudentem*, nam activam habet significationem.

V. 13. MAGNI DECORIS HABITUDINE. Legi etiam potest, *habitudinem*, quia in Græco est μεγαλοπρεπεστάτην ὑπεροχὴν, excellenti magnificentia undique ornatum, quæ gloria index erat meritorum sanctissimi prophetæ, & gloriæ, quæ illi in cælo debebatur.

V. 17. EXHORTATI: παρακληθέντες, quod vertere possis, *Consolati*. DE QUIBUS EXTOLLI POSSET IMPETUS: quibus animi vigor, & impetus excitari posset. UT VIRTUS, &c. id est, ut totum negotium decerneretur non verbis, sed virtute, & viribus.

V. 20. CUM OMNES SPERARENT IUDICIUM FUTURUM; id est, cum iam prælium immineret, quo Dei iudicium de causa utriusque ducis patefieret. BESTIAE: elephanti.

V. 23. IN TIMORE ET TREMORE, id est timorem, & tremorem hostibus afferentem.

V. 25. CANTICIS: παιάνων, militaribus vociferationibus. ADMOVEBANT: procedebant, accedebant.

V. 27. PRAESENTIA DEI: τῇ τοῦ Θεοῦ μεγάλως εὐφρανθέντες ἐπιφανείᾳ: ad verbum, *Dei mirifice lætati apparitione*. Apparuit enim Deum illis adesse, cum tam insignem victoriam reportaverint.

V. 29. PERTURBATIONE EXCITATA: strepitu, tumultu, confuso omnium clamore cum lætitia.

V. 32. MAGNIFICE, id est superbe.

V. 34. CAELI BENEDIXERUNT DOMINUM: nimirum Dominum cæli. In Græco est; εἰς τὸν οὐρανὸν, *in cælum*, id est cælum versus vocem extulerunt grati animi indicem.

V. 37. MENSIS ADAR: Februarii. QUOD DICITUR VOCE SYRIACA, &c. Est traiectio vocabulorum; Græca enim habent *Tertiadecima die mensis duodecimi (Adar dicitur voce Syriaca) pridie Mardochaica diei*.

V. 39. HOC ET IPSE VELIM; quasi didat, Gaudeo. SIN AUTEM MINUS DIGNE. Vide dicta supra II. 28. & 29. Non petit autem veniam erratorum, quoad historiæ veritatem, sed orationis minus politæ, quemadmodum etiam D. Paulus se imperitum sermone confitetur: II. ad Corinth. XI.

V. 40. CONTRARIUM EST, id est damnosum, & minus iucundum. EXACTUS SERMO: nimis elaboratus, & cultus; fatigat enim lectorem. Græca hunc sensum faciunt: *Ut vinum per se bibere & rursum aquam inimicum est, seu odiosum, delectat autem si utrumque misceas; sic preparatus, id est temperatus, seu concinnus sermo lectorem delectat*. HIC ERGO ERIT CONSUMMATUS. In Græco est, ἐνταῦθα δὲ ἔσται ἡ τελευτὴ, id est *hic erit finis*: hic est finis.

TIRINI.

Vers. 1. NICANOR iubet suis DIE SABBATHI COMMITTERE prælium, quod speraret Iudæos propter festi sanctitatem non repugnaturos Sed iussa eius declinare conantur qui in castris eius aderant

V. 2. *Iudæi*, PER NECESSITATEM, seu vim, coacti ILLUM *sequi*. NE (obsecramus,

tinus, aiunt,) ITA FEROCITER ET BARBARE cogas nos die sancto arma sumere: ne etiam ignobiliter & tyrannice obruas fratres nostros Iudæos eo tempore quo ipsi per leges suas putant sibi non licere vim vi repellere. Sed persistit tyrannus in sententia.

V. 5. NEC TAMEN OBTINUIT UT CONSILIUM PERFICERET, Iudæis fortiter recusantibus se die festo contra fratres suos arma sumpturos.

V. 9. Iudas *Machabæus*, ut fortem decebat ducem, suos hortatur ad fortiter agendum, *alloquiturque* DE LEGE ET PROPHETIS: nempe depromptis inde egregiis præliorum & victoriarum exemplis, simulque promissionibus divinis de certo auxilio submittendo.

V. 11. EXPOSITO etiam ipsis DIGNO FIDE SOMNIO, ὕπαρ, id est, PER QUOD omnes *exhilaravit* & animos addidit: ita legunt Biblia Regia: sed Romana habent ὕπαρ, id est quod *verum somnium*, seu quæ *vero visio* omnes recreavit. Hic Homerus *a*, οὐκ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ, id est non qualecumque somnium, sed verum somnium. Et ita eamdem voculam usurpant Plato, Plutarchus *b*, Ammonius & Budæus. Vidit ergo clara & certa visione

V. 12 ONIAM SUMMUM pontificem, nuper proditorie e vivis sublatum *c*, iam e limbo PROTENDENTEM MANUS ad Deum, *orantemque* PRO OMNI POPULO IUDAEORUM. Et hunc quidem, ob recentem viri memoriam, facile agnovit Iudas: sed socium eius vers. 13. qui longe splendidiore forma simul apparebat, non potuit agnoscere. Sed detexit eum *Onias* vers. 14. HIC EST, inquiens, FRATRUM nostrorum Iudæorum AMATOR, ET totius POPULI ISRAEL: HIC EST QUI MULTUM ORAT PRO POPULO, IEREMIAS PROPHETA DEI.

V. 15. & 16. Tum *Ieremias protensa* versus Iudam *dextera*, *dedit* ei in manus GLADIUM AUREUM seu deauratum, hac addita monitione. ACCIPE SANCTUM, id est benedictum, GLADIUM, missum tibi ex singulari affectu MUNUS A DEO: QUO *gladio* DEIICIES & profligabis ADVERSARIOS POPULI MEI ISRAEL. Ex qua visione tam clara, tam certa certissime colligitur, Sanctos tam vita functos nosse quæ geruntur in terris, nostri quoque curam gerere, pro nobis orare, & cum visum Deo fuerit, etiam nobis opitulari: ac proinde merito a nobis invocari & honorari. Neque potest Calvinus, aut alii Sanctorum hostes telum hoc declinare, nisi libros hos reiiciendo; quos tamen constat, ab universa Dei Ecclesia iam inde ab illius exordio pro Canonicis Scripturis usurpatos fuisse, ut fusius docet Bellarminus, a Valentia & alii Doctores.

Allegorice, Rabanus per *Ieremiam* Christum Dominum, per *aureum gladium* divinam Scripturam intelligit. Porro iisdem verbis quibus hic Ieremias gladium Iudæ tradit, tradunt hodie quoque primates Ecclesiastici recens inaugurato regis Romanorum, Polonorum, & aliarum nationum, quo illos ad iustitiæ religionisque defensionem excitent, inquit Guaguinus.

V. 28. COGNOVERUNT NICANOREM RUISSE. Gorionides *d* dicit, Iudam, cognita morte *Raziæ*, succensum furore, provocasse Nicanorem in apertum campum: ibique post infelicem pugnam, cum fugam pararet Nicanor, ab ipsomet Iuda Machabæo in duas illum partes dissectum fuisse, ut dixi Lib. I. cap. VII. 46. quo cap. etiam reliqua huius Nicanoris explicantur. Iusto vero Dei iudicio

V. 30. 33. & 35. in caput, linguam & manum blasphemi Nicanoris sævitur, pene eodem modo quo postea in Ciceronis caput, linguam & manum sæviit Antonius & Fulvia. Porro in perpetuam tantæ victoriæ memoriam

V. 37. Placuit diem festum indici TERTIADECIMA DIE MENSIS, *qui* VOCE SYRIACA DICITUR ADAR *e*, & respondet fere nostro Februario. Hæc vero 13. *dies Adar* erat PRIDIE MARDOCHAEI DIEI, id est præcedebat immediate festivitatem *fortium* Mardochæi, quæ consequentibus duabus diebus, 24. & 25. Adar celebratur, ut patet Esther IX. 27. & 31. Ieiunium Esther, quod hodie Iudæi in suo Calendario habent illa ipsa 13. *die Adar*, verisimilius tunc a Synagoga vel antiquatum fuit, vel in præcedentem 12. diem, aut certe in aliud tempus translatum: nam triumphali eiusmodi festo ieiunium non congruebat.

V. 39. Auctor libri huius secundi petit sibi ignosci, non (ut VVitakerus aliique hæretici fingunt) errata, quæ probe sciebat nulla operi suo inesse, seu rem spectes, seu rei circumstantias, sed stylum minus forte politum, minus tersum, minus splen-

ſplendidum, & ut auctor ipſe ait, MINUS *dignum*, quam vel hiſtoriæ gravitas, vel divini verbi maieſtas, vel delicatæ legentium aures & palata depoſcere videantur. In ſtylo enim, modoque ſcribendi, ut plurimum ſcriptores ſacros relinquit ſibi ſuæque naturali ſcientiæ Spiritus ſanctus. Unde fit quod alius alio eloquentior ſubinde & grandiloquentior ſit, numquam tamen veriloquentior. Sic ergo auctor noſter, etſi ſatis diſertus ac facundus, ex modeſtia tamen rogat ſibi ignoſci, ſi quid forte hac ex parte vota vel iudicia legentium requirant. Simili modo S. Paulus II. Cor. XI. vocat ſe *imperitum ſermone*, non quod talis eſſet, ſed quod opinione & ſenſu quorumdam talis haberetur. Cauſa vero, cur auctor noſter putarit licere ſibi, immo expedire lectori, ſi *ſermonem*, ſeu ſtylum minus ſubinde *exactum*, minuſque gravem ſuæ ſcriptioni adhibeat, ab ipſomet profertur verſ. 40. & ult. totius libri: nempe, quod gratius accidere ſoleat LEGENTIBUS, ſi ſtylum ſubinde reperiant exiliorem, neque ſemper gravi & ampla illa atque exactiore orationis conſtructione detineantur: ſicut, inquit, gratius convivis accidit, ſi *vino & aqua* ALTERNIS, vel certe vino aqua diluto detur *uti*, quam ſi vinum ſemper purum, ſeu meracum haurire cogantur. *O mnium* enim quantumcumque excellentium *rerum ſatietas* eſt, inquit Iſocrates & Ariſtophanes *f*, adeoque *etiam* ipſiuſmet *gaudii*, ut Moſchus *g* probat. Nec quidquam ſuavius aut gratius mortalibus quam quod apta varietate & concinna viciſſitudine conditur.

HIC ERGO ERIT CONSUMMATUS, Græce, *conſummatio*, id eſt finis huius libri. Sic S. Leo *h exercitum inſtructum* dicit, pro inſtructione: & vulgo *iuſſum* pro iuſſione uſurpamus. *Erit & hic*, ſed poſt reliqua libri primi, *conſummatus*, ſeu *conſummatio* & *finis* antiqui fœderis & teſtamenti, terminante ibi hiſtoria priſci temporis, & ſuccedente Chriſto Ieſu, ſcopo, fine, complemento legis, Prophetarum, totiuſque veteris teſtamenti.

(a) Homer. Iliad. ρ. item Odyſſea τ. & υ. & ibid. Euſtathius.
(b) Plato ep. III. & Lib. II. de Republica. Plutarch. de Sera numin. vindicta.
(c) Supr. cap. IV. 54.
(d) Gorion. Lib. III. cap. XXII.
(e) Chronici IV.
(f) Iſocrates ad Demonicum. Ariſtoph. in Pluto.
(g) Moſchus in idyllio IV.
(h) Leo Serm. de paſſione Domini.

GORDONI.

NIcanor inſequens Iudam blaſphemat, verſ. 3. 4. 5. Iudas Deo nitens, ſuos hortatur ad victoriam, verſ. 8. & 9 Somnium refert de Onia, Ieremia, & gladio, verſ. 12. De congreſſu cum hoſte, verſ. 21. Orat Iudas, verſ. 22. Iudas proſternit triginta quinque millia, verſ. 27. Caput Nicanoris abſciſſum defertur in Ieruſalem, verſ. 30. Dies ſolemnis indicitur, verſ. 36. Excuſatio auctoris, verſ. 39.

FINIS TOMI VIGESIMI SECUNDI.





